

GOTHOFREDI GUILLELMI

LEIBNITII,

S. Cæsar. Majestatis Consiliarii; & S. Reg. Majest. Britanniarum a Consiliis Justitiæ intimis, nec non a scribendâ Historiâ,

OPERA OMNIA,

Nunc primum collecta, in Classes distributa, præfationibus & indicibus exornata, studio

LUDOVICI DUTENS.

TOMUS QUARTUS,


In tres partes distributus, quarum

I. Continet Philosophiam in genere, & opuscula Sinenses attingentia.

II. Historiam & Antiquitates.


III. Jurisprudentiam.





GENEVÆ,
Apud FRATRES DE TOURNES.

MDCCLXVIII.



TABULA

OPERUM TOMI QUARTI.

PARS I.


§§ 2 Deux

PARS III.


PARS III.

Brevis

Finis Tabulæ Operum Tomi Quarti.



G. G.



G. G. LEIBNITII
HISTORIA ET PHILOSOPHIA SINENSIUM.
PHILOSOPHIA IN GENERE.

LUDOVICI DUTENS
PRÆFATIO
IN QUARTUM VOLUMEN.



RIMO horum Collectaneorum volumine præstantissimum se Theologum LEIBNITIUS prodit; altero æquè in naturali Philosophia, ac in penitiori, altiorique Metaphysica egregium; tertio Mathematicum præcipuum, in commentationibus suis sublimem, in indagationibus accuratissimum. Hic verò non una facie se se nobis exhibet. Identidem enim Philosophus generatim apparet, sectarum, nationumque peculiarium diversa systemata expendens, eximia jam inde a

minùs quàm in dissertatione de stylo philosophico; aliisque de *Nizolio* scriptis, planum facere nititur LEIBNITIUS, Aristotelicam doctrinam cum recentiorum Philosophorum placitis componi posse, suamque sententiam profert de veteri, scholastica, ac recentiori philosophia.

Marius Nizolius, de quo hic sermo est, eruditus Italus fuit, qui librum Parmæ ediderat anno 1553. *de veris principiis, & vera ratione philosophandi*, in quo vehementer *Aristotelem*, ac Peripateticam scholam exagitat. Rarissimus erat tunc temporis hic liber, quod LEIBNITIUM impulit, ut novam ejus editionem Francofurti daret anno 1670. additis præfatione, atque adnotationibus, quae in hoc volumine reperientur. Ibi omni partium studio abjecto, errores *Nizolii* recenset, tum quæ vera in eo libro sunt, & Philosophiæ utilia, comprobat, atque confirmat: in quo *Aristoteles* cum recentioribus conciliari queat, in quo erraverit, in quo rectè senserit, demonstrat: scholasticos item tuetur ab aliquot erroribus, quibus falso arguebantur; quid in eorum sententiis mutandum sit indicat, ac regulas quasdam ad eas emendandas proponit.

Quæ ad Sinensium Philosophiam attinent, non omnia Auctorem habent LEIBNITIUM; sed ea ipsa, quæ LEIBNITII non sunt, necessaria habita fuerunt ad ea intelligenda, quæ noster nova, atque utilissima ea de re scripsit. Primum insuper horum ipsorum opusculorum Philosophi nostri adnotationibus ornatum, illustratumque est. Hoc idem opusculum illud ipsum est, quod in epistola ad *Remondum* præcipuè spectat, quod tota illa dissertatione expendit, emendat, explanat, cujus dissertationis postrema sectio responsionem continet ad P. *Bouveti* epistolam, quæ maximam lucem affert Arithmeticæ binariæ principiis. Ea, de quibus Auctor noster in hujusmodi scriptis agit, utilia sunt quàm quæ maximè. Inquirit enim quænam veterum Sinensium opinio fuerit de Dei natura, de spiritibus, animo humano, ejusque immortalitate; quæ omnia evolvit illo planè

philosophico ingenio, quo consueverat omnia, quæcumque perscrutanda sumsisset; adeo ut nihil de Sinensium philosophia reperiri hactenus queat, quod vel novitate rerum, vel diligentia, ac judicio scriptoris plus possit legentium studiis satisfacere, quàm Leibnitiana a nobis, prima hujus quarti voluminis parte, edita. Hæc erat LEIBNITII opinio, veteres Sinenses rectè de Deo, de spiritibus, de animorum immortalitate sensisse: eorumque medii ævi philosophos ab Atheismo liberat, cujus insimulati fuerant: ac purgare etiam conatur recentiores ejusdem nationis philosophos ab hac ipsa criminatione gravissima, quæ cautissimè esset intentanda non modò populo universo, verùm etiam exiguo eorum Philosophorum numero.

Altera hujus voluminis pars scripta LEIBNITII complectitur ad historiam atque antiquitates pertinentia, in quibus investigationibus adeo excelluit. In nullo ex Leibnitianis istiusmodi opusculis offendet Lector aridum illum, ac jejunum stylum, quo persæpe magna cum legentium satietate hæc argumenta tractantur. Norat nimirum, quæcumque versaret, lepore quodam non usitato condire, etsi ea nihil veneris, atque elegantiæ recipere posse viderentur. Versatissimus in historiis erat, ac loca plura gravissima, atque utilissima dilucidavit. Nullam unquam occasionem neglexit ea manuscripta colligendi, quæ rariora in ejus manus inciderent, inter itinera sæpe ab eo Brunsvicensium Principum jussu, ad illustrandam ejus Principatus historiam, suscepta. *Scriptores rerum Brunsvicensium* quos tribus voluminibus *in folio* comprehensos edidit, nihil erant aliud præterquam seges commentariorum, quibus uti decreverat ad Brunsvicensem historiam conscribendam. Tempestivè admodum hoc consilium inierat; primumque opusculum, quod in altera hujus voluminis parte extat, & in ejus scriniis repertum fuit, delineationis, & quasi adumbrationis cujusdam principium est. Qui sigillatim nosse cupit quid sibi in tanto opere LEIBNITIUS proposuisset, Fontenellianum vitæ ejus

ejus elogium adeat, quod sub initium primi voluminis horum Collectaneorum reperitur. Verum morte præreptus opus persequi non potuit.

In prima Præfatione mea, de Collectaneis illis historicorum scriptorum, quæ Auctor noster undique conquisierat, locutus sum. Ea ut plurimum præfatione aliquâ ornabat digna ingenio, atque eruditione sua, nec non philosophicis animadversionibus referta. Exemplo sint *Introductio in scriptores rerum Brunsvicensium*; ac tria, quæ sequuntur, opuscula. Supervacaneum est hìc ea repetere, quæ illic dixi de operibus, quibus hæ dissertationes procemii loco præfixæ sunt.

Reperientur deinceps decem, vel duodecim dissertatiunculæ, in quibus de nationum origine universim agitur, ac de Germanorum, Gallorumque speciatim; quæ omnia mirum in modum declarant, quàm sublimi ingenio ad hujusmodi investigationes esset a natura instructus; quàm acri, atque exquisito judicio polleret, qua industria, ac felicitate in conjectando, rebusque inter se componendis, atque in systema redigendis. Existimabat, Linguarum originem, earumque analogiam penitus perspectam ad nationum ipsarum originem constituendam conferre posse. Plurimum in hujuscemodi conjecturis versatus est; ac re quidem ipsa hanc historiæ partem summoperè illustravit. De Gallorum origine sententia multas contentiones, pluresque ei adversarios concitavit. In quadam enim de origine populorum dissertatione, Francos dixerat ab iis oris profectos, quæ ad mare Balticum sunt. Ægrè tulit P. *Tourneminius*, hac opinione gloriam adimi Gallis præclaræ originis, quam repetebant a gente illa fortissima, à qua Roma olim capta. Quum contra hanc LEIBNITII opinionem scripsisset ille, respondit noster ea dissertatione, quæ Tractatum de origine Francorum proximè consequitur. Eamdem quoque sententiam tueri debuit contra objecta a celebri *Gundlingio*, quæ res causam ei alterius dissertationis dedit.

Quod ſpectat ad alia ſcripta omnia, ex quibus altera hujus voluminis pars conſtat, ubi diverſa tractantur Chronologiæ, Hiſtoriæ, atque Antiquitatum argumenta, nulla eſt opus prævia cognitione. Satis articulorum index explicat, quod ſcitu neceſſarium eſt, antequam ea legenda ſuſcipiantur. Verum ea percurrens Lector non poterit non ſummoperè mirari, eumdem virum, qui æquè feliciter id omne perſcrutatus eſt, quod vel Matheſis abditiſſimum habet, vel ſublimiſſimum naturalis Philoſophia, deſcendere ad Linguarum, Chronologiæ, antiquorumque monumentorum faſtidioſa ſtudia gravatum minimè fuiſſe.



G.G. LEIB-



G. G. LEIBNITII ET JACOBI THOMASII EPISTOLÆ (a).

EPISTOLA I.

LEIBNITIUS THOMASIO.

I. *De ſcribenda hiſtoria philoſophica.* II. *Num Deus prima rerum materia?* III. *De Carteſianis.* IV. *Ariſtotelica laudatur philoſophia.* V. *Scholaſtici ſenſum* Ariſtotelis *mirè depravarunt.* VI. *Conciliatio* Ariſtotelis *cum recentioribus quomodo inſtituenda?* VII. *Materia prima quid?* VIII. *Forma quid?* IX. *De mutationibus.* X. Ariſtoteles *in doctrina de corporibus cum recentioribus philoſophis conſpirat.* XI. Ariſtoteles *non ſtatuit formas ſubſtantiales, quæ ſint cauſſa motus per ſe in corporibus.* XII. *&* XIII. *De corporum natura.* XIV. *Epiſtolæ concluſio.*

I. TUum illud hiſtoriæ philoſophicæ γεῦμα dici non poteſt, quam omnibus ſalivam moverit, apparet enim, quantum inter nudas nominum recenſiones & profundas illas de ſententiarum connexionibus rationes interſit. Et certè quotquot rerum intelligentes de ſpecimine tuo loqui audio (ſcis me nihil auribus dare) ii unanimiter aſſeruerant, a nemine uno integrum hiſtoriæ philoſophicæ corpus potiùs expectari poſſe. Plerique alii antiquitatis magis quàm artis periti, vitas potiùs quàm ſententias nobis dederunt. Tu non Philoſophorum, ſed philoſophiæ hiſtoriam dabis. Narrant in Angliâ ſub prælo eſſe *Joſephi Glanvilli* Hiſtoriam creſcentium indè ab *Ariſtotele* ſcientiarum. Sed illum arbitror ferè mathematices, & mechanices, & phyſices illius curioſioris tantùm periodos ſequuturum, ita tibi, opinor, præripuit nihil. Utinam verò

(a) Harum epiſtolarum prior præmiſſa fuit libro *Marii Nizolii* inſcripto, *de veris principiis, & verâ philoſophandi ratione*, quem edi curavit *Leibnitius* Fancofurti anno 1670. Poſteriores verò depromtæ ſunt ex Tom. III. Collectionis *Kortholti*.

verò ad recentiorem hanc ætatem ſtylum filumque producas, & admoneas inconſultam juventutem noſtram, neque nihil novatoribus tribuenda eſſe: *Bagemmus* non ſolus eſt, cui cenſor debeare; ſunt *Patricii*, *Teleſii*, *Campanellæ*, *Bodini*, *Nizolii*, *Fracaſtorii*, *Cardani*, *Galilei*, *Verulamii*, *Gaſſendi*, *Hobbii*, *Carteſii*, *Baſſones*, *Digbæi*, *Sennerti*, *Sperlingii*, *Derodones*, *Deuſingii*, & multa alia nomina, in quæ philoſophiæ pallium diſtrahitur. De his admonere orbem, tibi ludus, publico fructus erit.

II. Judicio tuo de *Bagemmo* quis non aſſentiatur? Nulla in hypotheſibus ejus concinnitas, nulla rationum connexio, ſententiae verò prorſus monſtroſæ, certè niſi aliqua in phyſica ſpeciali obſervatio utilia habet, rectius ſilebit. Cæterum mihi videntur ſententiæ illius de Deo, prima rerum materia parentes eſſe *Scaliger*, *Sennertus*, & *Sperlingius* (nam & ejus diſcipulum ſe profitetur) qui ſtatuunt formas educi, non e potentiâ materiæ paſſivâ, ſed è potentia efficientis activâ. Quare conſequens eſt, ut Deum potiùs ex ſuâ potentiâ activâ, quàm ex nihili potentiâ objectivâ, & quaſi paſſivâ creaturas producere credant. Deus igitur, ex eorum ſententiâ, res ex ſe producet, & ideo prima rerum materia, quodammodo rerum materia erit: ſed de eo tu rectiùs arbitraberis.

III. De *Carteſio* & *Claubergio* prorſus tecum ſentio, diſcipulum Magiſtro clariorem eſſe. Illud tamen rurſus dicere auſim, nullum ferè Carteſianis inventis addidiſſe. Certè *Claubergius*, *Raeus*, *Spinoza*, *Clerſelier*, *Heerbord*, *Tobias Andreæ*, *Henricus Regius*, nihil aliud, quàm Ducis ſui paraphraſtas egerunt. Carteſianos verò eos tantùm appello, qui *Carteſii* principia ſequuntur, ex quo numero magni illi viri *Verulamius*, *Gaſſendus*, *Hobbius*, *Digbæus*, *Cornelius ab Hoghelande* &c. prorſus eximi debent, quos vulgus Carteſianis confundit, quum tamen vel *Carteſio* æquales vel etiam ſuperiores ætate & ingenio fuerint, me fateor nihil minùs quàm Carteſianum eſſe. Regulam illam omnibus iſtis philoſophiæ reſtauratoribus communem teneo, nihil explicandum in corporibus, niſi per magnitudinem, figuram & motum. In *Carteſio* ejus methodi tantum propoſitum amo; nam quum in rem præſentem ventum eſt, ab illâ ſeveritate prorſus remiſit, & ad Hypotheſes quaſdam miras ex abrupto delapſus eſt, quod rectè etiam deprehendit in eo *Voſſius* in libro de Luce.

IV. Quare dicere non vereor plura me probare in libris *Ariſtotelis*, περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως, quàm in meditationibus *Carteſii*; tantum abeſt, ut Carteſianus ſim. Imò auſim addere totos illos octo libros, ſalva philoſophia reformata ferri poſſe. Qua ratione illis ipſo facto occurretur, quæ tu Vir clariſſime, de *Ariſtotele* irreconciliabili nunc diſputas. Quæ *Ariſtoteles* enim de materiâ, formâ, privatione, naturâ, loco, infinito, tempore, motu ratiocinatur, pleraque certa & demonſtrata ſunt, hoc uno ferè demto, quæ de impoſſibilitate vacui, & motus in vacuo aſſerit. Mihi enim neque vacuum neque plenum neceſſarium eſſe, utro-
que

que modo rerum natura explicari posse, videtur. Pro vacuo pugnant *Gilbertus*, *Gassendus*, *Gerickius*; pro pleno *Cartesius*, *Digbæus*, *Thomas Anglus*, *Clerk* in libro de plenitudine mundi. Pro possibilitate utriusque *Thomas Hobbes*, & *Robertus Boyle*: Et fateor, difficulter quidem, posse tamen sine vacuo, rerum rarefactiones explicari. Vidi nuper *Johannis Baptistæ Du Hamel*, eruditi Galli, librum de consensu veteris & novæ philosophiæ, Parisiis non ita pridem editum, ubi celeberrimorum aliquot veterum & recentiorum hypotheses & exponit eleganter, & sæpè acutè dijudicat. Is quoque de divortiis circà vacuum non pauca habet. De cætero reliqua pleraque *Aristotelis* disputata in Lib. VIII. Physices, & totâ Metaphysicâ, Logica, & Ethica nemo ferè sanus in dubium vocabit. Formam quoque substantialem nempè, id quo substantia corporis unius a substantiâ alterius corporis differt, quis non admittat? Materia prima nihil verius. Hoc unum in quæstione est, an quæ *Aristoteles* de materiâ, forma, & mutatione abstractè disputavit, ea explicanda sint per magnitudinem, figuram & motum. Id Scholastici negant, Reformatores affirmant. Reformatorum sententia mihi non solùm verior, sed & *Aristoteli* magis consentanea videtur: de utroque breviter dicam.

V. Ac primum de *Aristotele*. Nam Scholasticos ejus sensum mirè depravasse cui magis est cognitum, quàm tibi, vir clarissime, qui bonam partem hujus generis errorum primus produxisti? Id quum tecum in Metaphysicis *Sonerus* & *Dreierus*, in Logicis *Viottus*, *Zabarella*, *Jungius*; in Civilibus *Jason Denores*, *Piccartus*, *Conringius*, *Feldenus*, *Durrius*, multique alii fateantur; cur obsecro non eadem aut deteriora, in Physicis suspicabimur, cujus scientiæ præsidia a sensu & experientia & Mathesi petenda sunt, quibus instrumentis scholastici Monachalibus claustris cohibiti, ferè prorsus caruerunt. Satis igitur probabile est in physicis eos deceptos esse, quid si hoc amplius, nimis id certum esse, ostendam?

VI. Qua in re duplici rursus ratione versari licet. Nam vel ostenditur Philosophiam Reformatam Aristotelicæ conciliari posse, & adversam non esse; vel ulterius ostenditur alteram per alteram explicari non solum posse, sed & debere, imo ex Aristotelicis principiis fluere ea ipsa quæ a recentioribus tanta pompa jactantur. Priore via possibilitas, posteriore necessitas conciliationis conficitur, quamquam eo ipso si possibilis conciliatio ostenditur, confecta res est. Nam etsi utraque explicatio & scholasticorum & recentiorum esset possibilis, ex duabus tamen possibilibus Hypothesibus semper eligenda est clarior & intelligibilior, qualis haud dubie est hypothesis recentiorum, qua nulla entia incorporalia in mediis corporibus sibi fingit, sed præter magnitudinem, figuram & motum assumit nihil. Nam possibilitatem conciliationis non possum melius ostendere, quam si petam dari mihi aliquod principium *Aristotelis* quod non per magnitudinem, figuram, & motum explicari possit.

VII. Materia prima est ipsa massa, in qua nihil aliud quàm extensio &

& ἀντιτυπία, ſeu impenetrabilitas; extenſionem a ſpatio habet, quod replet; natura ipſa materiæ in eo conſiſtit, quod craſſum quiddam eſt, & impenetrabile, & per conſequens alio occurrente (dum alterum cedere debet) mobile. Hæc jam maſſa continua mundum replens, dum omnes ejus partes quieſcunt, materia prima eſt, ex qua omnia per motum fiunt, & in quem per quietem reſolvuntur, eſt enim in ea in ſe ſpectata nulla diverſitas, mera homogeneitas niſi per motum. Hinc jam omnes Scholaſticorum nodi ſolvuntur. Primum de actu ejus entitativo ante omnem formam, quærunt. Et reſpondendum eſt, eſſe eam ens ante omnem formam, quum habeat exiſtentiam ſuam. Illud omne enim exiſtit, quod in aliquo ſpatio eſt, quod de maſſa illa omni licet motu & diſcontinuitate carente negari non poteſt. Eſſentia autem materiæ ſeu ipſa forma, corporeitatis conſiſtit in ἀντιτυπίᾳ ſeu impenetrabilitate; quantitatem quoque habet materia, ſed interminatam, ut vocant *An noiſta*, ſeu indefinitam, dum enim continua eſt, in partes ſecta non eſt, ergo nec termini in ea actu dantur, (non de intrinſecis enim mundi ſeu totius maſſæ, ſed intrinſecis partium terminis loquor) extenſio tamen ſeu quantitas in ea datur.

VIII. A materia tranſeamus ad formam, per diſpoſitiones. Hic ſi formam ſupponamus nihil aliud eſſe quàm figuram, rurſus omnia mirè concinent. Nam quum figura ſit terminus corporis, ad figuras materiæ inducendas, opus erit termino. Ut igitur varii in materia termini oriantur, opus eſt diſcontinuitate partium. Eo ipſo enim dum diſcontinuæ ſunt partes, habet quælibet terminos ſeparatos (nam continua definit *Ariſtoteles* ὧν τὰ ἔσχατα ἕν.) diſcontinuitas autem in maſſa illa prius continua duplici modo induci poteſt, uno modo, ut tollatur etiam ſimul contiguitas, quod fit, quando ita divelluntur a ſe, ut relinquatur vacuum, vel ſic, ut maneat contiguitas, quod fit quando, quæ ſibi immediata manent, tamen in diverſa moventur, v. g. duæ ſphæræ, quarum una alteram includit, poſſunt in diverſa moveri, & tamen maneant contiguæ, licet deſinant eſſe continuæ. Ex his patet ſiquidem ab initio maſſa diſcontinua ſeu vacuitatibus interrupta creata ſit, formas aliquas ſtatim materiæ concretas eſſe; ſui verò ab initio continua eſt, neceſſe eſſe, ut formæ oriantur per motum. (Nam de annihilatione certarum partium ad vacuitates in materia procurandas, quia ſupra naturam eſt, non loquor) quia a motu diviſio, a diviſione termini partium; a terminis partium figuræ earum, a figuris formæ, ergo a motu formæ. Ex quo patet, omnem diſpoſitionem ad formam eſſe motum, patet quoque ſolutio vexata de origine formarum controverſiæ. Cui vir Cl. *Herm. Conringius* peculiari diſſertatione non aliter occurrit, quàm concedendo formas ex nihilo oriri, ſed meditationes iſtæ compendioſiorem viam monſtrant, ut illuc confugere neceſſe non ſit. Dicimus enim formas oriri ex potentia materiæ, non aliquid novum producendo, ſed tantum vetus tollendo,

&

& per divisionem partium terminos causando, quemadmodum qui columnam facit, nihil aliud facit, quàm quod inutilia tollit, residuum cæteris sublatis eo ipso eam figuram nanciscitur, quam vocamus columnam, scilicet omnes figuræ seu formæ in ipsa massa continentur, indigent tantùm determinatione, & actuali ab aliis adhærentibus separatione. Hac explicatione admissa ludus & jocus sunt quæcunque contra originem formarum ex potentia materiæ monentur.

IX. Restat nunc ut ad mutationes veniamus. Mutationes enumerantur vulgo & rectè: generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio & mutatio localis seu motus. Has omnes putant recentiores per motum localem solùm explicari posse. Et primùm de augmentatione & diminutione manifesta res est; mutatio enim quantitatis in toto fit, dum pars locum mutat, & vel accedit vel decedit. Restat ut generationem & corruptionem & alterationem explicemus per motum, & prænoto eandem numero mutationem esse simul generationem & alterationem diversorum, nam exempli causa verum est, putredinem consistere in vermibus illis nudo visu insensibilibus, erit infectio aliqua putrida alteratio hominis, generatio vermis. Similiter *Hookius* in micrographia ostendit, rubiginem in ferro esse subtilem sylvulam enatam; rubiginescere igitur erit alteratio ferri, generatio parvorum fruticum. Cæterum tam generatio & corruptio, quàm alteratio explicari per subtilem partium motum potest, v. g. quum album sit, quod lucem plurimam reflectit, nigrum, quod parvam, erunt ea alba, quorum superficies multa parva specula continet; hæc ratio est cur aqua spumescens sit alba, quia innumeris bullulis constat, quot autem bullulæ, tot specula: quum antè tota ferè aqua non nisi unum speculum fuerit; quemadmodum speculo vitreo fracto quot partes tot specula fiunt: quæ etiam causa est, cur vitrum contusum sit albius integro. Similiter igitur aqua per bullulas in distincta velut specula fracta albedo oritur, quæ ratio etiam est, cur nix sit albior glacie, & glacies aqua. Falsum enim est nivem esse aquam condensatam, quum sit rarefacta potiùs unde & levior aqua est & plus spatii occupat. Qua ratione sophisma *Anaxagoræ* de nive nigra diluitur. Et hinc jam patet sola figuræ & situs in superficie mutatione colores oriri, idem de luce, calore & omnibus qualitatibus, si locus pateretur, facilè explicari posset. Jam verò, si qualitates per solum motum mutantur, eo ipso & substantia mutabitur: mutatis enim omnibus, imò & quibusdam, requisitis, res ipsa tollitur: v. g. si vel lucem vel calorem sustuleris, ignem sustuleris; utrumque motu inhibito effecerit, quæ ratio est cur ignis clausus pabulo aeris deficiente moriatur, ut taceam essentiam a qualitatibus suis non nisi relatione ad sensum differre. Uti enim eadem civitas aliam sui faciem offert, si a Antri in media urbe despicias, (*in Grund gelegt*) quod perinde est, ac si essentiam ipsam intueare; aliter apparet, si extrinsecus accedas, quod perinde est ac si corporis qualitates percipias; & ut ipse

 civi-

civitatis externus aspectus variat, prout a latere orientali vel occidentali, dis-accedis, ita similiter pro varietate organorum variant qualitates. Ex his jam facilè patet, omnes mutationes per motum explicari posse. Nec obstat, quod generatio fit in instanti, motus est successivus, nam generatio non est motus, sed finis motus, jam motus finis est in instanti, nam figura aliqua ultimo demum instanti motus producitur seu generatur, uti circulus extremo demum momento circumgyrationis producitur. Ex his etiam patet, cur forma substantialis consistat in indivisibili, nec recipiat majus aut minus. Nam & figura non recipit majus aut minus. Etsi enim circulus sit circulo major, non tamen est circulus altero magis circulus, nam circuli essentia consistit in æqualitate linearum a centro ad circumferentiam ductarum, jam æquitas consistit in indivisibili, nec recipit majus aut minus. Nec vero objici debet figuram aut magnitudinem esse accidentia, neque enim semper sunt accidentia, nam etsi v. g. fluxus sit accidens plumbi, fluit enim non nisi in igne; est tamen de essentia Hydrargyri; jam causa fluxus est haud dubiè partium curvilineitas libera sive globis, sive cylindris, sive ovalibus, sive aliis sphæroeideis constet: curvilineitas igitur subtilium partium est accidens plumbi, Hydrargyro verò essentialis. Ratio quia omnia metalla oriuntur ex hydrargyro per salia fixo, salium autem natura consistit in figuris rectilineis ad quietem aptis, hinc si salia in aqua soluta, sponte recongelascere sinamus, alia uti chymicis notum est, tetrædrica, alia hexædrica, octædrica &c. nulla rotunda aut curvilinea appareant. Hinc salia sunt causa fixitatis; salia igitur illa acida in terræ visceribus hydrargyro quasi per minima mixta impediunt curvilineorum libertatem interfertione, & constituunt metallum. In igne verò metallum redit ad naturam Hydrargyri, ignis enim se interserens subtilibus partibus, partes curvilineas hydrargyrinas a plani lateris salinis liberat, hinc in igne fluxus. Ita patet vix quicquam in physica Aristotelica esse, quod ex reformata non commodè explicetur & illustretur.

X. Et hæc quidem exempla mihi de meo inter scribendum succurrerunt, innumera alia ab aliis per totam philosophiam naturalem congeruntur. Huc ivit Clarissimus *Raeus* in Clavi philosophiæ naturalis, ut *Aristotelem* recentioribus conciliaret, qui tamen ad manus non fuit. Neque *Raeus* conciliatorum inter *Aristotelem* & recentiores primus solusque est, ut quidam ei objiciunt. Princeps *Scaliger* mihi viam stravisse videtur; nostris temporibus *Kenelmus Digbæus* & ejus assecla *Thomas Anglus*, ille in libro de animæ immortalitate, hic in institutionibus peripateticis, idem ex professo egere. Nec abludunt tum *Abdias Trew*, tum inprimis *Erhardus Weigelius*. Hactenus posse tantum conciliari ostensum est, superest ut monstremus & debere. Scilicet *Aristoteles* in 8 phys. Auditus libris, quid aliud tractat quàm figuram, magnitudinem, motum, locum, tempus? si ergo corporis in genere natura his absolvitur, corporis in specie natura

natura tali figura, tali magnitudine &c. absolvetur. Et vero ait ipse *lib.* 3. *text.* 24. *phys. Arist.* omnem naturalem scientiam esse circa magnitudinem (cui scilicet connexa figura) motum & tempus. Idem *Aristoteles* passim ait, Ens mobile physicæ subjectum esse, naturalem scientiam agere materia & motu: Ipse quoque omnium quæ in sublunaribus fiunt causam facit cœlum. Jam cœlum, ait, non agere in inferiora nisi per motum. Motus autem non producit nisi motum aut terminos motus, nempe magnitudinem & figuram, & ex his resultantem situm, distantiam &c. Ex his igitur omnia explicari debent in naturalibus. Idem *Aristoteles* passim ait, (in lib. 1. de phys. aud. text. 69.) eam esse rationem æris ad statuæ figuram, quæ materiæ ad formam. Cæterum figuram esse substantiam, aut potius spatium esse substantiam, figuram esse quiddam substantiale, probaveram, quia omnis scientia sit de substantia, Geometria autem quin scientia sit negari non possit. Fuere qui responderent citius locum afferri a se posse, quo *Arist.* Geometriam esse scientiam negaverit, quam ego producturus sim, quo dixerit. Ego verò non dubito, esse aliqua loca *Aristotelis*, quæ huc trahi torquerive possint, sed tamen ea infinitis aliis ejus confessionibus obrui puto. Quid enim omnibus Analyticorum libris Geometrarum exemplis frequentius, ut videatur demonstrationes Geometricas velut mensuram cæterarum esse voluisse. Jam ineptè ignobilius nobilioris mensura constituitur. Et verò tam abjectè de Mathematicis scholastici primum senserunt, omni conatu id agentes, ut ex perfectarum scientiarum numero Mathesin excluderent. Contra manifestum textum *Aristotelis* in libro I. posteriorum, text. 31. figurarum maximè scientialis est prima, quia Mathematicæ ea faciunt demonstrationem, ut Arithmetica, Geometria & Perspectiva & omnes quæ ipsius propter quid demonstrationem faciunt. Utuntur eo præcipuè argumento, quod non semper ex causis demonstret. Sed si rem cogitemus curatiùs, apparebit demonstrare eam ex causis. Demonstrant enim figura ex motu, v. g. ex motu puncti oritur linea, ex motu lineæ superficies, ex motu superficiei corpus. Ex motu rectæ super recta oritur rectilineum. Ex motu rectæ circa punctum immotum oritur circulus, &c. Constructiones figurarum sunt motus; jam ex constructionibus affectiones de figuris demonstrantur. Ergo ex motu, & per consequens a priori, & ex causa. Geometria igitur vera scientia est. Ergo non invito *Aristotele* objectum ejus, nempe spatium, substantia erit. Neque verò adeo absurdum est, Geometriam agere de forma substantiali corporum. Ecce enim locum *Aristotelis* 13. Met. text. 3. quo expresse dicit, Geometras abstrahere a materia, fine & efficiente; quo supposito sequitur, ut vel de forma substantiali vel accidentali agat. Sed non agit de accidentali, quia forma accidentalis in sua definitione reali involvit subjectum in quo est, seu materiam, quum tamen *Aristoteles* dicat Geometriam a materia abstrahere. Ergo Geometria agit de forma substantiali. Hinc mihi hæc scribenti sub manibus nascitur

 pulchra

pulchra quædam ſcientiarum harmonia, nempe re exactè perpenſa: Theologia ſeu Metaphyſica agit de rerum efficiente, nempe mente, Philoſophia moralis (ſeu practica vel civilis, nam, ut a te didici, una eademque ſcientia eſt) agit de rerum fine, nempe bono; Matheſis (puram intelligo, nam reliqua phyſicæ pars eſt) agit de rerum forma, nempe figura: Phyſica agit de rerum materia, & ex eis cum cæteris cauſis complexu reſultante unica affectione, nempe motu. Mens enim ut bonum, gratamque ſibi rerum figuram & ſtatum obtineat, materiæ motum præbet. Nam Materia per ſe motûs expers eſt. Motûs omnis principium, Mens, quod & *Ariſtoteli* rectè viſum.

XI. Nam, ut huc quoque veniam, nullibi *Ariſtoteles* formas quaſdam ſubſtantiales ejuſmodi ſibi imaginatus videtur, quæ per ſe ſint cauſa motûs in corporibus, quemadmodum Scholaſtici capiunt, definit quidem naturam, principium motûs & quietis, & formam materiamque vocat naturam, formam autem magis quàm materiam, ſed hinc quod ſcholaſtici volunt non ſequitur, formam eſſe quoddam incorporale, brutum tamen in corporibus, quod ipſum ſua ſponte ſine externæ rei conſenſu motum corpori verbi gratia lapidi deorſum præbeat. Nam forma quidem eſt cauſa & principium motûs, ſed non primum. Neque enim corpus movetur, niſi ab extrinſeco moveatur, ut rectè *Ariſtoteles* non dicit tantùm, ſed & demonſtrat, verbi gratia, ſit globus in plano, is ſi ſemel quieſcat per ſe in æternum non movebitur, niſi accedente extrinſeco impulſore, verbi gratia, alio corpore. Eo jam allabente, alterum corpus principium motûs impreſſi eſt, figura verò, nempe globoſitas, eſt principium motûs ſuſcepti, nam ſi globoſitas afuiſſet, fortè pro re nata, corpus alteri corpori tam facilè non ceſſiſſet. Ex hoc patet conceptum formæ ſcholaſticum ex definitione naturæ Ariſtotelica non ſequi. Forma igitur eſt principium motûs in ſuo corpore & corpus ipſum eſt principium motûs in alio corpore fateor; ſed primum principium motûs eſt prima & realiter a materia abſtracta forma, (quæ ſimul eſt efficiens) nempe Mens. Hinc in ſolas mentes cadit libertas & ſpontaneum. Abſurdum ergo non eſt, unicam ex formis ſubſtantialibus mentem principium motûs primum dici, cæteras a mente motum habere. Et hoc argumento adſcendit ad primum motorem. Huic objectioni dupliciter reſpondes; primum, hoc argumentum nihil poſſe apud *Epicurum*, qui ſuis atomis largiatur per ſe motum deorſum. Fateor apud eum nihil poſſe hoc argumentum, niſi ei prædemonſtretur, hoc ipſum abſurdum & impoſſibile eſſe, quod corpus habeat motum a ſeipſo. Quod & jam tum *Cicero*, ni fallor, in libris de naturâ Deorum facit, eleganter *Epicurum* irridens, quod quiddam ſine cauſâ & ratione in ſuis hypotheſibus hoc modo introducat. Nam in rerum naturâ nihil eſſe deorſum, ſed quoad nos, neque igitur cauſam, cur corpus aliquod in hanc potius, quàm illam plagam moveatur. *Epicuro* igitur negandi quicquid movetur ab alio extra

extra se moveri facilè occurremus & laborantem existentiæ Dei certitudinem vindicabimus. Alterum objicies: *Aristotelem* videri non tam ex hoc axiomate, quod omnis motus principium sit extrà corpus motum, quam ex alio: non dari processum in infinitum, ratiocinatum esse, at verò quæso, Vir Amplissime, te hujus controversiæ judicem appello petoque, attentè cogites, an non utriusque conjunctione opus sit. Nam nisi admittatur quod movetur ab extraneo moveri, planè ad nullum processum deveniemus, nedum ad infinitum; nam adversarius statim ab initio resistet, & datum aliquod corpus sibi ipsi ad motum producendum per formam suam substantialem sufficere, nullo igitur motore nedum primo, opus esse, respondebit. Concidet ergo scala illa primo statim gradu & velut fundamento subtracto. Deinde etiam *Epicurus* processum in infinitum admittebat, ergo non tam quid *Epicurus* admittat, vel non admittat, quàm quid demonstrari certo possit, videndum est. Aristotelicam philosophiam reformatæ ipsius philosophiæ inevitabilis eventus breviter attingenda est (b). Scilicet quod Theologis, idem & Philosophis agendum est. Scripturam sacram sancti Patres optimis interpretationibus illustrarunt, mox Monachi obscurarunt superstitionibus: Ortâ luce animorum Theologia reformata triplex est, alia hæretica, quæ ipsas scripturas rejicit, ut fanaticorum; alia schismatica, quæ priscos patres ecclesiæ doctores cum scripturâ sacrâ, & primitivâ ecclesia conciliat, ut Evangelicorum (c) similiter *Aristotelem* Patres Græci illustrarunt, scholastici obscurarunt nugis. Ortâ luce, philosophia reformata triplex est: alia stolida qualis *Paracelsi*, *Helmontii*, aliorumque, *Aristotelem* prorsus rejicientium; alia audax, quæ exigua veterum cura immò contemtu eorum palam habito, bonas etiam meditationes suas suspectas reddunt, talis *Cartesii*; alia vera, quibus *Aristoteles*, vir magnus, & in plerisque verus cognoscitur.

XII. Nunc conciliata jam cum *Aristotele* philosophia reformata, restat ipsius per se veritas ostendatur, prorsus quemadmodum religio Christiana, tum ex ratione & historiâ, tum ex scriptura sacra probari potest. Probandum autem est, nulla dari Entia in mundo, præter Mentem, Spatium, Materiam, Motum. Mentem voco ens cogitans. Spatium est Ens primo extensum, seu corpus mathematicum, quod scilicet nihil aliud continet quàm tres dimensiones, estque locus ille universalis omnium rerum. Materia est ens secundo-extensum, seu quod præter extensionem vel corpus mathematicum habet & corpus physicum, id est, resistentiam, crassitiem, spatii-repletivitatem, impenetrabilitatem, quæ consistit

(b) *Observ. Thomasii.* Sic scriptum erat a librario, sed hiat aliàs hæc periodus: nec lectionem ejus constituo.

(c) *Observ. Thomasii.* Etiam hic aliquid deest; datur enim pro triplici theologiâ tantùm duplex. Scripsisse puto alia schismatica, alia vera, quæ priscos Patres &c. Confer sequentem.

fiſtit in eo, ut alio tali ente adveniente cedere, aut quieſcere alterutrum cogatur; à quâ igitur impenetrabilitatis natura fluit motus. Materia igitur eſt ens, quod eſt in ſpatio, ſeu ens ſpatio coextenſum. Motus eſt mutatio ſpatii. Figura autem magnitudo, ſitus, numerus &c. non ſunt entia à ſpatio, materia, & motu realiter diſtincta, ſed tantùm habitudines inter ſpatium, materiam, motum & earum partes à mente ſuperveniente factæ. Figuram autem definio terminum extenſi: Magnitudinem numerum partium in extenſo. Numerum definio unum, & unum, & unum &c. ſeu unitates. Situs ad figuram reducitur, eſt enim plurium configuratio. Tempus nihil aliud eſt quàm magnitudo motûs. Quumque omnis magnitudo ſit numerus partium, quid mirum *Ariſtotelem* definiſſe Tempus numerum motus? Sed ita termini tantùm explicati ſunt, expoſitumque, quo ſenſu iis utamur, nihil probatum. Nunc oſtendendum eſt nullis aliis rebus ad explicanda mundi phænomena & cauſas eorum poſſibiles reddendas opus eſſe, imo nec alias res eſſe poſſe; quanquam ſi oſtendimus aliis rebus præter mentem, materiam, ſpatium & motum opus non eſſe, eo ipſo ſatis confectum erit Hypotheſes recentiorum, qui his ſolis rebus ad reddenda phænomena utuntur, eſſe meliores. Vitium enim Hypotheſeos eſt non neceſſaria aſſumere. Jam verò explicari omnes totius Mundi res ex his ſolis poſſe, ſatis lectio recentiorum philoſophorum docet, & ex his patet, quæ paulo ante poſui, quum poſſibilitatem conciliationis Ariſtotelicæ oſtenderem. Deinde quoque notandum eſt, eas Hypotheſes eſſe meliores quæ ſunt clariores. Jam verò mens humana nihil aliud imaginari poteſt, quàm mentem (quando ſcilicet cogitat ſeipſam) ſpatium, materiam, motum, & quæ ex his inter ſe comparatis reſultant, quidquid ſuperaddideris, verba ſunt tantùm, quæ nominari, & inter ſe variè combinari poſſunt, explicari & intelligi non poſſunt. Quis enim imaginari ſibi poteſt Ens quod neque extenſionis neque cogitationis ſit particeps? quid opus igitur animas brutorum, plantarumque incorporeas formas elementorum metallorumque ſubſtantiales, extenſionis expertes ponere? Rectiùs igitur *Campanella* in libro de ſenſu rerum & magia, & *Marcus Marci* in ideis operatricibus, falſo quidem, congruenter tamen ſuis hypotheſibus formis iſtis ſubſtantialibus rerum inanimatarum, extenſione carentibus, ſenſum, ſcientiam, imaginationem, voluntatem tribuere. Nec abludit *Agrippæ* occulta philoſophia, Angelum cuilibet rei aſcribentis quaſi obſtetricatorem, nec quæ *Scaliger de plaſticis* ejuſque ſapientiâ diſſeruit. Ita reditur ad tot deunculos, quot formas ſubſtantiales, & Gentilem propè polytheiſmum. Et certè omnes, qui de ſubſtantiis illis incorporalibus corporum loquuntur, non poſſunt mentem ſuam explicare niſi tranſlatione a Mentibus ſumta. Hinc enim attributus, illis appetitus vel inſtinctus ille naturalis ex quo & ſequitur cognitio naturalis, hinc illud axioma: Natura nihil facit fruſtrà, omnis res fugit ſui deſtructionem: ſimilia ſimilibus gaudent;

gaudent; materia appetit formam nobiliorem, & alia id genus. Quum tamen revera in natura nulla ſit ſapientia, nullus appetitus, ordo verò pulcher ex eo oriatur, quia eſt horologium Dei. Ex his patet, hypotheſes philoſophiæ reformatæ hypotheſibus ſcholaſticis eo prævalere, quòd non ſuperfluæ, contrà tamen claræ ſunt.

XIII. Reſtat, ut ſubtiliore ratiocinio probetur, ne poſſe quidem alia Entia aſſumi in explicanda corporum natura, quàm quæ dixi: Id ſic fiet: Corpus omnes id vocant, quod aliqua ſenſibili qualitate præditum eſt, porrò ex ſenſibilibus qualitatibus pleræque corpori adimi poſſunt, ita ut tamen maneat corpus. Nam etſi aliquod corpus omni colore, odore, ſapore careat, tamen dicitur eſſe Corpus. Concedunt enim aërem v. g. eſſe corpus, etſi ſit perſpicuus, & careat ſæpe colore, odore, ſapore; ſimiliter aër eſt corpus, etiam quando caret ſono. Rejiciantur igitur qualitates viſibiles, audibiles, guſtabiles, odorabiles, tanquam minimè conſtitutivæ naturæ corporis. Ad tactiles ergo res omnis rediit. Et quidem primæ illæ: calor, humiditas, ſiccitas, frigus, ſingulae abeſſe poſſunt, calor poteſt abeſſe ab aqua, humiditas a terra, ſiccitas ab aëre, frigus ab igne, & tamen quodlibet horum poteſt eſſe corpus. Cæteræ qualitates tactiles v. g. glabrities, levitas, tenacitas &c. non eſſe naturæ corporis conſtitutivæ, etiam vulgo agnoſcuntur, eo ipſo quia ſecundæ appellantur, & ita ortæ ex aliis quæ potius ſunt conſtitutivæ, & præterea, quia nulla earum eſt, quæ non abeſſe poſſit à corpore. Reſtat igitur indaganda aliqua qualitas ſenſibilis, quæ omnibus & ſolis corporibus competat, & ex qua velut ſigno homines corpus à non corpore dignoſcant. Ea nimirum eſt Craſſities ſeu ἀντιτυπία cum extenſione ſumta. Quidquid nimirum homines ſentiunt extenſum eſſe, ſeu vident tantùm (quamquam revera ſemper ſit corpus & habeat ἀντιτυπίαν, licet nobis inſenſibilem, perceptibilem tamen intellectu:) id non ſtatim vocant corpus, putant enim nonnunquam eſſe meram ſpeciem & φάντασμα. Quicquid verò non vident tantùm, ſed & tangunt, id eſt, in quo ἀντιτυπίαν reperiunt, id vocant corpus, quidquid verò ἀντιτυπία caret, id negant eſſe corpus. In duobus igitur homines tam ſapientes quàm Idiotæ naturam corporis collocant in extenſione & ἀντιτυπίᾳ ſimul ſumtis, illam ſumimus à viſu, hanc a tactu, unde ex conjunctione utriuſque ſenſus certificari de rebus ſolent, quod non ſint phantaſmata. Extenſum autem eſſe nihil aliud eſt, quàm eſſe in ſpatio; ἀντιτυπία eſt, non poſſe cum alio eſſe in eodem ſpatio, ſed alterutrum moveri aut quieſcere debere. Ex his patet, naturam Corporis conſtitui per Extenſionem & Antitypiam, quumque nihil ſit in rebus ſine cauſa, nihil etiam poni debet in corporibus, cujus cauſa reddi non poſſit ex primis eorum conſtitutivis. Jam cauſa ex iis reddi non poteſt, niſi per eorum definitiones. Nihil igitur ponendum eſt in corporibus, quod ex definitione Extenſionis & Antitypiæ

fluat. Fluunt autem tantùm ex ea, magnitudo, figura, situs, numerus, mobilitas &c. (Motus ipse ex iis non fluit, unde nec corpora motum habent nisi ab incorporeis.) Ex his jam patet, omnium qualitatum & mutationum explicationem ex magnitudine, figura, motu &c. sumendam. Et calorem, colorem, &c. non nisi subtiles motus & figuras esse. Quod superest illud confirmare ausim: Atheis, Socinianis, Scepticis, Naturalistis, nunquam nisi constituta hac philosophia solidè occursum iri: quam ego profecto munus Dei credo senectæ mundi datum velut unicam tabulam, qua se viri pii ac prudentes in incumbentis nunc Atheismi naufragio servaturi sunt. Ego quantulacunque mihi fuit ab exiguo tempore virorum doctorum notitia, horresco tamen quoties cogito, in quot simul & ingeniosos, & prorsus atheos inciderim. Et volitat per manus hominum *Bodini* liber ineditus, (atque utinam, ut cum *Naudæo* opto, nunquam edendus,) grandis certè, quem ille vocat, arcana sublimium, in quo professus hostis est religionis Christianæ. *Vanini* dialogi ludus sunt si comparentur. Legi non perfunctoriè, & Deo ex animo gratias ago, quod iis me præsidiis philosophiæ, (in qua ingratus sim, si tibi multa debere negem) instruxerit, quibus ejus tela nullo negotio repuli. Laudandus est Cl. *Spizelii* labor, quem ille eradicando atheismo nunc rursus impendit. Epistolam ejus de hoc argumento his nundinis emissam videris opinor. Accipe, quid mihi cum eo contigerit. Conscripseram aliquando per otium, tumultuaria tamen opera in diversorio duas circiter plagulas, quibus de demonstranda, solito accuratius immortalitate animæ, & existentiâ Dei agebam. Has communicaveram amico. Per hunc venêre in manus pl. Reverendi *Speneri*, Pastoris Francofurtensium auctore tamen meritò dissimulato. *Spenerus*, *Spizelio* transmittit; *Spizelius* suæ illi epistolæ ad *Ant. Reiserum*, de eradicando atheismo nuperæ fini adjecit, sub titulo: *Confessio naturæ contra Atheistas.* Sed ego non improbo, verùm doleo, quòd mendosissimè illud schedion impressum est. Inprimis sorites ille quo demonstrare conatus sum immortalitatem animæ, mutatis linearum initialibus, mirè perturbatus est. *Spizelius* fatetur, se auctorem ignorare. De ipsa demonstrandi ratione judicium expecto. Neque verò laudem, sed examen peto, quando religionis interest, non perfunctoriè defendi, quanquam interim in utraque longè altiùs penetrasse mihi videor. Neque enim quæ de perpetuâ creatione in motu, & intimâ entis cogitantis seu mentis naturâ ab eo tempore erui, illis leguntur. Scripseram aliquando tibi de Societate, quam quidam Germani moliantur. Ita esse docebit scheda germanica aliquot plagularum, titulo Collegii Philadelphici a *Goezio* bibliopola edita, sed mihi suave somnium videtur, velut societas roseæ crucis. *Schurzfleischius* ille, qui apud vos est, mirum, quantam in Parnasso seditionem excitaverit. Pervellem scire, quid magni viri apud vos de hoc specimine sentiant, a quibus ille provehi sperat. *Boeclerus* illi ab aulâ minitatur. Itinerarii politici, quod nunc pro-

prodit, auctor est haud dubiè *Burgoldensis* ille commentator in instrumentum pacis. Obstupesco audaciam viri.

XIV. Quod superest, Vir clarissime, ideo de toto hoc negotio fusius ad Te disserui, quod judicem harum rerum & scientiorem & æquiorem nullum haberem. Quando & omnes veterum recessus lustrasti, & recentiorum inventa, quando merentur, non aspernaris; atque illos illustrare, hos examinare, unus omnium optimè potes. Rectè enim judicas, etsi novæ sententiæ proferantur, earumque veritas evidentissimè ostendatur, à receptis tamen publicè vocibus vix unquam esse abeundum, quod si fecissent Scholastici, non laboraremus. Vale, patriæ decus, & tua præclarè cogitata non absolve, (pleraque enim & cœpta simul & perfecta sunt rara ingenii felicitate) sed ede: *Dabam d.* $\frac{20}{10}$. *April.* 1669.

EPISTOLA II.

LEIBNITIUS THOMASIO.

I. Unica, quam tibi transmitto, disputatio suâ novitate id meruisse visa est. (d) Respondens filius est D. *Wilhelmi Schroeteri*, Cancellarii Gothani, qui celeberrimo illi *Franskio* successit. Is Ienæ prius studiosus, mox peregrinandi amore in Bataviam, inde Angliam delatus est, inde, si ipsi credimus, in parlamentum irrepsit. Nuper, cùm patriam suam reviseret, noluit inglorius tacitusque abire, sed monimentum sui hanc disputationem relinquere constituit. Sed eo eventu, ut multo fuerit consultius, siluisse. Nam & in conflictu vox, & in conversatione morum elegantia defuit, sic, ut pro gloria, quam sibi promiserat, cumulatam ex hac urbe infamiam asportaret. Quin & princeps Gothanus, re comperta, ac cognito, quàm in hac disputatione periculosa spargerentur, primus ursit, effecitque, ut publicè confiscaretur. Ipsam sanè disputationem judicio peritiorum accepi ingeniosam esse: sed sic, ut tanto minus hic auctor videatur. Immo non defuere, qui dudum cusam, & inde usque ab Anglia allatam suspicarentur, quod disputatione Ministrissimo, thesi una, *Don Louis de Haro*, tamquam adhuc florentis viventisque mentio fieret, qui tamen & obiit dudum, & familia, postquam filii insidiæ in Regem detectæ sunt, jacet proculcata. Sanè corollaria novam quandam sapiunt philosophiam, qualibus plena Anglia est, & ipse, ni fallor, *Kenelmus Digbæus*, cui ille hanc dispu-

 tationem

(d) Titulus ejus: Q. D. B. V. Dissertatio academica, cujus prima pars de Ratione status: altera de Nobilitate: tertia de Ministrissimo: quam pro more consueto, præside D. *Severo Christophoro Olpio*, Prof. publ. & h. t. academiæ Rectore magnifico, publicæ eruditorum disquisitioni exponet Auctor *William. Schroter* illustr. regiæ Societatis Britann. accessor. d. 15. Jul. Jenæ literis Sengenuvaldianis, anno 1663. in fol.

tationem dicavit, (e) ingenti opere de immortalitate animæ simile quid delineavit. Reliqua disputatio Machiavellismum spirat, & videbatur in hoc uno eam respondens intellexisse. Nam quoties jus naturæ divinæque leges objiciebantur, eas ad privatorum pacta limitandas contendebat, totum jus gentium, bellique ac pacis immani hac audacia subversurus.

II. Demum vivus undique aut *Hobbes* aut Hobbesianus elucet. Cùm enim utilitatem æqui matrem habeat, igitur prout illi velificabitur jus omne, stabit cadetque: cum cuilibet principum absolutum det imperium, sola suspicio principi ad supplicia jus dabit: demum quia à civili lege omnis justitia propullulat, necessario obligatio omnis ac fœderum servandorum necessitas ruet inter civitates. Hæc in *Hobbesio* sæpe reprehendentem V. E. audivi. Quare cepit me quædam de *Hobbesio* à V. E. quod ejus pace fiat, sciscitandi cupiditas, quis ille, an adhuc superstes, an Antagonistam nactus, an habuerit, qui in jure naturæ illustrando paria fecerint subtilitate, meliora aut æqualia, si subtilitatem spectes.

III. Unus mihi Dominus *Pufendorfius* notus est, qui tamen sua elementa jurisprudentia ex *Weigelii* nostri Ethica Euclidea manuscripta dicitur ferè tota efformasse. *Ienæ 2. Septemb. 1663.*

EPISTOLA III.

G. G. LEIBNITII *Conjectura, cur Anaxagoras nivem nigram dicere potuisse videatur; J. Thomasio missa d. 16. Febr. 1666.*

Hypothesis 1. Omnis color est impressio in sensorium, non qualitas quædam in rebus, sed extrinseca denominatio, seu ut *Th. Hobbes* appellat, phantasma.

2. Ergo nobis non sentientibus nullus est color.

3. Nigredo est non tam color, quàm coloris privatio, seu nigrum videre nos dicimus, cùm nihil videmus.

4. Omnia opaca in se sunt nigra, per hypoth. 2, juncta 3.

Ergo etiam nix. *Anaxagoras* autem, quo mirabilius esset παράδοξον suum, de eo potissimum subsumsit, quod pro albissimo habetur.

5. Color est nihil aliud, quàm impressio in oculum, quæ fit ab átomis lucidis, à lucido corpore in opacum impingentibus, & inde ad oculum reflexis.

6. Tria

(e) Dedicavit 1) *Friderico*, Saxoniæ Duci, 2) *Digbæo*. *Digbæo* hunc titulum tribuit: Illustrissimo heroi, Britanniæ comiti ac domino, *Dn. Kenelmo Digby*, equiti Britanno, exlegato, & summo rei navalis expræfecto, ac sacræ regiæ majestatis reginæ matris in Anglia cancellario magnifico, & illustrissimæ regiæ societatis ibidem assessori excellentissimo, domino, Mæcenati atque amico meo sincero & piè colendo.

6. Tria ſunt principia optica: ignis, cujus atomi pyramidales; aqua, quæ dilatata fit aër, cujus ſphæricæ; terra, cujus cubicæ.
7. Ignis eſt principium lucis, aqua nigredinis, terra coloris. Atomi enim pyramidales, ſunt ſubtiliſſimæ, habent vim fodiendi, cet. quæ ſunt ignis propria. Ignis autem & lux materialiter ſunt idem. Atomi cubicæ ſibi ita jungi poſſunt, ne quid intercedat vacui. Sunt igitur cauſſa, cur reflectantur atomi igneæ, id eſt, per hypoth. 5, coloris. At inter ſphæricas plurimum eſt vacui, ſunt igitur cauſſa non reflexionis, (ubi enim nihil obſtat, penetrant potiùs, quàm reflectuntur,) ſeu non coloris, id eſt per hyp. 3, nigredinis.
8. Quicquid rarum tale eſt, id condenſatum magis eſt tale.
Quia vis unita fortior.
9. Nix eſt aqua condenſata.
10. Nix igitur quàm maximè nigra etiam apparere debet, per hyp. 7, juncta 9, & 8. Q. E. D.

Tale igitur eſt argumentum hoc, quale *Zenonis* contra motum; vel ut ſophiſtam glorioſum convinceret *Anaxagoras*, vel ut ingenium ſuum quidvis probando & defendendo oſtentaret; vel ut ſcepticis patrocinaretur, divortium ſenſus & rationis oſtendendo, ut alterutrum falli neceſſe ſit. Nigram autem etiam ſibi apparere ſi dixit, joci gratia dixiſſe videtur, quia ſciret, neminem redarguere hoc παράδοξον poſſe.

EPISTOLA IV.

LEIBNITIUS THOMASIO.

I. NItſchium noſtrum profeſſorem Matheſeos Gieſſenſem factum video. Suſcepit ille in ſe, præſtitque utiliſſimam Germaniæ noſtræ diurnalis Gallici verſionem. Audio Germanos aliquot, neſcio quam, ſimilem ſocietatem moliri: qui niſi iiſdem dotibus ab ingenio aut fortuna inſtructi ſunt, optandum eſt, eos quieſcere potiùs, quàm rhapſodiis quibuſdam patriæ dedecori, exteris irriſui eſſe.

II. Sed nec Gallorum reptiles conatus Anglicanæ ſublimitati conferri merentur. Copia mihi facta eſt literarum ſecretarii ſocietatis Anglicanæ regiæ ad popularem quendam in Germania ſuum, quibus noviſſimæ meditationes continentur; promittunturque ea velut publico nomine, quæ ſi vera ſunt, ſeculo gratulandum eſt. Polygraphia *Wilkenii* univerſalis: Quadratura circuli *Jac. Gregorii*, Scoti, perfecta: *Brounkeri* quadratura hyperbolæ perfecta, & reperta nonnulla anatomica *Loweri*, *Williſii*, &c. quæ omitto. Si ita pergitur, habebimus propediem philoſophiam ad uſum generis humani reformatam.

III. Neque ea res *Ariſtotelis* placitis oberit quicquam. Satis oſtendit *Raei* in clave philoſophiæ naturalis, tenebras *Ariſtotelis* à ſcholaſtico fumo

 eſſe,

esse, *Aristotelem* ipsum *Galilæo*, *Bacono*, *Gassendo*, *Hobbesio*, *Cartesio*, *Digbæo* mirè conformari. Quid enim aliud *Aristoteli* materia prima est, quàm iners moles sine motu, & per consequens, si omnia plena sunt, sine figura? Motus materiæ ab intelligentia est, id est, Deo; figura à complexione motuum orta, ipsam partium dispositionem complectitur, quam nihil prohibet, intimam primamque corporis formam appellare. Hæc forma educitur è potentia materiæ. Phrasis enim hæc, dura vulgo visa, positis his principiis facilè explicatur. Formam enim educi ex potentia materiæ, nihil aliud est, quàm ex hoc materiæ motu, ex hoc partium situ, hanc totius figuram oriri: v. g. ex unione duorum triangulorum, a △ & ▽ b, & ex potentia materiæ eorum ad contactum mutuum per motum, educitur forma quadrati □ c. Hinc & patet, formam esse divisibilem, & totum in toto, produci in momento esse fontem affectionum, seu qualitatum sensibilium: quæ qualitates sensibiles ita se habent ad formam ipsius rei, uti se habet ad ipsum urbis situm varietas apparentiarum, quæ mutato intuentis situ multipliciter variantur. Visus enim ad rem videtur se habere, ut is, qui ex summa turri urbem despicit: auditus est similis in eodem plano extrinsecus intuenti. Tactus eum refert, qui plateas urbis perreptando cominus tentat. Ita explicatur *Sonneri* quoque non inepta sententia, qui accidentia à re, solo ad sentientem respectu discriminabat, quod demtis primis illis, magnitudine, figura & motu, verissimum. His ita positis, possunt simul & omnes veterum termini, & recentiorum contemplationes tolerari. Neque enim absurdum est, intimam partium figuram dici formam substantialem: nihil enim in rebus corporeis figura prius, simplicius, & à materia abstractius cogitando consequi licet. Ipse *Aristoteles* τὰ μαθηματικά, i. e. spatium, seu determinationem ejus, figuram, substantiam esse admisit, idque vel eo argumento, quod circa hæc objecta versatur Geometria, post Metaphysicam perfectissima scientiarum. Objectum autem scientiæ, ipsius *Aristotelis* decretis, substantia est. Si igitur figura substantiale quiddam est, si ad corpus pertinens, si denique à materia reapse distincta, quid aliud, quàm forma substantialis erit? Immo spatium ipso pene corpore est substantialius. Nam sublato corpore manet spatium & dimensio ejus, quod nullo alio corpore succedente vacuum dicitur, non contra sublato spatio manet corpus. Præterea ex hac corporis ac formæ substantialis notione non solùm spes est, posse paullatim in essentiam corporum penetrari, de quo scholastici desperare nos jubent, sed & evidenter ac mathematicè demonstrari potest, necessitas motoris incorporei. Quum enim corpus nihil aliud sit, quàm materia & figura, & verò nec ex materia nec figura intelligi possit caussa motûs: necesse est, caussam motûs esse extra corpus. Quumque extra corpus nihil sit cogitabile, præter ens cogitans, seu mentem, erit mens caussa motûs. Mens autem universi rectrix est Deus. Sin verò admittimus in corporibus,

bus, neſcio quas, formas ſubſtantiales incorporeas, ac quaſi ſpirituales, quarum ope corpus ipſum ſe movere poſſit, quarum ope lapis tendat deorſum, ignis ſurſum, plantæ creſcant, animalia currant ſponte ſua, nullo extra ſe incorporeo impulſore: præcludemus ipſi nobis demonſtrandi Dei viam aptiſſimam, ac ruet præclarum illud theorema *Ariſtotelis*: quicquid movetur, habet cauſſam motus extra ſe, cujus ſcalis ipſe quoque ad primum motorem enixus eſt. Sed quo feror? quid hæc ad te, clariſſime vir, qui ſemper ea rectitudine judicii uſus es, ut nec res a recentioribus inventas repudiares, nec tamen terminos veterum innoxios, &, ſi rectè explicentur, aptiſſimos in exilium pelli æquo animo ferres? Impulit me, provexitque longiùs, nec ſentientem, Anglicæ ſocietatis mentio. Ego verò tuam de his omnibus ſententiam diſcere malim. *Francof. 6. Cal. Octobr.* 1668.

EPISTOLA V.

LEIBNITIUS THOMASIO.

ET ne neſcius ſis, alia nunc rurſus, quàm paullo ante fuit, rerum ejus, (Illuſtriſſimi *Boineburgi*) facies. Nam cùm triennio abhinc incidiſſet in Moguntinam calamitatem, toto illo tempore, quo Francofurti & Coloniæ privatus vixit, rurſus expetitus eſt, & ſecuta tandem ſolida non ita pridem reconciliatio, quando Eminentiſſimi Electoris Moguntini ex fratre nepos, ejus filiam duxit: ita, ut voluntati illius juvandi remp. literariam perpetuæ, facultas quoque conſolidata ſit. *Mogunt.* $\frac{19}{29}$. *Nov.* 1668.

EPISTOLA VI.

THOMASIUS LEIBNITIO.

I. IGnoſces mihi, Vir ampliſſime, fautor atque amice honoratiſſime, ſi breviùs ad tuas reſcribo fortaſſe, quàm velles. Noſti nundinarum occupationes. Hæ patere me tibi excuſent. De *Scioppio* planè effeciſti, ut neſciam, magis ne tuam mirer humanitatem, an herois *Boineburgi* ſummam in hominem ignotum προθυμίαν. Ego verò ne abuti hac videar, non ad Francofurtenſes vernas uſque, ſed Januarias noſtras nundinas uſum ejus libri mihi circumſcripſi. Tu modò cura, ut eo tempore certum habeam hominem, cui credam. Quod ſi interea vel tuo, vel ſi audere hanc ſpem fas eſt, ipſius beneficio, ære tamen meo, diu deſideratum librum nanciſci potero, nova videlicet gratias agendi naſcetur materies. Mitto huic Illuſtriſſimo Baroni diſputationes & programmata, quæ ſuperfuerunt. Excuſabis illi, quòd ex iis, quas de cardinalibus virtutibus ſcripſi, ſola ſecunda venit. Nam primæ exempla diu

diu est, quod ipse desidero. Ceterum ut me porrò communi literatorum Patrono commendare pergas, non es monendus. Illud potius ut veniam exores utrique nostrum, si intelliget, exspectatione te per te facta haud leviter frustratum, non de multitudine paginarum, sed bonitate. De Germanorum nostrorum societate literaria quæ narras, inaudita mihi narras. Ubi quæso feruntur esse, qui Gallos in isto negotio æmulari studeant?

II. Quod *Aristotelem*, *Raei* auctoritate inductus, arbitraris, a *Cartesio*, ceterisque philosophis novis non adeo dissidere, ignosce mihi, nondum persuades. Agnosco dogmata ejus quædam, loquendique modos ejusmodi esse, ut conciliare volentibus faciant aliquam spem concordiæ, sed vereor, ut illa pax queat ipso satis volente sanciri, si quidem mentem philosophi paullo penitius rimemur. Substantiales utique formas, aut saltem ab accidentalibus illis, figura, magnitudine, partium dispositione distinctas, agnovisse *Aristotelem* credo. Quod si verum est, jam a novis philosophis in eo principio dissidet, in cujus consensu tu mihi concordiam struere videris velle. Ubi autem Geometriam scientiis perfectis, ubi figuram, Geometriæ objectum, substantiis annumeret, fateor me ignorare. Hoc scio, ex artibus mathematicis soli astronomiæ hoc nomine ipsum condonare laudem scientiæ perfectæ, quod pro objecto substantiam habeat. Spero me locum illum adscribere citiùs posse, quàm te similem de geometria. Aveo tamen, si quis est talis, eum per te cognoscere. Jam & illa me movet ratio, quod *Cartesius*, & quicunque atomorum doctrinam adhibent, propius mihi ad *Epicuri* placita, quod ad hoc quidem punctum attinet, quàm *Aristotelis*, philosophari videntur. Sic enim habeo: Cùm gentiles illi crederent, omnem materiam hujus universi a semet extitisse ab æterno, in eo tamen sectas fecerunt, quod alii materiam illam in eo primo, ut sic loquar, sui statu discontinuam facerent, ut *Epicurus*, atque hæ sunt ejus atomi; alii continuam. Posteriores hi vicissim scindebantur: Nam aut ἄποιον faciebant, ut *Aristoteles*: aut ποιὸν, eamque vel similarem, ut qui certum elementum vivum reliquorum velut omnium matrem nominarent, vel dissimilarem, ut qui elementa duo vel plura sibi coëxistentia ab æterno fingerent. Fateor propius hic *Epicuro* accedere *Aristotelem*, quàm Elementarios illos, nempe quia & atomi sunt ἄποιοι, sed ab eo dissidet nihilo minus, non eo tantùm, quem posui, modo, sed & quod materiæ opificem adducet Deum, quem maluit *Epicurus* planè otiosum esse: insuper in eo, quod nullum ab æterno tempus esse credidit, in quo materia non exstiterit sub certa figura, nam illud ejus ἄποιον mente tantùm atque cogitatione complecti jubet. Nosti ipsam mundi διακόσμησιν ipsi esse ab æterno. Porrò tametsi & ipse nos a sensu deducit ad intellectum, tamen intellectui quoque relinquit suas partes, quas *Epicurum* nescio annon dicam, planè sustulisse, ita sensus illi utramque facit paginam. Itaque aliquo modo propior *Platoni Aristoteles*,

teles, certè inter hunc & *Epicurum* medius. Ideas rerum, h. e. formas earum substantiales agnoscebat *Plato*: easdem & *Aristoteles*: sed ille volebat eas esse in Deo vel primo, vel secundo, *Aristoteles* ipsi immersas materiæ credidit, unde nata ipsi phrasis, e potentia materiæ educi formas. Hoc & *Epicuro* placeat, sed formarum nomine vix aliquid re sensibili nobilius exaudiat, quod *Aristoteles* non faceret. Quod autem caussaris, admissis substantialibus formis illis, quæ caussæ sint motûs, perire nobis pulcherrimam scalam, qua *Aristoteles* ad primum ascendit motorem, me non movet. Nam ut omittam, *Epicuro* sic nihil persuaderi, qui atomis suis motum absque Deo dedit, scalæ illius fulcrum præcipuum est, non quod tu cogitas, sed illud, non dari processum in infinitum, quod firmum est, etiamsi motum corporum a substantialibus eorum formis accersimus; quod non dubito fecisse *Aristotelem*, cùm naturam (naturatam) definivit principium motûs & quietis. Quid? omitto *Aristotelem*, cone tandem impelli nos patiemur, ut ipsam quoque hominis formam, de informante loquor, substantiam a figura distinctam esse negemus? Quod nescio, an ullus novorum philosophorum statuerit. Sanè *Silvestrum Rattraium* recordor, hanc unam formam, cùm accidentales poneret ceteras, excepisse. Longiùs me abduxit illa tecum fabulandi, super tali cum primis negotio, voluptas mea. Sed hoc scias velim, effudisse me, quicquid ex tempore veniret, sub acumen stili. Itaque uti potestatem tibi facio, quam & alias facerem, mea rejiciendi, ita mihi quoque liberum volo esse, ubi tempus feret, accuratiùs hæc omnia expendere. Sanè verò *Raeum* ipsum, qui has tibi, ut auguror, meditationes suggessit, non nisi per transennam his ipsis nundinis inspicere licuit, cùm de eo quærerem bibliopolas. Tu ergo pro æquitate tua nugis ignosces meis, neque tamen *hæc* eo in erpretaberis, quasi novos illos philosophos planè asperner. Non id nunc agitur, sed historia tantum quærebatur, num *Aristoteles* ad illam philosophandi rationem collineaverit, quod nondum quidem puto.

III. Superioribus mensibus occasio erat mihi, & *Cartesii* & *Claubergii* evolvendi. Narro tibi, *Claubergius* magis ipso placebat *Cartesio*, tum quòd calamum a maledicentia abductum haberet, tum quòd & *μεθοδικώτερον* & *σαφέστερον*, & brevius quoque magistro illo suo scribere didicisset. Sed hac de re velim & tuam sententiam, quem puto *Cartesianis* Philosophis magis consuevisse, cognoscere. Plura non sinunt turbæ. Vale, *die* 2. *Octob.* 1668.

IV. Mitto tibi de materia prima disputatiunculam meam, cujus ut habeas clavem addidi calamo exaratas a me pagellas quasdam, in id scriptas potissimum, ut collegis meis petentibus inservirent. Sed has velim occasione proxima remitti. *Bageminus* ille, cujus negotium geritur, *Scabinus est* Stetinensis, & a nostra tum theologica, tum philosophica facultate petiit philosophiæ suæ novæ censuram. Theologi responderunt.

A nobis nihil aliud repositum illi est, quàm disputatio mea, quæ si in manus hominis pervenit, facilè judicabit, quo in hanc novitatem animo simus.

EPISTOLA VII.

JAC. THOMASII RESPONSORIA AD EPISTOLAM LEIBNITII,

Datam d. $\frac{20}{10}$ *April.* 1669. *quæ* NIZOLIO *est præmissa.*

I. IGnosce quæso, si literis prolixis nihil minus, quàm prolixas reddidero; non quòd gratiam illis prolixitas abstulerit, (addidit potiùs,) sed quòd otium exiguum, ac nundinarum strepitus non sinat de prolixitate cogitare, quam ipse quoque mihi ultrò remittis. Commodum autem sic cecidit, ut ad disputationem illam tuam honestè silere possim, cui quemadmodum satisfacerem, non reperirem. Quanquam enim, quæ disseris, legenti mihi non planè excusserunt opinionem pristinam, labefactare tamen sunt visa, & parare me non mediocriter, vel ad abjiciendam sententiam, vel fortè ad conciliandam cum tua aliquo modo. Sed verum ut fatear, nescio, si rationes computo meas, sitne consultum mihi, hoc in campo tecum congredi, in quo non sum ita ego versatus, ut paria tecum audeam facere, præsertim cùm res ipsa non mediocrem requirat artium mathematicarum peritiam, in quibus desipiam, si tecum congrediar. Adde, quo longè tu me es felicior, cujus vernantissima ætas in ea incidit tempora, in quibus propè debellatum foret: mea contra juventus omnis consumta est in illis ævi barbari reliquiis, e quibus utcunque paullatim emersisse satis habui ad qualemcunque eruditionis profectum. Quare fe es æquo animo, si tecum ita jam paciscar, ut si maximè nihil umquam eruditissimæ disquisitioni respondero, feram impune sanè, cùm in prœlium me voces planè insuetum mihi, liceat, quod cautorum est militum, intra vallum me continere. Si tamen erit otium cogitandi, rescribam aliquid fortasse aliquando.

II. De illustrissimo *Boineburgio* non reperio, quin gratias agam tibi, qui tanti herois non favorem mihi modò, sed amorem planè singularem conciliaveris. Quid enim quæris? *Scioppium* suum donavit mihi ultrò, cùm alterius exempli copiam speret. Cætera præ pudore taceo. Te rogo, perficias apud eum, ut & in benevolentia perseveret, (quamquam virtus ejus dubitare me non sinit,) & in me laudando sit parcior. Quæ nova mihi non pauca nuncias, gratissima fuerunt: Magis me tibi devincies, si per te cognovero, quemadmodum illa tua confessio naturæ contra Atheistas, quam *Cl. Spizelius* edidit, emendanda sit.

III. De *Sarcmasio* quid alii sentiant, ipsi viderint. Apud nos quidem neminem scio, cui se insania hominis cum flagitiosa rabie conjuncta probet.

Nec

Nec dubitare possumus, quin illi viri, quibus blanditur, malint eum de se luluisse in libello famoso. Nec enim unquam ipsi per calcatas aliorum ruinas emergere pulchrum putaverunt. Sed tanta hominem agit vesania, nescio dicam an malitia, ut adscito jàm *Xavierii Parani* nomine, vindicias adversus *Lentulum*, *Nasturtium*, *Burgoldensem* emiserit. Imprimi hæc talia nemine vetante, non possum satis mirari. Nec spero futurum esse, ut ad se homo redeat, nisi majori vi coërceatur. Haberes cum his literis meam de origine animæ humanæ disputationem, nisi monuisset *Freislebius*, commodiùs a mercatoribus, si quid tale vellem, quàm per postam fieri posse. Ipse interim & ejus curandæ negotium suscepit. In ea, cùm poscente argumento disputanda quædam mihi fuerint adversus Pontificios doctores, nescio num & Illustrissimo *Boineburgio* mittendum sit exemplum, ne fortè incivilitati imputet, si ea mittam, in quibus aliter de argumento gravissimo a me disputatur, quàm ipse vellet. Promisi interim ad futuras nundinas disputationes quasi sex, σὺν θεῷ εἰπεῖν, quas jam diu affectas de stoica mundi exustione habeo. Tu optimum Mæcenatem meo nomine humillimè salutabis, proque egregio munere gratias unà mecum ages. Vale, & aridæ scriptioni ignosce. *Lips. d. 6. Maii, 1669.*

De studiorum meorum ratione nondum potui fusè ad Illustrissimum *Boineburgium* differere, angustiâ temporis præclusus. Faciam id aliàs.

EPISTOLA VIII.

THOMASII AD LEIBNITIUM.

Utinam gaudium illud tuum, quo perfusum te scribis, lecto in Francofurtensium indice nomine meo, non sequatur pœnitentia, ubi rem ipsam videris. Sanè verò ne dialogos illos quidem physicos tibi scripsi, aut similibus tui, sed juvenibus, non malè quidem illis institutis, a te tamen longissimo dissitis intervallo. Quare ubi oculos illis tuos donaveris, te rogo, ut si exuas philosophum, induas amicum. Quamquam nec illud displicebit, gratum erit potiùs, si mihi errores meos demonstraveris. Fateor enim, in scientia præcipuè naturalium rerum, imperitiam meam, nec de ea dubitavi, vel in præfatione ad lectorem confiteri. Nizoliana tua superioribus nundinis inspexi, communicata mihi ab amico: ac visus sum benevolentiæ in me tuæ multa deprehendere indicia. De cetero, quæ suades ibi, aut differis, ea mihi talia videbantur, ut, tametsi non omnia meis cogitatis congruerent, præcipitari tamen judicium non oporteret: tempore autem repetendi ea, & meditandi nunc maximè destituor. Programmati de libertate philosophandi, quod vidisse te scribis, nunc aliud addo, quod per otium legas. Vale. *Lipf. d. 11. Oct. 1670.*

EPISTOLA IX.

THOMASIUS LEIBNITIO

Ad Epistol. $\frac{19}{29}$ *Decemb.* 1670.

NOn merebantur dialogi phyſici mei elogium illud, quod iis tribuis. Majore merito provocabit eruditorum plauſus vel illud ſchediaſma tuum, de quo ſcribis, cujuſque veluti ſummam literis tuis complecteris. In quo cùm legerem ætherem illum, quem ais cum luce ſolis circa terram ferri, videbar equidem agnoſcere aliquid, ſi non idem, ſaltem forſan ſimile ætheri de quo ago p. 46, 47, phyſicorum. Qua in re fortè decipior, tamdiu tamen hic error me delectabit, donec ipſam voluptatem alia depellat, ubi ex te didicero certiora. Pro carmine, quod mittis, habeo gratias. Nunc diſputatio quædam habenda me præſide de feminarum eruditione prelo tradita eſt. Eam occaſione proxima mittam.

II. Cùm jam in manibus ea eſſet typographi, notitia demum facta mihi eſt, libelli, cui titulus: *Ehren-Preiſs des Frauenzimmers*, auctore cancellario Fuldenſi *Schützio*, cui perſonatus quidam *Poliandinus* reſpondit, qui & inde libellum ſuum nominavit, *geſturzten Ehrenpreiſs*. Ea re factum, ut vix duobus verbis tangere licuerit in diſputatione noſtra hos duos libellos, vocandos alioqui ſub accuratiorem cenſuram. Decrevi tamen de iis aliquid, ut ſolemus, præfari. *Schützium* intelligo apoſtatam eſſe, unde venit mihi in mentem ſuſpicari, nomen *Ignatii*, quod cum *Wilhelmo* præfert, ipſi inditum eſſe in profeſſione religionis novæ. *Poliandinum* aiunt, neſcio quem eſſe, *Johannem Gorgiam*, Tranſylvanum, hominem neſcio an religionis noſtræ, diſſolutæ certè vitæ, & e patria profugum, quum ancillæ patris vitium intuliſſet. Ejuſdem quoque aiunt eſſe, *den Jungferlichen Zeit-Vertreiber*, nomine veriphantoris editum, ſcriptum impurum. Quæ me res movit, ut crederem, feminei ſexûs dedignationem, qua plenum eſt ſcriptum ejus, Schütziano oppoſitum, non ex alio fonte proficiſci, quàm quòd feminas non aliunde æſtimaret, quàm ex eo abuſu, quo ſcorta impuri hominis humores fœdos matularum inſtar excipiunt. Sic viciſſim impulſum *Schützium* credebam tenero quodam, ſed conjugali in hunc ſexum amore, & miſericordia verſus eas, quæ a viris duriter tractantur; nam in ejuſmodi viros aculeum ſubinde emittit; indignatione inſuper in eos, qui optimo ſexui convicia dicunt: Huc enim referebam hiſtoriam de neſcio quo nobili incivili, qui ex itinere Gallico nihil aliud retulerat domum, quàm in feminas convicia. Narro tibi ſomnia mea, ut ex te veriora ſive de *Schützio*, ſive de *Poliandino* diſcam. Tametſi enim non exſpectabit iſta præfatio mea tuas literas, jucundum tamen erit, hujus, ut ita dicam, monomachiæ hiſtoriam per te cognoſcere. Aiunt eſſe

esse *Schützium* insigni munere affectum ab imperatrice, cui dedicavit libellum, tolerabilem, nisi *Agrippam* secutus, quem semel citat, passim describit, altiùs levasset hunc sexum, quàm eum locaverat creator. Est & aliud quiddam, in quo velim opera tua uti.

III. Suntne tibi notæ orationes *Nicolai Schoembergii* Cardinalis, coram *Julio II.* Pontifice habitæ, de pugna Christi cum diabolo in deserto, quas Bibliotheca *Gesneri* memorat? Eas apud nos etiam a. 1511. editas esse didici e postilla Bausthiana in illud Evangelium, sed frustra quæsivi in nostris bibliothecis: magnopere tamen vellem, vel ipsas, vel apographon earum procurare possem ex illa familia maximo cuidam viro. Quæso, si potes, me adjuva. Benè vale, amice optime, & Illustrissimo *Boineburgio* fausta quæque a me, in hunc & sequentes annos, quos & tibi felicissimos fluere jubeat Deus, precare. *Lips. d. 7. Jan. anni ineuntis* 1671.

EPISTOLA X.

LEIBNITIUS THOMASIO.

I. Literæ tuæ tempestivè ad me delatæ sunt. Cùm enim in eo esset, ut ederetur *Nizolius*, opportunè accidit, ut nonnulla circa ejus *Calcagnini* & *Grifoli* lites a te docerer: quæ & ex literis tuis excerptorum titulo, libello addidi. Si quid in præfatione mea displicet, aut liberius dictum videtur, id ut moneas, atque emendes, etiam atque etiam rogo. Addidi & epistolam, quam ad te, de *Aristotele* recentioribus conciliabili scripseram, immutatis nonnullis, ut res ferebat; te tamen non nominato, quemadmodum nec meum nomen alicubi adscriptum est. *Henrici Horbii* historia Origeniana Francofurti edita est, ab eodem promittitur historia Manichæorum, & Undariorum, seu Antitrinitariorum. In Belgio *Isaacus Vossius* novam editionem *Laertii*, tum *Catulli*, *Tibulli*, *Propertii* molitur. *Octavius Ferrarius* scripsit contra *Rubenium*, (qui de lato clavo aliquid ediderat,) aliosque rei suæ vestiariæ impugnatores. Prodiit & liber *Chimentelli* de sellis. *Joh. Webbe*, eques Anglus, scripto Anglico tueri conatus est, linguam Sinicam esse primitivam. Et quid mirum, postquam *Georg. Stierhelm* orbi persuadere conatur, linguam Suecicam, cui Scythicam veterem eandem facit, esse Hebrea priorem. De *Gronovii* in *Tacitum* curis quædam expectantur. *Grævium Ciceroni* novam operam impendere audio. -- Cl. *Bojus* de Reinesianis edendis spem facit: Quid tibi de Barthianis reliquiis, certè non minùs æstimandis constat? Cl. *Boeclerus* inter cetera in eo est, ut *Æneæ Sylvii* vitam *Friderici III.* ex MSto edat; in eo sum, ut copiam ei procurem alterius MSti ejusdem libri. Vellem scire, si quod fortè eximium MStum qualecunque Lipsiæ latet: fateor enim, me, etsi Lipsiensem, hæc ignorare: *Robertus Keuchenius*, is qui

Cornelium Nepotem, aliosque veteres edidit, neſcio quo infortunio, patria Batavia extorris, huc illuc vagabundus diſcurrit, ſeque etiam deridendum nonnunquam propinat. Quidam *Sandius*, homo Arianus libellum de ſcriptoribus eccleſiaſticis ſanè eruditum edidit, qui fallere incautos poſſit. *Francof.* $\frac{6}{16}$ *April.* 1670.

EPISTOLA XI.

IDEM EIDEM.

I. Phyſica neque elegantiùs, neque amœniùs, quàm dialogo explicari poſſunt. Memini idem facere *Bodinum*, idem *Gualterum Rivium*, de vera ratione libræ & ſtateræ, ſed & in itinere Ecſtatico *Kircherum*, & paſſim illuſtrem *Boylium*, atque inprimis eleganter nuperrimè *Georgium Sinclarum*, in arte nova gravitatis & levitatis: ut tot alios veteres medioſve, ac mediis propiores taceam. Ceterum doctiſſimum virum *Abdiam Trew* non ignoras, libros Ariſtotelis περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως in ſcientiæ formam elementaque, *Euclidis* exemplo reducere voluiſſe, ne ſoli Carteſiani de mathematica methodo gloriarentur.

II. Vidi nuper programma Lipſienſe, haud dubiè tuum, quo libellum intolerabiliter licentioſum, de libertate philoſophandi, pro eo ac merebatur, tractaſti. Videtur auctor non tantùm politicam, ſed & religionem Hobbianam ſectari, quam is in *Leviathane* ſuo, monſtroſo, vel tituli indicio, opere ſic ſatis delineavit. Nam & Criticæ illius belliſſimæ, quam in ſcripturam ſacram homo audax exercet, ſemina integro *Leviathanis* capite *Hobbius* jecit. *Hobbium* ipſum octuagenario majorem repueraſcere nuper ex literis reſponſoriis *Henrici Oldenburgii*, ſocietatis regiæ Anglicanæ ſecretarii, didici.

III. Idem hæc recentiſſima *Boylii* opera memorat: 1) de formarum & qualitatum origine, 2) de argumento illo, num detur abſoluta, ſeu perfecta quies in corporibus etiam ſolidiſſimis, 3) de qualitatibus ſyſtematicis, ſive Coſmicis, 4) de ſuſpicionibus Coſmicis, 5) de regionum ſubterranearum juxta ac ſubmarinarum temperie, deque maris fundo. Quibus acceſſit ejuſdem introductio ad hiſtoriam de qualitatibus particularibus. *Francof. d.* 23. *Dec.* 1670.

EPISTOLA XII.

IDEM EIDEM.

I. Dialogos, quibus magnam philoſophiæ partem complexus es, legi tandem, vidique etiam in ipſa philoſophia naturali præſtita a te non pauca non contemnenda, quæ vulgo ne tanguntur quidem, ex quibus

bus potissima est caussæ finalis in tractandis rerum caussis crebrior solito mentio. Memini me in *Platone* legere, *Socratem*, cùm comperisset, nescio quem, philosophum veterem, *Anaxagoram* credo, duo principia statuisse, materiam & mentem, scripta ejus maxima cum aviditate pæne devorasse, ea spe, fore, ut rerum rationes verè rationales, id est fines, usus, ordinem disceret, sed delusum sensisse non aliter tractari a philosopho omnia, quàm si sola materia rerum principium esset, ejusque necessitate mundus e tenebris cæcis Democritica ratione emersisset. Par est physicorum recentium ratio, qui caussas materiales rerum quærentes, rationales negligunt, cùm tamen in eo potissimum eluceat sapientia auctoris, ita instituisse horologium mundi, ut cuncta deinde, velut necessitate quadam ad summam omnium harmoniam consequerentur. Opus est igitur philosophis naturalibus, qui non geometriam tantùm inferant physicis, (geometria enim caret caussâ finali,) sed & quandam civilem scientiam in naturali exhibeant. Ipse enim mundus grandis quædam respublica est, in qua mentes vel filiorum vel hostium, ceteræ creaturæ, servorum instar habent.

II. Habui & ego nuper somnium quoddam physicum. Scis eam mihi sententiam esse, omnium rerum caussas efficientes esse cogitationem & motum, motum inquam localem: neque enim alium credo: cogitationem autem primæ mentis, i. e. DEI, (a qua ipsæ secundæ habent, quod cogitant.) Prima autem mens pro sapientia sua ita res initio instituit, ut non sit ei facile ad conservationem rerum opus extraordinario concursu, prorsus ut illum automatopœum nemo laudaverit, qui quotidie aliquid in opere suo emendare cogatur.

III. His positis, venit mihi in mentem motus quidam unicus universalis in terra nostra, ex quo omnium phænomenorum, quæ in speciebus multa ac mirabilia sentimus, ratio reddi possit: generatim nunc quidem, speciatim tunc, cùm phænomena ipsa magis excussa erunt. Cùm enim nihil dubitem de circulatione terræ circa centrum suum, sequetur perpetua quædam contraria circulatio ætheris, seu corporis cujusdam subtilissimi, in quo & lux consistit, quodque a sole commotum perspicuum illuminat. Dum enim terra movetur ab occidente in orientem motu diurno, æther cum luce solis circulabitur ab oriente in occidentem, quæ circulatio, etsi insensibilis, omnium corporum sensibilium poros penetrat, ac plerorumque phænomenorum caussa est. Ac primum quidem gravitatis, facit enim subtilia exsilire, densa detrudi, deinde elateris, id est restitutionis corporum, qualis sentitur in arcu, in pulvere pyrio se expandente & displodente, in aëre ex sclopetis pneumaticis in statum raritatis naturalis redeunte. Quod fit, quia res aut compressæ nimis, aut densæ, vel minus vel plus ætheris habent, quàm circulatio ejus fert. Unde sub ingressu ejus porta aperta, redispergunturr. Jam ex his duobus principiis, elatere & gravitate, dum æther res nimis densas aut dispergit, aut quum ob

plexum

plexum partium dispergere non potest, detrudit, ausim dicere, omnes in corporibus, cum quibus nobis commercium est, motus derivari. Vim ignis & aquæ, caloris & frigoris, pulveris pyrii, veneni, acidi & alcali, omnium solutionum, reactionum, præcipitationum chemicarum. Illevi chartæ binas circiter plagulas de hoc argumento, quæ nunc imprimuntur. Totum tamen hypothesis est, ut in naturalibus pleraque, sed qua nescio; an habuerimus hactenus leviorem & faciliorem.

IV. Ad *Nizolium* fortè contra eos, qui nobis pæne totam philosophiam in Logomachiam converterunt, quædam paullo zelosius dixi, ut solet plerumque fugientibus aliquid nimia in contrarium declinatio nasci, unde nec ingrata erit censura tua, tua inquam, cujus in philosophando dicendoque rationem si tenuissent omnes, poteramus *Nizolio* & *Ramo*, & ceteris id genus censoribus carere.

V. Medici nostri nescio quas novas ephemerides parturiunt, aut potiùs parere cœperunt: utinam ad gustum exterorum, qui plus experimentorum, minus allegationum desiderant.

VI. Galliæ ephemerides, quantum intelligo, exspiraverunt, languentes jam tum, ex quo *Gallosius*, compilator, academiæ naturalis regiæ, (sed quæ parum, aut nihil edit, alia longè animo agitans,) secretarius factus est. *Mogunt.* $\frac{13}{23}$ *Dec.* 1670.

EPISTOLA XIII.

IDEM EIDEM.

I. Accepi literas tuas, sed responsum in nundinas distuli, tum quòd materies scripturo deesset, tum quòd addere destinassem schediasmation meum, idque ecce nunc mitto. Obscuriusculum est, quia quanto maximo fieri potuit sermonis compendio usus sum, ne rerum multitudine in molem charta extumesceret, commoditatemque spargendi adimeret auctori. Unde ferè iis scriptum est, qui in recentioris philosophiæ formulis, sententiis, observationibusque, quæ plerumque verbulo tantùm innuuntur, sunt versati. Mihi æther meus nec ab Aristotelico, neque a tuo valdè differre videtur, nisi quòd saltem mihi nec levis nec gravis esse visus est, sed ventilatione sua caussa gravitatis, simul & vis elasticæ, & directionis magneticæ, & plerorumque aliorum naturæ phænomenorum. Gyrationem autem ei imprimi a luce, & rationi opinor, & *Aristoteli* consentaneum est. Nihil dubito de veritate hypotheseos Copernicanæ, & tamen quicquid in mea proprium mihi novumque est, potest etiam Tychonicæ conciliari. Potissimum est, quod ex hac hypothesi ratio reddi potest plerorumque miraculorum naturalium, quibus res maximæ per minima geruntur, ut in veneno, pulvere pyrio, arcu tenso se restituente, sclopeto ventaneo apparet, quæ res etiam se graviores movent, quia non tam suo, quàm

quàm ætheris, cujus circulatio turbata est, publico nisu moventur. Quæcunque etiam vulgo fugæ vacui adscribuntur, seu appetitui continuitatis, ea huic ætheris circulationi tribuenda sunt. Tu, ut expendas, mihique judicium tuum, si vacat, transcribas, tum illud potissimum attendas, an hac hypothesi assumta putes, sola magnitudine, figura & motu, sine aliis qualitatibus, omnia corporum phænomena salvari posse, magnopere rogo. Si aliorum etiam virorum doctorum, inprimis amplissimi *Frankensteinii*, quem salutari meis verbis peto, quorsumcunque etiam vergentia judicia mihi significaveris, magno cumulo augebis beneficium tuum.

II. Auctor elogii feminarum *Schützius* nunc ex Cancellario Fuldensi assessor est cameræ Spirensis. Scripta ejus in re civili & morali puto potius boni consuli, quàm valde quæri etiam a nobis. Reflexiones ejus, (sic enim vocat,) politicæ pro specimine esse possunt, etiam titulo tenus intueri. De Cardinalis *Schombergii* homiliis nondum quicquam comperi. Promissus est mihi index bibliothecæ cathedralis Moguntinæ, id genus libris illorum temporum refertæ. Non est nunc mihi ad manus bibliotheca Cardinalitia *Jacobi a S. Carolo*, inquisivissem alioquin, si quid de *Schombergio* memoraret.

III. Prodiit his nundinis *Hermanni Radbodi Schelii* liber elegans de jure imperii, scriptus potissimum contra *Salmasium*, nunc post auctoris, in Belgio fœderato magnis honoribus functi, & tamen, ut mihi scribit Cl. *Grævius* in ipso ætatis flore erepti, obitum editus. Populi tamen potestatem mihi paullò laxiorem, quàm fas est, fecisse videtur, nisi quod profluentissimæ dictionis elegantia excusat auctorem, non satis distinctè semper animi sensa explicantem. Ejusdem de libertate librum memorat mihi *Grævius*, sed non vidi.

IV. Idem *Grævius* scribit mihi Ultrajecto, desiderare se codicem *Homeri* antiquissimum, qui lateat in Lipsiensi bibliotheca Paulina: non dubito, quin idem jam tum ad vos perscripserit, credoque vos etiam sine admonitione mea viro tam egregio, atque inter patriæ nostræ decora numerando, hujusmodi subsidia non denegaturos.

V. In *Cicerone* nunc potissimum edendo occupatur, addetque integros ferè virorum præstantissimorum commentarios. Idem edi curat prælectiones *Baudii* in Panegyricum *Plinii* hactenus desideratas. *Priolum* obiisse, ex Gallia disco. Amplissimi *Frankensteinii* in eum notæ promissæ hactenus, ni fallor, nondum prodiere. *Christophori Forstneri* epistolas spero editum iri. Addentur, ut ajunt, ephemerides politicæ, quas singulis mensibus de præsenti tunc rerum statu in literas inserebat; sed, ut ego arbitror, (legi enim manuscriptas,) nondum ultimam auctoris manum expertas. (Accepit hanc epistolam THOMASIUS *die* 22. *Jul.* 1671.

EPISTOLA XIV.

LEIBNITIUS THOMASIO.

I. SCis, celeberrimum *Reinesium*, quondam nostrum, MStum inscriptionum opus reliquisse. Id ille Regi Christianissimo dedicare constituerat, & *Fridericus Brummerus* noster ei rei Parisiis institerat, & paullo post defuncto *Reinesio* illustris *Gersdorfius*, ni fallor, Serenissimi Saxoniæ electoris legatus, secum exemplar ipsum Parisios tulerat. Sed nihil actum est, sive quod alieno tempore, sive quod alieno loco res proposita, aut alioquin difficultatibus, nescio quibus, impedita fuit. Ego, qui cum Domino *de Carcavy*, Bibliothecario Regis, qui *Colberti* jussu res literarias curat, commercium colere soleo, inter cetera forte in Reinesianarum inscriptionum mentionem incidi. Ex eo tempore scripsit mihi Dominus *de Gravelle*, legatus ordinarius, sive, ut vulgo vocant, Residens regius, (Plenipotentiarii Ratisbonæ agentis frater,) commissum sibi, ut inquireret, qui *Reinesii* heredes, & quo loco MStum esset, rogavitque me, ut operam in eo negotio sibi navarem. Addidit, intellexisse sese, gratum Regi munus fore, si offeratur, & certa munificentia recognoscendum, sed &, quod auctor olim quæsiverit, ex typographia regia edendum. Ego inquirere, & nuncium, ut credo, non ingratum perferre, in me recepi, & te, quem & *Reinesio* olim amicum fuisse, & nunc ejus heredibus, (quorum nomina non satis scio, & nosse desidero) esse non dubito, rogare volui, ut mihi opem feras, quod ego re confectâ, honorifica tuæ operæ mentione, ut alioquin debeo, apud amicos Parisienses agniturus sum. Quæcumque *DN. N* heredum sententia desiderium est, mihi tuto libereque perscribere, aut significare possunt, ego omnia fideliter curabo. De re literariâ nihil novi magnopere ad me pervenit.

II. Auctor libri de libertate philosophandi, cujus refutationem brevem, sed elegantem, programmate complexus est *Benedictus Spinoza* Judæus, ob opinionum monstra, ut mihi è Batavis scribitur. Ceterum homo omni literatura excultus, & inprimis insignis Opticus, præclarorum admodum tuborum elaborator.

III. *Abulfedam*, Geographum Arabem magni nominis, *Schickardus*, multis collatis manuscriptis recensuerat, versioneque latinâ expresserat, & notis illustraverat. Reliquias tanti viri tam præclaras cum alicubi latêre didicissem, Gallis significavi qui redemere: & ita fore spero, ut opus tamdiu in publico desideratum cura clarissimi *Ferrandi* Galli orientalia doctissimi, prodeat in lucem. Ex quo multa hactenus ignorata discemus, circa res orientis, quæ *Abulfeda* ille, princeps Hamiæ maximis sumtibus indagavit. Europæi hactenus non nisi littora Asiæ Africæque legere, at Arabes religionis linguæque beneficio in intima mediterranearum gentium penetravere. *Mogunt.* $\frac{11}{21}$ *Jan.* 1672.

G. G. LEIB.

G. G. LEIBNITII
EPISTOLA

Ad Johannem Christianum Liberum Baronem à Boineburg.

Leibnitius Baroni à Boineburg Nizolii Commentarios philosophicos a se editos dedicat.

Leges Romanæ Testatorem irrident, qui domino rem suam legat: Quid mihi futurum est, qui tibi tuam dedico, nulla re quàm panni ad purpuram assumendo auctiorem? nisi tibi quidem inter meliorationes, quas vocant, atque incrementa referre placeat, quicquid qualitercunque, hortatu tamen tuo hic fundo inædificatum est. Grandiorem sanè librum recipis, utinam & meliorem! necessarium tamen videbatur, non nulla asperiùs dicta complanare. Alteri, quàm tibi inscribi, ne ipse quidem *Nizolius* velit, per te è diuturni carceris longo squalore erutus, tuo beneficio redivivus, tuo judicio unicè triumphans. Est in eo acuminis satis, plurimum eloquentiæ philosopho dignæ, libertatis nimium, quam & inter repagula aliqua coërcuimus. Mihi illustris nominis tui præfigendi præter *Nizolium* qui se tibi totum debet, præter beneficia tua, quibus levi commemoratione detrahere nolo, ratio potissima fuit, admonere posteritatem exemplo tuo, non fuisse ita sterile seculum nostrum, quin superessent magni genere ac gestis viri, qui præter reipublicæ curam bonarum etiam literarum & malis tangerentur, & admirabili usu pollerent, & his ipsis pudorem incuterent, qui totam vitam iis studiis consumserunt. Quod superest, Illustrissime Domine, munus hoc chartaceum, læta fronte accipe, fave ferenti, valeque ac bono publico diu vive.

GOD. GUIL. LEIBNITII
DISSERTATIO DE STILO PHILOSOPHICO MARII NIZOLII,
COMMENTARIIS PHILOSOPHICIS PRÆMISSA.

I. *De alienorum operum editione.* II. *De* Nizolii *Concordantiis Ciceronianis.* III. *De* Nizolii *studiis philosophicis.* IV. *Logica philosophandi principia complectitur.* V. *De* Nizolii *dicendi ratione.* VI. *De philosophica dictione.* VII. *De perspicuitate stili philosophici.* VIII. *De terminis technicis & popularibus.* IX. *De* ὀνοματοποιΐα. X. *De usu terminorum technicorum.* XI. *De differentia cognitionis philosophicæ a vulgari.* XII. *De philosophia lingua viva & vulgari tradenda.* XIII. *Lingua Germanica non solum aptissima est, ut ea philosophia doceamus, sed & egregiè facit, ad scholasticæ philosophiæ nævos detegendos.* XIV. *De aliis linguis, quibus commodè tradi philosophia potest.* XV. *Quibus in disciplinis terminis technicis præ ceteris est locus?* XVI. *De Philosophia acroamatica & exoterica.* XVII. *Inter accuratè philosophandum concretis tantùm utendum est, non abstractis.* XVIII. *De troporum in stilo philosophico usu.* XIX. *De claritate orationis, quæ è circumstantiis sumitur.* XX. *Ægyptii atque recentiores Sinenses philosophiam suam ænigmatibus occultant.* XXI. *De utilitate perspicuitatis stili philosophici.* XXII. *Veterum philosophorum systemata non rejicienda, sed emendanda.* XXIII. *De iis, qui contra philosophiam scholasticam disputarunt.* XXIV. *De inventis nov-antiquis.* XXV. *Maledicentia in scriptis philosophicis vitanda.* XXVI. *Scholasticorum errores* Aristoteli *non tribuendi.* XXVII. *De excusandis scholasticorum philosophorum erroribus.* XXVIII. *De secta Nominalium.* XXIX. *De usu metaphysicæ.* XXX. *De scriptis* Aristotelis. XXXI. *De universalium natura.* XXXII. *Propositiones universales sunt fundamenta demonstrationis philosophicæ.*

I. ALiorum Scripta edere, Lector benevole, humile est & contemtum, & ingenii per se pauperis nota esse videtur illi, quorum sublimis aut mens aut opinio supra cæteros se attollit, quibus mos est, sua nomina alienis chartis allinentes herbæ parietariæ convicio irridere, quod jam olim in *Trajanum*, ubique per omnes vetustatis ruinas sui nominis prodigum, jactaverat magnus *Constantinus.* Sed me quidem hæc parum movent, partim clarorum virorum exemplo munitum, partim parum

parum dolentem si apud illos Censores ingeniosus non habear, cui sufficit, studii saltem ac voluntatis laudem retulisse. Exempla egregiorum hominum diu conquirere, copia non petitur, quum ipsi Theologi censeant Scriptores Sanctos priorum memorias & perfecisse & edidisse, & continuasse *Josuam Mosis*, *Samuelem Josuæ*, *Esdram Samuelis* & Prophetarum. Apud Græcos magna ingenuitatis laude celebratur *Xenophon*, quod *Thucydidis* Historias in lucem misit, quum vel supprimere, ut solus laudaretur, vel sibi vindicare posset; dispari *Aristotelis* famæ, qui magna apud nonnullos invidia laborat suppressorum philosophiæ vetustioris monumentorum. Apud Romanos de vita veteribus reddenda mirificè solicitus fuit *Hadrianus* Imperator, qui non tantùm scripta diligenter conquirebat, sed & ex statuis, ex picturis vetustate vitium facientibus effigies eorum pervestigabat, repertisque, ne aliqua temporis injuria rursus perirent, sua imagine prætermissa nummos signabat, affectui majestatem posthabens. Unde quæ nunc passim habentur numismata, *Cimonis*, *Miltiadis*, *Platonis*, *Aristotelis*, aliorumque veterum heroum aut sapientum imaginibus percussa, *Hadriano* accepta referri debere, constans apud eruditos opinio invaluit. Sed vetera mittamus: superiore ac nostro seculo sepulta refodere inter potissimas eruditorum curas fuit. Nec circa veteres tantùm, in quos præ ceteris incubuere, qui nunc vulgo Critici vocantur, laboratum est, sed & medii ævi scriptoribus cura impensa est, ex quibus Theologos magnam partem in Bibliothecam Patrum conjecit *Margarinus de la Bigne*, multis supplementis auctus augendusque ex editis a *Canisio*, *Gretsero*, *Sirmondo*, *Petavio*, *Combefisio*, *Allatio*, *Chiffletio*, *Possino*, *Holstenio*, *Marca*, *Labbeo*, (tum alibi, tum in Byzantinis) *Cossartio*, *Dacherio*, *Surio*, *Rosweido*, *Bollando*, *Henschenio*, *Papebrockio*, compilatoribus Bibliothecæ Patrum Asceticæ, Benedictinorum cura editæ, aliisque multis. De Jureconsultis medii ævi optimè meritus est, quisquis est, cujus cura tot eorum monumenta in Oceano juris, inque natis ex eo Tractatuum voluminibus, vel ut postea appellata sunt, Tractatu Tractatuum, junctim edita visuntur, quæ alioqui fortasse tenues in auras dudum abiissent. Dolendum est profectò, qui tot aliis de luce nominis prospexit, seipsum tacuisse; quum tamen grandi illo in tot volumina confecto indice nihil cogitari possit laboriosius, nihil desiderari accuratius. Idem de collectis Repetentium voluminibus dicendum est. Speramus verò, cura viri eruditissimi *Erici Mauritii* quamprimùm edendam digestionem juris feudalis *Antonii de Prato veteri*, opus illustre imperatorio jussu, delegatione universitatis studii Bononiensis confectum, sed quod nescio quomodo hactenus ex manibus hominum evanuit, ac *Goldasto* & *Rigaltio* diu ac frustra quæsitum, alium non indignum editorem invenit. In colligendis medii ævi historiis *Schardii*, *Pistorii*, *Reuberi*, *Urstisii*, *Meibomii*, *Reineccii*, *Lindenbrogiorum*, *Goldasti*, *Freheri*, *Bongarsii*, *Tilii*, *Pithœorum*, *Puteanorum*, *Theodori* & *Dionysii* junioris *Gothofredo*-

 rum,

rum, *Chesniorum*, *Sammarthanorum*, *Seldeni*, *Spelmanni*, *Dugdali*, *Resserii*, & quos expectamus *Lambecii* & *Gamansii*, curæ, nullo temporum lapsu deterentur. Sed erunt fortasse qui sic occurrent, aliud esse veterum immortalia scripta, aut etiam medii ævi monumenta servare, aliud recentiorum nugas per orbem jam tum satis talibus oneratum dispergere. Hi profectò nimis contemtim de hujus ævi ingeniis sentiunt, nec cogitant, fore tempus cui & nostra vetera erunt. Quis ignorat quandam curam *Rudolphus* Imperator colligendis ac recensendis *Theophrasti Paracelsi* operibus impenderit? *Tychonis Brahei* reliquias laudabili instituto olim *Joh. Keplerus*, nunc *Albertus Curtius* publico dedere. *Trithemii* Historica plurima *Freherus*, Ascetica *Busæus* luci exposuere, *Hubertum Thomam Leodium* idem *Freherus*, Hussitica quædam *Otto Brunfelsius* atque *Cochlæus*, Grotiana *Edmundus Mercerius* & *Isaacus Gruterus*, & *Grasswinkelius*, clarissimi utique viri; *Isaaci Vossii* cura *Herberti* nonnulla, ejusdem *Gruteri* verò opera, *Verulamii* plurima ad nos pervenere. Fratris *Pauli Servitæ* Historia *Marco Antonio de Dominis* debetur, *Edmundo Albertino* in partu latini de Eucharistia operis mortuo, *Blondellus* & *Gronovius*, idem *Blondellus Dallæi* quibusdam, *Montacutius*, *Jacobi* Angliæ regis, & *Laudi*, opusculis, tum *Episcopio Curcellæus* ac *Poelenburgius*, *Pierucius Scioppio*, *Cassandro Cordesius*, aliis alii, obstetricati sunt; reliquiæ qualescunque *Scaligeri*, *Perronii*, *Thuani*, & quod speramus, aliorum plurium, a Fratribus *Puteanis* exceptæ, per *Isaacum Vossium* publico nunc communicantur. Epistolas *Casauboni* collegere *Gronovius* & *Grævius*, *Salmasii Clementius*, *Grotii* idem *Isaacus Gruterus*, variorum *Goldastus* philologicas, *Melanchthonis Peucerus*, *Pezelius*, *Manlius*, *Camerarii*, *Manutii* nuper *Thomasius*, *Schlusselburgius*, *Heinsius*, *Bertius*, *Gabbema* & *Poelenburgius* Theologicas edidere. Infinitum est omnes referre. Erunt tamen rursum haud dubiè, qui sic excipiant: inedita edere fortasse excusari posse, at cramben semel coctam rursus apponere projectæ prorsus operæ videri, nec inanis tantum sumtus, sed & in publicum damnosum esse. Hic postremus aries est, quem illi movent, hunc si repulerimus vindicata satis alieni laboris editio erit. Sed nihil magno molimine opus, quando negari non potest, impressa vel distracta ob famam, vel suppressa ob odium contemtumve ejusdem sæpe cum manuscriptis raritatis esse. *Nizolii* certè opus, quod nunc affero, non vereor, ne quisquam jam tum in multorum manibus esse dicat. Quod non tam ex me habeo, ne a mea rei librariæ notitia, quæ exigua est, alios æstimare videar, quam ex viris doctissimis & in hoc studiorum genere versatissimis, qui aut nunquam, aut rarissimè conspectum sibi fassi sunt. Quare non puto prudentem quenquam mihi vitio versurum quod in cæteris passim probatur. Certè eruditi illi Angli qui tot aliorum labores in scripturam sacram uno Bibliorum Criticorum volumine complexi sunt, omnium plausum tulere. *Johannes Fichardus* JCtus Francofurtensis diligentem operam dabat, ut Juris-

Jurifconfultos egregios per Italiam Hifpaniamque editos, & in Germania inventu raros iteratæ editioni maturaret. *Laurentius Straufius*, Medicus editione theatri Sympathetici, variorumque opufculis in eo junctim recufis, operæ certè pretium fecit. Quis Regiam typographiam Parifienfem, *Elzevirios*, *Blaviof*que non laudat, qui fuis vel notitiis, hiftoriis, memoriifve, vel Rebulpublicis vel Atlantibus tot præclara monumenta per Bibliothecas alioquin latitantia in luce ponunt. Idem editoribus velleris aurei, artis auriferæ, & theatri Chemici fcopus fuit, quod illi cum voluptate fentiunt, qui his ftudiis dediti, conquirendi, & multa velut arcana defcribendi, quæ nunc facilè parabilia funt, moleftiffimo onere levantur. *Jano Grutero* antiquitatis & hiftoriæ ftudiofi æternas gratias deberent, etiam fi nihil de fuo, fed collectos tantum aliorum utiliffimos labores tum in face Critica, tum in Chronico Chronicorum politico (ubi nomen fuum fub *Gualteri* Belgæ nomine non neceffaria verecundia occuluit) incudi reddidiffet. Sed a collectione variorum in unum ad certa certorumve auctorum fcripta recenfita veniamus. *Blondum Vorburgius* recudi fecit, *Onuphrium de Comitiis* olim *Hortlederus* edidit, & mox cum fupplemento edet πολυμαθίςατος *Lambecius*; *Grotius*

- - Quod *Caffandri* veracia Scripta teruntur
Cordefio grates hæc bona propter agit.

Erafmica recenfere, emaculare, & defendere, ut & audio, deftinaverat *Mallincrotius*. Allatiana & Niciana typis Batavis emifit *Nihufius*; *Galilæi* inftitutiones *Gaffendus*, ejufdem circinum Proportionalem *Berneggerus*, ambo viri non in mathefi magis, quàm omni eruditione verfatiffimi, alter in Germania, alter in Gallia, renovata vefte induerunt. *Berneggeri* hujus fynopfin Lipfianæ politicæ doctiffimus *Jo. Andreas Bofius*, *Clapmarium Schookius*, *Wowerium* a plagii impacto crimine vindicatum folidiffimæ vir eruditionis *Jacobus Thomafius*, *Seldeni* jus naturæ & Gentium (& *Æneæ Sylvii Fridericum III.* propediem editurus;) *Boeclerus* fuo merito longè celeberrimus, denuo produxere; nec *Francifcus Mercurius Helmontius* ingenio fuo indignum duxit *Octavium Pifani* notiorem orbi reddere, tum *Jacobus* quoque *Mafenius Browreri* Trevirenfes Annales edidit, & fub prelo funt. Inprimis verò apud Germanos *Hermannus Conringius*, apud Gallos *Gabriel Naudæus*, ambo Medici, ambo variè uberrimeque docti, aliorum fœtus prope expofitos & defertos fufcepere: *Naudæus Niphi*, *Cardani*, *Campanellæ*; *Conringius* ipfius *Naudæi* & *Scioppii*, *Machiavelli*, *Hopperi*, *Claramontii*, *Starovolfcii*, *Caffandri*, *Wicelii*, *Viotti*. His tot tantifque correis vituperium notamque incurrere, equidem parum formidandum judico.

II. Nunc, ad autorem ipfum, quem edemus, argumentumque quod tractat, accedendum eft, *Marium Nizolium* Brixellenfem orbis eruditus pene penitus credo ignoraret, nifi Grammaticis laboribus inclaruiffet, qui-

quibus meritò illud Virgilianum de apibus accommodes. In tenui labor, at tenuis non gloria.

Et ita sæpe factum est, ut viri docti iis maximè scriptis famam impetrent, a quibus minimè sperabant. Quis enim dubitet *Nizolium* & majorem sibi celebritatem à Philosophiæ Reformatione quam animo complectebatur, quàm illis, ut sic dicam, Concordantiis Ciceronianis, pollicitum? & tamen Index Ciceronianus durat duraturusque est quamdiu ipse *Cicero*, Philosophia Nizoliana prope in ipso partu suffocationem ægrè effugit. Non ignoro *Majoragii* & *Grifoli*, occasione litis quam *Ciceronis* officiis *Calcagninus* moverat, indignationem; tum *Henricum Stephanum* in *Nizolio* didascalo sive monitore Ciceronianorum Nizolianorum dialogo, ut inscripsit, minus æquum *Nizolio* fuisse, & à Criticis eum passim alto supercilio despici, sed *Henricum Stephanum* peculiaris causa impulit quod parentis sui *Roberti Stephani* Thesauro latinæ linguæ multum Nizoliano opere derogari cerneret; cæteri viri licet doctissimi, qui *Nizolium* fastidiunt, si in Nizoliana tempora incidissent, credo aliter sentirent. Aliud profectò judicavit *Cælius Secundus Curio*, vir longè præstantissimus, qui conscio ac consentiente ipso *Nizolio* indicis Ciceroniani locupletationem ac recensionem in se suscepit; eodem incubuere *Basilius Zanchius*, *Marcellus Squarcialupus*, & *Jac. Cellarius* Augustanus.

III. Ad Philosophicas autem meditationes hac ipsa diligenti *Ciceronis* lectione venisse videtur. Quum enim videret subtilissimum quemque Philosophiæ locum de Diis, de fato & divinatione, de rerum finibus, de disserendi, inveniendi ac judicandi arte, de omni parte Reipublicæ ac vitæ humanæ officiis à *Cicerone* accuratè simul, & latinè, & luculenter, ne dicam eleganter & ubertim, tractatum esse; *Nizolius* noster vir acutus & bonus, non solum despicere meritò cœpit infelicem Scholasticorum tractandi rationem, tenebrarum affatim, parum rerum utilium, elegantiæ verò omnino nihil continentem; sed & impetum sumsit mentem hanc suam, & ad eam confirmandam meditata, hoc ævo restaurandis artibus fatali, publicè exponendi. Et passim quidem in scriptis suis excidere sibi talia passus est, & ut credi par est, oretenus data occasione monuit; sed ad justum opus occupandum hac demum, quæ sequitur occasione pertractus videtur. Scripserat *Cælius Calcagninus* disputationes sive disquisitiones Basileæ apud *Frobenium* anno superioris seculi 44. editas, quibus paulo liberiùs Officia *Ciceronis* reprehendebat. Continuò id malè habuit doctos viros *Tullii* cultores, ex quibus *Jac. Gryphohis* Romæ apud *Aldum*, *Marcus Antonius Majoragius*, Mediolani *Ciceronis* defensionem edidere. At superveniens *Nizolius*, *Cælium* quòd *Ciceronem* impugnaret, *Majoragium*, quòd *Ciceronem* & *Aristotelem* simul defendi posse putaret, perstringendos sumsit. Scriptum illud *Nizolii* tum separatim impressum est, tum, titulo defensionum aliquot *Ciceronis* locorum,

rum, editioni *Ciceronis* officiorum Venetæ anno 1554. in folio subnexum est. *Ciceronis* etiam partes egere *Joach. Camerarius* & *Hier. Wolfius*, quemadmodum & nuperrimè Clarissimus *Sam. Rachelius*, illustrandæ morali *Ciceronis* Philosophiæ laudabili conatu incubuit. Verum *Majoragius* carpi se à *Nizolio* non lacessito indignius quàm pro injuriæ parvitate tulit, stimulante eum *Octaviano Ferrario* peripatetico celebri & erudito, qui *Nizolii* æmulus erat, & libertatem illam de ARISTOTELE judicandi concoquere non poterat. Hujus subsidiis fretus *Majoragius*, scripsit acerbè satis libros duos Reprehensionum contra *Marium Nizolium*, quibus accessit recusatio omnium eorum, quæ *Nizolius* in decisionibus ejusdem *Majoragii* tanquam malè posita annotavit. Ita coactus tandem *Nizolius* re tota ad accuratius examen revocata edidit hos libros IV. de veris principiis & vera ratione philosophandi, quibus sententias suas a *Ferrario* & *Majoragio* reprehensas, antequam satis editæ essent, non publicat tantùm, sed & data opera justoque scripto defendit. *Majoragii* autem sola præfatione, & libri IV. cap. 6. meminit, ubi pugnat Ethica Nicomachea non *Aristotelis* ad *Nicomachum*, sed *Nicomachi* ipsius esse; subducens nimirum sese certamini inutili, & ipsi rei potius explicandæ incumbens. Inscriptio operis hæc est in editione, unde novam hanc expressimus: „ *Marii Nizolii* Brixellensis de veris principiis & vera ratione philoso-„ phandi contra Pseudophilosophos libri IV. in quibus statuuntur fermè „ omnia vera verarum artium & scientiarum principia, refutatis & re-„ jectis propè omnibus dialecticorum & Metaphysicorum principiis falsis, „ & præterea refutantur ferè omnes *Marci Antonii Majoragii* objectationes „ contra eundem *Nizolium* usque in hunc diem editæ. Parmæ apud „ *Septimum Viottum* 1553. in 4to.“ An aliud quippiam in Philosophia præstiterit *Nizolius*, equidem ignoro: hoc tantùm didici, vertisse *Galeni* explicationem obsoletarum vocum *Hippocratis*. Liber ab eo recognitus, excusus est Venetiis à *Juntis* cum operibus *Galeni* anno 1550. Fuit & alius Parmæ *Nizolius*, fortasse nostro cognatus, posterior tamen, professione JCtus, cujus allegationes juris de Emphyteusibus extant excusæ Parmæ apud *Brudon* in quarto, 1603. Atque hæc quidem de autore non admodum curiosè inquirenti, se obtulerunt, quem credibile est eadem cum *Laurentio Valla* fortuna usum, cui Grammatici nomen nocuit, effecitque, ne multum animis hominum movendis posset, idem jam antè *Petro Abælardo*, idem *Angelo Politiano*, *Ludovico Vives*, *Erasmo*, *Andreæ Alciato*, atque ipsi *Jacobo Cujacio*, tum nuper *Salmasio*, *Grotio*, &c. ab imperitis objectum est, & multa hujusmodi peculiari in Grammaticos invectiva congessit homo licet ex instituto ac professione sua γραμματικώτατος *Maximilianus Sandæus*. Quæ quamvis inania deprehendantur, & revera nulli sint magis Grammatici, quàm qui sub venerabili Philosophiæ titulo perpetuas logomachias serunt, vulgi tamen animis ne nunc quidem satis eximi possunt. Sed & illud obstitisse *Nizolii* progressibus videtur,

detur, quod in Italia ſcripſit, in qua etiam nunc *Ariſtoteles* cum Scholaſticis addictius regnat. Quid enim *Franciſco Patricio*, quid *Cardano*, quid *Galileo*, quid Apologiſtæ ejus *Campanellæ*, quid ipſi *Joanni Franciſco Pico* evenerit, notius eſt, quàm ut recenſeri mereatur. Acceſſit illius ſeculi ratio, in quo veritas incipiebat tantùm velut per ruinam ſeſe oſtendere & ſcintillis quibuſdam emicare, inſtar facularum ignearum, quæ inter maculas ſolares nonnunquam ebulliunt, & favillarum, quæ cum fumo ſubvolant. Noſtro tempore largior lux; & vel hoc ſaltem in confeſſo eſt, *Ariſtotelem* errare poſſe.

IV. Nunc ad argumentum operis accedendum eſt, inſcripſit autem de veris principiis & vera ratione philoſophandi, titulo, fateor, magnificentiore quàm par eſt. Nihil aliud enim toto opere, quàm Logica quædam reformata & ad puram propriamque loquendi rationem revocata continetur, quæ quidem me autore vera libri inſcriptio eſſet, ſed nolui in alienis immutandis intempeſtivè ingenioſus eſſe. In Metaphyſicam paſſim invehitur, nec affert tamen quicquam, quod Metaphyſicæ principia convellat, niſi quatenus dialecticis cognata ſunt, neque uſpiam de uno & multo, de toto & parte, de eodem & diverſo, de neceſſario & contingente, de cauſa & effectu, de mutatione & duratione, atque aliis metaphyſicæ locis tractationem ſuſcipit. Rerum naturalium & mathematicarum nulla mentio, civilia vix frigidè attinguntur. Ut ita tam magnificæ inſcriptionis excuſationem nullam inveniam, niſi hanc unam: Logicam veram non tantum inſtrumentum eſſe, ſed & quodammodo principia ac veram philoſophandi rationem continere, quia generales illas regulas tradit, ex quibus vera falſaque dijudicari, adhibitisque ſolis definitionibus & experimentis omnes concluſiones demonſtrari poſſunt. Sed ſunto etiam non philoſophiæ, non ipſarum propoſitionum principia, veritatemque rerum non faciant, ſed oſtendant; attamen philoſophum facient, rectè philoſophandi principia erunt, quod *Nizolio* tuendo ſatis eſt.

V. Ita autem quod reliquum eſt præfationis partiemur, ut prius de uſu eorum quæ rectè *Nizolio* diſputata ſunt, deinde de erroribus ejus quibuſdam & exceſſibus, differamus. Uſus Nizolianarum meditationum ſcopum ſimul editionis hujus iteratæ continet, ut ita ei parti ſit paulo diligentiùs incumbendum. Duo autem mihi potiſſimum editione dignum *Nizolium* reddere viſa ſunt, dicendi ratio, & tempus autoris, dicendi ratio quia Philoſopho digna eſt; tempus autoris, quia autor noſtro dignus eſt, illo certè tempore quo vixit, meditationes ejuſmodi non niſi ſolidiſſimis & exquiſitiſſimis ingeniis obtigerunt. Dicendi ratio, quam ille non adhibet tantùm, ſed & perpetuò urget, ſolidiſſimis viris dudum digna viſa eſt, quæ paulatim velut poſtliminio in Scholas reducatur. Dicendi inquam ratio naturalis & propria ſimplex & perſpicua, & ab omni detorſione & fuco libera, & facilis & popularis, & e medio ſumta, & congrua rebus, & luce ſua juvans potiùs memoriam, quàm judicium

inani

inani & nasuto acumine confundens. Sed nobis ipsis danda hic opera est, ne in vitium incidamus quod reprehendimus, grandem nimirum & translatam & ampullosam dictionem.

VI. Tres in universum laudes orationis mihi esse videntur: claritas, veritas & elegantia. Nam utilitas ipsarum potiùs rerum est. Clara est oratio cujus omnium vocabulorum significationes notæ sunt, tantum attendenti. Vera est oratio quæ sentiente & medio rectè disposito sentietur: (nam claritatis mensura intellectus, veritatis sensus) quæ unica est, & verissima veritatis definitio, quicquid etiam hactenus sit dictum, & ex qua omnes rectè judicandi Canones demonstrari possunt. Sed hoc exponere alterius loci est, tantùm exemplo eam declarabimus. Hæc oratio: Roma ad Tiberim sita est, ideo vera est, quia ut sentiam quod dicit, nihil aliud requiritur, quàm ut sentiens & medium rectè se habeat; sentiens nimirum nec sit cœcus, nec surdus, medium seu intervallum non sit nimis grande. His positis, si ego sim Romæ aut prope Romam, fiet ut videam eodem obtutu urbem & flumen, & ita urbem hanc esse ad hoc flumen, audiam verò urbem hanc dici Romam, fluvium Tiberin. Similiter in abstractis, hæc oratio: binarius est par, vera est, quia si video (audio, tango, cogito) binarium, video unum & unum, (per definitionem binarii ex auditu lectuve perceptam) & nihil ultra; video igitur duas partes binarii totum absolventes, unum & unum, easque inter se æquales, quia unum uni æquale est. Numerus autem cujus duæ partes totum absolventes seu integrantes sunt æquales dicitur Par (per definitionem Paris lectu audituve perceptam.) Ergo qui sentiet propositum numerum esse binarium, sentiet esse parem, & ideo propositam orationem esse veram. Elegans est oratio, quæ auditu lectuve jucunda est. Quum autem de oratione philosophica, styloque illi debito sermo sit nobis, elegantiam impræsentiarum prætermittemus, etsi fatemur eam ad attentionem procurandam, ad movendos animos, ad memoriam fortiùs, ut sic dicam, imprægnandam, plurimum posse. Sola certitudinis ratio habenda est, quantum materia capit. Certitudo autem, etiamsi rigorosissimus definitor accedat, nihil aliud esse comperietur, quàm claritas veritatis, ut ita vel ex ipsa certitudinis notione sequatur orationis philosophicæ, quippe certitudinem quærentis dotes esse claritatem & veritatem. Et verò manifestum est veritatem propositionis notam esse non posse, nisi significatio vocabulorum sit nota, id est (per definitionem claritatis) nisi sit clara.

VII. Claritas est non verborum tantùm, sed & constructionis. Nam si constructio clara non sit, notum erit quidem, quid verba significent simpliciter & per se sumta, sed non quid significent hoc loco ad cætera relata. Sed in obscuritate constructionis oratores potiùs & poëtæ, quàm philosophi nostri peccare solent, nobis igitur est de vocum per se sumtarum potiùs claritate dicendum. Claritati, seu notitiæ significationis, duo vitia opposita sunt, obscuritas, & ut sic dicam nimia claritas seu ambi-

guitas, illic nulla significatio nota est, hic plures simul apparent, sed quæ sit vera incertum est. Porrò claritas vocabuli ex duobus oritur, vel ex voce per se, vel ex circumstantiis orationis. Claritas vocis per se rursus duos habet fontes: originem & usum. Origo autem vocis tandem in duo resolvitur, usum radicis, & analogiam ex radice factæ derivationis. Usus est significatio vocis communiter nota eadem lingua utentibus. Analogia est significatio flexionis seu derivationis itidem nota eadem lingua utentibus v. g. Vocis Fatum, usus vel significatio nota est necessitas eventuum; ejusdem origo componitur ex usu radicis & analogia: radix est for, vel fari, radicis usus est: dicere; analogia fati est: fatum, qua in lingua Latina significatur participium perfectum passivum radicis, ut ita origine fatum idem sit quod dictum. Plerumque autem usus ex origine tropo quodam ortus est, quod & in exemplo proposito patet, nam origine fatum idem est quod dictum, usu idem est quod necessario eventurum; videamus igitur cujus dicta sint necessario eventura, & manifestum est ad Dei solius dicta rem sequi. Igitur fatum origine est dictum, hinc antonomasia seu κατ᾽ ἐξοχὴν dictum Dei, hinc porrò per synecdochen dictum Dei de futuris, seu decretum Dei, hinc denique metonymia causæ, necessariò eventurum, qui nunc vocis usus est. Unde boni Grammatici, atque etiam Philosophi est continuatis troporum soritis, ut sic loquar, vocis usum ex origine deducere posse. Qua in re artificem inprimis esse video *Julium Cæsarem Scaligerum*, cujus originum libri non exiguo etiam Philosophiæ detrimento perierunt, nisi quatenus filius iis fortè in notis ad *Varronem* usus est, qui tamen plerumque ab iis, quæ parens jam publicavit, & suis scriptis passim interspersit, dissentit. Sed ut in filii meditationibus plus eruditionis habemus, ita in parentis originationibus plus acuminis & philosophiæ amisimus. Cæterum in vocabulis adhibendis hæc regula tenenda est, ut si origo ab usu dissentit, usum potiùs quàm originem in dicendo sequamur, sed usu vel dubio vel non repugnante origini potiùs hæreamus. Si multiplex usus est, danda opera est, ut vel abstrahatur formalis aliqua significatio quam vocant, id est, ut detur significatio vocis, quæ omnes usitatas in se continet, in quo laborare solent Theologi, inprimis scripturarum Hebraicarum interpretes, quos inter hac sensuum venatione excellebat *Samuel Bohlius*; vel si illud fieri non potest, saltem constituatur usus aliquis, ut sic loquar, originarius, id est, ex quo sic fluant usus cæteri, quemadmodum ex origine fluxit ipse, nempe per canales troporum. Danda tamen in usu originario constituendo opera est, ut sit significatio formalis, saltem plerorumque usuum, quoad ejus fieri potest, ex qua cæteri usus deducantur. Sed in utroque, tam usu originario, quàm significatione formali deligendis, illud maximè dispiciendum est, ut ex pluribus se offerentibus eligatur propior origini vocis. Electa autem semel significatio si locus fert redigenda in definitionem (definitio enim nihil aliud est, quàm significatio verbis expressa; seu brevius,

vius, ſignificatio ſignificata) & auditori lectorive proponenda eſt. In definiendo non id ſolum curandum eſt, ut definitio ſit reciprocè vera, ſed &, ut ſit clara.

VIII. Termini igitur technici cane pejus & angue fugiendi ſunt, & abſtinendum inprimis illis prædicamentorum vocabulis plerumque ab uſu Latinæ linguæ remotiſſimis. Conſtitutæ ſemel definitioni conſtantiſſimè inſiſtendum eſt, ita ut ubique etiamſi definitionem definito ſubſtitueres nulla locutio abſurda ſequatur; ſed etſi definitionem nullam præmiſeris, debet tamen uniformis eſſe vocis uſus, ita ut eadem utrobique definitio ſubſtitui poſſit. Atque ita patet dato vocabulo quæ adhibenda ſit ſignificatio, videamus, & contra: datæ ſignificationi quod adhibendum ſit vocabulum. Qua in re & compendii & claritatis ratio habenda eſt. Claritas autem maxima eſt in Terminis e medio ſumtis, uſu etiam populari retento; obſcuritas ſemper aliqua in Technicis. Terminum (liceat enim hoc ſenſu Termini nomine uti, ut ſignificet vocem quatenus ſignificata eſt, niſi vocabuli nomen ſubſtituere mavelis, quod me quidem non invito fiet) popularem, voco quum vox & ſignificatio uſitata eſt, technicum, quum vel vox vel ſignificatio privata (ſeu certo homini vel hominum generi propria) eſt.

IX. Si ipſa vox privata eſt, ſequitur, ut facta ſit per quandam ὀνοματοποιΐαν, qualia ſunt pleraque vocabula *der Rothwelſchen Sprache*, cujus Lexicon in compendio habet *Geſnerus* in *Mithridate*. Eſt autem in hoc vocabulificio illud imprimis attendendum, ut non caſu quaſi & arbitrario animi impetu, ſed ratione quadam efformetur, ratio autem quo aptior, hoc laudabilior. Ratio formandi aptitudinem habet tum a radice, tum a modo formandi; radix debet eſſe uſitata, & rei quam novo vocabulo deſignare contendimus, quantum fieri poteſt propinqua, analogia debet eſſe & uſitata & apta, ita ut ex ſignificatione radicis & analogiæ conflari vocabuli novi definitio quam intendimus, poſſit. v. g. Hæcceitas non habet analogiam uſitatam, melior eſſet: hoccitas, (vel hoccimonia) uti quidditas, non quædcitas. Jam ex hoccitatis radice & analogia conflari ejus definitio poteſt, nam hoccitatis radix eſt hoc; analogia, itas. Analogia autem iſta ſeu derivandi ratio ſignificat rationem appellationis in radice, ſeu qualitatem radicis quatenus talis eſt, qualis eſſe dicitur, erit igitur hoccitas ratio cur aliquid dicatur hoc (uti qualitatem definit *Ariſtoteles*, a qua dicimur quales) vel qualitas hujus quatenus hoc eſt. Nec mirum eſt abſtracta definiri per concreta, quia concreta ſunt notiora. Sin verò non vox ſed ſignificatio ſit nova, attendendum eſt, tum an ſignificatio quodammodo congruat voci, id eſt ope troporum vel ex uſu ejus communi, vel ſaltem ex origine deduci poſſit; tum an non haberi potuerit vox congruentior? Exemplis omnia illuſtranda eſſent, ſi eſſet inſtituti mei perſequi magis talia, quàm monere.

X. Porrò terminis technicis, ut dixi, planè carendum, ab iiſque

 caven-

cavendum est, quoad ejus fieri potest, fieri autem semper non potest, prolixitatis causa, quæ oritura esset, si utendum esset semper vocabulis popularibus. Nam exempli causa: Quadratum est quadrilaterum, æquilaterum, rectangulum; sed æquilateri, quadrilateri & rectanguli vox (ut planum prætercam) rursus est technica, resolvatur igitur: æquilaterum est cujus omnia latera sunt æqualia, quadrilaterum est cujus tantùm quatuor sunt latera: Latus est linea terminans. Rectangulum est, cujus omnes anguli sunt recti, angulus est concursus linearum, rectus est qui utrinque æqualis est. Ergo si terminis technicis abstinendum est, pro Quadrati voce adhibendæ semper essent hæ voces simul: id cujus omnes lineæ terminantes sunt æquales, & cujus tantùm quatuor sunt lineæ terminantes, & omnes concursus lineæ terminantis ad lineam terminantem utrinque æquales. Et tamen, si rigorosius agendum est, etiam, & lineæ, & termini, & concursus, & æqualitatis vocabula essent ulterius resolvenda, nam ut in usu sunt, exactè Geometrarum conceptibus non quadrant, quemadmodum nec vox quadrati, quæ tum origine tum usu communi omni quadrilatero tribui potest, quum Geometræ per antonomasiam soli tribuant æquilatero rectangulo, tanquam perfectissimo, quàm verò molestum, quàm ineptum futurum sit in loquendo & demonstrando pro Quadrati voce tot semper aliis vocibus uti, credo etiam cæcum videre, addi possunt, quæ in arte combinatoria passim dixi. Quamquam igitur istis resolutionibus terminorum technicorum in merè populares, solidaretur judicium, unde etiam in perfecta demonstratione nihil fit aliud, quàm talis in ultima & notissima resolutio, subjecti nimirum & prædicati in definitiones, & terminorum definitionem ingredientium rursus in definitiones, (sive omnis ea resolutio fiat uno loco, sive aliis definitionibus aut demonstrationibus nostris, alteriusve scriptoris, cujus usum vocabulorum nostrum facimus, jam facta sit, ad quas remittimus) tamen obrueretur memoria; necesse igitur fuit technicos terminos earum rerum excogitare, quibus populus, vel quia non animadvertit, ut Lineam Quadratricem, vel quia raro utitur, ut Hyperbola & Parabola, peculiaria nomina non imposuit, sufficere credens, si fortè tandem aliquando usus posceret, circumscriptione designare. Et quidem verissimum est, nullam rem esse, quæ non explicari terminis popularibus, saltem pluribus, possit. Unde rectè *Nizolius* noster passim urget, id pro nullo, pro commentitio, & inutili, habendum esse, cui non in lingua communi aliqua vox saltem generalis, (id est, ut ego interpretor, quæ cum aliis itidem generalibus juncta speciatim tandem rem exprimere possit) sit imposita.

XI. Nam philosophi plebeiis non semper in eo præstant, quòd alias res sentiant, sed quòd sentiant alio modo, id est oculo mentis, & cum reflexione seu attentione, & rerum cum aliis comparatione; attentio autem hominum ad aliquam rem non potuit meliùs excitari, quàm certo vocabulo imposito, quod nota esset memoriæ mihi ipsi, signum judicii erga

erga alios. De cætero tantum abest, ut Philosophi res abstrusiores & nobiliores sentiant, quàm homines cæteri, ut potiùs contra, antequam incomparabilis *Verulamius*, aliique præclari viri philosophiam ex aëris divagationibus aut etiam spatio imaginario, ad terram hanc nostram & usum vitæ revocarunt, sæpe cinifio aliquis Alchymista solidiores & præclariores de rerum natura comprehensiones habuerit, quàm philosophaster quispiam, (neque enim negamus etiam inter Philosophos, eos præsertim, qui ex *Aristotelis* & veterum fontibus potiùs, quàm lacunis scholasticorum sua hauserunt, viros solidè & ad usum doctos complures superfuisse) intra claustra solis sive hæcceitatibus, sive hoccitatibus incumbens. Philosophi igitur sæpe non sentiunt, nisi quæ & alii sensere, sentiunt tamen cum attentione, quæ alii neglexere. Ita *Joachimus Jungius* Hamburgensis, vir verè philosophus, plurimas insectorum species multis haud dubiè mortalibus visas, sed ab omnibus hactenus præteritas & pede calcatas, observavit, collegit, digessit, comparavit inter se, & ex illa comparatione nomina etiam nova imposuit. Cujus hæc & alia meditata a Clarissimo *Vogelio* quàm primùm speramus editum iri. Nonnunquam tamen fateor, & philosophi sentiunt corpora aut corporum qualitates, quas alii nunquam sensere; ita Chymici sæpissimè nova hactenus ignorata corpora variis mixtionibus resolutionibusque producunt; idem fit compositionibus Medicorum, quibus etiam sæpe ab autore nomen imponi solet, majore ad perennitatem nominis efficacia, quàm si ex solido adamante statua illi cum elogio collocata esset. Qualitates quoque novas, ut ignotos hactenus colores plurimos, haud dubiè vidit, qui primus microscopio usus est. His igitur casibus nomina vel nova formanda, vel vetera tropis quibusdam a relatione rei qualitatisve novæ ad veteres, petitis, huc accommodanda sunt.

XII. Illud igitur pro certo habendum est, quicquid terminis popularibus explicari non potest, nisi immediato sensu constet (qualia sunt multa genera colorum, odorum, saporum) esse nullum, & a philosophia velut piaculari quodam carmine arcendum. Unde philosophis quibusdam ingeniosis mos est egregios illos disputatores dialecticos ad hoc urgere, ut vel omnes terminos suos clarè explicent, vel si hanc molestiam subterfugere velint, descendant ad linguam aliquam vivam seu popularem, ac tentent in ea animi sensa exponere; quo facto mirum est, quam vel consternentur illi, vel si rem tentent, a præsentibus viris judicio atque experientia præditis, Latinæ tamen linguæ non admodum curiosis, irrideantur. Ego certè ea ratione factum esse arbitror, ut in Anglia Galliaque paullatim scholastica philosophandi ratio exoleverit, quia jam dudum illæ gentes philosophiam sua lingua excolere cœperunt, ut ipsi plebi quodammodo, atque etiam fœminis aditus de talibus judicandi sit factus. Idem haud dubiè factum esset apud Italos, nisi ibi Theologi scholastici cognatis sibi philosophis subsidio venissent. In Germania inter alias causas, ideo

ideo fixior eſt ſcholaſtica Philoſophia, quòd ſerò, & ne nunc quidem ſatis, germanicè philoſophari cœptum eſt.

XIII. Illud tamen aſſerere auſim, huic tentamento probatorio atque examini philoſophematum per linguam aliquam vivam, nullam eſſe in Europa linguam Germanicâ aptiorem; quia Germanica in realibus pleniſſima eſt & perfectiſſima, ad invidiam omnium cæterarum; quum artes reales & mechanicæ a multis ſeculis a nulla gente ſint diligentius excultæ, uſque adeo ut ipſi Turcæ in fodinis Græciæ & Aſiæ minoris, vocabulis metallicis Germanorum utantur. Contra ad commentitia exprimenda lingua Germanica eſt facilè ineptiſſima, longè quidem Gallica Italicaque & cæteris Latinæ propaginibus ineptior; quia in Latinæ filiabus, voce Latino-barbara leviter inflexa ſtatim fit Gallica aut Italica non-barbara, unde & multa philoſophiæ ſcholaſticæ in Gallicum quomodocunque tamen tranſlata habentur; at in Germania nemo hactenus tale quicquam, niſi omnium ſibilis exceptus, tentavit. Sed ſi terminos Latinos retinere aut detorquere voluiſſet aliquis, hoc jam erat non Germanicè ſed Latinè philoſophare, nec habuiſſet ullum uſum nec intellectum fuiſſet a quoquam Latinitatis imperito, quia Germanica a Latina toto cœlo diſtat, quod ſecus eſt in Italica Gallicaque. Atque hæc cauſa fuit philoſophiæ apud nos ſeriùs vernaculo ſermone tractatæ, quia Lingua Germanica non a philoſophia quidem, a barbara tamen philoſophia abhorruit, quum verò barbara philoſophandi ratio ſerò ſit pulſa, mirum etiam non eſt, tardigradam in philoſophando noſtram linguam fuiſſe.

XIV. Quod de Germanica, idem de Germanicæ filiabus Suedica, Danica, Anglica, Belgica, dicendum eſt, niſi quod Belgicam atque Anglicam in admittendis aliarum linguarum vocabulis ipſa vicinitas audaciores fecit, quum contra apud Germanos, tametſi Scholaſticaſtri quidam, aut peregrinatorculi meris Latiniſmis, Italiciſmis & Galliciſmis perſtrepant, uſus tamen & virorum gravium, & plebis talia reſpuat. Slavonicam linguam huc non affero, quia in realibus ipſis ſatis plena non eſt, & plerasque res mechanicas aut importatas Germanicis vocabulis nuncupat. Illud verò prætereundum non eſt loco, quod *Thomas Hobbes* pro ſueto ſibi ingenii acumine obſervavit, apud eas gentes, quibus mos eſt verbum ſubſtantivum: Eſt, perpetua ellipſi ſubintelligere, quales ſunt nonnullæ Orientales, magnam partem philoſophiæ barbaræ, aut non omnino, aut ægerrimè exprimi poſſe; quum tamen eæ gentes non ſint minùs quàm cæteræ aptæ ad philoſophandum, & lingua alioquin in rebus ipſis copioſa cultaque utantur. Sed a digreſſione in viam regrediendum eſt.

XV. Quum igitur conſtet, eas res eſſe nullas, quæ popularibus terminis explicari non poſſunt, conſtet etiam tanto clariorem eſſe orationem, quanto termini ſunt populariores, niſi fortè nimis multiplicatis ea ratione vocabulis, jam ex alio capite tædium, oblivio, & ſic obſcuritas naſcatur, manifeſtum eſt normam ac menſuram adhibendorum terminorum

eſſe

esse debere, compendiosissimam popularitatem, vel popularissimum compendium. Quandocunque igitur termini populares suppetunt æquè compendiosi, abstinendum est terminis technicis. Est profectò hæc una ex regulis fundamentalibus styli philosophici, in quam passim impingitur, præsertim a Metaphysicis & Dialecticis; nam res ipsæ Dialecticæ & Metaphysicæ pleræque, creberrimè in sermonibus, scriptis, cogitationibus etiam plebeiis occurrunt, & in omni vita passim teruntur. Hinc factum est, ut ipsa crebritate admonita gens, peculiaribus, usitatis maximè naturalibus & compendiosis vocabulis, talia designaverit; quæ quum suppetant, peccatum est novis plerumque etiam incommodioribus confictis (ut de ipsa sæpe in fingendo admissa ineptitudine nihil dicam) res obscurare, se verò imperitis tantùm admirabiles, cæteris ridiculos reddere. Par est ratio in moralibus, civilibus, & juridicis. Quæ quum itidem sint omnium intellectui exposita, a novis terminis confictis, rarò in illis quicquam præter tenebras sperandum est; rarò, inquam, nam & illud fateor nullam esse scientiam, in qua non terminis technicis sit opus, tunc nimirum quum plebs rem aut non sensit, aut sine attentione rursus dimisit. In Mathematicis autem, Physicis & Mechanicis maximè novis terminis aut novè sumtis opus est, quæ, in his disciplinis tractantur, pleraque non sunt statim sensui obvia, aut in usu communi crebro versantia. Producuntur enim eæ res, aut deteguntur qualitates, variis rerum in partes divisionibus, mutationibus, motibus, additionibus, detractionibus, translocationibus, commixtionibus, & omnino experimentorum industriis, quæ vulgus nisi necessitate coactum, facere non solet, artifici cujusvis scientiæ talia relinquens. Sed etsi termini technici parum sint popularibus compendiosiores, notabile tamen tædii aut memoriæ levamentum hinc non oriatur, manifestum est itidem technicis in philosophando utilius abstineri.

XVI. Est tamen inter philosophandi modos discrimen ingens, alius enim est, ut sic dicam, Acroamaticus, alius Exotericus. Acroamaticus est, in quo omnia demonstrantur, Exotericus, in quo quædam sine demonstratione dicuntur, confirmantur tamen congruentiis quibusdam & rationibus topicis, vel etiam demonstratoriis, sed non nisi topicè propositis; illustrantur exemplis & similitudinibus, tale dicendi genus dogmaticum quidem seu philosophicum est, acroamaticum tamen non est, id est, non rigorosissimum, non exactissimum. Atque ista differentia etiam apud Mathematicos observatur. Distinguunt enim a Demonstrationibus scholia, demonstrationes rigorosissimè & acroamaticè, scholia paulo familiariùs atque exoterica quadam ratione tractantur, quod vel ex solo *Proclo* in *Euclidem* patet, qui in scholiis historica quædam & quicquid rei illustrandæ facit, inspergere non dubitat. Gemina huic distinctioni distinctio est inter præcepta & commentaria, quam *Bartholomæo Keckermanno* & *Johanni Henrico Alstedio* utiliter placuisse video, &

& tenuit quoque vir summæ doctrinæ *Gerhardus Johannes Vossius* in suis artium liberalium ac popularium partitionibus. Usus hujus discriminis est, ut non interrupto definitionum, divisionum & demonstrationum cursu interserere tamen nonnulla scitu digna aut etiam profutura liceat. Quæcunque igitur de styli philosophici ratione dicta sunt, de parte Acroamatica dicta sunto. In Exoterica parum luxuriari liceat, ut si certitudini aliquid, claritati tamen nihil aut parum decedat. Acroamatica autem pars constat ut dixi, definitionibus, divisionibus & demonstrationibus, quanquam divisionibus supersederi possit, quemadmodum *Euclides* illis caruit, utiliter tamen adhibentur, saltem ad definitiones inter se ordinatè connectendas, propositiones enim non divisionibus, sed demonstrationibus connecti debent. Quicunque igitur accurate definire aut dividere, & demonstrare seu certam quandam propositionem reddere profitetur, rigorosissimè se gerere, nec re, nec vocem nisi definitam, aut propositionem nisi demonstratam aut immediato sensu certam in demonstrando adhibere debet. De cætero liceat fortasse acutas nonnunquam allusiones, similitudines, metaphoras, exempla, argutias, historias inspergere & lectoris tæsi animum jucunditatis interstitio recreare, sic tamen, ut tunc quoque omnis obscuritas, omnis translationum nimietas vitetur.

XVII. Illud quoque hoc loco admonitu dignum visum est, quia vulgo contra sentiunt inter accuratè philosophandum concretis tantùm utendum esse; idque ipsum *Aristotelem* plerumque fecisse video; ποσὸν, ποιὸν, τὰ πρός τι potiùs ipsi in ore sunt, quàm ποσότης, ποιότης, σχέσις, seu si sic loqui fas esset, προςτιότης; id vulgo sectatores excusant, quasi pinguius factum, ac se si diis placet, acutiores somniant, quum omnia abstractis complent; quum contra pro certo compertum sit istam abstracta vocabula excogitandi libidinem pene totam nobis philosophiam obscurasse, quibus tamen careri in philosophando prorsus potest. Nam concreta verè res sunt, abstracta non sunt res, sed rerum modi, modi autem nihil aliud sunt quàm relationes rei ad intellectum, seu apparendi facultates. Et verò datur modorum in infinitum replicatio, & qualitatum qualitates & numeri numerorum, quæ si omnia res sunt non infinitas tantùm, sed & contradictio oritur. Nam si entitas ens est, si realitas res est, si aliquidditas aliquid est, idem erit forma sui ipsius seu pars conceptûs sui quod implicat. Si quis igitur aliquando Elementa Philosophiæ perfectè constituturus est, eum abstractis prope penitus abstinere necesse est. Recordor quidem acutissimum *Hobbesium* abstractis aliquam utilitatem tribuere, idque eo potissimum argumento, quod exempli causa aliud sit duplicare calida, aliud duplicare calorem. Verùm hæc ipsa caloris duplicatio terminis concretis efferri potest, nam si dicam eandem rem duplo calidiorem esse factam, jam intelligetur non calida, sed calorem duplicatum esse. Terminorum igitur abstra-

abstractorum nunquam ego, ut verum fatear, ullum in philosophandi rigoroso genere usum magnopere comperi, abusus verò multos & magnos, & valdè perniciosos. At in exoterica dicendi ratione credo abstracta adhibita tempestivè, usu suo non carere, acuere enim inprimis sententias, & figere quasi attentionem lectoris, ac de cæteris cogitationibus impræsentiarum dimittendis admonere; more secundarum notionum, quibus cur abstracta æquiparem causas habeo multas & graves. Nam in universum ita sentio, substituere abstracta concretis, & pro hac propositione: homo est rationalis, substituere illam: homo habet rationalitatem, aut: cui inest humanitas, illi inest rationalitas, aut: humanitate rationalitas continetur, esse non tantùm tropicum, sed & superfluum; ac perinde esse, ac si quis loco ejusdem propositionis, diceret: certum est, verum est, non est dubitandum; quisquis attendet, sentiet, idea hominis menti meæ per sensum impressa confirmat, hominem esse rationalem; quæ variandi genera rei nihil addentia præter relationem ad mentem ad illustrandum inculcandumque possunt aliquid, ad accuratè philosophandum, ad definiendum, dividendum & demonstrandum nihil.

XVIII. Hactenus ostensum est terminis technicis abstinendum esse, quoad ejus fieri potest; nunc illud attendendum est, sive popularibus, sive technicis utamur, tropos tamen aut nullos aut exiguos aptosque esse debere. Quod a Scholasticis parum est observatum, nam, quod quis miretur, eorum oratio tropis scatet. Quid enim aliud quàm tropica sunt dependere, inhærere, emanare, influere. Cujus postremi vocabuli inventione mirè se effert *Suarez*. Quum enim Scholastici ante eum dudum in generali causæ notione venanda sudassent, nec verba illis commoda succurrerent, *Suarez* non quidem ingeniosior, tamen audacior fuit, & adhibito callidè influxus vocabulo, causam definivit: quod influit esse in aliud, barbarè satis & obscurè; nam & inepta constructio est, qua influere ex neutro fit activum; & metaphoricum est istud influere, & obscurius ipso definito: faciliore enim negotio causæ quàm influxûs vocem tam monstrosè acceptam definire sperarim. Illud denique observandum, quod & jam tum passim monuimus origini vocis, præsertim quum certa est, qua pote, insistendum. Sanè verum est, omnem originariam vocis significationem esse propriam, neque enim video qui per tropum ex alio translatus dici possit; sed tamen illud fateor quandam significationem esse propriam, quæ non sit originaria, quod & rectè observavit Cl. *Brunsmannus* in iis, quæ de propria & translata significatione nuper peculiari opera commentatus est. Quibus ejus cogitatis tamen illud adjicio: omnem significationem non originariam aliquando fuisse translatam, eo nimirum tempore, quo primum vox a primigenia significatione ad alias troporum adminiculo promota est; factam verò tandem propriam, quum primum ita vulgaris

facta est, ut æquè sit nota, aut notior etiam nativa; & jam homines non propter flexiones a nativa factam, cujus sæpe ne recordantur quidem, sed per se voce sic utantur. Interea si quis destinato consilio sibi proponeret, vocibus quarum certa originatio est, perpetuò inter philosophandum non aliter uti, quàm origo postulat ejus consuetudo nec illaudabilis nec aspernanda foret, etsi difficilè censeam hoc constanter exequi. Ita satis, opinor, fusè, pro instituti ratione de claritate vocabuli per se dictum est.

XIX. Claritas verò, quæ ex circumstantiis sumitur, sumitur vel ex ipsa oratione, vel extrinsecus. Si ex ipsius orationis circumstantiis sumitur, erit claritas, si non vocabuli per se, tamen orationis per se. Quod fit, quum ex ipsa oratione apparet materia subjecta de qua agitur, & quum materia subjecta tollit ambiguitatem; Nam si de ursa, plaustro, cane, lyra, loquitur is, cujus reliqua oratio in astronomicis consumitur, facilè tollitur ambiguitas. Item si præmissa est definitio vocabuli, eo ipso obscuritas sublata est. Sed si per multas demum conjecturas, licet ex ipsa oratione sumtas, significatio venanda est, longè infra claritatis laudem subsidit. Si verò ex ipsis extrinsecis circumstantiis colligendus demum sensus est lectori & auditori, jam per se obscura est oratio. Obscura autem oratio fortasse alicui prophetæ, aut ebuccinato i miraculorum Alchymistæ, aut oraculo Delphico, aut etiam theologo mystico, aut ænigmatographo poetæ convenerit, à philosopho nihil potest esse alienius.

XX. Equidem non ignoro & philosophos Ægyptiorum veteres, & Sinensium, qui Ægyptiorum colonia esse videntur, hodiernos; & omnino orientales, &, qui eos sequutus est *Pythagoram* apud Græcos; apud Latinos autem & Arabes, Chemicos; ænigmatibus sua occuluisse. Quod eorum consilium non potest usquequaque improbari, neque enim omnia omnibus prostituenda sunt, & qui postea philosophi artium, medicæ imprimis & mathematicæ mysteria in vulgus exire passi sunt rem à prudentia civili alienam fecerunt; poterant enim his velut instrumentis uti ad liberandas à tyrannide patrias & constituendas Aristocratias: & nemo prudens *Lazarum Riverium*, vel *Antonium Mariam Rheitam Schyrlæum*, Capucinum culpaverit obscuritatis, quod ille certam quandam compositionem medicam, hic tuborum opticorum magis magisque perficiendorum compendium à se repertum ænigmatis nube sepiverunt. In philosophando tamen accuratè, id est in definiendo, dividendo & demonstrando, dispellendas esse omnes illas nebulas, non est dubitandum. Licebat Philosophis vel lingua quadam peculiari, quod de Ægyptiis & Hetruscis sacerdotibus fertur; vel scriptura saltem, quod nunc faciunt Sinenses, sua occulere, dummodo in hac ipsa lingua, in hac ipsa Scriptura, ipsi saltem inter se, clarè accurateque philosophati essent, nec nunc intromissis in adyta, appareret vasta rebus

bus utilibus & egena solitudo, quodque de templo Hierosolymitano *Tacitus* ait, inania arcana, quod de orientalium philosophia verum esse magis magisque detegitur. Ita explicata est una laudum orationis Philosophicæ: claritas. Elegantiam aliorsum ablegavimus. Lege sis interim *Quærengum* de Eloquentia Philosophi.

XXI. Sola veritas residua est, sed de hujus comparandæ ac confirmandæ ratione; deque omni inveniendi & judicandi artificio præcepta tradere ad Logicum pertinet, qui tamen illa accurata claritate verborum inquirendi ac morosè cuncta discutiendi necessario alioquin onere, mirificè levatur. Nam si nulla vox adhibetur, nisi clara & certæ definitæque significationis, omnis æquivocatio exulet necesse est, qua semel pulsa ingens sophismatum agmen simul evanescet; nec quicquam ferè ad solidè judicandum supererit, quàm ut sensus ab erroribus, sensorio ac medio rectè constitutis, intellectus verò observatis solis consequentiarum regulis, præserventur. Quæ quum ita sint, parum abest, quin credam, uti Rhetoricæ duæ sunt partes, una de verbis eleganter, ornatè & efficaciter struendis, altera de movendis affectibus; ita similiter Logicæ duas esse partes, unam verbalem, alteram realem: unam de claro distincto & proprio verborum usu, seu de stilo philosophico; alteram de regendis cogitationibus. Nam Grammatica, ut loquamur purè, & ex usu gentis, nos docet; Rhetorica, ut aptè ad movendos affectus; Logica, ut aptè ad movendam mentem dicamus. Quemadmodum igitur illi non probantur, qui Oratoriam a Rhetorica divellunt, oratoriam de movendis affectibus, Rhetoricam de elegantia dictionis præscribere jubent; quod faciunt Ramistæ quidam aut Semi-Ramistæ, viri cætera doctissimi, *Keckermannus*, *Alstedius*, *Conr. Dietericus*, *Caspar. Bartholinus*; quemadmodum, inquam, illi non probantur, quum ita implexus sit verbis omnis cogitandi volendique actus, ut vix unquam nisi tacito intra nos verborum usu fiat; quum verba sint proximum cogitandi instrumentum; docendi autem cogitata nostra prope unicum; quum denique iisdem regulis simul & movendorum affectuum, regendarumque cogitationum ratio, &, quibus prope solis id fit, verborum ad hoc aptè collocandorum præcepta contineantur; ita non improbandum arbitror, qui simul & de cogitandi præceptis, & genere dicendi ad docendum apto tractare ad Logici partes pertinere tuebitur. Quare nec *Nizolius* peccavit, quod in Logica tractatione dicendi rationem exactam passim urget, nec fortasse, qui ante *Nizolium* eo de argumento tam in omni Encyclopædiæ parte necessario, paulo fusius præfati sumus. Inprimis quum eo potissimum fine *Nizolium* edidermus, ut, vel alieno labore contribueremus aliquid ad philosophiæ solidioris instaurationem, quæ nunc tot ubique summis ingeniis continentibus tam pulchrè procedit, adjuvandam. Speramus enim à lectione hujus *Nizolianæ* commentationis non mediocrem fructum in rem philosophicam redundare posse, vel ideo, ut homines

 sobrio

ſobrio illi, ac proprio & nativo, ac verè philoſophico dicendi generi magis magiſque aſſueſiant; præſertim quum nemo mihi quidem ſcriptor notus ſit, qui pari zelo, diligentiâ, atque etiam, ſi attentè legatur, efficaciâ, in eam rem incubuerit, ut omnes illæ verborum ſpinæ ex agro philoſophico funditùs evellantur. Quod quidem in parte Logica atque ipſo philoſophiæ veſtibulo ſic ſatis præſtitiſſe mihi videtur, dummodo exiſtant, quod fore non deſperamus in hac florentium paſſim egregiorum ingeniorum ubertate, qui cœptum ſemel laborem perſequantur, ac reliquas philoſophiæ partes metaphyſicam, phyſicam generalem, philoſophiam civilem ac veram juriſprudentiam à terminorum implexis ſentibus eadem ratione purgent; polliceremur de nobis aliquid, niſi partim aliis ſtudiis diſtraheremur, partim timeremus materiam aliis præripere, aptiùs omnia præſtituris.

XXII. Cæterùm quod *Nizolium* dixi præ cæteris aliquid in hoc genere præſtitiſſe, id tueri non vereor. Nam illuſtres illi philoſophiæ inſtauratores hodierni in eo potiùs occupantur, ut ſua ſibi inventa & cogitata præclarè conſtituant atque exornent, quàm ut vetera & in ſcholis recepta *Ariſtotelis* ſcholaſticorum tradita, poliant, ac purgent. Quum tamen non ſit è re philoſophiæ vetera prorſus abjicere, ſed emendare potiùs, & quod egregium eſt, qualia certè ſunt innumera, & præſertim quæ ipſo *Ariſtotelis* textu continentur, tolerare.

XXIII. Deinde fateor de dictione philoſophorum vulgarium barbara abolenda, monuiſſe, conſuluiſſe, declamaſſe multos, rem ipſam verò, quod fecit *Nizolius*, aggreſſos eſſe paucos, quia facilius ſcilicet eſt, carpere quàm emendare. Sanè quum primùm literæ reſtaurari cœptæ ſunt, eruditi in philoſophos ſcholaſticos intonuere; contrà Scholaſtici ſe reales vocabant, illos poetarum & grammaticorum titulo ab interiore rerum cognitione arcebant. Et memini videre aliquando ſcriptum cujuſdam ex illo grege theologi: hoc titulo: *Johannis Seici* Apologia, quòd Theologia non ſit fundata ſuper Poeſi, quaſi ſcilicet quiſquam hoc ſomniaſſet. Sed interea dum iſti fulminant, eruditi aulas magnatum paulatim occuparunt. *Laurentium* certè *Vallam* ſolus favor regius ab hæreſeos commendatione defendit, ut de *Leonis X.* & *Franciſci I.* Galliæ Regis in literatos propenſione nihil dicam, quæ profligandæ barbariæ multum potuit. Jam ante *Vallam*, princeps DANTES *Aligerius* Florentinus meliores literas velut ab inferis revocavit; hujus diſcipulus *Franciſcus Petrarcha* primum in philoſophia civili quippe capaciore elegantiam expertus eſt, qua in re *Franciſcum Philelphum*, *Poggium Florentinum*, *Leonardum Aretinum*, alioſque ſuccenturiatos habuit. Ut *Valla* majore vir ingenio ſpinas ſcholaſticorum primus calcare aggreſſus eſt, ac dialecticam conſcripſit ingenio ſuo dignam, JCtos etiam libello de inſignibus & armis, contra *Bartolum*, Theologos libello de libero arbitrio, contra *Boethium* laceſſere auſus. Tunc verò philoſophiæ ſimul & eloquentiæ exquiſitiori è Græcia ſubſi-

dio

dio venere *Theodorus Gaza*, *Georgius Trapezuntius*, *Emanuel Chrysoloras* & *Bessar.o* postea Cardinalis. Et licet *Gaza* & *Trapezuntius* Aristotelem græcum resuscitantes, pugnarent inter se, *Bessario* autem Platonicus cum utroque; in Barbaros tamen æquali animi impetu itum est. Ab his instructi *Johannes Picus de Mirandula*, sui ævi phœnix, Astrologorum hostis, *Hermolaus Barbarus* ἐντελεχείας interpres, *Nicolaus Leonicenus* Patavinus, cujus & *Nizolius* noster lib. 4. cap. 8. meminit, cujus opera, ut *Erasmus* ait, Medicina iterum loqui cœpit, *Marsilius Ficinus Bessarionis* in affectu erga *Platonem* hæres, certamen pro vera sapientum eloquentia contra corruptores utriusque susceptum, acriore impetu, & recentibus armis continuarunt. Tandem *Angelus Politianus*, *Joh. Franciscus Picus de Mirandula*, *Rudolphus Agricola*, *Joh. Reuchlinus*, *Hadrianus Cardinalis*, *Erasmus Roterodamus*, *Paulus Cortesius*, *Joh. Ludovicus Vives*, *Philippus Melanchthon*, *Joachimus Camerarius*, & multi consimiles, perrupere hostiles ordines, & latè stragem dedere. Hos, qui toto orbe sequuti sunt philosophi eloquentissimi, tam multi sunt, ut brevibus chartis non capiantur. Barbarum porrò dicendi genus peculiaribus scriptis multi oppugnarunt. Et exstant Epistolæ amœbææ *Johannis Pici Mirandulani* & *Hermolai Barbari*, quorum hic acerrimè in Scholasticos invehitur, ille mollire eorum vitia ac tegere magis quàm defendere, non improbabili pietate conatur. Tanti fecit eas Epistolas *Philippus Melanchthon*, ut addita dispositione edi in Germania curaverit. Addi potest *Quærengus* de Eloquentia Philosophi, *Franciscus Floridus Sabinus*, scripto quod pro latina lingua ejusque Scriptoribus edidit, *Ubertus Folieta* de Latinæ Linguæ usu & præstantia, *Germonius*, *Corradus*, *Taubmannus*, *Barthius*, de Latina Lingua, *Susii* Lima Ciceroniana, *Andr. Schotti* Tullianæ quæstiones, *Alberti de Alberiis* actio in corruptores eloquentiæ, *Melch. Inchofer* de sacra latinitate, *Erasmi* Apologeticus adversus *Martinum Dorpium*, *Joachimus Vagetius* de stilo, *Christoph. à Capite Fontium* de necessaria correctione Theologiæ Scholasticæ, *Ludovicus Cabajalus* Beticus libro uno de restituta Theologia, in quo, ut inseruit titulo ipse, Lector visurus sit Theologiam a Sophistica & barbarie magna industria repurgatam. *Erycius Puteanus* diatriba de Barbaris ad Barbarinos, *Christianus Becmannus*, & *Isaacus Clauderus* de barbarie superiorum temporum, *Frischlinus* Prisciano vapulante, *Joh. Conradus Dietericus* de infelicitate seculi superioris in græcarum literarum ignoratione, Antibarbarus *Sixti Amamæ* & *Petri Molinæi*, *Gerhardus Joh. Vossius* de vitiis sermonis & glossematis latino-barbaris, *Joh. Niess.* de ortu & occasu linguæ latinæ ejusque instaurandæ ratione, *Petrus a Valle Clausa* de immunitate Cyriacorum, qui omnes data opera in dictionem illam pseudophilosophicam invehuntur. His addi possunt, qui ex *Cicerone* & *Quintiliano* & *Boethio*, philosophati sunt: *Freigius*, *Buscherus*, *Jason Denores*, *Ramus*que & Ramei aut Philippo - Ramei prope omnes; *Hadrianus* item *Cardinalis* libris 4. de

de vera philosophia ex 4. Ecclesiæ doctoribus, *Ambrosio*, *Hieronymo*, *Augustino*, & *Gregorio Magno*. De cætero ut Theologiam Scholasticam *Melchior Canus* in locis, & *Paulus Cortesius* in libros sententiarum, (nuper *Petavius*, opere dogmatum Theol.) ita Dialecticam *Valla*, *Rudolphus Agricola*, *Folichius*, *Melanchthon*, *Cæsarius*, *Hunnæus*, *Cornelius Valerius*, *Perlonius*, *Cœlius Secundus Curio*, *Joan. Sturmius*, *Hottomannus*; Metaphysicam *Vives*, *Niphus*, *Javellus* (etiam *Nizolio* nostro laudatus lib. 2. cap. 10.) *Fonseca*, *Brunus*, *Monlorius*; Physicam *Hermolaus Barbarus*, *Cornelius Valerius*, *Franciscus Vicomercatus*, *Hieron. Fracastorius*, *Hieron. Cardanus*, *Jul. Cæsar Scaliger*, *Scipio Capucius*, *Titelmannus*, & nuper *Gassendus*, dictionis elegantia illustrare cœperunt. Qui tamen terminos in Scholis receptos sic ad vivum in cæteris philosophiæ partibus resecuerit, ut fecit in Logica *Nizolius* noster, nondum comperi. *Nizolium* igitur, quo hactenus fuit ignoratior, hoc magis dignum putavi, qui in exemplum dictionis philosophicæ reformatæ proponatur.

XXIV. Altera editionis ratio fuit tempus Autoris. Accessit enim ad edendum hic quoque stimulus, quod apparet ex *Nizolio* esse quasdam sententiarum periodos, & quæ nostro tempore velut nova producuntur, jam olim plurima a doctis viris magna cum contentione agitata esse. Ita detexit Telescopium viam lacteam esse congeriem insensibilium stellarum, idem dudum conjecerat *Democritus*. Ejusdem *Democriti* Vaticinatio erat, Nili incrementa esse à pluviis Æthiopiæ, quæ sententia à coævis & propinquis scriptoribus irrisa, nunc peregrinationibus vera deprehensa est; *Epicuri* & *Lucretii* Atomi, quam magna nunc contentione refodiuntur? Hypothesis terreni motûs *Pythagoræ* fuisse dicitur, & illuc inclinasse *Archimedem* non obscura sunt vestigia in libello de Numero arenæ. Illustris *Digbæi* pulverem sympatheticum *Antonius Deusingius* & *Joh. Frid. Helvetius* contendunt veterem esse. Circulationem sanguinis per totum corpus non ab *Harvæo* primum observatam, sed dudum deprehensam legi in manuscriptis cujusdam religiosi, quæ nunc quoque Venetiis monstrentur, refert in absolutissimo Institutionum Anatomicarum opere *Thomas Bartolinus*. Habeo ex narratione doctissimorum virorum, ipsum illum magnum *Cartesium* non mediocriter confusum fuisse, quum esset ei monstratum, complura ejus philosophemata, quæ noviter inventa putabat, in *Platone* & *Aristotele*, quorum tamen ille contemtum præferebat, tum in naturalibus, tum in civilibus clarè tradita, contineri; *Keckermannus* ostendit ex collatione verborum parallelismo quodam sibi oppositorum pleraque *Petri Rami* dogmata dudum vidisse *Ludovicum Vivem*. Addo ego, quæ nunc nostro tempore a scriptoribus præclaris, *Hobbesio*, *Cartesio*, *Jungio*, *Claubergio*, *Raeo*, *Antonio Arnoldo* Theologo, quem Gallicæ Logicæ, libelli sanè elegantissimi autorem ferunt, acerrimè urgetur terminorum technicorum ad populares reductio, eam jam tum *Nizolio* nostro in votis ac scopo unicè fuisse, longè meliore, quàm *Rami* consilio, qui

qui Ariftoteleis fubverfis alios terminos technicos fubftituit, multiplicavitque non fcientiam, fed laborem.

XXV. Reftat nunc, ut errores quoque & vitia *Nizolii* noftri ne diffimulemus. Et ex vitiis potiffimum mihi vituperationem mereri videtur maledicentia, qua in *Ariftotelem*, in *Platonem* ipfum, in *Galenum*, in veteres *Ariftotelis* interpretes Græcos, in Scholafticos fine difcrimine (nam *Thomam Aquinatem*, quum molliffimè tractatum cupit, appellat monoculum inter cæcos lib. 4. cap. 7.) invehitur, qua etiam confentientes fibi in plerifque *Vallam*, *Vivem*, *Rudolphum Agricolam* ob leviffima quædam fententiarum difcrimina profcindit. Optaffem deleta e libro talia ne lectores vel cum puritate dictionis fimul procacitatem difcerent, vel faltem in percurrendo offenderentur, non fum aufus tamen in alieno opere quicquam immutare.

XXVI. Errores in *Nizolio* & multi funt, & magni, quorum plures in breviculis notis quas minutiori typo infertas adjeci, funt tacti, aliquorum vero extantiorum etiam hic mentio facienda eft. Nimirum ille palmarius eft, quod Scholafticorum vitia *Ariftoteli* imputat, & modeftiores fe viros, *Johannem Picum*, *Leonicenum*, *Rudolph. Agricolam*, *Vivem*, etiam conviciis laceffit, & adulationis infimulat, quod eximere *Ariftotelem* conentur; quum tamen noftro feculo poft tot in *Ariftotelem* doctiffimorum & prioris barbariei diffimillimorum interpretum curas nihil fit compertius, quàm *Ariftotelem* omnis illius ineptiæ purum & infontem effe, qua fcholaftici paffim inquinantur. Errores ejus quicunque funt, tales tamen funt, ut facilè internofcas lapfus viri magni & in rerum luce verfati, a vertiginofis deceptionibus imperiti alicujus clauftralis. Hoc demonftratum fatis dedere primum fuperiore feculo Itali interpretes: *Auguftin. Niphus*, *Angelus Mercenarius*, *Alexander* & *Francifcus Piccolominæi*, *Cæfar Cremoninus*, *M. Antonius Zeinara*, *Simon Simonius*, *Jacobus Zabarella*, *Franc. Vicomercatus*, & tot alii. Hoc verò feculo illuftrati *Ariftotelis* Germanis maximè laus debetur. Nam partem de demonftratione, quæ vulgo *Ariftotelis* adverfariis pro menftruo eft, *Corn. Martini*, & *Jungius* & *Joh. a Felden* non mediocriter illuftrarunt, quanquam enim *Feldeni* in Topicis & Analyticis *Ariftotelis* ad ufum transferendis eruditiffimæ albique lapidis calculo digniffimæ meditationes nondum fint editæ, fperamus tamen quamprimum eas ab ipfo autore editum iri; ad Metaphyficam *Ariftotelis* folidè comprehendendam plurimum contribuere *Sonerus* & *Dreierus*, ille in Academia Altorfina, hic in Regiomontana profeffor; *Soneri* inftitutiones non ita dudum, autore jam olim mortuo, prodiere, *Dreieri* Sapientia univerfalis feu prima philofophia ex Græcorum potiffimum interpretum fententiis ad præclaram harmoniam concinnata eft, ex qua intelligi fatis poteft, quàm gravi confilio fua aggreffus fit *Ariftoteles*, quàm præclaro ordine collocaverit, quàm denique magnificè fit exequutus. Philofophia *Ariftotelis* naturalis generalis (nam quæ particularis eft, ejus realitas per fe

 lucet)

lucet) ad usum maximè & solidas de rerum natura notiones traducta est a solidissimo Viro *Abdia Trew* Mathematicarum scientiarum professore Altorfino, qui Physicam *Aristotelis* generalem ad morem mathematicum traditam scripsit. Et certè *Aristotelem* a surdis illis & nullum intellectum patientibus dogmatibusque ei publica superiorum temporum ignorantia affinxit longissimè affuisse, illas tot formalitatum realitates prorsus ignorasse, notiones tantùm generalissimas tradidisse, satis ostendunt, quicunque nunc in *Aristotele* cum Recentioribus conciliando operam ponunt, quod partim acutissimus *Thomas Anglus* ad mentem tamen illustris *Digbæi*, partim Clarissimus *Raeus* ostendere, in se susceperunt. Quod consilium quum sit optimum, & rei literariæ necessarium, ne utilia cum vanis aboleantur, & nonnullorum somnia de abjiciendo prorsus *Aristotele* in animis incautæ juventutis invalescant; visus est hic locus opportunus, cui excerpta quædam mea ex prolixa aliqua Epistola non ita dudum ad celeberrimum peripateticum Germanum, Virum præter accuratissimam philosophiæ cognitionem (aliquot jam præclaris speciminibus orbi declaratam, & quod opto, multo pluribus, quorum illi ingens copia suppetit, declarandam) in omni eruditione exquisitissimum data, adjiciantur: quæ proinde præfationi huic nostræ statim subnectemus, nihil veriti, ne post præfationem jam tum prolixam, patientia lectoris abutamur. Qui si æquus est in re tam necessaria etiam prolixiores nos facilè feret; sin iniquus, sciat nihil ad nos judicia sua pertinere. In Morali ac Civili philosophia *Aristotelem* profundiùs assequuti sunt præ cæteris πολυμαθέστατος *Conringius*, *Joh. a Felden* JCtus notis in *Grotium*, & Elementis Jurisprudentiæ universalis & Analysi politicorum *Aristotelis* celebris, ac denique Clarissimus Vir *Jacobus Thomasius*, cum in multis varii argumenti diatribis, tum inprimis in Tabulis philosophiæ practicæ exquisitissimis ac planè a cæterarum inanitate alienis, ut de *Heinsii* paraphrasi nihil dicam: (cujus etiam in physica Aristotelica tum præclara introductio, tum de origine formarum disquisitio, tum de laudibus *Aristotelis* oratio insignis extat) libros *Aristotelis* politicos disjectos & hiatibus deformes, in alium longè ordinem redegit, eumque ipsius *Aristotelis* fuisse multis argumentis acutissimis ostendit, ut de cæteris ejus in illa philosophiæ parte scriptis limatissimis nihil dicam. Hos jam quos dixi interpretes, qui adhibebit, sine fidiculis, credo, fatebitur, longè alium *Aristotelem* esse, quàm qui vulgo depingitur, nec cum *Valla*, *Nizolio*, *Bassone*, aliisque Aristotelomastigibus, refundi in autorem textus debere, quæ interpretum vel imperitia, vel si tempora spectemus, quibus vixere, infelicitas peccavit.

XXVII. Nam nec illud prætereundum est, iniquos esse, qui illorum temporum lapsus tam acerbè perstringunt; tu si illic sis, aliter sentias. Quum historia & civilis & philosophica delitesceret, quum scriptores optimi non nisi pessimè translati haberentur, quum typographiæ beneficio destitutis aut sumtuosissimè omnia aut molestissimè transscribenda essent,

ſent, & unius inventa ad cæterorum notitiam rarò, nec niſi tardè pervenirent (unde fit, ut nunc ſæpe ex collatione ſcriptorum deprehendantur, quæ etiam coævi ignorarunt) non mirum fuit graviter & ſæpe labi, miraculi potius inſtar fuit vel mediocriter aliquid in literis & vera philoſophia præſtare. Quare etiam, ſicubi mihi aliquid durius hic currente calamo excidit, id de temporum magis miſerabili fato, quàm hominum ignavia intellectum volo. Illi potiùs culpandi ſunt, qui nunc quoque inventa fruge glandibus veſci malunt, & pertinacia potiùs quàm ignorantia peccant. Nec vereor dicere Scholaſticos vetuſtiores nonnullis hodiernis & acumine, & ſoliditate, & modeſtia, & ab inutilibus quæſtionibus circumſpectiore abſtinentia longè præſtare: hodierni enim nonnulli quum vix quicquam dignum typis addere veteribus poſſint, hoc unum faciunt, ut allegata opinionum cumulent, & innumeras frivolas quæſtiones excogitent, & unum argumentum in multa partiantur, & mutent methodum, & terminos fingantque atque refingant. Ita illis tot tamque grandes libri naſcuntur.

XXVIII. Quàm verò longè ſint acumine inferiores ſuperioribus ſuperioris & hujus ſeculi Scholaſtici, documento eſſe poteſt ſecta nominalium, omnium inter Scholaſticas profundiſſima, & hodiernæ reformatæ philoſophandi rationi congruentiſſima; quæ quum olim maximè floreret, nunc, apud ſcholaſticos quidem, extincta eſt. Unde conjicias decrementa potiùs quàm augmenta acuminis. Quum autem ipſe *Nizolius* noſter ſe Nominalem exſertè profiteri non dubitet prope finem capitis ſexti, libri primi; & verò in realitate formalitatum & univerſalium evertenda nervus diſputationis ejus omnis potiſſimum contineatur, pauca quædam de Nominalibus ſubjicere operæ pretium duxi. Nominales ſunt, qui omnia putant eſſe nuda nomina præter ſubſtantias ſingulares, abſtractorum igitur & univerſalium realitatem prorſus tollunt. Primum autem nominalium aiunt fuiſſe neſcio quem *Rucelinum* Britonem, cujus occaſione cruenta certamina in Academia Pariſienſi fuerunt excitata. Refert in eum ejuſmodi Epigramma *Aventinus*;

Quas Ruceline *doces, odit Dialectica voces,*
Jamque dolens de ſe, non vult in vocibus eſſe;
Res amat, in rebus cunctis vult eſſe diebus.
Voce retractetur, res ſit, quod voce docetur;
Plorat Ariſtoteles *nugas tradendo ſeniles,*
Res ſibi ſubtractas per voces intitulatas;
Porphyrius*que gemit, quia res ſibi lector ademit;*
Qui res abrodit, Ruceline, Boetius *edit.*
Non argumentis, nulloque Sophiſmate ſentis
Res exiſtentes in vocibus eſſe manentes.

Diu autem jacuit in tenebris ſecta Nominalium, donec maximi vir

ingenii, & eruditionis pro illo ævo summæ, *Wilhelmus Occam* Anglus, *Scoti* discipulus, sed mox oppugnator maximus, de improviso eam resuscitavit; consensere *Gregorius* Ariminensis, *Gabr. Biel*, & plerique ordinis Augustinianorum, unde & in *Martini Lutheri* scriptis prioribus amor Nominalium satis elucet, donec procedente tempore erga omnes Monachos æqualiter affectus esse cœpit. Generalis autem Regula est, qua Nominales passim utuntur; Entia non esse multiplicanda præter necessitatem. Hæc regula ab aliis passim oppugnatur, quasi injuria in Divinam ubertatem, liberalem potiùs quàm parcam, & varietate ac copia rerum gaudentem. Sed, qui sic objiciunt, non satis mihi nominalium mentem cepisse videntur, quæ, etsi obscuriùs proposita, huc redit: Hypothesin eo esse meliorem, quo simpliciorem, & in causis eorum quæ apparent reddendis eum optimè se gerere, qui quam paucissima gratis supponat. Nam qui aliter agit, eo ipso naturam, aut potiùs autorem ejus Deum ineptæ superfluitatis accusat. Si quis Astronomus rationem phænomenorum cœlestium reddere potest paucis suppositis, meris nimirum motibus simplicibus circularibus, ejus certè hypothesis ejus hypothesi præferenda erit, qui multis orbibus variè implexis ad explicanda cœlestia indiget. Ex hac jam regula Nominales deduxerunt, omnia in rerum natura explicari posse, etsi universalibus & formalitatibus realibus prorsus careatur? qua sententia nihil verius, nihil nostri temporis philosopho dignius, usque adeo, ut credam ipsum *Occamum* non fuisse Nominaliorem, quam nunc est *Thomas Hobbes*, qui, ut verum fatear, mihi, plusquàm nominalis videtur. Non contentus enim cum nominalibus universalia ad nomina reducere, ipsam rerum veritatem ait in nominibus consistere, ac, quod majus est, pendere ab arbitrio humano, quia veritas pendeat a definitionibus terminorum, definitiones autem terminorum ab arbitrio humano. Hæc est sententia viri inter profundissimos seculi censendi, qua, ut dixi, nihil potest esse nominalius. Idem dicendum est de nostri temporis philosophiæ Reformatoribus eos si non plusquam nominales tamen Nominales esse ferè omnes. Tanto igitur aptior his temporibus *Nizolius* erit.

XXIX. Nunc ad *Nizolii* errores redeundum est, ex quibus, post *Aristotelem* interpretibus confusum, palmarius est, omnimoda illa Dialecticæ & Metaphysicæ abolitio, quum tamen & Nominales iisdem licet principiis nixi retinuerint. Et verò quis neget, esse quædam præcepta tum artis cogitandi seu scientiæ de mente, tum pietatis naturalis, seu scientiæ de summa rerum, id est Metaphysicæ; nam etsi illam ad Oratoriam seu artem dicendi, hanc ad Physicam seu scientiam naturæ pertinere velit, eo argumento quod & veteres tantùm tres fecerint Encyclopœdiæ partes, Logicam, Physicam & Ethicam; quo facilè effecerit, ne Mathematicas quidem scientias peculiares esse; nihil tamen prohibet accuratius partes subdistinguere, & dialecticæ separatam a Rhetorica, ut & grammaticæ datur; Metaphysicæ seu Theologiæ separatum a Physica,

fica, ut & Mathesi dantur, locum assignare. Illud quoque minimè ferendum est, quod demonstrationem, qualem descripsit *Aristoteles*, prorsus e natura rerum tollit, levibus certè argumentis, ex quibus potissimum est: quod universalia non sint in rerum natura, (quum tamen sufficiat ad demonstrandum: nomina esse universalia;) deinde quod exemplum ejus hactenus interpretes magno conatu frustra quæsiverint. Ego verò contra arbitror, passim in libris *Aristotelis*, imò & ipsius *Nizolii*, occurrere accuratas & perfectas demonstrationes. Quod ipsum demonstrare, & a non intelligentium objectionibus nobilissimam artem demonstrandi vindicare, peculiari operæ servo.

XXX. Quod item contendit genuina *Aristotelis* opera nunc non haberi, idque locis potissimum *Ciceronis*, mihi nunquam persuaserit. Nam quid mirum est hominem politicum & infinitis curis obrutum, qualis erat *Cicero*, nonnunquam subtilissimi cujusdam Philosophi sententias, fugiente oculo lectas, non satis assequi? qui credit *Aristotelem* in veris suis operibus Deum appellasse καῦμα οὐρανοῦ ardorem cœli, næ is *Aristotelem* fatuum putat; & quum sapientem & ingeniosum habeamus per vim nobis ineptum & stultum obtrudit. Novum hoc Criticæ artis genus est, in dignoscendis scriptis autoris omnium confessione ingeniosi, quædam pro supposititiis habere, quia stultum aliquid autori a conviciatoribus impositum (nam nec *Cicero* nisi alia sibi persona *Aristoteli* iniqua imposita hæc loquitur) in iis non reperitur. Mihi genuitatem operum Aristoteleorum, quicquid dicant *Joh. Francisc. Picus* in Examine Vanitatis doctrinæ gentium, quicquid *Nizolius*, quicquid *Petrus Ramus*, quicquid *Patricius*, quicquid in Apologia magnorum virorum Magiæ suspectorum, ubi & hunc *Nizolius* librum citat, *Naudæus*; satis superque persuadet perspecta hypothesium inter se harmonia, & æqualis ubique methodus velocissimæ subtilitatis.

XXXI. Ultimo loco gravis aliquis error *Nizolii* circa universalium naturam dissimulari non debet, potest enim lectorem non satis cautum a vero philosophandi tramite penitus abducere. Persuadere conatur nobis universale, nihil aliud esse quàm omnia singularia collectivè simul sumta; & quum dico: omnis homo est animal, sensum esse: omnes homines sunt animalia. Hoc quidem verè, sed hinc non sequitur: universalia esse totum collectivum. At probat *Nizolius*: Omne totum est aut continuum aut discretum. Universale autem est totum, non continuum verò, discretum igitur. Totum autem discretum est collectivum, & eadem est ratio generis hominum, quæ gregis. Et par est ratio hujus propositionis omnis homo (seu totum genus humanum) est rationalis, quæ hujus: omnes pecudes quæ hic pascuntur sunt albæ, vel totus grex est albus. At erras *Nizoli*, datur enim aliud totius discreti genus præter collectivum, nimirum: distributivum. Quum igitur dicimus: omnis homo est animal, seu omnes homines sunt animalia, sensus est distributivus: sive illum, (*Titium*) sive hunc (*Caium*) &c. sumseris, reperies, esse animal,

 seu

ſeu ſentire. Et ſi Nizoliano more omnis homo, ſeu omnes homines ſunt totum collectivum, & idem quod totum genus humanum, ſequetur abſurda loquutio. Nam ſi eadem ſunt, age in propoſitione iſta: omnis homo eſt animal, vel omnes homines ſunt animalia, ſubſtituamus totum genus humanum, orietur hæc propoſitio, plus quàm inepta: totum genus humanum eſt animal, ſimiliter de grege eſt propoſitio: omnes pecudes, quæ hic paſcuntur, ſeu univerſale ab iis abſtractum, idem eſt cum toto ex iis collecto, grege, ut vult *Nizolius*, vera erit hæc propoſitio: totus grex eſt ovis, vel ſaltem ſi ſuccurrere ei velis: totus grex eſt oves, quod ipſum tamen ſatis verè non dicitur. Sed & aliud exemplum minus poſtremo effugio commodum videamus, JCti veteres quos *Nizolius* opinor non negavit Latinè ſimul & accuratè loquutos, genus legatum aiunt, ſi quis ſic leget: *Titio* equum meum do lego. Jam *Nizolii* ſenſu, quum genus ſit totum ex ſingularibus collectum, erit idem ac ſi dixiſſet: *Titio* omnes equos meos do lego. Egregio, ſi diis placet, juriſprudentiæ ſpecimine. Contra, ſubſtituto toto diſtributivo, plana res eſt, ſenſus enim erit: *Titio* illum aut equum do lego. Addamus hoc quoque: cùm dico omnis homo eſt animal, ſi genus de ſpecie dicitur, & genus eſt univerſale, univerſale totum genus ex ſingularibus collectum, ſubſtituamus voci animalis, omnia animalia ſimul ſumta; Orietur hæc propoſitio: Homo eſt omnia animalia ſimul ſumta. Quum ſufficiat homini eſſe quoddam animal, ſeu aliquod ex univerſo animalium genere.

XXXII. Nec vero error hic *Nizolii* levis eſt, habet enim magnum aliquid in receſſu. Nam ſi univerſalia nihil aliud ſunt quàm ſingularium collectiones, ſequetur, ſcientiam nullam haberi per demonſtrationem (quod & infra colligit *Nizolius*,) ſed collectionem ſingularium, ſeu inductionem. Sed ea ratione prorſus evertuntur ſcientiæ, & Sceptici vicere. Nam nunquam conſtitui poſſunt ea ratione propoſitiones perfectè univerſales; quia inductione nunquam certus es, omnia individua a te tentata eſſe; ſed ſemper intra hanc propoſitionem ſubſiſtes, omnia illa, quæ expertus ſum, ſunt talia; quum verò non poſſit eſſe ulla ratio univerſalis, ſemper manebit poſſibile, innumera, quæ tu non ſis expertus, eſſe diverſa. At, inquies, ignem (id eſt corpus quoddam lucidum, tremulum, tenue) ex lignis ordinario modo ſuſcitatum urere, dicimus univerſaliter, etiamſi nemo ſit omnes tales ignes expertus, ſed quia in iis, quos experti ſumus, res comperta eſt. Ita eſt: hinc conjicimus, & morali etiam certitudine credimus: omnes ignes, ejuſmodi urere, & uſturos te ſi manum admoveas. Sed hæc moralis certitudo non fundata eſt in ſola inductione, ex ea enim nullis eam fidiculis collegeris; ſed ex additione ſeu adminiculo harum propoſitionum univerſalium non ab inductione ſingularium, ſed idea univerſali ſeu definitione terminorum pendentium: (1) Si eadem vel per omnia ſimilis eſt cauſa, idem vel per omnia ſimilis eſt effectus. Et hujus (2) exiſtentia rei, quæ non ſentitur, non præſumitur; & denique

nique hujus: (3) Quicquid non præsumitur, in praxi habendum est pro nullo, antequàm probetur. Ex his conficitur certitudo practica vel moralis hujus propositionis, quod omnis ille ignis uret. Nam esto ignis ille talis quicunque qui mihi nunc offeratur; aio esse per omnia (quantum ad rem pertinet) similem prioribus, quia, per hypothesin, non sentio dissimilitudinem ad rem facientem, jam quod non sentitur, non præsumitur, per adminiculum 2. Quod non præsumitur, est in praxi tenendum per adminiculum 3. Ergo per omnia similem esse, (quantum ad rem pertinet) est in praxi tenendum. Jam per omnia similis causæ, erit per omnia similis effectus, per adminiculum 1. nimirum ustio, per hypothesin: Ergo ignem talem quemcunque oblatum, seu omnem illum ignem usturum, est in praxi tenendum. Quod erat demonstrandum. Hinc jam patet, inductionem per se nihil producere, ne certitudinem quidem moralem, sine adminiculo propositionum non ab inductione, sed ratione universali pendentium; nam si essent & adminicula ab inductione, indigerent novis adminiculis nec haberetur certitudo moralis in infinitum. Sed certitudo perfecta ab inductione sperari planè non potest, additis quibuscunque adminiculis, & propositionem hanc: totum majus esse sua parte, sola inductione nunquam perfectè sciemus. Mox enim prodibit, qui negabit ob peculiarem quandam rationem in aliis nondum tentatis veram esse, quemadmodum ex facto scimus *Gregorium a S. Vincentio* negasse totum esse majus sua parte, in angulis saltem contactus; alios in infinito; & *Thomam Hobbes*, (at quem virum?) cœpisse dubitare de propositione illa Geometrica a *Pythagora* demonstrata, & hecatombæ sacrificio digna habita; quod ego non sine stupore legi. Atque hi sunt potissimi *Nizolii* nostri errores, alios partim notulis inspersis tetigimus, partim tales esse judicavimus, ut ab attento lectore, qui hæc nostra præmittere dignatus sit, deprehendi non magno negotio possint. Nunc igitur loquacissimæ, sed, ni fallor, necessariæ, præfationi finis imponendus est. Si quis metuit, ne domus porta elabatur, cogitet aditum nostrum tam vastum, domum tam parvam esse, quia cæpta est tantum; si post Logicam, cæterarum quoque partium similis repurgatio accesserit, tum faxo ut in justam omnia symmetriam redeant, nec quisquam amplius de magnitudine atrii, parvitate areæ conquerantur. Quod superest, vale, Lector benevole, & studium tuis commodis consulendi, boni consule.

G. G.

G. G. LEIBNITII
ANNOTATIONES
IN MARII NIZOLII
ANTI-BARBARUM PHILOSOPHICUM.

NIzolius *lib. I. cap. I. p. 6.* Primum generale principium veritatis recteque philosophandi, ut nos putamus, est cognitio atque notitia linguarum Græcæ & Latinæ.

Leibnitii annotatio: *Hæc omnia sunt loquendi potiùs, quàm sentiendi principia.*

P. 7. N. Jam hinc profiteor, me disputaturum contra Dialecticos & Metaphysicos & reliquos omnes philosophastros nullis aliis præceptis neque loquendi, neque dividendi, neque definiendi, neque argumentandi instructum ac munitum, nisi iis, quæ partim a Grammaticis & Rhetoribus didici, partim per me ipsum & probatis authoribus legendis animadverti. Atque his tamquam armis non ullis aliis pene totam Dialecticam & non parvam etiam Metaphysicæ partem eversurum.

L. *Hic excessu peccat, nihil enim arti obest error artificis.*

P. 10. N. De Dialecticis & Metaphysicis loquor nostrorum temporum, atque etiam aliquot superiorum ætatum, qui in publicis studiis professi sunt, & adhuc profitentur, apud quos, non qui magis verum dicunt & magis moderatè disputant, sed qui magis contenta voce clamant, & magis barbarè magisque rusticè loquuntur, ii sine ulla controversia habentur doctiores & planè meliores Dialectici ac Metaphysici.

L. *Hæc de superioribus sæculis verius, quàm nostro.*

P. 13. N. Plato sine ulla utilitate ac necessitate introduxit, cùm multa alia paradoxa & absurda, tum maximè suas illas *ideas* vanas & inanes, atque ideo non immeritò tot locis ab *Aristotele* refutatus & derisus.

L. *Harum naturam & rationem autor noster non satis videtur assequutus.*

Lib. I. cap. III. p. 18. N. Differam de nominibus rerum, quæ mihi videntur ad rectè philosophandum in primis cognitu esse necessaria.

L. *Nomina sunt notæ mihi ipsi ad reminiscendum, signa erga alios ad docendum.*

Lib. I. cap. IV. p. 24. N. Quum dico genus animalium, & species hominum, ita intelligi volo, ut significem non animal illud universale, neque hominem illum universalem, quem Dialectici & philosophastri

plus

plus quàm inaniter & ſtultè ſibi confingunt, ſed omnia ſingularia animalia, & omnes ſingulares homines.

L. *Hic errat. Sublatis enim è mundo ſingularibus nihilominùs univerſalis propoſitio in poſſibilibus tuetur veritatem. Nam etſi occidantur omnes elephantes, manebit tamen vera hæc propoſitio: Omnis elephas eſt animal, in effectu, quum ad hanc conditionalem reſolvitur: Si quis eſt elephas, (ſive jam ſit, ſive non ſit) ille eſt animal.*

P. 25. *N.* Similiter in illis enuntiationibus: *Socrates* eſt homo, homo eſt animal, apertè nego, & hominem in ſuperiore propriè eſſe ſpeciem, & animal in poſteriore propriè eſſe genus.

L. *Falſa eſt hæc propoſitio*: Socrates *eſt omnis homo. Contra vera eſt hæc*: Socrates *eſt quidam homo. Propoſitio igitur*: Socrates *eſt homo, quæ prædicati infiniti eſt, non priore, ſed poſteriore modo capienda eſt. Jam verò quidam homo eſt particulare; omnis homo eſt univerſale; Patet igitur numquam univerſale, ſed ſemper particulare de inferioribus prædicari.*

P. 26. *N.* Varietas numeri tum ſingularis tum pluralis in primis eſt cauſſa, cur nomina hæc modò unius & ſolius, modò plurium & multorum ſignificationem obtineant. Secundo autem loco diverſitas poſitionis tum propriæ tum figuratæ idem efficit.

L. *Quum vox* omnis *adjicitur nomini in ſingulari, propoſitio eſt figurata.* v. g. Omnis homo eſt animal, *eſt propoſitio figurata: Sed*: Omnes homines ſunt animalia, *eſt propoſitio propria. Univerſalium igitur imaginaria realitas extra ſingularia à ſermone figurato orta.*

Lib. I. cap. V. p. 35. *N.* Nomina ſubſtantiva ſive, ut Dialectici vocant, *abſtracta* ſunt, ut nomen hominis, nomen animalis &c.

L. *Non homo, ſed humanitas, dialecticis abſtractum eſt.*

P. 37. *N.* Ad interrogationem, factam per quale eſt, ſemper reſpondemus per nomina adjectiva & per res tamquam in alio exiſtentes, ut rurſus in ſubſtantiis, qualis eſt homo? eſt rationalis vel animalis.

L. *Hæc propoſitio*: Homo eſt rationale, *eſt figurata & elliptica. Subintelligendum enim ens, vel aliquid ſimile. vide* Scioppii *Grammat. philoſ.*

Ibid. N. Quemadmodum ex ſubſtantivis per derivationem ſive denominationem ſæpe fiunt adjectiva, ut eo quod eſt lignum ligneus, & ab eo, quod eſt lapis, lapideus, ſic etiam ex adjectivis per ſubſtantivationem, quam vocant, ſæpe numero effici ſubſtantiva, quum tertia vox adjectivi nominis in ſubſtantivum tranſit: ut *animale, & per apocopen animal*, pro re habente animam, ab eo quod eſt, hic & hæc animalis & hoc animale, qua voce utitur *Cicero* & alii probati ſcriptores latini.

L. *Uti ex voce*: Capitale, *ſcilicet crimen, factum eſt* Capital: *Ita ex voce* adjectiva: *animale, ſcilicet ens, factum eſt* ſubſtantivum *animal. Et eo differunt ſubſtantiva & adjectiva, quòd illis τὸ ens vel res (primum ſubſtantivum) ineſt in his per ellipſin omiſſum, mente ſupplendum eſt, ſimi-*

liter igitur ex rationali potest fieri Rational. *Et tunc rectè dicitur :* quid est homo? est rationale. *Quum nunc non rectè dicatur : quid est homo? est rationale, nisi subintelligatur : Ens ; rectè verò dicatur :* quale (*scil. Ens*) est homo? rationale: *vel simpliciter*: qualis est homo? rationalis.

Lib. I. cap. VI. p. 39. N. A ratione alienum non est, non plura neque pauciora rerum genera à Deo sive à natura, rerum omnium opifice, procreata fuisse, quam quibus linguarum authores & vocabulorum inventores nomina atque appellationes imposuerunt.

L. v. g. *si ne vox quidem : Res, Entis, Substantiæ ei tribui possit, si nullo simplici, & figura carente sermone sit explicabilis, consequens est, eam nec distinctè intelligibilem, & ita nec possibilem esse.*

P. 41. N. Ubi nos ponimus universa sive universas multitudines rerum singularium, ipsi collocant universalia sive naturas universales, hoc est sua genera & suas species, longè à veris generibus & speciebus differentes, ut ostendemus. Hic verò turpissimè & fœdissimè labuntur, unà cum *Aristotele* suo istius divisionis vel inventore, vel approbatore.

L. *Imò* Aristoteles *& veteres ejus interpretes idem rursus volunt, quod* Nizolius: τὸ καθ᾽ ὅλου *enim quid aliud, quàm secundum totum? universale igitur ex mente* Aristotelis, *& totum collectum ex singularibus, seu universa singularia.*

P. 43. N. Varro de lingua latina, dixit, caussam universalem, Auctor ad *Herennium*, rationem universalem. Idem *Quintilianus*, vocem universalem, & quæstionem universalem. Quibus auctoritatibus patet, hoc quod est, esse universale, propriè semper tribui aut rebus, quæ sunt in alio, aut verbis, quæ dicuntur de alio.

L. *Rectè igitur dicitur : Nomina esse universalia, non res.*

P. 44. N. Quamquam apud Dialecticos sint quinque universalia, tamen duo ex eis apud illos sunt maximè celebrata, genus & species, atque ideo ab eisdem multis & ambitiosis insignita nominibus.

L. *Propriè duo tantum sunt universalia, genus, & species ; reliqua tria, quæ adjectiva sunt, prædicabilia sunt, universalia non sunt. Rationale non est universale, sed Ens rationale est universale.*

P. 46. N. Aristoteles sine ulla dubitatione existimavit & posuit universalia realia.

L. *Imò verò horum in* Aristotele *vix vestigium ullum est, nisi in singularibus, mente & vocibus.*

Lib. I. Cap. VII. p. 47. N. Cum universalibus cadit penè tota Dialectica.

L. *Hoc falsum est. Neque enim minus Nominales, quàm ceteri Dialectica* Aristotelis *usi sunt, & rectè quidem. Nam etsi in nominibus saltem vera sint, quæ vulgo rebus tribuebantur. Salva res est ; quando nominibus istis in explicandis rebus utimur.*

P. 49. 50. N. Nunc incipio respondere Dialecticis ac Metaphysicis cete-

ceterisque philosophastris ad ea, quæ pro defensione suorum universalium afferre solent. At primum ei, quod *Aristoteles* crassè nimis & imperitè ita quærit in secundo τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Si nihil est præter singularia, nempe ut ipse dicere vult, infinita, corruptibilia & contingentia, & nulla existant universalia, videlicet finita, incorruptibilia, & necessaria, quomodo & de quibus tradentur & erunt artes & scientiæ? Respondeo Tibi, domine *Aristoteles*, etiamsi nulla erunt universalia stulta & inepta, ut verè non sunt, tamen artes & scientiæ & definitiones tradentur, & erunt de singularibus & individuis, ut dixi, non per naturam propriam & privatam, sed per communem & perpetuam successionem æternis, nec de omnibus singillatim & seorsim, sed in universum vel universè, hoc est simul & semel acceptis. Quo modo accepta nec sic infinita sunt, ut non facile cognosci ac sciri, nec sic corrumpuntur & intereunt, ut non perpetuò durare, & ea, quare de se traduntur, conservare possint.

L. Imo verò etsi non regenerarentur homines, sed interiret planè humanum genus, tamen multa de genere humano verè dici possent, maneret enim vera hæc propositio: si quis datur homo, (tametsi nunc nullus detur) necesse est, ut sit animal.

Non sic effugerit. Nam si singulorum seu singularium infinitus est numerus, sequitur, res universè seu simul ac semel accipi posse. Totum enim infinitum est, cujus infinitæ sunt partes. Quare si scientia est de universo genere, & universum genus est totum collectum ex omnibus singularibus, quum omnia singularia simul sint infinita, vel saltem indefinita, necesse est, scientiam de re quadam infinita aut indefinita esse, & ita de re incomprehensibili. Nam si veritas hujus propositionis, quod ter tria sint novem, à collectione omnium singularium seu inductione pendet, nunquam certo sciri potest, antequam omnia singularia sint explorata, quod est infinitum. Necesse est igitur, ut aut nulla certa scientia haberi possit, (nam argumentum à multis exploratis ad reliqua inexplorata ad scientiam parandam non sufficit, etsi sufficiat nonnunquam ad Praxin) aut falsum sit, universalia & scientiam a collectione singularium seu inductione pendere.

P. 51. *N.* Tam res, quam vos dicitis esse universalem, quàm nomen universalis apud Latinos rectè loquentes sunt nova, inusitata & barbara.

L. Citat tamen ipse suprà pag. 42. Quintilianum, *universalis voce utentem.*

P. 57. *N.* Vos vestrum universale totum quidem quoddam esse ponitis, sed quodvis potiùs aliud, quàm continuum aut discretum. Nos nostrum universum nihil aliud esse volumus, nisi totum quoddam ex numero continuorum vel discretorum.

L. JCti genus esse putant neque continuum, neque discretum, sed disjunctum. Nam qui hominem seu genus promittit, non promittit omnes ho-

mines suos, *sed aut* Stichum, *aut* Davum *&c. non &* Stichum *&* Davum.

Lib. I. Cap. IX. p. 77. *N.* Rursus dico, rationale & mortale, quas illi differentias esse aiunt, esse quidem differentias, sed etiam genera, & multo magis genera quàm differentias. Siquidem communiter loquentes magis rectè magisque usitatè dicimus, hominem esse in genere rationalium & in genere mortalium, quàm in differentia rationalium, & in differentia mortalium.

L. *Non rectè dicitur homines in genere rationalium mortalium contineri, quia genus hominum, & genus rationalium mortalium æquè latè pateat. Genus humanum igitur non est species generis rationalium. Quare hoc in loco ab Auctore dissentiendum & omnino statuendum est, nomina universalia esse quinque. Nam nomen universale est vel subjectum, quod dicitur* species, *vel prædicatum. Prædicatum vel necessarium vel contingens. Necessarium prædicatum vel est speciei totius & dicitur* genus, *vel ei æquale, & dicitur* differentia, *vel arctius, & dicitur* proprium, *contingens dicitur* accidens.

Lib. I. Cap. X. p. 80. *N.* Non esse possunt nisi duo totorum genera, totum continuum & totum discretum.

L. *Imò datur tertium: totum disjunctivum, v. g. animal est aut homo aut brutum; non, & homo & brutum. Nec omnia animalia sunt & homines & bruta, sed aut homines aut bruta. Multitudo verò omnium animalium est, & homines & bruta. Aliud igitur sunt omnia animalia, aliud multitudo eorum. Aliud genus, aliud totum, aliud totum distributivum, aliud collectivum.*

Lib. II. Cap. I. p. 99. *N.* Definitiones propriè rerum sunt, non vocum.

L. *Imò verò definitio nihil aliud, quàm accurata nominis explicatio est.*

P. 111. *N.* Definitio rosæ, datur non de singulis rosis generis rosarum, sed de genere singularum rosarum, quod semper est, fuit & erit, etiamsi nulla singularis rosa in præsentia sit.

L. *Si genus rosarum est multitudo rosarum præteritarum, præsentium & futurarum omnium simul sumtarum, numquam existet; quia numquam existunt præterita & futura simul sumta.*

Lib. II. Cap. II. p. 116. *N.* Species pars est totius tam discreti quàm continui.

L. *At certè miles non potest species exercitus appellari. Falsum igitur est, idem esse speciem, & partem totius distincti.*

P. 119. *N.* Individua verò ipsa quoque similiter appellantur species.

L. *Idem sentiunt* Cornelius Valerius, Nicolaus Vigelius, Franc. Hottomannus, Petrus Gassendus.

Lib. II. Cap. III. p. 134. *N.* In traditione primi modi non rectè dixit *Porphyrius*, eum convenire soli, sed non omni, esse enim Medicum vel Geo-

Geometram, non modò convenit soli, sed etiam omni homini, potestate scilicet, non actu, quemadmodum risibile.

L. *Hic malè arguit, nam esse medicum potestate, non propria sed figurata loquutio est, &* Porphyrius *hoc ipsum vult; actu esse medicum, esse proprium primi modi, posse esse, quarti.*

P. 135. *N. Porphyrius* rectè ait, habere duos pedes, esse hominis proprium, non rectè autem *Valla Porphyrium* reprehendit in primo Dialecticæ suæ libro, cap. XX. ita scribens, ne hoc quidem homini proprium quod ei cum tot avium generibus commune.

L. *Imò rectè* Valla, Porphyrius *malè. Proprii vox, quatenus separabili opponitur, minùs usitata est.*

Lib. II. Cap. V. p. 148. *N.* A Dialecticis non rectè dicitur, definitionem fieri ex differentia, vel differentiis, quum non ex differentiis, sed ex propriis constitui dicatur.

L. *Hoc totum vitiligitatio est. Nam quod speciei proprium, id generis differentia esse intelligitur. Idemque est dicere, speciem definiri per genus & proprium suum, & eandem definiri per genus & differentiam generis.*

P. 149. *N.* Fiunt autem perfectæ definitiones ex genere communi, & genere proprio in Mathematicis, hoc modo: Triangulus est figura, habens tres angulos æquales duobus rectis.

L. *Ita nemo Mathematicus Triangulum definiverit, sufficit dicere, quod sit figura trium angulorum, ex qua demonstratione colligitur, eos esse rectis æquales, eo ipso, quia figuram claudunt.*

P. 150. *N.* Scientia est cognitio rei vel rerum scitu dignarum, cognitu difficilium, & vulgo ignotarum.

L. *Illud vulgo ignotarum supervacuum. Nam quod cognitu difficile, id vulgo ignotum est.*

P. 151. *N.* Diligenter cavendum, ne in definiendo cadat in id vitium, quod suprà reprehendimus, h. e. ut ne res pro vocibus, nec voces ac nomina pro rebus definiat.

L. *Imò verò nulla nisi nominum definitio est. Nam realem seu essentialem ipse rejecit pag.* 149. *initio.*

P. 152. *N.* Definitio Rhetoricæ, quam *Aristoteles* tradit in primo Rhetorices, est *falsa.*

L. *Definitio non rectè dicitur falsa; dicenda potiùs inepta aut mala: Nam etiam verissima propositio, si convertibilis non est, nec definitio est.*

Lib. II. Cap. IV. p. 157. *N.* Univoca & æquivoca non possunt esse vera, nisi tanquam Centauri ac Minotauri quidam, ex duabus naturis diversis sint composita, hoc est ex rebus & verbis.

L. *Ipse suprà dixit, Orationem esse compositam ex rebus & verbis, p.* 60. *fin.*

Lib. II. Cap. VIII. p. 164. *N.* Dialectici dum ens rei æquare & transcendens facere conantur, perinde faciunt, ac si legentem vel scriben-

tem homini æquare vellent; non intelligentes omnem quidem legentem vel scribentem esse hominem, non contrà.

L. *Hic malè. Nam omnis res est, & omne, quod est res, & omne quod est, est Ens, & contra omne ens est. Igitur omnis res est ens, & omne ens est res. Res autem, quæ non est, idem est, quod res ficta, seu quæ res dicitur, sed non est res. Præterea res ex usu Latinorum veterum Ente strictior est. Nam Esse & Ens æquè late patet. Sed qualitates non dicimus Res, verùm modos rerum. Sic igitur optimè. Aliquid est aut Ens aut non Ens. Ens aut Res aut modus.*

Lib. II. Cap. IX. p. 178. *N.* Substantia est ea, quæ per se stat & accidentibus substat.

L. *Quid autem est per se stare?*

Lib. II. Cap. X. p. 181. *N.* Nemini dubium esse debet, quin qualitates revera sint duæ, una generalis, altera specialis, & quia hæc specialis una cum quantitate sub illa generali tamquam species sub genere suo comprehendatur.

L. *Non duæ sunt Qualitates, sed duæ vocis acceptiones. Qualitatem generalem distinctionis caussa mallem appellare potiùs modum. Nam qui eandem vocem eodem loco diverso sensu adhibet, necesse est tropicè loquatur, quod a philosopho, præsertim in constituendis vocibus potissimis, alienum. Malo autem Modum vocare, quàm Accidens, quia multi modi abesse non possunt citra subjecti corruptionem, v. g. calor ab igne.*

Lib. II. Cap. XI. p. 185. *N.* Ergo partes sive species qualitatis generalis, tam comparatæ quàm absolutæ, novem sunt ferè, quarum prima est, qualitas ut species, secunda quantitas, tertia actio, quarta passio, quinta caussa, sexta locus, septima tempus, octava situs, nona habere.

L. *Hic in effectu retinet novem Accidentium species* Aristoteles, *nisi quod Qualitatem quantitati præponit, sanè non malè; item caussam pro Relatione substituit, hoc verò malè; Nam Relatio similitudinis sub relatione caussalitatis non continetur. Malè quoque pro Quando & Ubi seu localitate & duratione, quæ sunt accidentia, substituit locum & tempus, quæ substantiæ vim habent. Manent enim locus & tempus, sublatis omnibus locatis & durantibus, unde & enuntiantur nominibus substantivis.*

P. 186. *N.* Ad caussam pertinent & auctores, sive caussæ efficientes, ut esse Polycleteum vel Parrhasianum opus; & materiæ rerum, ut esse lapideum in domo, esse ligneum in arca; & fines sive caussæ finales, ut voluptatis capiendæ vel sanitatis recuperandæ caussa facere aliquid.

L. *Caussam non rectè admiscuit, uti enim actioni passionem, ita debuisset opponere caussæ effectum. Præterea caussa est substantia, relatio seu caussalitas est modus. Præterea caussa efficiens pertinet ad actionem, materialis ad passionem, forma ad modum in genere, finis ad nullum, quia nondum est, tantùm optatur.*

P. 187.

P. 187. *N.* *Aristoteles* Categoriam πρός τι, h. e. ad aliquid, a qualitate, quantitate, ceterisque accidentibus, haud scio quàm rectè, prorsus separavit. Nulla enim ferè qualitas absoluta est, quæ non possit comparari, & tanquam ad aliquid fieri.

L. *Aliud est posse comparari, aliud esse ipsam comparationem seu relationem.*

P. 188. *Aristoteles* præter alia, quæ peccavit in describendis categoriis suis, etiam hoc peccatum admisit, quod prætermisit categoriam caussæ. Nam si quis ab eo quærat, in quanam categoria hæc sint, esse Polycleteum vel Parrhasianum, esse marmoreum vel ligneum, & alia hujusmodi, numquam ipse sese explicare poterit, nec ad ullam categoriarum suarum tales loquendi modos reducere.

L. Ad *τὰ πρός τι referet.*

P. 188. *N.* Neque solum caussam prætermisit, sed etiam multa alia in aliis partibus, ut in qualitate speciali, statum & conditionem personarum aliarumque rerum, ut esse divitem vel pauperem, esse nobilem vel ignobilem, quæ similiter, ut superiora, ad nullam *Aristotelis* categoriam reduci posse videntur.

L. *Divitis vox ad annos, nobilis ad parentes refertur. Sunt ergo hæc non qualitates, sed relationes.*

Lib. III. Cap. I. p. 190. *N.* Scientiam habet, sed non certam, hoc est suspicionem vel opinionem.

L. *Imò verò is nescire propriè dicetur.*

Ib. N. Earum, quæ traduntur partim in Theologia, Physiologia, Geographia, Astrologia, ceterisque hujusmodi facultatibus, finis est non actio aliqua, sed cognitio sola.

L. *Imò verò falsum horum finem non esse actionem. Theologia Dei colendi, Physiologia corporis curandi, Geographia itinerum, Astrologia, tum temporum in usum rei publicæ dignoscendorum, tum agriculturæ & navigationis caussa, ut alia taceam, ab hominibus perquisita est.*

P. 193. *N.* Si universalia dialectica & realia, quemadmodum nos supra probavimus, falsa sunt, ut certè sunt, ista scientia, quæ non nisi de talibus universalibus esse dicitur, non potest esse vera.

L. *Imo vero hoc non sequitur. Quia scientia est non solùm de existentibus, sed & de possibilibus. Nec illud curat, an existat in rebus Triangulum, sed quid consequens, quantos angulos habiturum sit, si existat. Scientia igitur non est de universalibus realibus, sed de omnibus singularibus etiam possibilibus.*

Lib. III. Cap. II. p. 197. *N.* Officium est id, quod præstare, hoc est, agere vel facere debet scientia vel arte præditus, &, si id non præstet, aut malè præstet, non est verè sciens nec peritus artifex, sed reprehensionem meretur.

L. *Quod officium vocat, vulgo vocant finem internum, qui est in potestate artificis; quod finem κατ' ἐξοχὴν vocat, vulgo vocant externum.*

Lib.

Lib. III. Cap. III. p. 205. *N.* Ethice fine dubio Politicæ pars eſt.

L. *Idem tuetur* Jaſon Denores, *Cyprius.*

P. 206. *N.* Per deos immortales quid cauſſæ eſt, cur ſcientia de ſermone vel ratione, qualis eſt ſine dubio Logice, potius appellari debet rationalis, quàm Phyſice, quæ eſt de natura?

L. *Phyſica rationalis quidem, ſed tamen non agit de ratione.*

P. 215. *N.* Videmur etiam cognoſcere ac ſcire ea, quæ non ſunt, ut diametium eſſe incommenſurabilem lateri, & de eiſdem verba facere, ut Mathematici, quum problema illud verum eſſe probant.

L. *Quaſi verò hoc non ſit, aut quaſi poſſit appellari problema.*

Lib. III. Cap. IV. p. 217. *N.* Peripatetici vehementer errant, eo quod eloquentiam a ſapientia, &, ut *Cicero* inquit, quaſi linguam a corde ſeparare incipiunt.

L. *Non ſeparant, ſed ſub ea comprehendunt.*

P. 218. *N.* Metaphyſicam partim falſam, partim ſupervacaneam, & non neceſſariam eſſe affirmamus.

L. *Quidni detur cognitio de univerſo genere rerum.*

Ib. N. In Geometria non ſolùm ſunt theoremata, ſed etiam problemata.

L. *Problemata omnia ad theoremata reduxit* Ramus.

P. 221. *N.* Nemo niſi planè imperitus & Dialecticus ita diceret, Logicam docentem & Logicam utentem.

L. *Id eſt Logicæ doctrinam & uſum.*

Lib. III. Cap. V. p. 223. *N. Ariſtoteles* quemadmodum Rhetoricæ, ſic etiam Dialecticæ ſubjicit omnes res mundi.

L. *Subjectum Dialecticæ eſt cogitatio, Rhetoricæ ſermo. Quia autem ſermo & cogitatio omnium rerum eſt, contingit & Dialecticam & Rhetoricam omnium rerum eſſe.*

Lib. III. Cap. VI. p. 246. *N. Ariſtoteles* apertè dicit, τὸ ὂν ᾗ ὄν, hoc eſt ens, qua ens, vel ut barbari loquuntur, ens in quantum ens, eſſe proprium Metaphyſicæ ſubjectum.

L. *Vana hæc diſputatio eſt. Nam perinde eſt, dicere cum ſcholaſticis Ens qua Ens eſſe Metaphyſicæ ſubjectum, & dicere cum* Nizolio, *ſubjectum ejus eſſe genus rerum, qua res ſunt.*

P. 248. *N.* Grammaticæ & nullius præterea alterius artis proprium eſt, omnes voces contemplari.

L. *Imo Grammaticæ non eſt tradere voces, ſed communia de vocibus. Cuiuſlibet diſciplinæ eſt tradere voces & explicare, quibus ſubjectum ſuum ejuſque partes, ſpecies, & affectiones ſignificatura eſt. Lexica verò ſunt excerpta ex variis diſciplinis ordine Alphabetico facta.*

P. 251. *N.* Quomodo Metaphyſica confirmare aut probare poterit quidquam negatum aut dubitatum, quum nullos habeat ſyllogiſmos? nullas inductiones? nullos argumentandi modos? ſed hæc omnia vel a Dialecticis, vel ab Oratoribus mutuari neceſſe habeat?

L. *Ineptè.*

L. *Ineptè. Nam ita concludetur, nec Physicam quidquam argumentari, qua itidem argumenta Dialecticis & Oratoribus mutuatur.*

Lib. III. Cap. VII. p. 260. *N.* Abstrahere est considerare unam rem sine alia.

L. *Quod abstrahere, si sano sensu accipiatur, nihil aliud sit, quàm considerare unam rem, alia non considerata, pluribus hodie inculcavit* Thomas Hobbes.

P. 264. *N.* Candor est color contrarius nigritiei.

L. *Hæc definitio inanis est. Similiter enim nigrities esset definienda; Color contrarius candori, & ita oriretur Circulus.*

P. 266. *N.* Curvum nullam habet certam materiam sibi subjectam, simum verò habet, hoc est nasum. Atque ideo curvum cum materia certa definiri non potest, quia non habet, simum verò cum materia certa definitur, quia linguarum usus & communis loquendi consuetudo eam illi proprietatem attribuerunt.

L. *Hoc ipsum est, quod scholastici sibi volunt, etsi minus commodè eloquantur.*

P. 267. *N.* Cur curvum magis quàm nigrum in mathematicis numeratur?

L. *Imò spatium curvum intelligi potest, etsi sublata sint omnia corpora, corpus nigrum intelligi non potest, si sublata sint omnia corpora.*

Lib. III. Cap. VIII. p. 274. *N.* Ex sententia tua, rationem inveniendi ab Oratore auferens, cogis Oratores de quavis re dicturos a Dialecticis suppliciter petere præcepta rerum inveniendarum.

L. *Aliud est hominem ab homine, aliud artem ab arte sua mutuari.*

Lib. IV. Cap. I. p. 283. *N. Aristoteles* in libris topicorum pollicetur, se traditurum artem & methodum disputandi de omnibus rebus in contrarias partes probabiliter. Quod pollicitum certè si verum esset, & si præstaretur, omni esset labore & pecunia redimendum.

L. *Imò verò hac arte nihil est generi humano nocentius.*

P. 287. *N.* Nullum potest esse problema neque de proprio, neque de definitione, neque de accidente, quin idem etiam sit problema de genere.

L. *Etsi omne ferè prædicatum sit genus, non tamen genus subjectum velut speciem continens.*

P. 289. *N.* Genera numquam possunt non inesse suis speciebus.

L. *Imò verò etiam ex Nizolianis principiis verum manet, genus a specie separari non posse. Species enim calidi non est aqua, sed calida aqua. Jam etsi calidum esse ab aqua separari possit; calidam tamen aquam calidam non esse, implicat contradictionem.*

P. 291. *N.* Diversitas categoriarum nihil impedit, quo minus res unius categoriæ rei alterius categoriæ verum possit esse genus, si non essentiale at accidentale & extraneum.

L. *Breviter*: *Concreta non abstracta diversarum categoriarum sibi invicem genus esse possunt. Imò concreta qualitatum non sunt in categoriis qualitatum, sed substantiarum. Quid enim aliud est doctum quàm substantia docta? Quædam tamen excipienda sunt, ut bonum, quæ & de accidentibus abstractis rectè dicuntur in concreto, v. g. virtus est bona; non virtus est bonitas. Præterea relationes habent se ad qualitates, ut modi ad substantias. Ideo rectè dicitur, virtus est similis scientiæ, non similitudo.*

P. 292. *N.* Sine ulla dubitatione voluptas est motus quidam, si non generationis neque corruptionis, neque augmenti neque decrementi, neque motus localis, at certè ejus, quam vocant alterationem.

L. *Nullus motus est nisi localis, mutatio tamen quædam non est localis, nempe mutatio in mente.*

P. 293. *N. Aristoteles* putat, genus semper de pluribus quàm speciem prædicari. Sed hoc quoque a nobis suprà refutatum est.

L. *Imò verò hic de voce tantùm movet* Aristoteli *litem. Quidni enim licuerit, ei in hunc usum philosophicum velut segregare a vulgo generis vocem, ut significet prædicatum subjecto latius.*

P. 294. *N.* O bone Deus! quid hominis erat iste *Aristoteles*? Dispeream, nisi arbitror ei decretum fuisse, ut & se ipsum scribendis nugis, & lectores eisdem legendis incassùm fatigaret. Primùm enim quis, nisi planè fatuus & stultus, diceret aut poneret, lineas esse insecabiles?

L. *Miror, hoc* Nizolium *ignorare. Disputat enim* Aristoteles *contra* Democritum, *qui ponebat τὰς ἀτόμους.*

P. 296. *N.* Habitus est affectio exercitatione ita confirmata & manens, ut nisi magna cum difficultate mutetur & removeatur.

L. *Idem* Aristoteles *& vult & dicit. Habitum enim vocat non ἀκίνητον, sed δυσκίνητον.*

Ibid. N. In summa virtus vel prorsus non habetur, vel perfectissima & absolutissima habetur, quæ omnia sunt mendacia & somnia Aristotelica.

L. *Uti* Cicero *perfectum Oratorem, ita meritò* Aristoteles *describit perfectam virtutem, etsi nec hanc ἐν στιγμῇ collocet.*

P. 299. *N.* Non, ut *Aristoteles* ait, in propriis requiritur, ut sint notiora. Nam & gannire vulpis & hinnire equi sine ulla dubitatione proprium est, & tamen quis nisi mente captus dicat, gannire magis notum esse, quàm vulpem, & hinnire, quàm equum?

L. *Rectè* Aristoteles. *Nam semper propria sunt notæ rerum, igitur notiora rebus. Et quia vulpem & canem simul videt, dignoscet illam ab hoc, figuræ proprietate, qui utrumque simul audit, dignoscit hunc ab illa, gannitus differentia. Et qui aliunde dignoscunt, dignoscent ex aliis differentiis vel propriis, ut ita tandem, quo res cunque cadat, propria sint notiora.*

Lib. IV. Cap. II. p. 311. *N.* Fateor quidem, exempla ab enthymematibus ab

ab *Aristotele* distincta fuisse: sed ut argumenta & res ad probandum accommodatæ, non ut argumentationes & explicationes argumentorum.

L. *Argumenta ab argumentationibus differunt ut res a vocibus.*

P. 314. *N.* Omnes modi syllogismorum simul collecti tam asyllogisti, quàm syllogistici, quemadmodum ait *Nicephorus*, ascendunt ad summam myriadum triginta trium & ampliùs.

L. *Modos in universum bonos & malos* 512. *statuit* Jo. Hospinianus *libro peculiari.*

Lib. IV. cap. III. p. 320. *N.* Quidam perfectæ demonstrationis exemplum hoc afferunt: omne animal rationale est risibile; homo est animal rationale, ergo homo est risibilis.

L. *Rectè quidam dixit, nihil esse hac demonstratione risibilius.*

P. 321. *N.* Tam passio, quàm ejus definitio, est æquè notum natura.

L. *Falsum hoc. Et uti partes natura priores toto, ita definitio prior subjecto.*

Ibid. N. In spatio paulo minus duorum millium annorum ex verbis *Aristotelis* nondum potuit elici, non solùm, quodnam sit verum demonstrationis potissimæ medium, sed etiam quæ & quales sint nonnullæ particulæ in ejus definitione appositæ.

L. *Naturam demonstrationis satis explicatam dedere* Viottus, Cornelius Martini, Joachimus Jungius, *tum verò Mathematici omnes. Nihil ea intellecta verius, nihil præstantius. Aio, hanc esse perfectissimam demonstrationem: Omne corpus est in spatio. Omne, quod in spatio est, potest esse in alio spatio (quia datur cuilibet spatio aliud æquale se simile.) Quidquid potest esse in alio spatio, potest mutare spatium. Quidquid potest mutare spatium, est mobile. Ergo omne corpus est mobile.*

P. 322. *N.* Quidquid scitur, & quomodocunque scitur, per caussam sciendi, h. e. per rationem sciatur necesse est.

L. *Ea demum vera scientia perfectaque est, quando coincidit caussa scientiæ & rei.*

Lib. IV. Cap. IV. p. 327. *N.* Si *Socrates* est alius a *Platone*, cujus vox est individua, vel minùs communis, non continuò esse, ut sit alius ab homine.

L. *Imò est alius ab homine, nempe alio, non ergo statim a se.*

Lib. IV. Cap. V. p. 330. *N.* In primo ingressu Parvorum Logicalium traditum: Istam propositionem, homo est animal, in sempiternum tempus esse veram, etiamsi nullus homo singularis esset in mundo.

L. *Rectè hoc dicunt. Qui enim ait, hominem esse animal, is hoc vult; si quis est homo, ille est animal. Et quia conditio nihil ponit, ideo ad veritatem hujus propositionis non requiritur, ut sit aliquis homo, sed, ut si sit, necessariò etiam animal sit, quod est verissimum.*

Lib. IV. Cap. VI. p. 334. *N.* Libri *Aristotelis* hoc modo, quo nunc habentur, nequaquam verè sunt Aristotelici, nec ab *Aristotele* verò ita com-

positi, sed ab alio quopiam ex veris *Aristotelis* libris magna ex parte extracti, & in has Epitomas & compendia, quæ nunc extant, redacti.

L. *Conferendi* Franciscus Patritius *&* Petrus Ramus.

Ibid. N. Ab Ethicis igitur Nicomachiis incipiens, dico, librum non verè esse Aristotelicum, idque probo primum auctoritate *Ciceronis* in libro V. de Finibus, ita scribentis: Quare teneamus *Aristotelem* & ejus filium *Nicomachum*, cujus accuratè scripti de moribus libri, dicuntur illi quidem esse *Aristotelis*, sed non video, quare non potuerit patri similis esse filius.

L. Cicero *hic duo dicit, primum communem esse sententiam, quòd sint* Aristotelis, *deinde non negat, esse* Aristotelis, *sed saltem conjicit, posse fortasse esse filii. Hac verò a possibili conjectura communi illorum quoque temporum sententiæ nihil præjudicare debet.*

P. 336. *N. Majoragius* Ciceromastix contrarium sentiens ait, non potuisse *Nicomachum Platonis* amicum esse, ut dicitur in Ethicis, quam constet ex historiis, *Aristotelem*, *Platone* vivo, filios non suscepisse.

L. *Acuta* hæc Majoragii *objectio est, cui nihil solidi opponit* Nizolius. *Nam quum* Cicero Terentium, aliquot sæculis antè vita functum, *suum familiarem vocat, tropicè loquitur, & librum intelligit. Quod in auctorem Ethicorum non quadrat. Si enim* Platonem *amicum vocaret, tantum ob libros ejus sibi charos, non esset, cur amore veritatis crimen violatæ amicitiæ excusaret. Amicitia enim inter hominem & librum verè nulla est.*

Ibid. N. Suidas apertè dicit, *Nicomachum* scripsisse περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, hoc est, de Physica auscultatione patris sui, ---- et si *Aristoteles* eorum librorum verus fuisset auctor, numquam ipsos inscripsisset de Physico auditu, quum talis inscriptio non *Aristoteli* patri, qui docebat filium, sed *Nicomacho* filio, qui patrem audiebat, & ab eo discebat, convenire videatur.

L. *Hoc perinde est, ac si quis argutaretur, nullum præceptorem debere libellum conscribere de disciplinis, sed de doctrinis, quia doctrina sit præceptoris, disciplina discipuli. Eadem ratione nec Acroamaticos libros suos appellare debuisset.*

P. 337. *N.* Ita loquitur *Galenus*; quasi Analytica priora & posteriora non ab *Aristotele* ipso, sed ab alio quopiam ita fuissent inscripta, & quasi non eadem Analytica multis in locis istorum *Aristotelis* librorum ab eodem *Aristotele* citata reperiantur.

L. *Hoc non dicit* Galenus, *& si diceret, quàm facilè in homine tam Polygrapho* ἁμάρτημα μνημονικόν. *Credo etiam nunc multos viros doctos, eosque* Aristotelis *lectores, ex tempore interrogatos, non satis certò responsuros, quomodo* Aristoteles *alios suos libros citet. Et arbitror, ipsum* Nizolium *ignoraturum fuisse, nisi ex scriptis aut indicibus, aut observationibus aliorum in* Aristotelem, *quæ tempore* Galeni *aut raræ aut exiguæ erant, didicisset.*

P. 341. *N. Aristoteles* cæli ardorem Deum dicit esse.

L.

L. Hoc non nisi ab imperitis Aristoteli *tribui posse; quod Deum dixerit ardorem cœli, rectè contra* Ciceronem *admonuit* Julius Cæsar Scaliger *Exercit. de Subtil.*

Lib. IV. Cap. VII. p. 345. *N.* Si quis mihi quamlibet excellenter laudet *Platonem* vel tamquam Oratorem, vel tamquam Poëtam prosaicum, libentissimè concedam; si verò ut magnum Philosophum & veritatis indagatorem, non ita libenter assentior.

L. Qui specimen profundissimæ Platonis *philosophiæ cupit, is legat non interpretes, etiam veteres, magnam partem in turgidum ampullosumque sermonem ineptientes, sed ipsum* Parmenidem *&* Timæum, *quorum ille de uno & Ente, id est Deo, (nam nulla creatura est ens, sed entia) admiranda ratiocinatur, hic naturas corporum solo motu & figura explicat, quod hodie tantopere novis nostris philosophis meritò sanè probatur.*



G. G. LEIBNITII
PRÆFATIO
LIBRO INSCRIPTO
NOVISSIMA SINICA,

Historiam nostri temporis illustratura. In quibus de Christianismo publicâ nunc auctoritate propagato missa in Europam relatio exhibetur, deque favore scientiarum Europæarum ac moribus gentis & ipsius præsertim Monarchæ, tum & de bello Sinensium cum Moscis ac pace constituta, multa hactenus ignota explicantur.

Edito anno 1697.

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.

Singulari quodam fatorum consilio factum arbitror, ut maximus generis humani cultus ornatusque hodie velut collectus sit in duobus extremis nostri continentis, Europa & Tschina, (sic enim efferunt) quæ velut Orientalis quædam Europa oppositum terræ marginem ornat. Fortè id agitat suprema Providentia, ut dum politissimæ gentes eædemque remotissimæ sibi brachia porrigunt, paulatim quicquid intermedium est, ad meliorem vitæ rationem traducatur. Nec temerè fieri arbitror, quod Mosci, qui vastissima ditione Sinas Europæ connectunt, & intimam septentrionis barbariem per glacialis Oceani littora imperio continent, Monarcha ipso, qui nunc rerum potitur, potissimum annitente, & Patriarcha etiam, ut accepi, consiliis astimulante, ad quandam rerum nostrarum æmulationem eriguntur. Porrò Sinense Imperium, ut magnitudine Europam qua exculta est provocat, & populositate etiam superat, ita multa alia habet, quibus nobis certet, æquo propemodum Marte, & nunc vincat, nunc vincatur. Sed ut rem in summam conferam, nam per omnia ire, etsi utilis, longæ tamen & non hujus loci operæ foret; arti-

artibus quarum indiget usus vitæ, & rerum naturalium experimentis, fortasse compensatione facta pares sumus, habetque utraque pars, quæ alteri cum fructu communicare possit: sed meditationum profunditate & theoreticis disciplinis nos vincimus. Nam præter Logicam & Metaphysicam, & cognitionem rerum incorporearum, quas nobis proprias meritò vindicamus; certè contemplatione formarum, quæ mente à materia abstrahuntur, id est rerum mathematicarum, longè excellimus, quemadmodum reapse compertum est, quando Astronomia Sinensium cum nostra in certamen vênit. Videntur enim ignorasse magnum illud mentis lumen, artem demonstrandi, & Geometria quadam Empirica contenti fuisse, qualem inter nos passim operarii habent. Disciplina etiam militari nostris cedunt, non tam ignoratione quàm consilio quodam suo, dum aspernantur, quicquid in hominibus feritatem quandam facit aut alit, & propemodum æmulatione altioris doctrinæ Christi, quam nonnulli malè perceptam ad scrupulositatem producunt, bella aversantur. Sapienter illi quidem si soli in orbe essent: nunc eo res redit, ut etiam bonos necesse sit artes nocendi colere, ne omnem rerum potestatem mali ad se trahant. His ergo nos superiores sumus. Sed quis olim credidisset, esse gentem in orbe terrarum quæ nos opinione nostra ad omnem morum elegantiam usque adeo eruditos, tamen vincat civilioris vitæ præscriptis? & hoc tamen in Sinensibus nunc experimur, ex quo illa gens nobis notior facta est. Itaque si artibus operatricibus pares sumus, si scientiis contemplativis vicimus, certè practica philosophia (quod propemodum fateri pudet) victi sumus, id est Ethicæ & Politicæ præceptis, ad ipsam vitam usumque mortalium accommodatis. Dici enim non potest, quàm pulchrè omnia ad tranquillitatem publicam, ordinemque hominum inter se, ut quàm minimum sibi ipsi incommodent, supra aliarum gentium leges apud Sinenses sint ordinata. Certum est maxima mala hominibus à se ipsis, & à se invicem oriri, & hominem homini lupum esse nimis verè dictum est, magna quidem nostra sed catholica admodum stultitia, qui tot naturæ injuriis expositi miserias nobis ipsi cumulamus, quasi aliunde deessent. Cui malo si quod ratio remedium utcunque attulit, certè Sinenses præ cæteris ad meliorem normam accessere, & in vasta hominum societate plus penè effecere, quàm in sua familia apud nos religiosorum ordinum fundatores. Tanta est obedientia erga superiores, tanta erga seniores reverentia, tam religiosus propemodum liberorum in parentes cultus, ut violentum aliquid vel verbo in eos parare, inauditum propemodum illis, & penè, ut parricidium inter nos, facinus piaculare videatur. Porrò inter pares aut minùs invicem obligatos mirabilis observantia & præscripta officiorum ratio, quæ nobis, scilicet ratione & regula agere parum assuetis, servitutis aliquid habere videtur, illis usu in naturam versa, jucundè obitur. Rustici & servi Sinenses, quod nostris cum stupore observatum, cùm valedicendum est amicis, aut cùm à diuturna absentia mutuo conspectu

ſpectu fruuntur, ita amanter, ita reverenter inter ſe agunt, ut omnem magnatum Europæorum provocent civilitatem. Quid jam à Mandarinis, quid à Colais expectes? Ita obtinuere, ut vix quiſquam alterum vel verbulo offendat in communi converſatione, & rara odii, iræ, commotionis indicia excidant. Et cùm apud nos reverentia quædam & diſpenſata converſatio vix ac ne vix quidem primis novæ notitiæ diebus duret, mox autem familiaritate procedente circumſpectio exuatur, jucundæ quidem libertatis ſpecie, ſed unde mox contemtus, & mordacia dicta, & iræ, poſtremoque inimicitiæ: contra Sinenſibus vicini etiam, imò domeſtici, ſepimento quodam conſuetudinum ita continentur, ut perpetuæ officioſitatis ſpecies conſervetur. Et licet nec avaritia, nec libidine, nec ambitione vacent; ut hactenus de illis verum ſit quod de Lunaribus populis apud Harlequinum Imperatorem Lunæ in theatro ſæpe repetebatur, perinde ibi omnia ut hic agi; (*C'eſt tout comme ici*) veramque adeo virtutem ſatis aſſecuti non ſint Sinenſes, quam niſi à cœleſti gratia & Chriſtiana diſciplina non expectes: vitiorum tamen acerbos fructus temperavere; & cùm radices peccatorum de humana natura exſtirpare non poſſent, propullulantes tamen frutices malorum pro bona parte ſuccidi poſſe oſtenderunt. Quis verò non miretur Monarcham tanti Imperii, qui penè humanum faſtigium magnitudine exceſſit, & mortalis quidam Deus habetur, ut ad nutus ejus omnia agantur, ita tamen educari ſolere ad virtutem & ſapientiam, ut legum obſervantia incredibili, & ſapientum hominum reverentia vincere ſubditos, ipſo culmine ſuo dignum judicare videatur. Nec facilè quicquam occurrat memoratu dignius, quàm videre maximum Regum, qui nunc omnia poteſt, poſteritatem tam religioſè vereri, & annalium metu magis quàm alii Comitiis ordinum & Parlamentis coerceri; magnaque circumſpectione vitare, ne quid ii quibus hiſtoriæ ſui regni materiam præparare datum, in clauſas illas atque inviolabiles arculas immittere poſſint, quo ſua exiſtimatio aliquando maculetur. Uſque adeo ut qui nunc regnat *Cam-Hi*, Princeps pene ſine exemplo egregius, utcunque in Europæos propenſus, libertatem tamen Religionis Chriſtianæ lege publica indulgere, tribunalibus diſſuadentibus auſus non ſit, donec ſanctitas ejus explorata fuit, & conſtitit non alia melius ratione magnum Principis & ſalutare conſilium ad exitum perduci poſſe, de introducendis apud Sinas artibus ſcientiiſque Europæis. Qua ille in re mihi longiùs unus quàm omnia ſua tribunalia proſpexiſſe videtur: tantæque prudentiæ cauſam hanc eſſe exiſtimo, quod Sinenſibus Europæa conjunxit. Nam in omni Sinenſium diſciplina pene ultra privati hominis diligentiam jam tum inſtructus fuit à pueritia, ut in Mandarinorum examinibus, quibus honores & magiſtratus deferuntur, judex habeatur acerrimus, & (quæ apud ipſos doctrina ſumma eſt) animi ſenſa mirificè ipſe exponat characteribus, in tantum ut conſcriptum à doctiſſimis hominibus Chriſtianorum libellum ſupplicem ipſe potuerit in melius

melius reformare. Itaque suæ primum gentis doctrinam accuratè intelligens, nec jam iniquus judex, ubi à Patre *Ferdinando Verbiestio* Brugensi Belga, ex Societate Jesu, *Joh. Adami Schalli* Coloniensis discipulo, Europæarum scientiarum gustum accepit, quem fortasse in illo Imperio hactenus habuit nemo, non potuit non supra omnes Sinas & Tartaros rerum cognitione prospectuque extolli, quemadmodum si pyramidi Ægyptiæ turris Europæa imponeretur. Memini R. Patrem *Claudium Philippum Grimaldum* ex eadem Societate insignem virum, Romæ mihi non sine admiratione hujus Principis virtutem & sapientiam prædicasse; nam ut de amore justitiæ, de caritate erga populos, de moderata vivendi ratione, cæterisque laudibus nil dicam; mirificam sciendi cupiditatem pene fidem superare ajebat. Nam is quem cognati Principes, & maximi Viri totius Imperii eminùs venerantur & propè adorant, cum *Verbiestio* in interiore conclavi per tres quatuorve horas quotidie Mathematicis instrumentis librisque operam dabat, ut discipulus cum Magistro; tantumque profecit, ut demonstrationes Euclideas perceperit, & trigonometricis calculis intellectis, Astrorum phænomena numeris vincire possit. Quin & quod R. P. *Ludovicus de Comitibus* nuper inde redux relatione de Sinis edita nos docuit, librum ipse de Geometria confecit, ut tantæ scientiæ elementis & magnarum veritatum notitia liberos ipse suos imbuat, sapientiamque, quam suo Imperio intulit, in sua domo hæreditariam reddat felicitati populorum etiam ultra vitam suam prospiciens: quibus consiliis, quæ agitari in humanis præclariora possint, non video. Geometriam autem non operarii sed Philosophi ritu intueri oportet; & cùm virtus fluat ex sapientia, sapientiæ autem anima sit veritas, ii autem demum quibus exploratæ sunt Geometrarum demonstrationes, æternarum veritatum indolem perspectam habeant, & certum incerto discernere possint; cæteris mortalibus inter conjecturas vacillantibus, & propemodum quod *Pilatus* quærebat, quid sit veritas nescientibus; ideo non dubium est, Sinensium Monarcham præclarè vidisse, quod in nostra orbis parte *Plato* olim inculcabat, neminem imbui posse scientiarum mysteriis nisi per Geometriam. Nec alia re factum puto quòd Sinenses, etsi ab aliquot annorum millibus miro studio doctrinam colentes, & maxima doctis præmia proponentes, tamen ad exquisitam scientiam non pervenere, quam quòd uno illo Europæorum oculo, Geometria scilicet caruere. Tametsi autem illi nos monoculos crediderint, habemus tamen alium adhuc oculum, nondum satis ipsis cognitum, primam scilicet Philosophiam, per quam ad rerum incorporalium etiam notitiam admissi sumus. Hanc docere jam paraverat *Verbiestius*, quod ita Christianæ religioni viam magis parari rectè judicaret, sed morte præventus fuit. Nunc accepi RR. PP. *Gerbillonium* & *Bouvetum* Jesuitas Gallos auspiciis Regiis, magnorumque ejus ordinis gentisque virorum *Hedræi* & *Verjusii* studio, cum quatuor aliis, Mathematicorum titulo ex Academia Scientiarum in Orientem missos, præter

Mathematicas artes, etiam Philosophiæ nostræ doctrina Monarcham sibi devinxisse. Quod si ita pergitur, vereor ne mox omni laude Sinensibus inferiores simus: quæ non ideo dico quod illis lucem novam invideam, cum gratuler potius; sed quod optandum sit vicissim nos discere, quæ magis adhuc in rem nostram essent, usum maximè Philosophiæ practicæ, & emendatiorem vivendi rationem, ut de aliis eorum artibus nunc nil dicam. Certè talis nostrarum rerum mihi videtur esse conditio, gliscentibus in immensum corruptelis, ut propemodum necessarium videatur Missionarios Sinensium ad nos mitti, qui Theologiæ naturalis usum praxinque nos doceant, quemadmodum nos illis mittimus qui Theologiam eos doceant revelatam. Itaque credo, si quis sapiens, non formæ Dearum, sed excellentiæ populorum judex lectus esset, pomum aureum Sinensibus daturum esse, nisi una maximè sed supra-humana re eos vinceremus, divino scilicet munere Christianæ religionis.

Hoc tantum cœli beneficium laudatissima caritate à compluribus annis Sinensi Imperio inferre student, cùm alii in Europa, tum maximè Societas Jesu, cujus, etiam eos qui hostem sibi judicant, laudare in ea re virtutem oportet. Scio *Antonium Arnaldum* virum inter nostri seculi ornamenta referendum & mihi olim amicum, concitato contra illos zelo, exprobrasse quædam eorum Missionariis, sed ut arbitror in nonnullis justo vehementiùs, nam *Pauli* exemplo omnibus omnia fieri oportet, & *Confutii* honores religiosæ adorationis nihil habere videntur. Idemque *Arnaldus* etiam cum Batavis Anglisque sua Apologia egit iniquius, vel paucorum desidiam omnibus imputans, vel *Taverneri* privata quadam in Batavos injuria irritati dicteriis fidem habens, cùm multa hominum millia in utrisque Indiis ab illis ad fidem conversa constet, & sæpe privatis consiliis, publicaque auctoritate actum sit, ut in societatem laudis laborisque communis, sepolita interim contentione veniretur. De quo, magnorum Principum pietatem & sapientiam intuens, reddita Europæ pace non despero. Tametsi religiosorum ordinum institutum eam missionibus sacris commoditatem præbeat, quam aliorum conatus non facilè assequuntur. Rem autem ita agi velim, ut ne intelligant quidem populi, quorum salutem meditamur, quibus Christiani inter nos dissideamus, cùm omnes catholicè consentiamus in ea Christianæ fidei præcepta, quæ si illæ amplecterentur gentes, de salute earum nemo dubitaret; dummodo nihil hæreticum & subdititium & omnino dubitatione gravi libatum affricaretur. Qua in re ita prudenter agi oportet Ecclesiæ veteris exemplo, ut neque omnia mysteria inconsultè ingerantur animis non præparatis, neque tamen studio placendi gentibus Christiana veritas detrimentum patiatur, ut in Evangelio quodam Persicè composito factum esse questus est *Ludovicus de Dieu*. Et cùm intelligam Romam ipsam interdum moram progressibus injecisse visam scrupulositate quadam ex relationibus sinistris orta; & nonnullos malè consultos rerumque humanarum

narum imperitos, reclamantibus doctioribus, longinquos Christianos ad omnes occidentalium formulas adigere voluisse, qui sanè error ipsis haud dubiè florentis jam apud Abassinos Ecclesiæ interitu stetit: sperandum est in posterum ex Christianæ prudentiæ præscripto cautiùs acturos & daturos operam, ut magna illa occasione divinitus data rectè utantur, ex quo Monarcha Sinarum publica lege Christianam fidem permisit, cujus negotii historiam præsens libellus tradit. Hactenus enim tolerabantur magis Christiani ritus quàm permittebantur, nec vel Sinensium vel Tartarorum Principum favor, meritaque nostrorum aliud effecerant, quàm ut conniveretur, suspensa legum executione, quæ in sectas improbatas districtæ habentur, quibus nostra religio connumerabatur; sed fecit materialis cœli studium, & (ut eleganter in opere quodam suo Sinicè & Latinè edito aiebat *Verbiestius*.)

Regales animos dignata movere ut Uranie sancta nostra & verè cœlestis doctrina admitteretur. Mox Geometriæ nostræ firmitas, ubi primùm à Rege gustata est, tantæ admirationi fuit, ut facilè crederet in rebus aliis etiam recta docere, qui sic ratiocinari didicissent. *Riccius* Sinensibus primus quid Europæi possent sub initium seculi hujus ostenderat; *Schallus*, sub Sinensi Monarcha & sub Tartaro successore publicè triumphum egerat de Sinensi astronomia; *Verbiestius* rem Christianam sub Principe adhuc minore annis, hostili jam furore eversam, magna virtute restituit, & mox Regis juvenis familiaritatem adeptus, constantiam viri invenit. Usurum promta voluntate Principis scientiarum dulcedine capti, & missionarios accersentem, aliquandiu lites impediere, quæ Vicariis Pontificis, & Lusitanis intercedebant jus Episcopos Sinis nominandi vindicantibus. Sed & inter Episcopos Heliopolitanum & Berytensem, cum ampla potestate à Pontifice in orientem destinatos, & missionarios ex ordinibus religiosis profectos privilegiisque suis & prima possessione subnixos variè certatum est, donec Pontificis autoritas vicit. Compositis ergo rebus *Verbiestius* sibi non defuit, & cùm plurimum in animo Principis posset, persuasit ipsi, quod res est, esse in Europæorum doctrina magnarum rerum thesauros, effecitque, ut quod nemo meminit à Sinis factum (nisi cùm in occidentem destinatus olim legatus ex prima Indiæ Insula infelix *Foe* idolum attulit) mitteretur in Europam ille ipse quem dixi *Grimaldus*, ut homines variarum artium periti adducerentur. Cujus ab hoc viro suscepti laboris memoria tanti fuit apud Imperatorem (extincto jam *Verbiestio*, & nondum reverso *Grimaldo*) ut in libello supplice pro libertate religionis oblato, inter magna Doctorum Europæorum merita recenseretur. Mox cùm quinque Jesuitæ Galli Mathematicis scientiis instructi, ex Siamensi regno invitis quidem tunc Lusitanis ad Sinas penetrassent, nova occasio oblata est nostris Imperatorem demerendi. Mosci Barbaras nationes prudenti moderatione paulatim sub jugum pellicientes, propagato in immensum Imperio, ita Tartaris Sinensibus

ſibus appropinquaverant, ut tandem de finibus controverſiæ naſcerentur. Res nunc armis, nunc tractatibus acta eſt: Tandem in urbe Nipchou ditionis Moſchicæ, utriuſque gentis legati juſtis propemodum exercitibus ſtipati convenere, Sinenſes ſecum adduxere Patres *Pererium* Luſitanum, & *Gerbillonium* Gallum Jeſuitas, quibus interpretibus factum eſt, ut ultima manus feliciter imponeretur negotio, firma pace concluſa, ipſisque Legatis publicè profitentibus, in tanto morum & conſiliorum divortio & ſcrupuloſiſſimarum nationum æmulatione re infecta diſceſſuros omnes fuiſſe, niſi affuiſſent. Quo deinde ſucceſſu ipſe Imperator prudentiſſimè uſus eſt, ut Europæos Doctores tribunalibus ſuis commendaret. Facta mihi copia eſt literarum, quas ex loco Tractatuum *Gerbillonius* ad *Hedraum* & *Verjuſium* ſcripſit Moſciſque curandas commendavit, ex quibus non contemnenda didici & in appendice ſubjeci. Quædam etiam brevis relatio noviſſimæ Moſcorum ad Sinas pace jam facta obitæ legationis vel itineris potius hic adjicitur. Amplam & argumento dignam expectamus à Dn. *Brandio* Lubecenſi, qui ablegatus ipſe fuit. Addemus & notitiam libri Aſtronomici Sinenſibus ſimul & latinis characteribus à *Verbieſtio*, editi, & à me inſpecti, & breves R. P. *Grimaldi* Præſidis in Mathematico Tribunali literas Goa ex itinere datas 6. Decemb. 1693. cùm ad Sinas ſuos rediret; vel ideo quod ſpem egregiarum in Europam communicationum mihi fecere; & poſtremas R. P. *Thomæ* natione Belgæ vice Præſidis in Mathematico tribunali, quibus nonnulla de inſigni Chriſtianiſmi progreſſu docemur, & ſpero excitari poſſe Europæas aulas Eccleſiaſque, ut operarios mittant in paratiſſimam meſſem. Ex his etiam colligi videtur *Grimaldum*, quem ut primum Pequinum attigerat, periculoſè decubuiſſe intelleximus magno publicæ rei bono reſtitutum eſſe. Hic cùm Româ digrederetur, miſſionariorum partem maximam in Luſitanis navibus præmittens, conſtituerat terra ire per Moſcos, literis & ſigillo Tribunalis Regii rerum militarium ſupremam curam gentis inſtructus, & Magno Cæſare noſtro Regeque Poloniæ in itinere ſalutatis; ſed nec ſui negotii momento, nec tantorum principum commendatione obtinere potuit ut à Moſcis admitteretur, quod paulo ante ſatum etiam R. P. *Aprilis* ſenſit, cujus itinerarium extat. A me *Grimaldus Andreæ Mulleri* Pomerani orientalium rerum doctiſſimi, promiſſa Clavis Sinicæ acceperat, & virum, per Sileſiam tranſiturus convenire fruſtra quæſierat, quanquam ſubdubitans de ſucceſſu, nihil tamen in tanta re judicans negligendum. Sed certabat in *Mullero* cum doctrina moroſitas, itaque & ego & *Grimaldus* & *Ludolphus*, & Magnus ipſe Elector defunctus, à quo Berolinenſem præpoſituram acceperat, fruſtra fuimus; ſive ille inventa ſua nimio æſtimaret, ſive nondum ſatis exculta in apricum proferre dubitaret, majora credi putans de ignotis. Et eo uſque proceſſit ſingulare viri ingenium, ut minas quas ſparſerat executus, ſchedas ſuas paulo ante obitum exuſſiſſe dicatur, ambiguo judicio,

utrius

utrius nobis notitiam ſubtrahere voluerit, ſcientiæ ſuæ an neſcientiæ. Ego, ut præclara aliqua jam tum obtinuiſſe, ita plura ſperaſſe arbitror, quæ potuiſſet præſtare ſi ſatis fuiſſet adjutus; quòd ſi intelligentibus ingenuè rem omnem expoſuiſſet, haud dubiè magnorum principum, & ſui præſertim domini favore deſiderata ſuppleſſet. Interea quicquid hoc fuit, quod non planè de nihilo fuiſſe arbitror, obſtinatione viri cætera boni & bene meriti, Chriſtianæ rei & miſſionibus periit. *Grimaldus* autem, ut ad hunc revertar, impenetrabiles Moſcos expertus, iter Genuam relêgit, inde Maſſiliam & hinc Smyrnam navigans, terra ad Perſas pervênit, quorſum eum & ultra etiam, literæ meæ ſunt ſecutæ, quas commendatitiis pro *Grimaldo* ad Perſarum Regem ſuis Sereniſſimus Poloniæ Rex adjungi juſſerat, commendantibus RR. PP. *Vota* & *Kochanskio*: tametſi ipſo jam digreſſo literæ Iſpahanum advenere. Ex Perſis per Usbeccenſes Tartaros & Bocharam porrò ad Sinas cogitaverat, ſed infeſtis itineribus in illa barbarie deterritus, tritiore via per Goam & Indos Macaenſem poſtremò portum tenuit: & magno Principis gaudio ſummoque honore in Sinenſi Imperio fuit exceptus. Nunc res Chriſtiana egregiè amplificari dicitur, maxima ſpe progreſſuum majorum, præſertim ſi verum eſt, quod R. P. *Adamus Adamandus Kochanskius*, pollens inſigni humanitate, præclaraque rerum præſertim mathematicarum ſcientia, inventiſque etiam ſuis Jeſuitici ordinis ornamentum, ſibi nuntiatum ad me ſcripſit, hæredem Imperii aliqua linguarum Europæarum notitia imbui. Jam ex Gallia nova Miſſionariorum ſupplementa mittuntur. Spero Germaniam quoque ſibi & Chriſto non defuturam & quod literis Viennam ſcriptis optare me ſignificavi, Cæſareo cum Moſcis fœdere nuper icto mittendis ad Sinas Evangelii præconibus aditus apertos: ſumma Cæſaris pietate & ſapientia utente R. P. *Menegatto* Confeſſario, cujus doctrina eminens auctoritati reſpondet. Quod ſi ea res cordi ſit iis ad quos pertinet, putem aliqua moneri poſſe, ut divino munere, proniſque rebus tanto rectiùs utamur.

Jam olim Sinæ Chriſtum audire cæpêre. Serum nomine Romanis & Græcis notos fuiſſe conſtat. *Juſtiniani* magni temporibus vermes ſerici textores allati ſunt in Romanum Imperium, tunc etiam *Coſmas* Monachus Indopleuſtes ſupra alios remotarum gentium notitiam dedit. Ex ejus ſcriptis excerptam Inſcriptionem Adulitanam Africæ interioris *Holſtenius* edidit. Idem *Coſmas*, quod nemo ante ipſum quantum conſtet, regionis Sericæ verum nomen prodidit. Nam Tzin vocat, quæ pronunciatio magis veritati accedit, quàm noſtra vulgaris, cum Sinas aut Chinam nominamus, Tſchinam enim cum Luſitanis efferendam jam dixi.

Porrò Syriæ Chriſtianos penetraſſe ad Sinas & Chriſto Eccleſiam fundaſſe, monumentum prodit apud Sinenſes noſtro ſeculo repertum, quod edidit *Athanaſius Kircherus*, & *Andreas* quoque *Mullerus* illuſtravit. Cùm verò apud eruditos dubitatione aliqua libatum fuerit, *Melchiſedecus Thevenotius*

venotius Bibliothecarius in Gallia Regius, qui maxima rerum cognitione instructus, & præclara consilia agitans Geographiam imprimis illustrare cogitabat, subsidia quædam juvandæ ejus autoritati in Mahometanorum scriptis invênit, quæ vereor ne morte viri interciderint. Postea inquirens intellexi *Herbelotium* Gallum Orientalium rerum notitia instructissimum, qui & ipse obiit, relationem quandam (Arabicam an Persicam) itineris per Usbeccenses ad Catainos vel Sinenses, magno Hetruriæ Duci interpretatum, ubi comprobatio quædam extare dicitur antiqui apud Sinas Christianismi; quam in publicum proferri, cùm rei Christianæ intersit, V. Cl. *Antonium Magliabechium*, & meis & aliorum laudationibus sæpe nominatum, hortatus sum, ut quicquid hoc est erui curet, favituro haud dubiè Magno Duce cujus æquat pietatem sapientia. Apud nos post *Andr. Mulleri* obitum *Christianus Menzelius* Serenissimi & Potentissimi Electoris Archiater, Sinensem eruditionem Berolini conservat; optimam ejus voluntatem animante prono favore Electoris sapientissimi, & veræ pietatis fideique propagandæ ardentissimo studio nemini concedentis. Porrò cùm hæc quam nunc edo Rectoris Collegii Pekinensis relatio à R. P. *de Amaral* Lusitano ex urbe missa, commendante Dn. *de Cochenheim* Celsissimi Episcopi Monasteriensis Consiliario mihi communicata sit, putavi rei Christianæ interesse, ut maturè extaret divini beneficii accurata recitatio, conferenda cum iis, quæ R. P. *Ludov. de Comitibus* in sua rerum Sinensium expositione Gallica attigit. Nec me inconsultè facturum putavi, si quædam adjicerem præfarerque, quibus Europæa pietas magis magisque ad maximum negotium prosequendum inflammetur. Certè tanta est per se amplitudo Sinensis Imperii, tantaque prudentissimæ nationis in Oriente opinio, & in exemplum cæteris valitura auctoritas, ut vix inde ab Apostolicis temporibus aliquid majus pro Christiana fide agitatum videatur. Faxit Deus ut solida & durabilia sint gaudia nostra, nec imprudenti zelo, vel intestinis dissidiis hominum Apostolica officia obeuntium, aut pravis exemplis nostrorum turbentur.

RECEN-

RECENSIO LIBRI INSCRIPTI

Noviſſima Sinica, Hiſtoriam noſtri temporis illuſtratura; a D. G. G. Leibnitio anno 1697. edito.

Ex Actis Eruditorum Lipſienſibus anni 1697. depromta.

NIhil ab aliquo tempore Orbi Chriſtiano fructuoſum magis lætumque accidit, quàm Religionis Divinæ libertas in ampliſſimo Sinarum Imperio ante hos quinque annos publico decreto ſtabilita. Primus, quantum quidem nobis conſtat, rei gratiſſimæ nuncium ad Europæos miſit P. *Joſephus Suarius*, Luſitanus, Societatis Jeſu Miſſionarius Sinenſis, Pekinenſiſque Collegii Aulici Rector, edito libello, quo & Miſſionariorum in annuncianda per Sinam Chriſtiana Fide ſtudium, & objectas iis arduo in negotio difficultates, & felicem tandem, impetrato anno 1692. d. 22. Martii ſolenni pro libertate Chriſtianiſmi edicto, conatuum eventum ſtudioſè enarravit: quem, ut fama tantæ felicitatis latiùs propagaretur, recudi non ita pridem, luculenta elegantiſſimaque præfatione ac opuſculis aliis auctum, ſub *Noviſſimorum Sinicorum* titulo curavit Vir illuſtris, *Gothofredus Guilielmus Leibnitius.* Equidem ſeculum jam, & quod excedit, lapſum eſt, ex quo poſt tentatum fruſtra tum à *Franciſco Xaverio* è primis Societatis Jeſu Patribus, tum ab aliorum religioſorum Ordinum Sociis nonnullis in Sinam ingreſſum, utpote quo exteri omnes lege publica prohibebantur, P. *Matthæo Riccio* ejuſque commilitonibus tam felicibus eſſe licuit, ut comparata ſibi Sinenſis linguæ peritia, & Proceribus nonnullis per inſignem Matheſeos & Aſtronomiæ inprimis, qua pollebant, ſcientiam conciliatis, clam ſenſimque, his conniventibus in diverſas Sinici Imperii provincias ad ſpargendum Evangelii ſemen penetrarint, ſtationemque paſſim ac denique in ipſa Pekinenſi aula fixerint. Quorum progreſſum hiſtoriam ex ipſis P. *Riccii* commentariis P. *Nicolaus Trigautius*, editis an. 1616. de Chriſtiana expeditione apud Sinas ſuſcepta ab Societate Jeſu libris V. curatè deſcripſit. Aſt plurimum & augmenti & decoris naſcenti in Sinis Chriſtianiſmo P. *Joannes Adamus Schall* è Societate itidem Jeſu addidit, qui cùm jam anno 1621, rerum adhuc potiente familia *Taiminga*, in Sinam perveniſſet, poſt inſecutam rerum converſionem Sinamque à Tartaris ſubjugatam, cum gratiæ locum Aſtronomica ſcientia ſua apud novum Imperatorem *Xunchium* adeptus eſt, ut ſupremus Tribunalis Mathematicæ Præſes conſtitueretur, *Præſtantis & Arcanæ Legis Doctor* honorifico cognomento dictus; cui adeo in proclivi fuit, *Xunchio* ſuperſtite, & promovere Evangelii curſum,

ſum, & ſi quæ hic illic ſe proderent, perſecutiones auctoritate ſua comprimere. Sed ea quidem felicitas cum ipſo *Xunchio* extincta eſt, adminiſtratione Imperii dum filius illius *Khambius* ea tempeſtate minor adoleſceret, ad Quatuorviros è Proceribus, eoſque Jeſuitis infenſiſſimos delata: quando paſſim in Chriſtianos ſævitum fuit, *Schallio* ipſo in præſentiſſimum vitæ periculum adducto, plurimis actis in exilium, fide Chriſtiana ex univerſo Imperio proſcripta; tribus tantùm cum *Schallio*, qui non multo poſt obiit Patribus Societatis Pekini remanere juſſis. Ex quibus tamen anguſtiis emergere res Chriſtiana cœpit, ſimul ac regno maturus *Khambius* anno 1667. imperii habenas capeſſivit. Nec enim difficile Jeſuitis fuit, Principis ſcientiarum omnium & Mathematicarum inprimis cupidiſſimi, probata ipſi Aſtronomicarum rerum inſigni, qua inſtructi erant, peritia, graphicis etiam ac artificioſis operibus oblatis, gratiam ſibi conciliare: ut non ſolùm paulo poſt P. *Ferdinandus Verbieſt* Matheſeos Tribunali fuerit præfectus, ſed tandem omnibus, ſine diſcrimine, Chriſtiana ſacra amplectendi licentia impetrata. Id quo pacto & per quas ambages perfectum fuerit: ut nulli occaſioni, qua conſulere Chriſtianæ religionis libertati & incrementis poſſent, defuerint Patres; ut Imperator iis faventiſſimus, nec ſui tamen unius auſpiciis rem publicè inviſam promovere auſus, jam cum Tribunali Rituum, jam cum Imperii Comitiis, jam cum Tribunali operarum publicarum, de Chriſtianiſmo ſeu opprimendo, ſeu ſuſtentando firmandove egerit; ut promulgata iſthoc de negotio mandata publica fuerint, quorum aliis Chriſtiana fides prohibita planè, aliis permiſſa quidem, ſed licentia ad ſolos ex Europa advenas, indigenis excluſis, reſtricta; ut denique Imperator auctoritate ſua Tribunalium pervicaciam vicerit, cunctiſque adeo, nemine excepto, ſolenni decreto permiſſum fuerit, inter Chriſtianos nomen profiteri: hæc ſunt, quæ eleganter ſatis à *Suario* in brevi hoc libello expoſita legi ab unoquoque merentur. Subjunguntur illi ab illuſtri Editore opuſcula alia (quæ inter & Epiſtola ad eum a viro celeberrimo P. *Claudio Philippo Grimaldi S. J.* perſcripta comparet) ad Sinenſem Hiſtoriam ſpectantia. Faxit modò Numen, ut ea felicitas rei Chriſtianæ ſit perpetua, nec unquam à Sinenſium Imperatoribus Edictum in eam ſatis benignum revocetur. Certè ab omni metu immunes nos non ſint; Imperatoris ipſius ad Jeſuitas apud *Suarium* noſtrum pag. 158. monitum: *ut ad beneficii* (non æternitatem ſed) *diuturnitatem cautè eo uterentur, opus eſſe Chriſtianos, imprudenti agendi modo obnoxios in officio & quietos continere.* Sicut & alterum ejuſdem monitum ibidem expendi meretur: *ut Religio Chriſtiana ſe, quantum fieri poſſit, accommodaret Imperii conſuetudinibus.*

TRAI-

TRAITÉ
SUR QUELQUES POINTS
DE LA RELIGION DES CHINOIS,

PAR LE R. P. NICOLAS LONGOBARDI,

Ancien Supérieur des Missions de la Compagnie de Jesus à la Chine.

Imprimé à Paris l'an 1701. auquel on a joint quelques remarques de M. G. G. Leibniz.

AVANT-PROPOS.

IL y a plus de vingt-cinq ans, que le XANGTI de la Chine (terme qui signifie le Roi d'enhaut) commença à me faire quelque peine, parce qu'à mon entrée dans le Royaume, ayant lû, selon la coûtume de nôtre Compagnie, les quatre Livres de CONFUCIUS, je remarquai, que l'idée que divers Commentateurs donnoient du XANGTI, étoit opposée à la nature divine. Mais comme nos Péres, qui depuis longtems faisoient la Mission, m'avoient dit, que le XANGTI étoit nôtre Dieu, je rejettois mes scrupules, & je m'imaginois que la différence qui se trouvoit entre le texte ainsi entendu, & les Commentaires Chinois, venoit de l'erreur de quelque Interpréte, qui n'avoit pas bien pris le sens du texte, & qui s'étoit éloigné de la doctrine des Anciens. Je demeurai dans cette pensée pendant les treize premiéres années de mon séjour en la ville XAO-CHEU, sans m'éclaircir, comme je le devois, sur ces difficultés, & sans le pouvoir même, parce

que nos Péres étoient disperſés dans les autres maiſons de nôtre Compagnie.

Le P. *Matthieu Ricci* étant mort, je fus mis en ſa place, chargé comme lui de tout le poids de la Miſſion (1). Je reçûs une lettre du P. *François Paſſio*, Viſiteur du Japon, par laquelle il m'avertiſſoit, qu'en tels & tels livres qu'il marquoit dans ſa lettre, & compoſés en Chinois par nos Péres, il y avoit des erreurs ſemblables à celles des Gentils. Ce qui donnoit, ajoutoit-il, beaucoup d'embarras aux Péres & aux Fréres de la Miſſion du Japon : parce qu'au même tems qu'ils combattoient ces erreurs, les Gentils les ſoutenoient par les livres de nos Péres; c'eſt pourquoi il me recommandoit très particuliérement d'examiner bien cette affaire avec les autres Miſſionnaires de la Chine. Car quoiqu'il ne pût ſe perſuader, diſoit-il, que les Péres qui compoſoient ces livres, étant de bons Théologiens, fuſſent capables de ſe tromper, & de ne pas bien démêler la doctrine des différentes ſectes des Gentils, il avoüoit pourtant ingénûment que l'aſſurance avec laquelle nos Péres du Japon, qui avoient fait une étude particuliére de la doctrine & des principes de ces mêmes ſectes, & qui entendoient auſſi les livres Chinois, que leur aſſurance, dis-je, à ſoutenir, qu'il y avoit de l'erreur dans les ouvrages de nos Péres de la Chine, faiſoit beaucoup d'impreſſion ſur ſon eſprit. Cet avis du P. *Paſſio* augmenta les doutes que j'avois eu autrefois, & je donnai tous mes ſoins à découvrir la vérité, & à la mettre en ſon jour. Les fonctions de ma charge m'ayant obligé d'aller à Pekin, je trouvai le Pére *Sabathino de Urſis* dans les mêmes ſcrupules que moi, au ſujet du XANGTI. Nous eûmes pluſieurs entretiens avec le Docteur *Paul*, & avec quelques autres Docteurs bien verſés dans la matiére dont il s'agiſſoit, pour ſçavoir d'eux le moyen d'accorder les Commentaires avec

REMARQUES DE M. LEIBNIZ.

(1) Voyez le Traité du Pére *Sainte Marie* ſur quelques points importans de la Miſſion de la Chine, lequel eſt inſéré dans le Tom. II. de la collection de *Kortholt*. C'eſt à cette édition que ſe raportent les renvois des notes.

avec le texte. Ils nous dirent tous unanimément, que nous ne devions point nous tourmenter là-dessus, mais seulement nous attacher au texte lorsqu'il nous pouvoit être de quelque utilité, sans faire aucun cas des explications opposées que les interprêtes y donnoient. Les Docteurs *Michel* & *Jean*, que nous consultâmes sur la même matiére en différens tems & en différens lieux, nous firent une pareille réponse. Cela contenta quelques-uns de nos Péres, qui disoient que la diligence que nous avions faite, & l'éclaircissement que les Docteurs nous avoient donné suffisoient, & qu'il ne falloit plus parler de tout cela. Le Pére *Sabathino*, quelques autres, & moi n'en demeurames pas satisfaits, & nous ne crûmes pas en conscience pouvoir nous y arrêter: Car les Lettrés Chrêtiens donnent ordinairement le sens de nos livres aux leurs, & s'imaginent trouver dans les leurs des explications conformes à nôtre sainte Loi, sans considérer de quelle importance il est de ne chercher que la vérité, & de ne rien dire qui tienne du déguisement & du mensonge (2).

Pendant le cours de ces disputes, le Pére *Jean Ruiz*, depuis peu revenu du Japon à Macao, vint à la Chine, désirant extrêmement qu'on agitât & qu'on éclaircit les matiéres controversées. Son arrivée fut la conjoncture du monde la plus favorable, & à mon sens un coup de la divine Providence, qui voulut s'en servir pour le bien du Christianisme de la Chine & du Japon. Car quoique les Péres, qui étoient persuadés qu'il n'y avoit plus de difficulté après la réponse des Docteurs qu'on avoit consultés, ne voulussent plus entrer en dispute avec ceux qui tenoient un sentiment contraire, nous autres qui étions convaincus que la vérité ne paroissoit pas dans son jour, nous nous appliquames avec soin à rapporter les difficultés qu'il y avoit de part & d'autre; & pour en faciliter la décision, nous exposâmes le plus clairement que nous pûmes, les principaux fondemens des trois Sectes IU-XE-TAO, (3) c'est-

(2) Mais quand on s'explique bien dans nos livres, cette difficulté cesse.

(3) Traité du Pére *Ste. Marie* pag. 38.

c'eſt-à-dire, la Secte des Lettrés, (4) la Secte des Idolâtres, & la Secte des Sorciers; (c'eſt le nom que les Européans ont donné à cette troiſiéme Secte) (5).

Le Pére *Ruiz* étant retourné à Macao, rendit compte de ce qui ſe paſſoit ici au Pére *Valentin Caravallo*, Provincial de la Chine & du Japon, lequel dans une lettre qu'il nous écrivit, nous recommanda l'étude de la doctrine des trois Sectes, comme une choſe très importante. De plus, pour donner une juſte déciſion ſur les termes que nous avons introduits dans le nouveau Chriſtianiſme, & que nous avons employés juſqu'à préſent, il nous envoya en même temps un catalogue des mots qui lui paroiſſoient ambigus, & même dangereux, & nous pria de les examiner pour fixer ceux dont il falloit ſe ſervir.

Quelque tems après il vint un autre Viſiteur, qui fut le Pére *François Vieira*. Ce Pére ayant ſçû l'ordre que le Pére *Caravallo* nous avoit donné, d'éclaircir ces termes ambigus, le confirma, & nous recommanda de nouveau de lui envoyer nos déciſions, avec le ſentiment des Mandarins Chrêtiens. J'envoyai l'un & l'autre par le Pére *Sabathino*, lorſqu'avec nos autres Péres il fut exilé à Macao, & je lui recommandai de dire de vive voix ſur ce ſujet pluſieurs autres particularités que je n'écrivois point, m'en repoſant ſur lui comme ſur une perſonne fort verſée dans ces matiéres. Il s'acquitta parfaitement de la commiſſion; mais le Pére Viſiteur voyant que le Pére *Pantoya* & le Pére *Banoni* qui étoient à Macao, avoient un autre ſentiment que nous, jugea bien que ces controverſes ne pouvoient ſe terminer ſi l'on ne les traitoit en forme. C'eſt pourquoi il ordonna à ces trois Péres de faire chacun en particulier un traité là-deſſus, & pour garder quelque méthode il leur fixa trois ſujets. Le premier fut Dieu; le ſecond les Anges; le troiſiéme l'Ame raiſonnable; & il les exhorta particuliérement à découvrir ſi dans les ſciences Chinoiſes il n'y avoit rien qui eût rapport à ces trois choſes, parce que de là dépendoit la réſolution qu'on devoit

(4) *Tao-Su*: v. Section 7. n. 4.

(5) La troiſiéme eſt la ſecte du vieillard. v. *S. Marie* p. 4.

devoit prendre ſur les termes Chinois, dont on pouvoit ſe ſervir, & ſur ceux qu'il falloit rejetter. Les trois Péres firent leur traité. Les Péres *Pantoya* & *Banoni*, prirent l'affirmative, & tâchérent de prouver que les Chinois avoient eu quelque connoiſſance de Dieu, des Anges, & de l'Ame; qu'ils les appelloient XANGTI, TIENXIN, & LING-HOEN. (6) Le Pére *Sabathino* prit la négative, & ſoutint que les Chinois, ſelon les principes de leur Philoſophie, n'ont point connu de ſubſtance ſpirituelle diſtincte de la matiére, comme nous la concevons, & que par conſéquent ils n'ont connu ni Dieu, ni Anges, ni Ame raiſonnable. (7) Ce ſentiment fut applaudi par les Péres du Japon qui étoient à Macao, comme le plus conforme à la doctrine des Chinois; & peu s'en fallut que le Pére Viſiteur ne prononçat en faveur du Pére *Sabathino*. Mais comme il s'agiſſoit d'une matiére importante, & qu'il ne pouvoit porter un jugement déciſif ſur les textes Chinois qu'on citoit de part & d'autre, il prit la réſolution de m'envoyer & d'envoyer à nos autres Péres qui étoient à la Chine, ces deux traités, afin que nous les examinaſſions, non-ſeulement avec les Lettrés Chrétiens, mais encore avec les Gentils, qu'on ne peut ſoupçonner de ſe conformer au ſentiment des Miſſionaires ſur le ſens de leur doctrine.

Dans le même tems que les Péres *Pantoya*, *Banoni*, & *Sabathino* faiſoient leurs traités à Macao, le Pére *Ruiz* en fit auſſi de ſon côté un fort ample, & entiérement conforme au ſentiment du Pére *Sabathino*; de ſorte qu'il y a deux traités ſur chaque opinion. (8) Quand le Pére Viſiteur & les principaux Péres de Macao eurent vû le traité du Pére *Ruiz*, ils en furent très-ſatisfaits. Le Pére Viſiteur vouloit me l'envoyer, avec les autres trois; mais n'ayant pas eu aſſez de tems pour en faire une copie, il en fit un abrégé dans une lettre de trois feuilles qu'il m'écrivit: abrégé qui ſuffiſoit pour réſoudre les queſtions qu'on agite préſentement. Je reçûs dans la ſuite les

 quatre

(6) v. *S. Marie* p. 93. 44, 89.
(7) v. *S. Marie* p. 58.
(8) v. *S. Marie* p. 12.

quatre traités: Je les lûs; & quoique je ne doutasse pas, que les Péres *Sabathino* & *Ruiz* n'eussent pris le véritable sens de la doctrine Chinoise, je voulus pourtant redoubler encore mes soins, pour avoir de plus grandes lumiéres. Je conferai de nouveau avec les Mandarins Chrêtiens; je traitai quelquefois ces matiéres avec nos Péres qui sont à la Chine; & soit dans les disputes, soit dans les conférences, il me parut toujours que le sentiment des Péres *Sabathino* & *Ruiz* étoit le plus sûr & le meilleur. Je ne pûs consulter alors les Docteurs Gentils comme le Pére Visiteur me l'avoit recommandé, à cause de la persécution qui m'empêchoit d'avoir un libre accès auprès d'eux; c'est ce qui m'obligea de tarder plus long-tems que je ne voulois à envoyer cette réponse, afin que personne ne se plaignit que j'avois précipité mon jugement, & qu'on ne m'accusat pas d'avoir prononcé avant que d'écouter les Parties. La persécution finie, je n'ai négligé aucune des occasions qui se sont présentées, d'avoir des entretiens avec plusieurs Lettrés pendant les derniéres années que j'ai été dans les Provinces du Sud, & sur-tout pendant les deux années que j'ai demeuré à la Cour. Ainsi me voilà instruit, & très instruit de la doctrine Chinoise qui regarde les matiéres dont il est question: C'est pourquoi je vais dire ici mon avis le plus clairement, & le plus succinctement que je pourrai. Ceux de nos Péres qui voudront lire ce traité, doivent auparavant lire les quatre autres dont j'ai parlé; parce que je suppose en celui-ci plusieurs choses rapportées dans ceux-là. Ils doivent remarquer que j'ai raccourci ce traité par deux raisons: La premiére, que je parle à des personnes instruites; ainsi c'est assez que je touche les principaux points: La seconde, que le Pére Visiteur, & les autres Péres qui ne sont pas de la Mission de la Chine, ne demandent qu'une briéve décision approuvée par les plus anciens & les plus habiles Missionnaires de ce Royaume.

SECTION

SECTION PREMIERE.

Des livres classiques, & authentiques de la Chine, par lesquels les questions agitées se doivent décider.

1. QUoiqu'il y ait dans la Chine plusieurs livres qui traitent des matiéres controversées, cependant comme ils n'ont pas l'autorité nécessaire pour servir de régle & de décision dans une affaire de si grande conséquence, nous sommes tous convenus de ne recourir qu'aux livres classiques dont se sert la Secte des Lettrés, la plus célebre, & la plus ancienne du Royaume, établie il y a plus de quatre mille ans, & toujours suivie par tous les Rois & par tous les Mandarins.

2. Les livres authentiques de cette Secte sont de quatre sortes: Les premiers contiennent les écrits des premiers Rois, & des premiers Sçavans du Royaume; ces livres s'appellent JE-KING, XY-KING &c. sur lesquels on examine ceux qui prennent les degrés (9). Les seconds sont les Commentaires de ces livres. Il y en a deux; l'un plus court, plus précis, fait par un seul Auteur, & qui contient le texte & la glose ordinaire de chaque matiére; c'est celui que les Professeurs enseignent & expliquent à leurs disciples. (10) L'autre plus ample, & plus diffus, qui s'appelle TA-ZIVEN, fait il y a plus de deux mille cinq cent ans, par ordre de l'Empereur IUMG-LO, qui pour cela choisit quarante-deux Mandarins des plus habiles, des plus en réputation dans la Secte des Lettrés, & dont une grande partie étoit du Collége de la Cour, nommé HAN-LIN. Les Mandarins commencérent par l'examen du petit Commentaire ZU-XU, dont ils approuvérent la doctrine & les explications. Après cela ils firent le grand Commentaire, ramassant les explications des Interprétes les plus célébres, qui avoient écrit sur ces matiéres pendant l'espace de seize cent ans; c'est-à-dire, depuis que l'Empereur CHI-HOANG, de la race de ZIN, fit brûler tous les livres de la Chine. (11) Le nombre de ces anciens Interprétes est fort grand. (12) Dans

(9) Sont de CONFUCIUS. v. *Ste. Marie* p. 64.

(10) Il falloit nommer aussi le ZU-XU *qu'on en distingue.*

(11) V. Section 17. n. 21. & le P. *Ste. Marie* p. 2.

(12) Il y a donc [1] Les livres originaires (cinq au nombre) comme IE-KING, XU-KING, & autres [2]. 1) Les Glosses sur les livres. 2) Le petit Commentaire appelle ZU-XU. v. *Ste. Marie* p. 3. 3) Le grand Commentaire appellé TA-ZIVEN [3]. La somme de Philosophie appellée SING-LI. v. *Ste. Marie* p. 3. [4] Les anciens auteurs qui ont fleuri après l'Emp. XI-HOANG, qui a fait bruler les livres. Il falloit spécifier tous les livres originaires, expliquer comment on les a eus, si XI-HOANG a tout brulé; parler des Auteurs, CONFUCIUS, MEMZIUS &c.

LXII. Ainsi je ne vois rien qui nous empêche & qui ne nous favorise plutôt, pour soutenir que les ames humaines, selon la doctrine classique des Chinois, approchent de la nature des Esprits ministres du suprême Esprit, quoiqu'ils soient d'un degré inférieur au leur: Je ne m'étonne point que le Pére *Longobardi*, & le P. *de Ste. Marie* s'y opposent, puisque des Lettrés Athées & hétérodoxes (mais à qui il est permis dans la Chine de débiter impunément leurs impietés, au moins de vive voix) les ont prévenus de ces étranges opinions, comme établies dans la Chine, mais directement contraires à la doctrine des Anciens, & à la pratique religieuse qu'ils ont instituée il y a 3000. ans & davantage dans cet Empire; opinions qui portent que le LI même ou la suprême Raison, ou le suprême Esprit XANGTI, substance de cette Règle ou Raison, & tous les Esprits intelligens qui le servent, ne sont que des fictions; que le suprême Esprit ou principe universel n'est autre chose que la matiére premiére ou l'air matériel, & rien de plus; que les Esprits qu'on donne au peuple ou au public à révérer, sont des portions de cet air, & que tout cela agit par hazard ou par nécessité d'une maniére brute, sans qu'aucune sagesse, providence, justice, le dirige. De sorte que toute la religion

ligion Chinoise n'est qu'une comédie. Mais comme cette imputation s'est trouvée mal fondée de toutes les maniéres, par rapport à Dieu & aux Anges, par ce que nous venons de montrer assez amplement ; on peut bien juger, qu'il en est de même par rapport aux Ames.

LXIII. Je ne trouve point que ces Peres produisent des passages des auteurs Classiques, soit anciens soit postérieurs, qui favorisent assez leur imputation par rapport à l'ame humaine, non plus que par rapport à Dieu & aux Anges. Ce ne sont que des interprétations apportees de dehors, qui forcent ou même détruisent le texte, & le rendent ridicule, contradictoire, imposteur. Le P. *Longobardi*, considérant, suivant ce que nous en avons rapporté, que selon les Chinois, la mort sépare le terrestre du céleste qui est aérien & de la nature du feu, & se rejoint au Ciel, en infère, que les Ames sont une chose purement matérielle, qui se perd dans l'air (ou dans l'éther). Mais par la même raison on diroit, que les Anges ne sont que du feu, puisque Dieu, selon la Sainte Ecriture *fecit Ministros suos flammam ignis*, il faut dire que ces Esprits sont des substances spirituelles, quoiqu'elles soient revêtues de corps subtils. Et c'est ainsi que l'antiquité payenne & Chrêtienne a conçu ordinairement les Génies, les Anges & les Démons. L'Ame retourne au ciel, c'est-à-dire, elle est plus unie à la matiére celeste répandue partout, & plus capable de se conformer à la volonté de Dieu, de même que les Anges, dont elle s'approche. C'est ce que les Anciens Chinois ont entendu apparemment, quand ils ont dit, qu'elle se rejoint au Ciel, & au Xangti.

LXIV. Ces Péres, ou plutôt ceux qui leur ont donné les impressions, abusant de cet Axiome Chinois *que tout est un*, c'est-à-dire, que le tout est la participation de l'un, voudroient nous faire accroire, que selon les Chinois, tout n'est que matiére differemment disposée, & que le Li la Raison & le Xangti même n'est que cela, ou la substance primitive, & que tout prend part à sa perfection à mesure de la sienne. Ainsi ils voudroient que le retour de l'Ame au Xangti ne fût autre chose que sa résolution dans la matiére aërienne ; & qu'avec les organes grossiers, elle perd toute connoissance. Ils pourroient dire avec plus d'apparence, conformément au sentiment des Manichéens & des Averroïstes, que Dieu ou le Li ou le Xangti est l'ame du Monde, qui constitue les Ames particuliéres, en agissant sur les organes, & qui les fait cesser, aussi-tôt que ces organes sont dérangés. Mais outre que l'un & l'autre sentiment est contre la raison & la nature de l'individu, il est aussi contraire au passage de l'Auteur Chinois, cité par le P. *Longobardi*, qui distingue fort bien la Nature universelle, le Li, le Xangti, de la nature particuliére de l'Ame. » La Nature universelle, dit-il, ne vient » & ne va pas, mais l'ame vient & va, monte & descend. « C'est-à-dire, elle est tantôt unie à un corps grossier, tantôt à un corps plus noble

&

& plus ſubtil ; & c'eſt donner à entendre qu'elle ſubſiſte, car autrement elle retourneroit dans la Nature univerſelle. Voyons comme le P. *de Ste. Marie* en parle (p. 40.) » Les Chinois ont differentes erreurs touchant nos ames. Les uns croient, qu'elles ne meurent point, qu'elles » déménagent ſeulement & vont animer divers corps d'hommes, & de » bêtes, où elles renaiſſent ; les autres qu'elles deſcendent aux Enfers, » d'où après quelque ſejour elles ſortent. D'autres les reconnoiſſent im» mortelles, & prétendent qu'elles errent dans les montagnes les plus » éloignées, & ils appellent ces Ames XIN SIEN. On dédie ſous ce » nom-là des chapelles. Les Lettrés & les plus ſavans croyent que nos » ames ſont une petite portion d'air ſubtil, ou une vapeur ignée & cé» leſte, detachée de la plus ſubtile matiére du Ciel, d'où elles tirent » leur origine ; & que lors qu'elles quittent leur corps, elles remontent » au Ciel comme à leur centre, d'où elles ſont ſorties, & où elles ſe » confondent. « La ſomme Philoſophique Chinoiſe SIM LI TA CIVEN Tom. 28. Traité de l'ame & du corps, dit, » que la propre & véri» table origine de l'ame aërienne eſt dans le Ciel, où elle vole pour y » devenir une même ſubſtance avec lui. L'origine du corps eſt la Terre, » où il va ſe réſoudre & ſe changer en elle. « Cet auteur eſt des tems poſtérieurs, & ſon autorité n'approche pas de celle des anciens. Cependant on n'a point beſoin de l'abandonner. Je crois que la Traduction de ce paſſage ſe reſſent un peu de la prévention de celui qui la donne, en diſant que l'ame devient une même ſubſtance avec le Ciel. Peut-être qu'il veut dire ſeulement qu'elle s'y unit. Mais quand le paſſage diroit ce qu'on lui fait dire, des expreſſions ſi generales peuvent toujours recevoir un bon ſens. Car tous les Eſprits celeſtes ſont de la ſubſtance du Ciel, & l'Ame devenant un Eſprit celeſte devient par là d'une même ſubſtance avec le Ciel. Mais par le Ciel on entend toute l'Hierarchie céleſte, *exercitus cœlorum*, ſous le Grand Monarque de l'univers. Et ce Ciel n'eſt pas ſeulement dans le Ciel viſible, car au ſentiment des Chinois cité ci-deſſus, l'air du Ciel (avec des Eſprits céleſtes) ſe répand par-tout. Ainſi il n'eſt point néceſſaire, ſelon eux, de concevoir les Ames comme tout-à-fait éloignées. Aller par-ci par-là dans les montagnes, monter &.deſcendre, être à côté du XANGTI, ne ſont que des manieres de parler ſenſibles.

LXV. L'immortalité de l'Ame ſera encore plus éclaircie, quand on reconnoitra que vraiſemblablement, ſelon l'ancienne doctrine Chinoiſe, les Ames reçoivent des recompenſes & des châtimens après cette vie. Il eſt vrai que la ſecte des Lettrés ne parle ni du Paradis ni de l'Enfer, & le Docteur *Michel*, Chinois Chrêtien, l'avoua en ſoûpirant (*Longobardi* ſect. 17. §. 24.) & en loüant la ſecte de FOE, qui propoſe l'un & l'autre. Il paroit auſſi que les Chinois modernes, qui veulent paſſer pour les plus éclairés, ſe moquent, quand on leur parle de l'autre vie (ſect.

(sect. 17. §. 8.). Mais peut-être ne s'en moqueront-ils pas toujours, quand ils considéreront que cette suprême substance, qui selon eux-mêmes est la source de la sagesse & de la justice, ne doit pas agir moins parfaitement sur les Esprits & les Ames qu'elle produit, qu'un Roi sage dans son Royaume agit sur des sujets, qu'il ne produit pas selon son inclination, & qu'il lui est plus difficile de gouverner, puisqu'ils ne dépendent pas de lui absolument. Ainsi cette Monarchie des Esprits sous ce grand Maître, ne doit pas être moins réglée qu'un Empire des hommes, & par conséquent il faut que les vertus soient recompensées & les vices punis sous ce gouvernement: ce qui n'arrive pas assez dans cette vie. C'est aussi ce que les anciens Chinois ont insinué. Nous avons déja remarqué, qu'ils mettent un Empereur sage & vertueux à côté de XANGTI; qu'ils considérent les ames des grands hommes comme des Anges incarnés. Le P. *de Ste. Marie* (p. 27.) cite le XI-KING, qui est un des cinq principaux livres des Lettrés, où ils font mention de quelques-uns de leurs anciens Rois, qui après leur mort montérent au Ciel, pour éclairer, & pour aider (je crois qu'on doit traduire pour assister & pour servir) ce Roi très-haut XANGTI, & pour s'asseoir à sa droite & à sa gauche. Et il est dit dans le même livre, que les Rois montant de la terre au Ciel, & descendant du Ciel en terre, peuvent favoriser & secourir le Royaume, en qualité de Patrons & de Protecteurs.

LXVI. Le Culte des Ancêtres & des grands hommes institué par les anciens Chinois, peut bien avoir pour but de marquer la gratitude des vivans, vertu chérie & recompensée du Ciel, & pour exciter les hommes à faire des actions, qui les rendent dignes de la reconnoissance de la postérité. Cependant les anciens en parlent, comme si les Esprits des vertueux ancêtres, environnés d'un rayon de gloire à la Cour du Monarque de l'Univers, étoient capables de procurer du bien & du mal à leurs descendans. Et il paroit au moins par là qu'ils les ont conçus comme subsistans. Il est bon de voir comment ils se sont expliqués. Au rapport du P. *de Ste. Marie* (p. 21. seq.) CONFUCIUS chap. 17. de son livre CHUNG-IUNG fait l'Empereur XUM auteur du culte des Ancêtres. Cet Empereur selon la Chronologie Royale (un des livres classiques) appellée TUNG-KIEN, c'est-à-dire, Histoire universelle, a été le cinquiéme après la fondation de la Monarchie. CONFUCIUS l'en loue extrêmement, & attribue la prospérité de l'Empire à ce culte, audit endroit, & aussi chap. 78., & il propose les anciens Rois en cela pour modèles à la postérité. Il dit aussi vers la fin de ce chapitre, que celui qui sauroit parfaitement ce que le culte du Ciel & de la Terre renferme en soi, & la juste raison qu'il y a de sacrifier à ses ancêtres, pourroit se promettre une paisible prospérité, & un sage gouvernement dans tout le Royaume, avec autant de certitude que s'il les tenoit dans sa main.

LXVII. Il est vrai que les Chinois Lettrés ne parlent ni d'enfer, ni de

de purgatoire : mais il se peut que quelques-uns d'entre eux croient ou ont crû autrefois, que les ames errantes, qui rodent par-ci par-là, à travers des montagnes & des forêts, sont dans une espèce de purgatoire. Nous avons déja parlé de ces ames errantes. Et sans faire trop de comparaison entre les sentimens des Chrêtiens & des payens, on peut dire, qu'il se trouve quelque chose d'approchant dans la vie de *S. Conrad* Evêque de Constance, publiée dans le Tome second de mon recueil, où l'on rapporte, que lui & son ami *S. Udalric* trouvérent des Ames en forme d'oiseaux condamnées aux cataractes du Rhin, qu'ils délivrérent par leurs priéres. Peut-être aussi que, selon quelques-uns de ces Chinois Lettrés, anciens ou modernes, les Ames punissables deviennent des Esprits destinés à de bas offices, à garder les portes, la cuisine, les fourneaux ; jusqu'à ce qu'ils ayent expié leurs crimes. Nous sommes trop peu instruits de la doctrine de ces Lettrés pour entrer dans le détail de leurs sentimens.

SECTION QUATRIE'ME.

DES CARACTERES DONT FOHI FONDATEUR DE L'EMPIRE CHINOIS S'EST SERVI DANS SES ECRITS, ET DE L'ARITHMETIQUE BINAIRE.

LXVIII. *Des caractères de* FOHI, *fondateur de l'Empire.* LXIX. *De l'arithmétique binaire.* LXX. *De l'arithmétique quinaire, denaire, &c.* LXXI. *De l'arithmétique binaire.* LXXII. *De l'addition.* LXXIII. *De la soustraction & de la multiplication.* LXXIV. *De la division.* LXXV. *De l'utilité de l'arithmétique binaire.*

LXVIII. Il y a bien de l'apparence, que si nos Européens étoient assez informés de la Literature Chinoise, le secours de la Logique, de la Critique, des Mathématiques & de nôtre maniere de nous exprimer plus déterminée que la leur, nous feroit découvrir dans les Monumens Chinois d'une antiquité si reculée, bien des choses inconnues aux Chinois modernes, & même à leurs interprètes postérieurs, tout classiques qu'on les croie. C'est ainsi que le R. P. *Bouvet* & moi nous avons découvert le sens apparemment le plus véritable selon la lettre des caractères de FOHI fondateur de l'Empire, qui ne consistent que dans la combinaison des lignes entiéres & interrompues, & qui passent pour les plus anciens de la Chine, comme ils en sont aussi sans difficulté les plus simples. Il y en a 64 figures comprises dans le livre appellé YE KIM, c'est-à-dire, le livre des Variations ; plusieurs siécles après FOHI, l'Empereur VEN' VAM & son fils CHEU CUM, & encore plus de cinq siécles après le célébre CONFUCIUS, y ont cherché des mystères philosophiques. D'autres en ont même voulu tirer une maniére de Géomance, & d'autres vanités semblables.

blables. Au lieu que c'est justement l'Arithmétique Binaire, qu'il paroît que ce grand Législateur a possédée, & que j'ai retrouvée quelques milliers d'années après. Dans cette Arithmétique il n'y a que deux notes 0 & 1, avec lesquelles on peut écrire tous les nombres; & quand je la communiquai au R. P. *Bouvet*, il y reconnut d'abord les caractères de FOHI, car ils y répondent exactement. Mettant la ligne interrompue — — pour 0 ou zero, & la ligne entière —— pour l'unité 1. Cette Arithmétique fournit la plus simple maniere de faire des variations, puisqu'il n'y a que deux ingrediens. De sorte qu'il paroit que FOHI a eu des lumiéres sur la science des combinaisons, de laquelle je fis une petite dissertation dans ma premiére jeunesse, qu'on a reimprimée longtems après, malgré moi. Mais cette Arithmetique ayant ete absolument perdue, les Chinois posterieurs n'avoient garde de s'en aviser. Et ils ont fait de ces caractères de FOHI je ne sçai quels symboles & Hieroglyphes, comme on a coutume de faire quand on s'écarte du veritable sens; & comme le bon Pére *Kircher* a fait par rapport à l'ecriture des obelisques des Egyptiens, où il n'entendoit rien. Et cela fait voir aussi que les anciens Chinois ont extrémement surpassé les modernes, non-seulement en pieté (qui fait la plus parfaite morale) mais encore en science.

LXIX. Mais comme cette Arithmétique Binaire, quoiqu'expliquée dans les Mélanges de Berlin, est encore peu connue, & que son parallelisme avec les caractères de FOHI ne se trouvent que dans le journal Allemand de feu Monsieur *Tenzelius* de l'an 1705. je veux l'expliquer ici, où cela semble venir très à propos, puis qu'il s'agit de la justification des dogmes des anciens Chinois, & de leur préférence sur les modernes. J'ajouterai seulement avant que d'y venir, que feu Monsieur *André Muller* natif de Greiffenhagen, Prevôt de Berlin, l'homme de l'Europe qui sans en être sorti avoit le plus étudié les caractères Chinois, a publié avec des notes ce qu'*Abdalla Beidavæus* a écrit de la Chine; & cet Auteur Arabe y remarque que FOHI avoit trouvé *peculiare scribendi genus*, *Arithmeticam*, *contractus & Rationaria*, une maniére d'écrire particuliére, l'Arithmétique, les contracts & les comptes; où ce qu'il dit de l'Arithmétique confirme mon explication des caractères de cet ancien Roi Philosophe, par laquelle ils sont reduits aux nombres.

LXX. Les anciens Romains se servoient d'une Arithmétique mêlée de la quinaire & de la denaire; & l'on en voit encore quelque reste dans les jettons. L'on voit dans *Archimède* sur le nombre du sable, qu'on entendoit déja de son temps quelque chose d'approchant de l'Arithmétique denaire, qui nous est venue des Arabes, & qui paroit avoir été apportée d'Espagne, ou du moins rendue plus connue par le célebre *Gerbert*, depuis Pape sous le nom de *Sylvestre II.* Elle paroit être venue de ce que nous avons dix doigts. Mais comme ce nombre est arbitraire, quelques-uns ont proposé d'aller par douzaines, & douzaines de douzaines &c.

Au

Au contraire feu M. *Erhard Weigelius* alla à un moindre nombre, attaché au quaternaire ou Tetractys à la façon de *Pythagore*; ainsi comme dans la progression par 10, nous écrivons tous les nombres dans sa progression quaternaire par 0, 1, 2, 3, par exemple 321 lui signifioit 48 + 8 + 1, c'est-à-dire 57 selon l'expression commune.

LXXI. Cela me donna occasion de penser, que dans la progression binaire ou double, tous les nombres pourroient être écrits par 0 & 1. Ainsi

1	1
10	2
100	4
1000	8
10000	16
100000	32
1000000	64
&c.	&c.

10 vaudra 2
100 vaudra 4
1000 vaudra 8
&c.

Et les nombres tout de suite s'exprimeront ainsi:

0	0
1	1
10	2
11	3
100	4
101	5
110	6
111	7
1000	8
1001	9
1010	10
1011	11
1100	12
1101	13
1110	14
1111	15
10000	16
10001	17
10010	18
10011	19
10100	20
10101	21
10110	22
10111	23
11000	24
11001	25
11010	26
11011	27
11100	28
11101	29
11110	30
11111	31
100000	32
&c.	&c.

Ces Expressions s'accordent avec l'Hypothese, par exemple
$111 = 100 + 10 + 1 = 4 + 2 + 1 = 7$ $11001 = 10000 + 1000 + 1 = 16 + 8 + 1 = 25$
Elles peuvent aussi être trouvées par l'addition continuelle de l'unité, par exemple

Les points marquent l'unité que dans le calcul commun on retient dans la mémoire.

```
    1
  . 1
-----
   10
    1
-----
   11
. . 1
-----
  100
    1
-----
  101
  . 1
-----
  110
    1
-----
  111
. . 1
-----
 1000
```

Mais pour continuer tant qu'on voudra cette Table de l'expreſſion des nombres pris de ſuite, ou naturels, on n'a pas beſoin de calcul, puis qu'il ſuffit de remarquer que chaque colomne eſt périodique, les mémes periodes recourans à l'infini; la premiére contient 0, 1, 0, 1, 0, 1, &c. la ſeconde 0, 0, 1, 1, 0, 0, 1, 1, &c. la troiſiéme 0, 0, 0, 0, 1, 1, 1, 1, 0, 0, 0, 0, 1, 1, 1, 1, &c. la quatriéme 0, 0, 0, 0, 0, 0, 0, 0, 1, 1, 1, 1, 1, 1, 1, 1, 0, 0, 0, 0, 0, 0, 0, 0, 1, 1, 1, 1, 1, 1, 1, 1, &c. & ainſi des autres colomnes, ſuppoſant que les places vuides au-deſſus de la colomne ſoient remplies par des zéro. Ainſi on peut écrire ces colomnes tout de ſuite, & par conſequent fabriquer la Table des Nombres naturels ſans aucun calcul. C'eſt ce qu'on peut appeller *la Numération.*

LXXII. Quant à *l'Addition*, elle ne ſe fait qu'en comptant & pointant lors qu'il y a des nombres à ajouter enſemble, faites l'addition de chaque colonne à l'ordinaire, ce qui ſe fera ainſi. Comptez les unités de la colonne, ſi elles ſont par exemple 29. Voyez comment ce nombre eſt écrit dans la Table, ſavoir par 11101. ainſi vous écrirez 1 ſous la colomne, & mettrez des points ſous la ſeconde, troiſieme & quatriéme colomne après. Ces points marquent, qu'il faut compter par après une unité de plus dans la colonne.

LXXIII. La *Souſtraction* ne peut être que très-aiſée. La *Multiplication* ſe reduit à de ſimples additions, & n'a point beſoin de la table Pythagorique; il ſuffit de ſavoir que fois 0 eſt 0, que 0 fois 1 eſt 0, que 1 fois 0 eſt 0, & que 1 fois 1 eſt 1.

LXXIV. La *Diviſion* n'a pas beſoin qu'on talonne comme dans le calcul ordinaire. Il faut ſeulement voir ſi le diviſeur eſt plus ou moins grand que le précédent reſidu. Au premier cas la note de quotient eſt 0, au ſecond cas elle eſt 1, & le diviſeur doit être ôté du précédent réſidu pour en avoir un nouveau.

LXXV. Ces facilités ſont celles qu'un habile homme a propoſées depuis l'introduction de cette Arithmetique dans certains calculs. Mais la principale utilité eſt, qu'elle ſervira beaucoup à perfectionner la ſcience des nombres, parce que tout y va par périodes; & c'eſt quelque choſe de très-conſiderable que les puiſſances d'un même degré faites par l'exaltation des nombres naturels miſes tout de ſuite, quelque haut que ſoit ce degré, n'ont pas des périodes plus grandes que les nombres naturels mêmes qui ſont leurs racines.

EX-

EXCERPTA EX EPISTOLIS MATURINI VEYSSIERE LA CROZE AD SEBASTIANUM KORTHOLTUM

datis.

N°. I.

I. *Veteres Sinenses inter Atheos sunt referendi.* II. *De Antiquitate Philosophiæ Sinicæ.*

I. SI quid otii supereſſet, nihil certè jucundius agerem, quàm virorum eruditorum, tui ſimilium, frequenti litterarum commercio benevolentiam alere, mihique conciliare vehementiùs in ſingulos dies. At breviſſimus ero inopia temporis excluſus: Quamvis materiæ tanta abundet copia, labori faber ut deſit haud fabro labor. Nihil miror ſupervacuos *Leibnitii* conatus in purgandis Loiolitarum Sinenſium ſuperſtitionibus. Nimirum hoc habuit, vir alias incomparabilis, ut facilè blanditiis & adulationibus expugnaretur. Atqui a nullis unquam hominum tantopere laudatus & commendatus fuit, qua privatis litteris, qua etiam teſtimoniis compluribus paſſim in lucem emiſſis. De quæſtione quam moves cum eo ipſe ſæpius diſputavi, deprehendique eum in re haud ſatis ſibi cognita eam opinionem amplexum eſſe, quæ amicis ſuis purgandis commodior eſſe videretur. Jam valde dubito an unquam *Nicolai Longobardi* tractatum legerit, cui nihil omnino reponi poſſe videtur. Neque is ſolus eſt inter Loiolitas, qui CONFUCII & litteratorum Sinenſium Atheiſmum faſſus ſit. Ut Patrem *Viſdelou* taceam, ante aliquot annos a Superioribus ſuis ex Imperio Sinarum propterea ejecti, multi alii olim fuerunt qui idem palam profiterentur. Sic P. *Adrianus Greſlon* Loiolita Gallus, Relationis ſuæ p. 82. *Toutes les ſectes de la Chine ſont fauſſes, parce qu'elles ſont toutes oppoſées à la Loi de Dieu .... néanmoins il y en a trois d'approuvées ; celle des Lettrés qui condamne le culte des idoles, & qui n'eſt, à proprement parler, qu'un Athéiſme, eſt approuvée par les Loix du Royaume.* Ipſe *Martinius* veritate victus id faſſus eſt Epiſt. pag. 11. ubi de litteratis Sinenſium hæc ait ; *de ſummo ac ſupremo omnium auctore mirum apud omnes ſilentium.* Sic P. *le Favre*, alias *Faber*, Tract. p. 93. de ſecta litteratorum ; *merus eſt Atheiſmus,* ſed

sed in nonnullis idololatria admixtus. Cesso inquirere in complures alios, qui idem testati sunt. Nunc Loiolitæ, cùm tot testimoniis evidentibus urgeantur, ad primævam Sinensium antiquitatem provocare solent, sed frustra, cùm ipsorum Theogoniam, sive Metaphysicam Atheismi systema merum esse luculenter probaverit *Nicolaus Longobardi, vir supra captum ingenii Loiolitici candidus & sincerus.* Eum Tractatum Hispanicè edidit cum annotationibus suis *Dominicus Fernandez Navarreta*, Tom. I. Tractatuum suorum Historicorum de Imperio Sinensi, pag. 245. & seq. Ibi quid sint substantiæ spirituales ex mente Sinensium explicatur his verbis, p. 251. *Los interpretes afirman uniformemente, que la* LING-HOEN (anima) *no es mas que una entitad aërea, ò ignea, la qual, despues de apartarse del cuerpo, sube a lo alto, y torna a unirse con la sustancia del Cielo, con la qual es una mesma cosa.* Idem luculentiùs interpretatur *Longobardus*, p. 281. Unde certum est sententiam Philosophorum Sinensium eandem esse atque Ægyptiorum veterum, a quibus certò scio eos ante multa sæcula dogmata fere omnia sua hausisse. Sic autem *Teonoe* Ægyptia *Protei* filia in *Helena Euripidis*.

ὁ νοῦς
Τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὐ, γνώμην δ' ἔχει
Ἀθάνατον, εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.

Ubi nihil disputo de sensu vocis γνώμη, quæ si quid hic probat πανθεισμὸν, non *Deismum* inducit. Sinenses verò, ne CONFUCIO quidem excepto, Cælo materiali vim cæcam tribuunt, nihil cognoscentem, quæ naturæ legibus & fato cuidam pariter cæco obsequatur. LI autem illud quod pro Regula æterna, sive summa Ratione vult haberi *Leibnitius*, præter mentem omnium Sinensium, nihil aliud est quàm Chaos, seu materia prima, principium omnium rerum, ut *Longobardus* exemplis & auctoritatibus clarissimis demonstrat, p. 260. & 261. Adde *Navarretam* harum rerum peritissimum hic in re ut & in pluribus aliis *Longobardo* consentientem. Ceterum celeberrimum est apud Sinenses Axioma, VUAN VUE IE TI, omnia sunt unum, quod ita interpretatur, ut unam esse omnium rerum substantiam & essentiam, pariter atque *Spinosa* affirment. Plurima hanc in rem afferre possem: at ea excederent epistolae limites. Ut tamen tibi certius constet de CONFUCII ipsius, quem Loiolitæ tantopere extollant, sententia hæc describere pergam ex *Longobardo*, p. 258. *En el libro llamado* KIA IU, *queriendo librarse del todo el* CONFUCIO *de responder a las preguntas que muchos le hazian acerca de los espiritus, alma racional, y cosas despues de la muerte, se resolviò a dar una regla general, diziendo; Las cosas que estan dentro de las seis posiciones, (esto es, dentro de este mundo visible, y son visibles) disputense, y no se dude dellas; pero las cosas que estan fuera de las seis posiciones, (esto es, que estan fuera de este mundo visible, y son invisibles) dexense estar como*

como estan, y no se dispute dellas. Infinita sunt alia argumenta quibus probari possit CONFUCIUM Atheum fuisse. Id vel ejus libri latinè a Loiolitis editi satis superque demonstrant. *Alexander de Rhodes* celeberrimus Loiolitarum in Regno Tunquinensi Missionarius Catechismum edidit linguis Tunquinensi & latina ubi p. 113. de CONFUCIO hic habet. » Ipsi CONFUCIO cultum exhibent Sinæ, illumque sanctum & bonum » per antonomasiam nominant; sed immeritò ita loquuntur: vel enim » CONFUCIUS ille supremum noverat rerum omnium Conditorem ac » Dominum, qui est totius sanctitatis, & bonitatis fons & origo, vel » non noverat. Si noverat, cùm esset magister, illum debebat disci- » pulis indicare, ut cultum illi debitum exhiberent, quod cùm non » fecerit, non potuit esse bonus, aut sanctus, sed potiùs perversus & » malus &c. «

II. Quod ad antiquitatem Philosophiæ Sinensis pertinet vix eam crediderim CONFUCIO valde antiquiorem; nec puto temerè rejiciendam aut damnandam ea in re *Renaudoti* sententiam. Tantam autem similitudinem inter mores, fabulas, historias & scribendi rationem Sinensium & Ægyptiorum deprehendi, ut ferè nihil dubitem illorum doctrinas ab Ægyptiacis fontibus fluxisse (*a*). Nec desunt antiqui scriptores qui *Sesostrim* usque ad terminos maris orientalis Asiatici peregrinatum esse cum exercitibus affirment. Quicquid sit, ineptum & impium esse puto Sinenses antiquitates Ebraicis anteponere. Lege, sodes, *Martinii* Historiam Sinensem. Quot fabulas, etsi fucatas & ornatas deprehendes, quibus nemo sapiens fidem habendam esse censuerit? Res Loiolitarum hodie afflictissimæ sunt in Imperio Sinensi, nec dubito quin aliquando omnino ejiciantur; quod jam ferè ubique in Oriente ipsis accidit, cùm alieni consortii impatientes soli ubique regnare velint. Ita ex Æthiopia, Japonia, Malabaricis regnis, Ceylano insula pulsi sunt, occlusa, sine ulla spe reditûs, omnibus aliis Pontificiis, omni spe eò redeundi. Nimirum aut regnare volunt, aut omnia evertere.

Accepi ante biennium epistolam quam Imperator Sinensis CAMHI, typis Sinensibus, Tartaricis & Latinis editam per Moscoviam & Indias in Europam misit. Illius epistolæ latinum exemplum mitto ab amico quodam meo descriptum (*b*). Hinc intelliges Loiolitarum auctoritatem sensim labare. Nuper autem dictum est eos planè ejectos esse, quod

 certè

(*a*) Conf. Journ Litter. T.VIII. p. m. 341. 452.

(*b*) Nos VTOVRY, VOAMTAOHOA, TCHAOTCHAM, AVLOE QUINTIEN, & ejusmodi, ubi libri conficiuntur, locorum Mandarini, obedientes reverenter Imperatoris mandato, ad omnes qui ex Europa appulerant, scribimus.

Anno KAMHI 45. P. P. *Ant. Barros* & *Ant. Beauvolier* anno KAM-HI 47. P. P. *Joses Provana* & *Raymondus de Arxo* de mandato Imperatoris in Europam missi sunt. Multis abhinc annis, non modò nullum responsum venit, unde verum a falso discerni non potest, sed etiam confusi rumores afferuntur. Idcirco Moscovitis

certè nolim, vel ob commercium eruditum, cujus ſcintillæ quædam eorum opera conſervantur.

Cl. *Moshemio* plurimam ſalutem dico. Spero eum accepiſſe *Serveti* librum, quem ſuperioribus nundinis per *Felginherum* Bibliopolam Hamburgenſem ad eum mitti curavi. Vale, Vir Ampliſſime, & epiſtolam hanc confuſam & feſtinato elaboratam æqui bonique conſule. Iterum vale. *Dabam Berolini pridie nonas Decembris* 1720.

N°. II.


De Longobardi tractatu de Sinenſium religione.

LOngobardi tractatum de Sinenſium Religione gallicè editum eſſe neſciebam. Id tu me primus omnium docuiſti, qui plura alia docere potes. Ceterum ex editione Hiſpanica *Navarretæ* ea verſio derivata eſt, in qua ſub finem Sectionis XVII. hæc verba legantur, ſimilia illis quæ gallicè in Epiſtola tua deſcripſiſti. *Eſte Preludio* (ſic Sectiones appellat) *que era muy neceſſario falta, conque el Tratado queda trunco y imperfecto, no obſtante que tiene lo ſuficiente para quien eſtá en la materia.* Editio mea *Navarretæ* ea eſt quam indicas, neque aliam extare puto. Inter ſcriptores eos omnes, qui de rebus Sinenſium ſcripſerunt, is unus excellit, ingenio, candore, perſpicuitate nemini ſecundus. Sæpe mirari ſubiit hunc hominem qui nihil diſſimulare noverat, Madriti typis Regiis, cenſuris Inquiſitorum munitum, in publicam hominum lucem emitti potuiſſe. Candoris illius, quem omni laude dignum cenſeo, hic tibi vel unum ſpecimen adſcribam. p. 340. col. 2. *El Idolo celebre llamado San Pao ... es, ſin quitar ni poner, como la Imagen de la Trinidad Santiſſima que eſta en el Altar mayor de el Convento de la Trinidad de Madrid; qualquier Chino que la viera, dixera al punto, que por aca ſe adorava al San Pao de ſu tierra y Reyno.* Quod ad notas attinet locu-

covitis rurſus tradita eſt epiſtola deferenda, quam veriſimile eſt perveniſſe. Certè quidem cùm homines a nobis miſſi redieriut & negotia omnino clara fuerint, tunc adhiberi fides poterit. At niſi homines a nobis miſſi revertantur, deerit verum fundamentum: & etiamſi quæcunque epiſtolæ vel nuntia venerint, omnino credi non poteſt. Et veriti ne literæ penetrare non poſſint, has ſcribimus: his verſio europea adjiciatur: omnia typis mandentur: Proregis Cantonienſis ſigillo muniantur: non autem claudantur, plurimaque exemplaria omnibus recenter advectis Europæis diſtribuantur, quæ ipſi ſecum aſportent. Datum An. KAM HI 55. (1716.) 9. Lunæ die 17. (Octob. 31.)

De mandato Imperatoris ſubſcripſimus *Kilianus Stumpf* S. J. *Dominicus Parrenin* S. J. *Joſeph Baudinus* S. J. *Petr. Vinc. de Tartre* S. J. *Frantz Bautlin* S. J. *Mattheus Ripa* Miſſion. Aplicus Sacr. Congreg. de Prop. Fide. *Joſephus Suares* S. J. *Petrus Jartoux* S. J. *Jacobus Brocard* S. J. *Theodor. Pedrini* M. A. *Joann. Franciſc. Foucquet* S. J. *Joannes Mourois* S. J. *Joſeph Caſtiglione* S. J.

locupletes & copiosas quas idem *Navarreta* unicuique *Longobardi* sectioni subjunxit, id tibi candidè præstare possum, eas ita comparatas esse, ut controversiæ reliquias omnes, si quæ sint, tollant; vixque dubito quin *Leibnitius* manus daturus fuisset, si quidem iis potuisset uti. *Navarretæ* ea in re auctoritatem eo majoris faciendam arbitror, quod & longo usu duodecim annorum Sinensium instituta noverat, & linguæ Sinensis peritissimus erat, scriptis etiam nonnullis ea Dialecto, iisque litteris, libris, quorum in tractatibus suis historicis subinde meminit. *Sarpetri* ille Dominicanus qui se *Navarretæ* opposuit, nebulo erat Sinensium litterarum ignarus, ob mores parum castigatos a Superioribus suis è Sinensi Missione postea ejectus, ut testantur & Apologia Dominicanorum contra Loiolitas, & Moralis, ut vocant, practica, in qua hæ controversiæ omnes accuratissimè discutiuntur. Si quid accuratum & castigatum legere voles de his rebus, eos libros tibi inprimis commendo. In *Schlaveckii* epistola multa sunt fide Loiolitica dicta. Nihil mihi certius videtur quàm CONFUCIUM Pantheistam fuisse, idque præter *Longobardum* alii Loiolitæ confessi sunt, ut *Alexander de Rhodes* in Catechesi Tunquinensi, quam domi meæ habeo, & doctissimus alter ejusdem Societatis P. *Visdelou* nobilis Gallus, quem adhuc vivum superesse puto. Is cùm plurimam operam dedisset legendis Sinensium Philosophis, palam professus est, se ad eorum sententiam accedere qui eos Atheismum docuisse affirmant, hancque mercedem sinceritatis suæ tulit, ut è Sinensi Imperio ejiceretur. Longè plura eam in rem afferri possent, quæ brevitas epistolæ non admittit. *Dabam Berolini, die* XXII. *Mensis Julii* 1721.



EXCERPTUM

EXCERPTUM EX EPISTOLA G. G. LEIBNITII AD PATREM KOCHANSKI.

De arcano clavis Sinicæ.

CLavis *Sinicæ* arcanum consistere debebat in characterum analysi, ut compositi ad simpliciores reducerentur, sed vereor ne in illis contingat, quod in etymis vocabulorum, quæ post longa tempora, multasque verborum a primis significatibus translationes, plerumque periêre. Interea aliquid utile, præstari posse ab iis putem, qui characterum potissimorum explicationem ad manus haberent.

FINIS PART. I. VOL. IV.



GODEFRIDI GUILIELMI

LEIBNITII

OPERUM

TOMI QUARTI PARS SECUNDA;

CONTINENS OPUSCULA

AD

HISTORIAM ET ANTIQUITATES

PERTINENTIA.



G. G. LEIBNITII

INTRODUCTIO

IN COLLECTIONEM SCRIPTORUM,

HISTORIÆ BRUNSVICENSI INSERVIENTIUM;

Quæ prodiit Hanoveræ an. 1707. *& seq. in tres tomos in folio.*



UM renatis literis viri eruditi ad Historias scribendas animum applicarent, narrationes nullis documentis firmatas dabant veterum exemplo, tamquam ad fidem faciendam autoritas scribentis sufficeret. Hoc in contemporaneis admitti poterat utcumque, præsertim si autor in rerum luce versatus scire posset, quæ posteris tradebat: sed in remotis temporibus, locisque fiducia pro veris incomperta memorantis, ex rumore, aut affectu, aut infido teste, intolerandos errores peperit; qui paulatim animadversi sunt, postquam scriptores antiquiores Typographiæ beneficio in omnium manibus esse cœpere. Nec rectè veterum exempla nobis opponuntur, solutius scribentium: quin potius eo ipso superiores sumus, quod hodie ab Historico probationes exigimus. Itaque valde laudatum est Centuriatorum Magdeburgensium institutum in tradenda Ecclesiæ Historia, ubi magna severitas ad religionem pertinebat. Et sanè *Eusebius* Cæsareæ in Palestina Episcopus exemplo insigni præierat, qui multa nobis, & egregia vetustiorum fragmenta

industria, sive felicitate, quam nunc quoque, ubi omnia fere scrinia expilata sunt, admiramur. Sed ille ut Magi famam in naturali scientia quæsivit, ita in historia pulchrum putavit Principum studiis illudere per plausibiles fabulas, confictо *Hunibaldo*, & similibus nugis, genealogiisque ultra comperta productis: Idque ipsi non obscurè à *Friderico Sapiente* Saxonum Duce, Imperii Electore, exprobratum vidi. *Maximilianus* ipse Cæsar Genealogiis imprimis delectabatur, nec Historiam minùs quàm cæteras liberales artes fovebat. Nam eum constat Viennæ Austriæ Collegium Poëtarum sub *Conrado Celta*, & aliud Mathematicorum instituisse, extatque diploma Tomo secundo *Freheri*. Iisdem, aut vicinis temporibus etiam *Hermannus* Comes Nuenarius, *Bilibaldus Pirckeimerus*, *Conradus Peutingerus*, *Jacobus Wimphelingus*, *Henricus Bebelius* meliorum literarum simul, & Historiæ patriæ studio floruere. Hos secuti sunt *Philippus Melanchthon*, *Beatus Rhenanus*, *Huldericus Mutius*, *Caspar Bruschius*, *Ortwinus Gratius*. Et cùm lux Reformationis exorta esset, excitata est magis hominum curiositas: nam Reipublicæ, & Ecclesiæ negotia à se invicem divelli non possunt.

Factum erat divino munere, ut Typographiæ inventum, & bonarum literarum introductio in Germaniam, & Reformatio sacrorum sese ordine consequerentur, non magno intervallo; & tanta commoda mutuo sibi auxilio essent. Jam veteres plurimi typis prodierant, cum de mediæ ætatis Historicis cogitari paulatim cœpit, qui elegantia, & argumento, & fama inferiores, minus curiositatem lectorum invitabant; sed non minùs necessarii erant, ut temporum series expleretur. Jam anno 1505. *Conradus Celtes* inter cætera *Roswitæ* Poetriæ Saxonis, apud Gandeshemenses Sanctimonialis etiam *Ottonis Magni* elogium carmine Latino scriptum edidit. *Peutingerus Conradi* Ursbergensis Abbatis Chronica in lucem misit anno 1515. Eodem *Johannes Cuspinianus Ottonem* Episcopum Frisingensem produxit. Mox anno 1521. *Carolo Quinto Hermannus* Nuenarius Comes *Eginhardum* inscripsit. Eidem eodem tempore *Reginonem* Abbatem Prumiensem *Sebastianus de Rotenhan* Eques Francus dicavit. *Melanchthoni* inter cætera beneficia debet Germania, hæc quoque studia excitasse non hortatibus tantùm, sed & laboribus. Nam admodum juvenis anno 1516. *Joannis Naucleri* Historiam ita digessit, atque expolivit, ut lucem ferre posset. Mox anno 1525. *Lambertum Schafnaburgem* (etsi ignorato adhuc nomine) ex Codice Augustinianorum Witebergensium descriptum Tubingæ typis summisit: multo post (*1537.*) Ursbergensis Abbatis novam editionem procuravit, ubi continuandæ Historiæ accessere paralipomena, quæ *Caspari Hedioni* tribuuntur. Suprema jam ætate (1556.) *Philippus Helmoldi* Chronica Slavorum typographo excudenda dedit, ne de *Carionis* Historia emendata, atque aucta nunc dicam.

Ex eo tempore complures in laudabile institutum eruendi nostros medii ævi Historicos incubuere, quos nominibus perstringere suffecerit: *Basilius Johannes Heroldus*, *Simon Schardius*, *Justus Reuberus*, *Christianus Urstisius*, *Andreas Vellejus* Danus, *Reinerus Reineccius*, *Petrus Pithoeus* (etsi Franco-Gallus) *Henricus Canisius*, *Marcus Velserus*, *Johannes Pistorius*, *Marquardus Freherus*, *Christophorus Gewoldus*, *Henricus Meibomius* senior, *Melchior Goldastus ab Haiminsfeld*, *Sebastianus Tengnagelius*, *Jacobus Gretserus*, *Christophorus Browerus*, *Johannes Chappeavillæus* Leodiensis. Tum *Aub. Miræus*, *Petrus Scriverius*, & *Arnoldus Buchelius* Belgæ, sed quos Germanis computo; & Franco-Galli *Andreas* & *Franciscus Quercetani*, *Jacobus Sirmondus*, *Philippus Labbæus*, *Andreas Dacherius*, *Johannes Mabillonius*, *Stephanus Baluzius*, & qui Acta Sanctorum (post *Laurentium Surium*) ediderunt, eduntque *Johannes Bollandus* cum sociis, & successoribus *Godefrido Henschenio*, *Daniele Papebrochio*, *Francisco Baertio*, *Conrado Janningo*, quibus nuper accessit *Johannes Baptista Solierius*, quos in rebus Germanicis plurimum adjuvit ex eodem ordine *Johannes Gamansius*. Præterea in eamdem curam edendi antiquiores incubuere *Hermannus Conringius*, *Johannes Henricus Boeclerus*, *Petrus Lambecius*, *Johannes Henricus Maderus*, *Johannes Schilterus*, *Christophorus Hartknochius*, *Antonius Matthæus* Junior, *Johannes Kirchmannus* Junior; & talium nos exempla secuti paucos, ante annos Accessiones Historicas edidimus, in quibus scriptores aliquot inediti, & plerique diu expetiti tandem prodierunt, habemusque adhuc materiam non unius Tomi.

Nunc constituimus scriptores aliquot uno fasce complecti, quibus *Historia Brunsvicensis* illustretur, partim ineditos prorsus, partim ex Manuscriptis Codicibus emendatos, & auctos; quibus nonnulli accedunt, quos renovamus tantùm, quia in paucissimorum manibus versantur, faciuntque egregiè in rem nostram. Ea in re *Melchioris Goldasti* & *Petri Scriverii*, & *Erpoldi Lindenbrogii* exemplum secuti sumus, quorum ille Alamannicarum (id est Sueviæ, Helvetiæque) alter Belgicarum, hic Septentrionalium rerum scriptores propriis voluminibus dedere, quemadmodum Normannicarum *Andreas Quercetanus*, Neapolitanarum *Antonius Caracciolus*, Longobardorum ulteriorum *Camillus Peregrinus*, citeriorum *Felix Osius*: speramusque exemplo nostro excitatum iri, qui idem in aliis Germaniæ regionibus præstent. Nam Austrii, Bavari, Bohemi, Francones, Saxones superiores, Marchici Rhenani, Westfali; quin etiam illustriores Principum Germanicorum familiæ non spernenda spicilegia invenient domi suæ, quibus in publicum prolatis & gloriæ suæ, & publicæ utilitati velificentur. Nos simul & Regionis Brunsvicensis, & familiæ regnantis rationem habemus, collegimusque, quæ utriusque historiam illustrent.

Sed ut melius noscatur institutum, sciendum est, Brunsvicensi, & Lune-

Luneburgensi ditione maximam partem Ostfaliæ veteris contineri, cujus Ducatum mutato nomine retinuisse, aut recuperasse *Henrici Leonis* posteros, Westfalico licet, & Angarico in *Bernardum Ascanium*, & Coloniensem Ecclesiam à *Friderico I.* Cæsare translatis non ineptè dici potest; quamquam & ex Angaria Comitatus aliquot postliminio redierint, ipsaque ditio Osnabrugensis accesserit alternis. Equidem rationes à Ducatu separatas in Saxonia ab antiquo habuere Episcopi, & Marchiones, & Comites Provinciales, ne quid de veteribus Saxoniæ Palatinis dicam. Itaque neque Orientalibus, neque Septentrionalibus Marchionibus, id est, Misnensibus, Brandeburgicisque, neque Thuringis propria huc admisimus: præsertim quod Marchiones isti non in antiqua Saxonia, sed Slavorum terris constituti erant; Magdeburgicus etiam Archiepiscopatus cum suffraganeis ad Slavos pertinebat. Sed Halberstadensium, Verdensium, Mindensiumque Episcoporum res excludi non potuere: nam & nostrorum regiones horum potissimum diœcesibus continebantur, & passim permistæ sunt ditiones. Itaque & antiqua quædam harum Ecclesiarum Chronica nondum extantia producemus.

Sed cùm nostri Principes ex Italia, & superiore Germania in has tandem regiones venerint, hinc jam operis hujus latiùs materia, quàm Brunsvicensis ditio, patet. Seculo Christi undecimo florebat in Italia Marchio *Azo* potentissimus Longobardiæ Princeps, quem cum magna illa *Mathilde* Ducatrice (ut tunc appellabatur) inter Cæsarem *Henricum Quartum*, & *Gregorium VII.* Pontificem Romanum Conciliatoris partes egisse constat: paulo ante finem seculi centenario major obiisse scribitur. Gens ejus jam ab antiquo in illis regionibus rerum latè potiebatur, neque subitò creverat. Ipse autem superum mare infero propemodum ditionibus connectebat. Marchio nunc Longobardiæ, nunc Liguriæ appellatur; nempe cui Marchiam Genuæ, & Mediolani ascripsit sequente seculo *Fridericus I.* Augustus in diplomate, quod posteris ejus Estensibus Principibus dedit. Atestina urbs vetus iis Patrimonium erat, vicinumque tractum versus Hadriaticum mare procurrentem continebat. Estenses porrò vel Atestinos antiquissimos Italiæ Principum semper habitos constat. Ipsi originem ad Romanos Atios retulere, quod neque astruere, neque refellere nostrum est. Conduntur remotiora familiarum insignium capita intra nubes incompertæ vetustatis. Duxerat *Azo* primis nuptiis *Cunigundem* ex stirpe veterum Guelforum, quæ mox defuncto sine liberis fratre Duce Carinthiæ, terrarum patrimonialium hæres fuit. In epitaphio antiquo scribitur, eam Regali stemmate fulsisse. Sanè ex illa stirpe prodierant Burgundiæ Reges, & sunt, qui etiam Capetinam, Gallicorum Monarcharum familiam ex *Judithæ* Imperatricis (*Ludovico pio* nuptæ) *Guelfi* filiæ fratre deducant. Porrò ex *Cunigunde Azo Guelfum* novorum Guelforum autorem suscepit, qui ultra majores

majores maternos, paternosque magnitudine provectus obtinuit Bavariæ Ducatum. *Guelfus* filium cognominem celeberrimæ illi *Mathildi* despondit, & licet matrimonium infœcundum fuisset, tamen ex pactis dotalibus terras postea *Mathildis* sibi vindicarunt posteri Guelfigenæ, & aliquamdiu etiam tenuerunt. *Azo* defuncta *Cunigunde* rursus insignium terrarum hæredem secundis nuptiis duxit ex Gallia *Garsendim*, Comitissam Cenomannorum; unde viri prudentiam, & existimationem intelligas. Ex eo matrimonio *Hugo*, & *Julio* nati, quorum ille Comitatum maternum obtinuit; sed *Julio* stirpem in Italia propagavit, & *Marchiones Estenses* sevit, qui mox *Ferrariam*, *Mutinam*, *Regium* ex veteri *Mathildis* ditione acquisiverunt, & tandem *Ducatus* axioma obtinuerunt. Etsi autem liberi, conjugiaque *Azonis* malè prorsus ab Historicis Atestinis, aliisque eos secutis, narrentur; ignorata secunda conjuge vera, alia secunda, tertiaque confictis; filiorum etiam depravatis nominibus, ordineque matrimoniorum perverso; tamquam *Guelfus* Dux primogenitus non fuisset: nos tamen quæ proferimus, ex certis documentis, veterumque testimoniis comperta habemus. *Guelfi* filius alter, nomine *Henricus*, in Ducatu successor, *Wulfhildem Magnonis* Ducis Saxonum, suæ stirpis ultimi filiam duxit. Inde novam rerum seriem fata paravere. Nam ex eo matrimonio natus *Henricus alter*, cum *Lotharii* Imperatoris filiam unicam duxisset, Saxoniæ Ducatum Bavarico adjunxit. Itaque cum fratre terras *Mathildis* Italorum Principis, ex patrui pacto, Imperatoris ope nactus, à mari ad mare, à Balthico ad Tuscum se dominari dictitabat. Ex defuncto socero in Imperio successurus erat, si pensare Principes voluisset: Inde *Superbi* nomen tulit. Cumque & moribus, & potentia invidiam concitasset, pulsus Bavaria, & tantum non Saxonia in ipso recuperandi conatu obiit, filio impubere relicto *Henrico*, qui postea *Leonis* nomen tulit, cui avia Imperatrix Ducatum Saxoniæ servavit. Idem adultus Bavariam recuperavit, Austria tamen multatam; quæ cum Marchia olim Bavariæ esset contra Hungaros, tunc in proprium, Ducatum *Friderici I.* beneficio, erecta est. Id solatium Bavariæ usurpatori relictum. *Henrici Leonis* magnitudinem eorum temporum autores celebrant, neque animo, aut virtute infra potentiam fuit. Sed fortunam postremo iniquam sensit, & Imperatoris, multorumque Principum conspiratione oppressus est. Tenuit tamen Brunsvicenses, Luneburgensesque, & nonnullas etiam Slaviæ terras. Idem ex *Mathilde* filia *Henrici II.* Angliæ Regis filios reliquit *Henricum*, *Ottonem*, *Wilhelmum*. *Henricus*, ducta filia, & hærede *Conradi*, qui frater Imperatoris Palatinatum Francorum habebat, sese Ducem Saxoniæ, & Comitem Palatinum Rheni tulit. *Otto* quarti nomine factus est Imperator Romanorum, cùm antea voluntate aviæ *Alionoræ* Ducatum Aquitaniæ, & Comitatum Pictaviensem nactus fuisset. Nam cum fratribus, ob

ob matrem, *Henrici II.* Regis maximam natu filiam, successioni Anglicæ proximus habebatur, nisi unus *Henricus III.* consobrinus obstitisset. Sed neque *Henricus* neque *Otto* stirpem Guelficam propagarunt. Tertio id fratri *Wilhelmo* debetur. Filius ejus unicus *Otto* cum Cæsare *Friderico II.* transegit, Ducis Brunsvicensis, & Luneburgensis nomen sumsit, oblatum à Papa Imperium recusavit, quod patrui *Ottonis IV.* malè habiti, meminisset. Ita finita est in Germania inter *Guelfos*, *Gibellinos*que contentio. Nam *Henrici* Imperatores ex Wibilingia domo orti erant, & in eorum jura, & affectus, & nomen per matrimonium successerant *Friderici Hohenstauffii*. *Guelfi* autem Cæsarum æmuli Pontificibus favebant Romanis. Sed odia in Germania inter Principes sopita, postea in Italia inter asseclas, servatis partium nominibus, exitiosius erupere. *Wibelina* familia in *Conradino* periit: *Guelfica* nostra in Germania, contenta fortunæ reliquiis, sese in meliora tempora faventibus fatis conservavit. Ex his intelligitur, præter Saxonica, etiam Italiæ, Bavariæ, Alamanniæ monumenta passim materiam, basinque Historiæ nostræ præbere; neque nobis vitio verti posse, si qua inde non vulgaria mutuò sumamus in rem nostram, & huic Collectioni Brunsvicensibus rebus profuturæ inseramus, quia Scriptores complectimur, in Tomis rerum Germanicarum, aut desideratos, aut non plenè extantes, autores etiam nonnullos. Diplomata, quorum magnus apparatus adest, alteri operi reservamus. Nunc autem ipsos scriptores, quos impræsentiarum damus, recensere operæ pretium erit. (a)

VITA S. IDÆ &c. (*Num. 8. Tom. I.*)

VIta *S. Idæ* ab *Uffingo* Monacho Werthinensi scripta, & a *Surio* primùm edita, continet res notatu dignas de Saxonum Duce post *Witikindum* primo, ejusque familia. *Ecbertus* is fuit *Idæ* maritus, qui etsi stylo curiæ Comes tantùm, Ducis tamen potestate & apud vulgus nomine sub *Ludovico Pio* Saxonum rexit: ut solebant Dominici Missi: & ejus opera Saxones Transalbini, *Caroli Magni* antea jussu trans Rhenum exulantes, in patriam sunt reducti. Nam *Carolus*, quod crebro rebellarent, & ob Danorum viciniam vix in potestate contineri posse viderentur, renovato veterum Assyriorum exemplo, aliquot eorum millia cum uxoribus & liberis in Belgicam transtulerat: sed postea cùm jam bona fide Christiani & obnoxii viderentur, *Ludovicus* ejus filius exules domum remisit.

(a) Autoris nostri vestigiis non insequemur, in suâ CLVII. scriptorum recensione, quos tribus suis voluminibus adjecit; nostræ enim collectionis molem augere nolentes, brevibus verbis, ea tantum narrabimus quæ curiositate digniora, & utiliora nobis videbuntur.

remisit. *Albertus* Stadensis antiquiores secutus, (quales nondum editi etiam nobis sunt ad manus) *Wicbertum* quendam Ducem habet, & *Witikindo* filium tribuit, quem verè non dixerim, neque an nostrum *Ecbertum* hoc nomine paulum inflexo involverit. Sanè postea *Ludolphum* Ducem *Henrici Aucupis* & *Ottonum* Augustorum progenitorem successisse in ditiones *Ecberti*, ex eodem discimus *Uffingo*. Unde suspicio est, ab *Ecberto* descendisse *Ludolphum*, vel certè ejus liberos; per mares an per fœminas, pro certo affirmari non potest. Sanè *Albertus* Stadensis eum continua masculorum serie ex *Wicberto Witikindi* filio deducit. Sed obstat, quod *Witikindus* Monachus Corbeiensis scripsit, conjugem *Henrici Aucupis* ex stirpe *Witikindi* Ducis vel Regis descendisse, idem dicturus & de marito, si eam *Ludolphi* originem novisset. *Ecbertus* & *Ida* geniti fuere, *Cobbo* Comes, *Warinus* Abbas & *Hadwid* Abbatissa. Sanè *Cobbonem Warini* fratrem facit *Egilmarus* Episcopus Osnabrugensis in querimoniis, quarum excerptum extat apud *Erdmannum* rerum Osnabrugensium scriptorem. *Warinum* autem *Ecberti* & *Idæ* filium nominant *Uffingus*, & translationis *Pusinnæ* scriptor, qui & *Hadwidem Warini* sororem facit & *Cobbonis*. Porro *Cobbo* magnæ sub *Ludovico Germanico* per totam Saxoniam autoritatis fuit. A quo extinctam Comitum Teclenburgicorum familiam derivant. *Warinus* Abbas Corbeiæ Saxonicæ, *Adalardo* successit, juniori scilicet per quem *Adalardus* senior & *Wala* frater ejus, *Caroli Magni* consobrini, Corbeiam novam ædificaverunt & rexerunt. Annales Corbeienses à Cl. *Paulino* editi *Warinum* nobilem Francum & *Adalardi* junioris fratrem faciunt, quod postremum & alii habent: sed his, quos damus, scriptoribus, tanquam propinquioribus, quemadmodum & *Egilmaro* Episcopo, libentius crediderim, *Warinum* Saxonem fuisse, non Francum, etsi mater Franca esset. *Idam* ergo patre Comite natam scribit *Uffingus*, qui à *Pipini* & *Caroli Magni* progenitoribus se ferebat, & fratres habebat clarissimos viros, qui magnis dignitatibus illustres apud exteros & apud domesticos enituerint, ut loquitur scriptor translationis *Pusinnæ*. Quinam illi *Magno Carolo* cognati, non facile definiveris. Si *Bernardus* Frater *Pipini I.* Regis *Idam* genuisset, fratres *Idæ* fuissent ipse *Adalardus* senior & *Walla*: Sed hos ab illis distinguit scriptor ipse translationis. Neque tantum *Idæ* aut *Warini* decus *Uffingus* & Corbeienses Saxonici ignorassent aut tacuissent; *Adalardi* tamen & *Walæ* matrem Saxonem facit, qui vitam *Walæ* posteris reliquit, & hunc ex Saxonum genere, materno scilicet, ortum scribit. Unde credo ipsi fratrique necessitudines in Saxonia, & cogitatio de condenda apud Saxones nova Corbeia. Quoniam ergo *Ida* non fuit horum soror, neque adeò *Caroli*que *Magni* consobrina, an altiùs assurgendo, dicemus, patrem ejus fuisse *Nibelungum* Matriacensem Comitem *Childebrando* natum, quem *Caroli Martelli* fratrem (ex patre an matre ambigunt quidam) *Fredegarius* facit? an *Theodericum*, Regiæ & ipsum cognationis, quem quidam

quidam *Nibelungi* fratrem volunt, magnæ apud *Carolum Magnum* autoritatis, & Ripuariis Præfectum, qui Westfalis proximi erant. *Nibelungi* per filium cognominem nepos tertius *Nibelungus* fortasse is est, quem *Rosvita* poëtria Saxonica *Bilungum* vocavit, patrem *Odæ*, quæ fuit uxor *Ludolfi*, Saxonum Ducis, à quo *Ottones* Cæsares descendunt; quos ab *Ecberto* ortos non semel sum suspicatus, quando & in hæreditariis terris & in Ducatu *Ludolphus* successit. Hæc fusius differere operæ pretium fuit, quia primorum Saxoniæ Ducum res illustrant.

VITA B. MATHILDIS, REGINÆ GERMANIÆ.

(*Num. 13. Tom. I.*)

Autor hujus Vitæ regnante *Henrico Sancto* vixit, ut ipse testatur. *Mathildis* Regina conjux fuit *Henrici I.* Regis Germaniæ ex vetustissima Brunsvicensium Principum stirpe. Nam *Henrici* Regis patrui duo, *Bruno* & *Tancmarus* vel *Tankwardus*: ille Brunswigæ, hic Tankerodæ, quæ postea cum Brunswiga in unam urbem coaluit, conditores fuisse scribuntur. Regina autem *Mathildis* fuit ex stirpe *Witikindi Magni*. Ita enim *Witikindus* Corbeiensis Monachus Lib. I. *Erat namque ipsa Domina Regina filia* Thiaderici, *cujus fratres erant* Witekind, Immed, Reginbern. Reginbern *autem ipse erat, qui pugnavit contra Danos multo tempore Saxoniam vastantes, vicitque eos liberans patriam ab illorum incursionibus usque in hodiernum. Et hi erant stirpis magni Ducis* Widekindi, *qui bellum potens gessit contra* Magnum Carolum *per triginta fermè annos.* Hunc locum *Albericus* Monachus trium fontium (quem nos edidimus) & Vir in his studiis egregius, *David Blondellus*, ita accepere, tanquam *Witekind*, *Immed*, *Reginbern*, *Thiaterici* fratres fuissent: at *Gobelinus* Reginæ ipsius fratres facit. Ab *Immedo* & *Immedingis* Sabaudiæ Duces genus repetunt, *Amadæorum* frequens in sua gente nomen huc referentes. Idem *Gobelinus Thiadericum* vocat Comitem Oldenburgensem, quem Magni Chronici Belgici Autor & *Schiphowerus* in Chronico Oldenburgensium Comitum, nuper à *Meibomio* edito, sunt secuti. Nec dissentit noster vitæ scriptor, qui in occidentali Regione, id est Westfalia, Comitem gloriosum fuisse notat. Mater Reginæ *Reinhildis Ditmaro* & nostro Biographo dicitur, qui addit Danorum Frisonumque germine procreatam. Unde Manuscriptum Chronicon, *Gelenio* ad vitam *S. Engelberti* citatum, inepto res in majus augendi more, Danorum Frisiorumque Regis filiam procudit. Ex nostro autem Biographo, fido magis autore, discimus, aviam Reginæ (paternam opinor) *Mathildem* nomine, Abbatissam Herfordiensem fuisse, & adolescentulam neptem inter Sanctimoniales suas educasse. Sorores Reginæ, scriptoribus ignotas diesque anni, quibus & illæ & mater earum obiere, Fasti Ecclesiæ Principis Treviren-

virensis nobis conservarunt, unde hæc affert *Browerus* Annal. Trev. Lib. X. artic. 4. *Prid. Id. Mart.* Mathild. *Regina mater* Ottonis *Imp. V. Id Maji* Reinhild *mater Reg.* Mathildis. *IIII. Id. Jan.* Friderun *soror* Mahtilt *Reginæ. VIII. Kal. Jun.* Bia *soror Reg.* Mahtildis. His scilicet diebus memoria eorum in Trevirensi Ecclesia solenniter renovabatur; credo quòd Regina suis in eam Ecclesiam beneficiis hoc meruisset, vel hanc pro more illorum temporum conditionem ascripsisset, ut pro anima matris & sororum preces funderentur. Porro Monasteria probantibus & adjuvantibus marito Rege & filio Imperatore *Ottone M.* construxit in locis, vitalitio suo assignatis, Quidelingaburg, Northausen, Palithi; ex quibus duo priora sanctimonialibus, ultimis monachis colendum dedit, præscripta omnibus regula S. Benedicti. Quindelingeburgensis Abbatissa hodie locum inter Principes Imperii tenet. In Northusanum cænobium Canonici regulares multo post sunt introducti. Palithi hodie Polda, præfectura est in Electoratu Brunsvicensi.

INCERTI AUTORIS CARMEN PANEGYRICUM in laudem BERENGARII Augusti. (*Num.* 18. *Tom. I.*)

CUm hic Autor paucis notus sit, Historiamque sui temporis non mediocriter illustret; & *Azonis* cujusdam, Estensis (ut apparet) Principis alibi indicti, mentionem faciat; dignus visus est, qui nostræ collectioni insereretur, præsertim cùm nos, in antiquitatibus Principum nostrorum explicandis, hujus temporis Historia Italica opus habeamus. Porro poëta libro 2. *Virgilii* imitatione, viros Italiæ insignes, *Berengario* & æmulo ejus *Widoni* auxilium ferentes, enumerans, hæc habet in rem nostram inter Berengarii auxilia:

Advolat Azo *ferox subigens in bello sodales*,
Vicinoque *suas cogens ab* limite *turmas*
Olricus, Latium Hadriacis qua clauditur undis,
Ac labor est sævis gladios pretendere Abaris.

Ulricus scilicet in extremo Italiæ ad Adriaticum mare limitis custos, contra Avaros seu Avares, id est, Hungaros excubabat; sive is Marchiam tenuerit, quam modo Veronensem, modo Tarvisinam vocabant, sive Ducatui Forojuliensi præfuerit. Cumque ei vicinus *Azo* memoretur, Estensem Principem fuisse intelligas, quod etiam *Hadriano Valesio* valde verisimile visum est, quando & nomen familiare genti, & situs locorum in unum conspirant.

VITA

VITA S. ADELHEIDIS IMPERATRICIS, Autore *Odilone* Abbate Cluniacensi. (*Num.* 21. *Tom. I.*)

OPeræ pretium visum est in Fasciculo nostro dare vitas matris, conjugis & fratris *Ottonis Magni* Augusti, qui primam stirpem *Brunsvicensium* Principum ad summum decus extulit. *Mathildem* matrem jam exhibuimus: Conjux *Adelheida* nunc adest; & *Bruno* frater mox sequetur. Vitæ ipse legi dignæ sunt, si quæ aliæ sanctorum; parciores miraculorum, ditiores rebus gestis, ob magnitudinem eorum qui celebrantur. Et hanc quidem *Adelheidæ* vitam scripsit *Odilo* Cluniacensis Abbas, Vir ipse magnus & inter Sanctos habitus. Prudentia & moribus eum excelluisse apparet, quod passim à Principibus & Antistibus coleretur, & Monasteria plurima ei regenda committerentur. Itaque *Monachorum Archangelum* æqualis *Fulbertus*, Carnotensis Episcopus, appellavit: *Adalbero* autem Laudunensis Episcopus, in carmine ad *Robertum* Francorum occidentalium Monarcham, *Odilonem* per jocum Regem vocat; ita loquentem Monachum introducens:

Non ego sum monachus, jussu sed milito Regis,
Nam Dominus meus est Rex Odilo Cluniacensis.

Porrò *Odilo Adelheidi* Imperatrici, cùm vidua vitam religiosam duceret, familiaris fuit, & paulo ante mortem affuit, ut ipse narrat *cap.* 14. *Adelheidis* patrem habuit *Rudolfum*, fratrem *Conradum*, Burgundiæ Reges. Ipsa nupsit primùm *Lothario* Regi Italiæ, filio *Hugonis* Regis; marito autem defuncto, capta à *Berengario II.* successore, fugaque elapsa, & in arcem Canusinam recepta est ab *Azone*, *Sigefridi* Principis filio, cujus genus ad Estenses *Sigonius* refert. Ibi obsessam à *Berengario Otto Magnus*, & Germania evocatur, liberavit & uxorem duxit. Eo defuncto, cùm à filio *Ottone II.* non, ut par erat, coleretur, sese ad fratrem in Burgundiam recepit: mox tamen ad filium pœnitentia ductum, in Italia agentem, Ticinum rogata venit, & eo tandem amisso, mortua etiam *Theophania* nunc, *Othonis III.* pueritiam avia moderata est. Monasteria struxit, Paterniacum in Burgundia, Ticinense in Longobardia, Selziense Argentoratensis diœcesis in Germania, & erga cænobia quoque Saxoniæ nostræ liberalitatem exercuit. Vita *Adelheidis* ab *Odilone* scripta, jam apud *Canisium*, & in Bibliotheca Cluniacensi extat.

VITA D. BRUNONIS Colonienſis Archiepiſcopi, ad *Folcmarum* ejus ſucceſſorem à *Rotgero* ſcripta. (*Num.* 22. *Tom. I.*)

TESTAMENTUM EJUSDEM BRUNONIS CUM EJUSDEM EPIPHANIO. (*Num.* 23. *Tom. I.*)

TESTIMONIUM DE DOMINO BRUNONE, ſumtum ex vita *Gerbardi* Abbatis Bononienſis Eccleſiæ. (*Num.* 24. *Tom. I.*)

EGregia *Brunonis* Archiepiſcopi Colonienſis vita eſt magni utique viri; ſcripta luculenter (ut *Sigebertus* olim in Chronic. ad ann. 953. judicavit) à familiari ejus *Rotgero* juſſu *Folcmari* in Archiepiſcopatu ſucceſſoris. *Voſſius* in opere de Hiſtoricis Latinis, *Rotgerum* hunc Abbatem Monaſterii de Cruce S. Leufredi in Normannia facit. Sub *Henrico II.* *Conrado II.* & *Henrico III.* Auguſtis floruiſſe notat, eique librum contra *Berengarium* dicaſſe *Guitmundum*, ejuſdem monaſterii monachum, poſtea Epiſcopum Averſanum. Contra objicit *Sandius* in notis, nullum legi *Rotgerum* in catalogo Abbatum ejus monaſterii: *Guitmundum* ſub *Gregorio VII.* ſcripſiſſe: ſed hæc dictis *Voſſii* non obſunt. Cæterum nec *Voſſium* nec *Sandium* Vitam *Brunonis* legiſſe apparet, alioqui ſtatim animadvertiſſent, *Rotgerum*, qui temporibus *Ottonis M.* & Secundi jam floruit, & tum in diœceſi Colonienſi magnæ haud dubiè dignationis & ſcholarum fortaſſe Magiſter fuit, *Henrici Tertii* temporibus, id eſt, integro inde ſeculo Abbatem in Normannia non fuiſſe. Extat hæc vita apud *Surium* Tom. V. die XII. Octob. Sed nos ex Codice egregio Bibliothecæ Auguſtæ Guelferbytanæ emendavimus auximuſque. Et cum *Surius* ſubinde ſtylum mutare ſoleat, nos Manuſcriptum fideliter expreſſimus. Memorabile eſt, quod ab ipſo *Brunone* audiſſe refert *Rotgerus*, cùm Ultrajecti ſub *Balderico* Epiſcopo liberalibus ſtudiis puer imbueretur, *Prudentium* Poëtam tradente Magiſtro legere cœpiſſe, ejuſque dulcedine & gravitate mirè captum, exinde jucundiùs in omni Latina Græcaque literatura profeciſſe. Neſcio, an alibi mentio fiat *Iſraelis* Epiſcopi Scotigenæ, id eſt Erigenæ, ut puto, ſeu Hiberni, cujus *Rotgerus* noſter meminit cap. 6. Nam conſtat, antiquo ſignificatu Scotorum appellationem ad Hibernos pertinuiſſe, & *Joannes Erigena Scotus*, ut vulgo loquuntur, nihil aliud eſt quàm *Joannes Erigena* ſeu *Scotus*; uti *Rabanus Maurus* duplicatio eſt ejuſdem nominis, nihilque aliud ſibi vult quàm *Rabanus* ſeu *Maurus*, id eſt corvus ſeu niger. Et is erat antiquum *Jernes* nomen, & fertur ſignificaſſe occidentem. Poſtea Scoti Hiberniæ, Coloniis ductis, Caledoniorum regioni nomen Scotiæ dedere. Porro viri

viri docti ex Hibernia, diu ante & post Carolina tempora, claros in Europæ continentem viros misêre, cùm postea, mira rerum commutatione, vix ulla pars Europæ magis quàm Insula illa à cultu desciverit. *Israelem* Episcopum Scotigenam inter claros aulæ fratris *Ottonis Magni* viros adiit *Bruno*, & sub Magisterio ejus plurimum se profecisse testatus est. Hunc Episcopum suspicor eundem esse cum *S. Silao* Episcopo Hiberno, quem Lucæ in Hetruria venerantur, & cujus vitam egregius Historiæ Lucensis illustratur *Franciscus Maria Florentinus* scripsit. Nihil enim prohibet, nomen vel à librariis vitæ *Brunonis*, vel quod potiùs credo, ab Hetruscis, quippe posterioribus, vitiatum, & ex *Israele* factum *Silaum*; Hibernos deinde consultos, de homine ignoto fabulas confinxisse: quem eorum morem notant & perstringunt doctissimi Collectores Antverpienses, de hoc viro agentes XXI. Maij. Iidem meritò refutant fabulatores, *Silaum* ad *S. Patricii* tempora, id est quintum seculum, aut saltem ad sextum, temporaque *Gregorii Magni* retrahentes. Nam à *S. Gregorio* ordinatum Episcopum scribit vita, Lucæ reperta. Sed cum seculi XII. fœtus sit, parum ei fidi potest. *Israel* quidem à *Gregorio* aliquo Romano Papa ordinari non potuit, cum *Folcmaro* Archiepiscopo Coloniensi vivente jam Episcopus fuerit, cujus à temporibus longè abfuit proximè anterior *Gregorius IV.* Credibile est, aulæcarum, sorore in matrimonio honorato Lucæ collocata, ætate provecta: illic quietem quæsisse extinctumque sepulturam invenisse: & à morum sanctitate in monumento vel scriptura laudatum, ducentis ferè post annis, ignorata rei veritate, malè etiam lectis vel monumenti vel alterius scripturæ literis, prono in hæc seculo, aperto monumento translatisque reliquiis, prodiisse *S. Silaum*, vitamque ei pro arbitrio componentis, qualibuscunque ex conjecturis, assignatam. Quod si eo anno obiit, quo Dominica ante Pentecostem in XXI. Maji incidit, ut ex Lucensibus Calendariis utcunque colligitur, consequetur, obiisse anno 999, quo Pascha incidit in diem nonum Aprilis. Ita potuerit *Gregorio V.* carus esse, cui haud dubiè dudum ex *Ottonum* aula notus erat. Is enim eodem anno decessit. Sed ordinatum à *Gregorio* finxere, dum causam itineris Italici ab Hiberno suscepti quæsiêre; non ignorantes, sæpe regionum remotarum antistites id honoris quæsivisse, ut à summis Pontificibus ordinarentur.

Sed ad *Brunonem* nostrum à Magistro redeamus. Literarum amantissimum fuisse juvenem Principem, vel inde intelligas, quod Archiepiscopus Coloniæ & totius Regni Lothariensis Gubernator, & maximis rebus à fratre adhibitus; quacunque circumagebantur *tabernacula* aut castra regalia, *Bibliothecam* suam circumducebat, ut *Rotgerus* ait c. 7. Idem non dissimulat (cap. 20.) fuisse, qui reprehenderent, quòd Episcopus rem populi & bella tractaret. Sed cui magis fideret frater Imperator?

perator? in illa temporum difficultate, qua filius seductus in patrem insurrexerat; qua Hungari, Slavi, Galli metuebantur. Magnos viros ex Ecclesiastico ordine sæpe Rempublicam laudabiliter administrasse constat. Illud tamen peculiarem hominum sermonibus causam præbuit quod instar Ducis egit. Nam, ut noster ait c. 17. *Imperator fratrem suum Brunonem occidenti* (hoc est occidentali parti Imperii Germanici) *tutorem & provisorem & ut ita dicam Archiducem in tam periculoso tempore misit.* Duces autem & rei militari præerant, & domi supremam jurisdictionem cum jure gladii per provinciam administrabant. Hoc Episcopi Judicibus Regiis, hoc est, Ducibus, Comitibusque, etiam in suis propriis territoriis olim relinquebant, donec ipsi Episcopi tandem Ducatus Comitatusque inter alia regalia accepêre; atque ex eo per Vice-Dominos suos jurisdictionem & merum imperium exercuerunt. Et credibile est, exemplum *Brunonis*, viri ob mores scientiamque laudatissimi, plurimum potuisse, ut nec vererentur dare Principes, nec accipere Prælati, quod tantus vir habuisset. Quidam longiùs justo provecti, omnem Episcopis & Abbatibus sub Carolinis Regibus secularem potestatem negant, tanquam primus omnium *Otto Magnus* eam contulerit. Sed Ecclesiam dudum prædia amplissima, allodii jure, & in illis Vasallos habebant, quibus terras in beneficium dederant, aut à quibus dominium directum reddito utili acceperant, quod feudum oblatum vocamus. Aliquot etiam rusticorum seu colonorum millia aliquando sub sua ditione habebant, quos coërcere potuisse mixti imperii jure non dubito. Sed jurisdictionem in liberos homines (quæ tunc infima nobilitas) aut merum imperium in quoscunque habuisse non apparet, donec ipsi Comitatus Ducatusque aut æquivalentem eis potestatem in sua quisque ditione accepere. Hoc primus forte in occidente Episcopus Romanus obtinuit, *Pipini I.* & *Caroli M.* liberalitate. Ducis etiam jus Herbipolensi in Francia orientali Antistiti antiquitus fuisse ait *Adamus* Bremensis; & Wormatiam Ducis potestati exemtam, Episcopoque attributam narrat *Ditmarus*. *Brunonem* autem in Germania cæteris viam aperuisse notavit Chronicon Germanicum, Wicwillagini Magdeburgicæ (quæ speculi Saxonici partem facit) præmissum, his verbis: *an denselben begunten die Bischoff weltliche Gerichte zu haben und zu richten*: *und das fing erstlichen an sein* (des Keisers) *bruder* Bruno zu Köln; *und Bischoff*, Giseler *zu Magdeburg befahl Keiser* Otto *das Herzogthum an der Elbe zu schartau.* Sed vereor, ut verum sit, quod de Ducatu ad Albim *Gislero* Magdeburgensi Episcopo ab *Ottone M.* concesso refert. De *Brunone* plurimi consentiunt, sed Epicrisin addit Chronicon (apud *Gryphiandrum de Weichbildis* c. 28.) *da begunten zu erst die Bischoffe weltliche Richte zu haben, das dauchte damals unbillig manchen manne.* Notatu etiam digna sunt, quæ *Rotgerus* habet (c. 55.) de *Ratherio* Veronensium Episcopo, celebri

bri ejus temporis viro, quem ſede ſua pulſum *Bruno* ob eruditionem ſuſcepit, & Leodienſi Eccleſiæ præfecit, mox ibi potentioribus cedere coactum, Veronæ ſuæ autoritate Cæſaris reſtituit. Tandem profectus in Galliam, ut nepotes ſuos invicem diſſidentes ad concordiam revocaret, (c. 37.) id eſt ut Regem Lotharium, ſororis *Gerbergæ* filium, cum proceribus, *Hugonis* filius, ex *Hadwide* altera ſorore natis, conciliaret, morbo correptus Remis in flore ætatis obiit, ſepultuſque eſt Coloniæ in Monaſterio S. Pantaleonis, quod ipſe conſtruxerat. In verbis morientis, quæ *Rotgerus* recitat (c. 39.) vix aliquid noſtri Theologi reprehendant; *Spero*, inquit, *quod Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum, juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Mox ad plorantes (c. 40.) *nolite, fratres, hac mea ſorte triſtari: illuc, non abſumta vita, ſed mutata in melius pergo, ubi viros longè plures & clariores, quàm hic unquam, citò videbo.* Credas *Socratem* apud *Platonem*, aut *Scipionem* apud *Ciceronem*, ſed emendata ad Chriſtianam normam philoſophia, loqui. *Teſtamentum Brunonis* ex eodem Codice Manuſcripto Guelferbytano nunc primum exhibemus cum Epitaphio. In Teſtamento Eccleſiis unicè proſpexit. Elogium *Brunonis* etſi breve, ex vita *Gerbardi* Abbatis Bronienſis, ibidem extante, exſcriptum adjecimus, quia refert *Raginerum* cognomento *Longicollum*, Hanonienſium Comitem, quòd Provinciam turbaret, à *Brunone* pulſum, *qui*, inquit, *uſque nunc exulat.* Nempe autor, vivo adhuc *Brunone* ſcripſit: *Ragineri* liberi poſtea reſtituti ſunt. Hinc Duces Brabantiæ veteres deſcenderunt, quibus Landgravii Haſſiæ originem debent.

DITMARUS RESTITUTUS, ſeu *Ditmari* Epiſcopi Merſeburgenſis Geſta Saxonum, Libris VIII. comprehenſa, (quibus Cæſarum, ex antiqua Domo Brunſvicenſi ortorum, Hiſtoria continetur.) *Num.* 28. *Tom. I.*)

VITA DITMARI ex Codice Manuſcripto cujuſdam Chronici Antiſtitum Merſeburgenſium. (*Num.* 29. *Tom. I.*)


D*itmarus* ex Comitibus inclytis ortus, quibus caſtrum Waldbeccenſe ſeu (ut ipſe vocat p. 306.) rivi ſylvatici hæreditarium erat; ad Epiſcopatum Merſeburgenſem Imperatoris *Henrici*, quem ſanctum appellant, autoritate pervenit. Cùm non ſpernendus eſſet in ſtudiis, pro temporum captu, Hiſtoriam *Henrici I.* Regis Germaniæ & deſcendentium ex ipſo, Auguſtorum, trium ſcilicet *Ottonum*, & *Henrici Sancti* (quanquam hoc ſuperſtite defunctus vitam ejus non abſolvit) octo libris poſteris reliquit. Hanc *Trithemius* non novit, ſed diſcipulus ejus *Paulus Langius*, Chronici Citizenſis auctor, notam habuit: Hiſtoriæ autem

Germanicæ ſcriptores antiquiores plerique adhibuere, ipſis verbis tranſcripſit. Apographum *Reinerus Reineccius*, beneficio *Petri Albini* Hiſtorici Saxonici, deſcriptum à Codice Bibliothecæ Auguſti Electoris nactus eſt, & Francofurti apud Wechelios typis edi curavit anno 1580. in fol. paginis comprehenſum 114. *Brotuffius* in Chronico Merſeburgico, Autographum *Ditmari* ſupereſſe dixerat: ſed hoc non comparuit. Nam, quod *Albinus Meibomio* ſcribens, ſeſe ex Autographo Dreſdenſi locum quendam Reineccianæ editionis correxiſſe, ait. (Chron. Walbecc. Meibom. p. 30.) id comparatione apographi, quod ipſe miſerat *Reineccio*, aut ex quo miſerat, accipiendum putem: non quaſi codicem ipſe manu ſua ſcripſerit, aut recenſuerit *Ditmarus*. Certè Dreſdenſem non mutilum tantùm, ſed etiam, ubi integer eſt, non emendatiſſimum eſſe, res ipſa evincit. Editionem alteram curavit *Jo. Joach. Maderus* Helmſtadii 1667. in 4to. pag. 254. Sed Reineccianam ferè ſecutus eſt. Cùm ergo beneficio *Danielis Papebrochii* celeberrimi in Societate Jeſu Viri, pluſquam dici poteſt, meriti, facta & de Hiſtoria ſacra pariter ac civili mihi eſſet copia codicis antiqui, in quo integrior extat *Ditmarus*: inde reſtitutum huic operi inſeruimus. Nam cùm Cæſarum, ex antiqua domo *Brunſvicenſi* ortorum, Hiſtoriam texat; maximè ad noſtram ſpectat. Præfixit verſus pleriſque libris in prologi modum: itaque qui primo libro, totique adeò operi præmiſſi erant exciderantque, nunc ſunt ex manuſcripto reſtituti, quemadmodum & quod proſâ ſequitur initium operis uſque ad verba: *Hic* (Henricus) *nobiliſſimo Ottonis & Hathui ſtemmate natus*, pro quo in editis initium eſt: Henricus nobiliſſimo &c. Reſtitutum etiam eſt libro 6. (pag. 380.) breviarium Canonum Synodi Tremonienſis ſeu in Throtmanni ſub *Henrico II.* Aug. habitæ (hodie eſt Dortmunda in *Weſtfalia*) etſi errore typorum relicta ſint pagina ſequenti hæc verba: *deeſt decretum Synodi Tremonienſis*, quæ ex *Reineccii* & *Maderi* editionibus malè huc tranſcriptæ ſunt, neque enim amplius deeſt decretum. Cætera pleraque, quæ ſupplevimus, parentheſibus uncinatis (.....) incluſa ſunt (niſi ubi neglexere typothetæ) ut à dudum editis diſtingui poſſint. Indicabo tamen lacunas majores expletas. Sic p. 329. ubi in priùs edito habebatur: *hic quædam deſiderantur*, ea ipſa deſiderata autori reddidimus. Libro etiam IV. pag. 353. noſtræ Editionis magnum ſupplevimus hiatum, qui paulo plus quàm duas in folio paginas nobis occupat, finitque demum non procul à fine paginæ 355. Nempe in prioribus Editionibus, poſt verba: *Deinde Romam veniens* (Imperator Otto III.) *glorioſè nepotem ſuum Brunonem* (conſobrini filius erat) .... *in loco Joannis Papæ conſtituit. Sed incuria ejus contigit damnum*; ſubjicitur deinde Bernaburg Civitatem captam à Slavis: quæ planè non cohærent prioribus, & ſaltus fit Roma in Saxoniam. Oportet ergo aliquot folia ei codici defuiſſe, quem editor *Reineccius* expreſſit. Nam

Nam in codice integro, quem nos secuti sumus, narratur, à novo Papa unctum Imperatorem. Deinde Martyrium *Adalberti* Bohemorum Episcopi, ad Prussos fidei prædicandæ causa profecti, memoratur; & *Crescentii* Romana rebellio, & *Ansfridi* Comitis, postea Trajectensis Episcopi, ob sanctitatem laudati, vita: tum demum ad ea pervenit autor, quæ in hactenus editis habebantur, & damnum exponit, quod in Saxonia *Giseleri* Magdeburgensis incuria contigit. Similis & major adhuc, majorisque momenti hiatus expletus est libro quinto à pag. 368. paulo ante medium, usque ad initium pag. 372. Nempe in pristinis editionibus refertur, *Henrico* Bavariæ Duce à Francis pro Rege suscepto, indictum fuisse etiam apud Saxones conventum Principum in urbe Merseburg, quorum & alii nominantur. Tum ex abrupto subjicitur, Redarios Slavos à Rege in gratiam receptos. Sed integer *Ditmarus* narrat, Regem, à Principibus Saxoniæ honorificè receptum, legem eorum & privilegia confirmasse: inde *Bernardum* Ducem, accepta in manum sacra lancea, regni (Saxonici) curam ei commisisse. Adest & *Boleslaus* Polonorum Dux, Regemque veneratur, sed mox rebellat. Rex deinde ad novam Corbeiam, à Corbeia *Francorum Latinorum* sic dictam, proficiscitur; & hinc Paderbornam. Ibi cùm Bavarii vitiorum (leg. Villicorum) fruges diriperent, tumultus ortus est. Inde ad Duisburg perveniens, Luitharienses expectant (leg. expectavit.) Tandem à Primatibus Luithariorum (Lotharingorum) ad Aquasgrani in Regem collaudatur, & in sedem Regiam more antecessorum exaltatur. Hinc expeditionem in Herimannum Alemanniæ Ducem suscipit, (quem Autor avunculi matris suæ filium vocat) eumque ad obsequium cogit, tandemque in Bavariam suam redit. Compositis deinde vicinæ Bohemiæ turbis, narratur aliud iter Regis ad Rhenum, & expeditio parum secunda in *Hardoinum* Regem se Longobardorum ferentem, quam jussu Imperatoris, susceperat *Otto* Dux Carentanorum; & novæ in Bohemia turbæ, & conventus Quedelingeburgensis, ibique decreta expeditio in Polonos; ubi & Redarii Slavi in gratiam recepti sunt: ac tum demum ad ea venitur, quæ in editionibus pristinis, magno saltu, nullo apto sensu, prioribus subjecta legebantur. Ita magna pars Historiæ horum temporum redintegratur. Libro VI. (ut Tremoniensem synodum non repetam) alia fuit lacuna notabilis, quam hians sensus indicare potuisset. Quid enim ineptius, quàm quod habebatur de *Wicberto* prædecessore *Ditmari*: *nec minus quàm decem annos toxicata cum gratia Regis per Geronem præpositum vocavit.* Verba integra ita habent: *Non minus quàm decem annos, toxicata læsus potione, crebram passionem corporis --- sustinuit.* Inde narrat Autor, successorem sese ipsi à Rege destinatum commendatione *Taginonis* (an *Tagmonis*?) Magdeburgensis Archiepiscopi, *qui* (inquit) *eò* (in aulam) *me cum gratia per Geronem Præpositum vocavit.*

 Reliqua,

Reliquá, ut in pristinis editionibus, sequuntur. Porrò in eis, quæ ad hiatum supplendum inseruimus, legitur, à *Wicberto* erutum lucum, ut Deum à Slavis hortatum (leg. honoratum) Libro VII. pag. 403. breviculæ expletæ sunt lacunæ, sed alicubi correctio necessaria omissa est. Nam ubi legitur *Valcorbensis* Abbas, legendum: Val (Valo vel Wala) Corbeiensis Abbas. Sed minora supplementa, quorum magnus est numerus, prætereo. Passim etiam ex Codicis fide restituta sunt nomina propria, in editionibus prioribus omissa, passim in melius mutata; subinde etiam utiles circumstantiæ indicantur. Ex multis unum exemplum dabo: *Wigmannum* Comitem, qui *Hermanni* Saxonum Ducis fratre natu majore *Wigmanno* fuit genitus, propinquum *Ottonis M.* fuisse habet *Witikindus* lib. 3. ubi mortem illius refert. Desiderabatur ratio gradusque propinquitatis, quam nos ex *Ditmaro* redintegrato damus pag. 333. Nam cùm in prioribus editionibus haberetur: *Wigmannum* & *Ecbertum* fugavit, nos ex manuscripto sic supplevimus: Wigmannum *matertera Regis filium* & *Ecbertum* fugavit. *Witikindus* autem dicto loco *Ecbertum* bis vocat Regis (*Ottonis* scilicet *Magni*) consobrinum; mox *Ecbertum* pariter & *Wigmannum* *Hermanni* Ducis nepotes facit; ex fratre scilicet: unde intelligimus, ambos fuisse *Wigmanni* senioris filios & hunc sororem *Henrici* Regis, materteram *Ottonis M.* in matrimonio habuisse. Accedit, quod *Otto* Dux Saxoniæ, *Henrici* Regis pater, fundavit Monasterium S. Michaëlis *Luneburgicum* (in allodio scilicet suo) ut notatum est in libello de fundatione Ecclesiarum. Sed idem postea locus in proprietate *Hermanni* Saxonum Ducis fuit, ut credibile sit, hujus matrimonii intuitu ex Regia familia in *Billinganam* venisse. Sed Tabellam Genealogicam subjicere placet.



Nota

Notabilis locus ad confirmandam dignitatem *Billinganæ* (quam vocant) *originis* contra ineptos scriptores, qui *Hermannum* ex pauperculo Luneburgici tractûs vasallo Ducem factum credidere. *Meibomius* vindicias Bellinganas eruditè scripsit, sed tunc nondum hæc Genealogiæ forma in aperto erat.

Cæterum *Ditmarum*, etsi rudem stylo & obscuriusculum subinde scriptorem, meritò in pretio habemus, quòd res sui temporis pene solus posteris tradidit ex fide; peritissimus eorum, quæ scripsit. Itaque *Andreas Brunnerus* meritò opus ejus, unicum sui ævi thesaurum appellat. Germanica quidem, & certè Saxonica pleraque sine ipso ignoraremus. Misnicas antiquitates nemo ipso luculentius dedit. Urbis Lipsiæ, patriæ meæ, meminit omnium primus, & Silesiæ etiam sub nomine pagi Silensis. Idem de Slavicis, Polonicis Hungaricisque dicendum est, Historiam veterem earum gentium sine *Ditmaro* mancam fore. Et præ his, quæ ille tradidit, nihili sunt, quæcunque de suo afferre possunt Poloni, seriùs scriptores nacti.

De Anglicis etiam rebus habet quædam ex relatu, quæ etsi non prorsus erroris expertia sint, videntur tamen lucis aliquid domesticæ gentis Historiæ (valde circa hæc tempora incertæ & obscuræ) afferre posse. Nempe lib. VII. narrat *Ditmarus*, anno 1016. mense Julio *Haraldum* & *Canutum* fratres, cum Duce *Thurguto* & classe 340. navium appulisse, & Londinum obsedisse, paulo post mortem Regis *Adelradi*; cumque sex mensibus durasset obsidio, filios defuncti Regis, urbe antea egressos, *Ethelstenum* & *Ethmundum* cum auxiliis venisse, iisque casu obviam factum *Thurgutum*. Tum prælio commisso *Ethmundum* Regem & *Thurgutum* Ducem cecidisse, Danos repetitis navibus recessisse. Sed credibile est, alium à Rege *Ethmundo* fuisse, qui tunc cecidit. Nam *Edmundus Ethelredi* filius pacem postea cum *Canuto* fecit, diviso inter ipsos Angliæ Regno. An dicendum erit, permutasse nomina *Ditmarum*, & *Adelstanum* cecidisse: nam quis hujus exitus fuerit, non satis (ni fallor) constat ex scriptoribus Anglis. Nescio, an ad *Thurgutum* hunc Ducem pertineat moneta, litteris Runicis inscripta, insertaque editioni Anglicæ Britanniæ *Camdeni*, de qua Cl. Vir *Nicolaus Kederus*, Regii apud Holmiam collegii antiquitatum Assessor nuper dissertationem edidit, & verba ita legit: *Thurgut Luntis*: suspicatus, *Thurgut* nomen monetarii esse Londinensis, refutatis iis, qui *Thur gut* interpretati sunt Deum *Thor* Septentrionalibus cultum, cùm nummus Christi effigiem præferat ab altera parte. Sed Nobilissimus Eques *Fontanus*, qui nuper pulcherrima amplissimaque collectione nummorum Anglo-Saxonum edita, Hickesianoque sane eximio Anglo-Saxonicarum antiquitatum Thesauro adjecta, Historiam patriam illustravit: dubitat (fol. 165. 166.) Londinum designetur an Lincolniensis urbs, dicta olim Lundis-vara. Quod si me ali-

C 3 quid

quid adjicere fas est, dubitari posse putem, an non præstet pro monetario hic substitui inclytum in Anglia Ducem gentis Danorum, cujus vel mandato vel honori id datum sit, ut nummus iste cuderetur; cùm & literæ sint, quæ tunc Danis in usu erant, & nummus in Anglia sit repertus. Sed Ducis *Thurguti* nec Anglos nec Danos scriptores meminisse suspicor, quoniam nemini nunc ille in hoc nummo interpretando succurrit. Itaque *Ditmaro* nostro imposterum resuscitatum decus debebit Vir ille.

Ditmarum inter optimates Germaniæ omnium primum fuisse, qui Historiam scripserit, *Reineccius* in præfatione notavit; credo quòd ipsius tempore ignoraretur *Haymonis* Episcopi Halberstadensis Historia Ecclesiastica, aut *Willibaldi* (mea sententia junioris) Episcopi Eichstetensis vita *Bonifacii*, aut *Altfridi* Episcopi Monasteriensis Vita *Ludgeri*; ne quid de vita *Greporii* Rectoris Ecclesiæ Trajectinæ, ab ipso *Lugero* primo Monasteriensium Antistite scripta, dicam: nisi *Reineccium* de justa temporum scriptoris Historia interpretamur. *Vitam* ipsius *Ditmari* ex Chronico vetere Antistitum Merseburgensium à *Reineccio* editam ipsius exemplo subjicimus; dolemusque, Chronicon istud nunc, quod constet, non haberi.

Absoluta jam editione *Ditmari*, nonnullus *collationes emendationesque* adjicere è re visum, neglectas initio quod semper executioni eorum, quæ præscripseram, advigilare mihi non licuisset. Nunc ergo peculiari Tmemate (LXIV) ad Witikindearum collationum exemplum, in fine totius hujus operis subjectas dabimus. Nimirum *Albinus* Historicus Electoris Saxoniæ, post editionem Reineccianam, correctiones collationesve ex antiquo Codice sumtas, *Henrico Meibomio* seniori miserat. Eas nepotis hujus, *Henrici Meibomii* junioris, Viri itidem clarissimi filius, Serenissimi Principis Hæreditarii Guelferbytani Consiliarius ex schedis paternis suppeditavit. Sed & Cl. *Vignolla* Gallus, verbi divini apud Brandeburgicos tunc Minister, quædam per opportunè ex aliorum autorum locis emendavit, Chronologiæ inprimis habita ratione, in qua se egregiè versatum jam dudum publicis speciminibus ostendit. Quædam ego ipse tum ex collatione *Reineccii Maderique*, tum ex ineditis quibusdam scriptoribus, tum denique ex ingenio emendavi. Sæpe autem varietate annotata, utra lectio præstaret, incertum reliqui. Eadem occasione etiam typorum nostrorum lapsus, qui turbare poterant corriguntur.

VITA HENRICI SANCTI IMPERATORIS, ab *Adelboldo* Episcopo Trajectensi conscripta. (*Num.* 30. *Tom. I.*)

HEnricus, Secundus, si Reges Germaniæ ejus nominis numeres; primus, si Romanorum Imperatores, inter Sanctos ab *Innocentio III.*

rico III. Papa relatus eſt, & apud Bambergenſes potiſſimum colitur, ubi Epiſcopatum inclytum ipſe fundavit. Magnum Virum fuiſſe & probum dubitare nos geſta non ſinunt. Virginitatem voluntariam in matrimonio cum *Cunigunde* conjuge coluiſſe, poſteriores tradiderunt: coætanei nec minimum hujus opinionis veſtigium exhibent; ut adeò magnopere ei fidi non poſſit. Patrem ejus fuiſſe *Hezilonem* vel *Henricum* Ducem Bavariæ, filium *Henrici*, qui à Magno *Ottone* fratre Ducatum Bavariæ accepit, filia *Arnulphi* prædeceſſoris ducta, pro certo habendum eſt, cùm à contemporaneis ſcriptoribus ac documentis extra controverſiam collocetur. Et tamen inventus eſt ſcriptor, doctus alioqui, ſed in hac certè re inconſultus, *Mattheus Raderus*, qui in Bavariæ Sanctæ opere virum antiquiſſimæ *Brunſvicenſi* ſtirpi eripere & Bavaris vendicare conatur, nullis idoneis argumentis adductis; itaque rei claræ immorari non vacat. Placet tantùm adducere locum inſignem ex Vita *Mathildis* Reginæ, quam huic collectioni inſeruimus, hujus ipſius *Henrici* juſſu ſcriptam. Ibi narratur, Regina ſene, aliquando cum Imperatrice *Adelheida* nunc ad menſam ſedente, ludentibuſque juxtà pueris inter ſe conſobrinis, *Ottone II.* filio Magni & *Henrico*, filio *Henrici* Ducis defuncti, quem avia tanquam imaginem *Henrici* Patris, ſibi dilectiſſimi, in oculis ferebat: Imperatricem de matrimonio aliquando inter filiam ſuam *Hemmam* & puerum conciliando, ſermonem intuliſſe; at Reginam ſuſpirantem tanquam futurorum præſciam dixiſſe: *expedit filiæ veſtræ feliciori ſe Viro adjungere. Hoc nomen* (Henrici) *ſolummodo decus habuit, quamdiu Dominus noſter Henricus vixit. Poſtquam vero impoſteros venit, nunquam infortunio caruit - - - - adhuc in divina diſpoſitione eſt, quid huic debeat accidere. Speramus autem non excidere hoc nomen de genere noſtro, priuſquam aliquis parvulus oriatur de ejuſdem pueri ſemine, qui ſublimetur regali dignitate. Quis autem dubitet*, (ſubjicit autor) *electæ Chriſti famulæ prophetiam in Chriſtianiſſimo Rege Henrico nunc eſſe impletam.*

GUILLELMI APPULI HISTORICUM POEMA de rebus Normannorum in Sicilia, Apulia & Calabria geſtis, neque ad mortem *Roberti Guiſcardi* Ducis. (*Num. 39. Tom. I.*)

AZo potens Marchio, origine Eſtenſis, ex *Cuniza* veterum Guelforum hærede, pater *Guelfi* Ducis Bavariæ, qui ſtirpem in Germania propagavit, in Brunſvicenſibus Principibus adhuc ſuperſtitem ex altera conjuge filios habuit *Hugonem* & *Fulconem*. *Hugo* filiam duxit *Roberti Guiſcardi*, Normannorum Principis, qui Apuliam, Calabriam & Siciliam tenebat, magnis rebus geſtis clarus, regni utriuſque Siciliæ fundator, cujus titulum filius *Rogerius* geſſit. Nam Siciliæ citra Pha-

rum

rum (seu cismarinæ) nomine tunc veniebat, quod nunc Regnum Neapolitanum dicimus : Siciliam verò Insulam, Trinacriæ regnum appellabant. Id porrò matrimonium, non minùs quàm liberorum *Azonis* & conjugum seriem, Atestini Historici ignorarunt. Quoniam autem *Guilielmus* Poëta contemporaneus nuptias *Hugonis* describit, hunc, alioqui paucis visum nostris scriptoribus addere libuit. *Gasp. Barthius*, Vir maximæ lectionis, & scriptorum latentium ruspator insignis, (in notis ad *Guil. Britonem* p. 774.) ita de hoc autore loquitur : *Extat Poëma Guilielmi Appuli olim editum, laudatum multis doctorum, sed in cognitionem meam non venit, non sine fastidio sinistræ fortunæ.* Exemplo, quod ab ornatissimo *Fellero*, Doctissimi Lipsiensium Professoris filio, nunc Smi. Ducis Vinariensis Secretario mecum communicatum fuit, hæc inscripserat insignis vir *Nicolaus Heinsius*: *Hic liber est rarissimus & alias non editus, quo me donavit* Emericus Bigotius *V. Cl.* Certè oportet fugisse *Quercetani* diligentiam, qui Scriptores Normannicarum rerum justo volumine edens, folii, quod vocant, forma, hunc omisit : qui tamen jam prodierat hoc titulo : *Guilielmi Apuliensis rerum in Italia ac regno Neapolitano Normannicarum libri quinque, Rothomagi apud Richardum Petit & Richardum Lallemant anno* 1582. *4to pag.* 52. Editor se vocat *Joannem Tiremæum Hautenoëum*, fisci in Provincia Rothomagensi patronum. Librum autem se reperisse ait in religiosa Becco helvini cænobii domo ; & inscribit *Ludovico Balliolo*, *Lonleii* ac *Syllei* Cænobiarchæ. Sed operæ pretium est argumentum operis paucis complecti, ut, quæ apud autorem dispersa, & dictione obscurata sunt, faciliùs intelligantur. LIBRO PRIMO sub initium ait : *Dicere fert animus, quo gens Normannica ductu venerit Italiam.* Hortatu *Rogerii* ipsiusque Papæ *Urbani II.* laborem hunc à se susceptum profitetur. *Urbanus* anno 1088. sedere cœpit, obiitque 1099. unde Poëtæ nostri ætatem æstimes. Narrat, Normannos quosdam, cum ex voto *S. Michaelis* in Gargano monte ædem ingressi essent, illic *Melum* insignem virum, à Græcis Baro pulsum reperisse. Hunc suasisse ipsis, ut in Græcos impetum facerent, armaque suppeditasse. Vincitur *Turnicius* Græcorum Catapan, sed anno sequente, successor ejus *Basilius* apud Aufidum flumen vicissim *Melum* vincit. Is sese ad *Henricum* Augustum confert, & auxilia obtinet, sed dum parantur, obit : Normanni destituti in Campaniam redeunt, nunc his nunc illis Longobardorum Principibus manus & arma locant. Tandem in urbe Aversa consident, *Ranulphum* inter ipsos clarum sibi Ducem præficiunt qui *Jordanem* genuit, & hic *Richardum*. Ab *Ardoino* quodam Longobardo in Græcos iterum incitantur, qui à *Dochiano* Græcorum Duce injuria affectus fuerat. Tum bis sex de omni numero suo nobiliores eligunt, & quingentorum equitum septingentorum peditum numero instructi, Amalphim capiunt. Inde præda onusti primorum suorum jussa spernunt,

Adenulpho

Adenulpho Beneventano Principi militant. Filium *Basilii*, qui olim *Melum* pepulerat, in prælio capiunt, Barum, Monopolim, Juvenacum, urbes à Græcis deſciſcentes, ſibi fœdere adjungunt. Tum ab *Adenulpho* ad *Guaimarium* Salerni Principem tranſeunt, qui in Averſa erant Normanni: reliqui *Argyroum Meli* filium Ducem creant, qui cum *Maniaco* Græcorum Duce certabat. Interea *Conſtantinus Monomachus* ad Imperium Græcorum pervenit. Is *Argyroum* cum ſuis in adverſantem *Maniacum* ſtimulat. Auxilio venêre & Averſani, & inter hos *Ranulphi* in regenda Averſa ſucceſſor *Rudolphus*, filiuſque *Tancredi Guilielmus Ferrobrachius*, cui frater fuit *Guiſcardus*, poſtea Dux. In eo bello cecidit *Maniacus*.

LIBRO SECUNDO. *Argyrous* Barum tenens, etiam Hydruntum occupat: inde Normannos dimittit, & in Baro urbe à *Guaimario* obſidetur, ac poſtremo Conſtantinopolin redit. Normanni *Guaimario* Salernitano iterum operam locarunt: inde pars Normannorum Comiti *Petro*, pars *Drogoni* adhærent, filio ejuſdem *Tancredi*. *Petrus* his conſanguineus,

Condidit hic Andrum, fabricavit & inde Coretum,
Buxilias, Barolum maris ædificavit in oris.

Muniſſe puto, hoc noſter ædificare appellat: Tandem *Petrus* ab *Unfredo* & *Drogone* in prælio capitur. Conſtantinopolin cum pecunia redit *Argyrous*; ſolicitat Normannos, ut Græcis in Turcas militent; quos autor more Græcorum autorum Perſas vocat. Sed cùm Apulia excedere nollent, opprimere eos tentat, excito etiam *Leone IX.* Papa. *Drogo* tunc obierat & *Guaimarius*: Normanni rectore carebant. *Drogoni* tamen fratri ſuperſtes erat *Unfredus*, & Averſam in Comitis modum regebat *Richardus* Normannus; ſed præ cæteris virtute eminebat *Robertus Guiſcardus*, *Guilielmi*, *Drogonis* & *Unfredi* frater. Prælio cum *Leone* Papa commiſſo, Longobardi Germanos deſerunt. Suevi magna virtute reſiſtunt, ſed tandem cæduntur; Papa Benevento à civibus excluſus capitur. Normanni tota Apulia potiuntur, *Unfredus Roberto* fratri Calabriam concedit, ſed mox defunctus eidem & Apuliæ obtinendæ occaſionem præbet *Nicolaus II.* Papa, Synodo apud Amalphitanos habita, *Robertum* Ducem creat, & oblatas Romanæ Eccleſiæ, quas ille occuparat terras, feudi jure reddit. Itaque Poëta de *Roberto*:

Unde ſibi Calaber conceſſus & Appulus omnis
Eſt locus, & Latio patriæ dominatio gentis.

Sed Apuliam & Calabriam inde ab *Ottonibus* ſibi Imperatores Occidentis vindicabant, & quod *Otto II.* cæperat, profecutus erat *Henricus II.* captiſque Benevento, Troja, Neapoli, Capua, Salerno & aliis locis, etiam Normannis, quòd fortiter militaſſent, agros dederat. Itaque

que *Henricus IV.* & alii Imperatores, vel à Papa vel à Normannis, imperio aliquid detrahi posse negabant, quæ omnia noster dissimulavit. *Robertus* interim priore conjuge consanguinitatis titulo repudiata (ex qua *Boamundum* susceperat) *Sichelgatam*, *Guaimarii* Salernitani Principis filiam, *Gisulphi* successoris sororem, ducit, ex qua tres filios, quinque puellas genuit. Inde fratris *Unfredi* filium *Abælardum*, & alios rebelles vincit.

LIB. III. narratur quomodo Barum Græcis, navali prælio victis, tertio demum anno extorserit *Robertus*. Bellum deinde per *Rogerium* fratrem in Saracenos Siciliæ parat: mox ipse Panormum obtinet. Inde *Petri* Comitis filium *Petrum* Trano exuit, *Gisulfum* conjugis fratrem capit: ita Salerno & Amalphi potitur. Hæc urbs tunc mercatorem concursu florebat, & crebris navigationibus exterorum adibatur:

Hic Arabes, Indi, Siculi, noscuntur & Afri.

Hîc *pixidem nauticam* repertam ajunt, de quo tamen nihil noster. Inde rebus ordinatis Trojam redit.

Dumque moraretur Trojanæ mœnibus urbis,
Nobilis advenit Lambardus Marchio quidam,
Nobilibus patriæ multis comitantibus illum.
Axo *vocatus erat, secum deduxit Hugonem,*
Illustrem natum, Ducis huic ut filia detur.

Hac re fusiùs exposita narratur deinde quomodo Dux cognatos aliosque æmulos in ordinem redegerit, parte ditionum ademta, parte reddita.

LIBRO QUARTO refertur *Michaelem*, qui *Parapinaceus* dicebatur, *Constantini Ducæ* filium, Imperio dejectum.

Socio sibi fratre repulso,
Monachus efficitur; Roberti *filia mœret*
Deponi socium, miser exulat ille coactus.

Nempe *Michael* Imperator filio *Constantino* desponderat filiam *Roberti Helenam*, ut ejus auxilio Turcis resisteret, ut habet *Curopalates*. Poëta autem noster mox de aliis, quos *Robertus* generos habuit. Inter quos

Partibus Hesperiæ (Iberiæ) quem Barcilona tremebat,
Venerat insignis Comes hanc Raymundus ad urbem,
Ut nuptura Ducis detur sibi filia poscens.
Huic major natu, nuptum datur: altera nupsit
Egregio Comiti, Francorum stemmate claro.
Ebalus hic dictus, succumbere nescius hosti.

Hunc *Ebalum* Comitem de Rocejo fuisse comperi, cujus tanta tunc fama erat, ut à Pontifice Dux expeditionis in Saracenos Hispaniæ crearetur. Tantis ergo affinitatibus *Hugo Estensis Azonis* filius, *Guelfi* frater innexus

innexus fuit. Paulo poſt *Robertus* cum *Gregorio VII.* conciliatus Romam venit, fidem huic jurejurando ſancit. Credebatur id fecretis eum conſiliis agitaſſe cum Papa, ut ademtam *Henrico* Romani Imperii coronam acciperet. Interim *Robertus* transfretat in Græciam, ut generi filiaque injuriam vindicet. Sed intellecto *Gregorii* periculo, quem *Henricus* & *Guibertus* oppoſitus Papa urgebant, in Italiam redit: florentiſſimo exercitu ſex equitum, triginta peditum millibus Romam ductis, *Gregorii* in Hadriani mole obſeſſum liberat, atque ita eodem anno Orientis pariter Occidentiſque Imperatorem vincit.

LIBRO QUINTO (qui ultimus) poſtrema *Roberti* non redituri expeditio in Græciam deſcribitur. Comitatus *Rogerio* filio, centum navibus, mare Hadriaticum trajicit: in expeditione obit. Interim & *Gregorius* Salerni in exilio moritur. Reduces naufragium patiuntur. *Robertus* Venuſina in urbe apud fratres tumulatur.

VITA MATHILDIS Celeberrimæ Principis Italiæ, carmine ſcripta à *Domnizone* Presbytero. (*Num.* 40. *Tom. I.*)

M*Athildis*, filia *Bonifacii* Ducis & Marchionis Tuſciæ, & *Beatricis*, *Friderico* Lotharingiæ Moſellanicæ Duce natæ, magnarum in Italia ditionum hæres, cum matre Pontifici Romano *Gregorio VII.* contra Imperatorem *Henricum IV.* favit. Et quoniam *Guelfus* noſter, *Azonis* filius Bavariæ Dux, ab Imperatore receſſerat, ei fœdere juncta, etiam filio ejus primogenito *Guelfo* nupſit; à quo tamen poſtremo rurſus divertit. In Tabulis pacti matrimonialis dotalibus lex ſcripta erat, ut ſi ſuperſtes maritus eſſet, ditiones conjugis haberet. Eo ex capite poſtea *Guelfi* Ducis poſteri, *Henricus* & *Guelfus*, ſub *Lothario* Saxone Auguſto vendicavere ſibi, & autoritate *Cæſaris* crevère hæreditatem, quam antea *Henricus V. Lotharii* anteceſſor ſibi uſurpârat. *Guelfus*, qui ſe Ducem Spoleti ac Tuſciæ, ac Dominum domus *Mathildis* appellabat in diplomatibus, has Regiones in ſenectutem uſque tenuit, & tandem neglecto *Henrico Leone* fratris filio, Imperatori *Friderico I.* ejus hoſti, accepta pecunia, ceſſit, qui *Philippo* filio, Duci Sueviæ, poſtea Regi Romanorum dedit. Hoc occiſo, cùm Pontifex *Innocentius III. Ottonem IV* coronaſſet, terras *Mathildis* ex ejus teſtamento Romanæ Eccleſiæ vindicabat, *Otto* & Imperii & majorum jura opponebat, negabatque *Mathildem* teſtamento ſuo auferre his quicquam potuiſſe. Inde Pontificem hoſtem magno ſuo malo ſenſit: qui æmulum ipſi oppoſuit *Fridericum II.* Neapolis & Siciliæ Regem, *Henrici VI.* Imperatoris filium adoleſcentem. Ex eo *Mathildis* hæreditas pro bona parte in Romanæ Eccleſiæ poteſtate fuit.

Ipſa magnis in Eccleſias largitionibus non minùs, quàm rebus virili-

ter gestis famam & scriptores promeruit. *Domnizo* vel *Donnizo* ejus Capellanus, arci Carnusinæ Ecclesiastes, vitam adhuc viventis carmine scripsit, quale tempora ferebant, & constituerat dicare Principi suæ. Itaque in antiquo Vaticano Codice pinguntur, ipse habitu offerentis, *Mathilda* in throno specie accipientis. Sed antequam opus ad umbilicum perduceretur, obiit inclyta Princeps. Ex recentioribus vitam ejus scripsit *Dominicus Mellinus*; mox curatius quædam notavit *Felix Contelorius*, Romæ sub *Urbano VIII.* scriniis præfectus. Sed omnium diligentiam & studium vicit vir egregius *Franciscus Maria Florentinus*, apud Lucenses medicus, qui patriæ suæ asserens hujus Principis originem, res ejus majorumque tradidit ex fide diplomatum autorumque temporibus vicinorum. Hunc secutus non spernendus ingenio & eloquentia, sed inferior historicæ narrationis firmitate *Julius de Puteo*. Novissimè vir multiplicis doctrinæ ex Benedictina familia, *Benedictus Bacchinus*, in libro de celeberrimo Monasterio Sancti Benedicti ad Padilironem, quod à majoribus *Mathildis* fundatum, ab ipsa ditatum est, res *Mathildis* novis auxiliis ex Tabulis illustravit. Cùm in eo Monasterio ipsa sepulta fuisset, multis post seculis corpus *Urbani VIII.* jussu clam sublatum, Romamque translatum est, ubi insigne tumuli monumentum in Basilica Vaticana accepit; Duce Mantuano, qui violatum territorium querebatur, quantumvis indignante.

CHRONICON WEINGARTENSIS MONACHI de Guelfis Principibus. (*Num. 55. Tom. I.*)

EX Saxonia nobis in superiorem Germaniam proficiscendum est, Guelforum Principum causa, ex quibus Brunsvicenses sunt orti; ditionesque eorum aliquamdiu tenuere. Guelfi antiqui, sive ex Alamannis, ut veteres scribunt, sive ex Agilolfingis, vetustis Bojariorum Rectoribus, ut quibusdam viris doctis placet; olim in Suevia & Bavaria hæreditarias nullique feudorum legi obnoxias ditiones habuere, quæ tunc insignis prærogativa habebatur: usque adeò, ut quidam ex illis Ethico indignaretur *Henrico* filio, quòd insignem terrarum tractum sub homagii conditione Imperatoris beneficio recepisset. Principes ergo habebantur etiam, qui Duces Comitesque (quod feudale erat) non appellarentur; qui tamen domum suam aliquando Regio more per ministeria Comitum vel his æqualium regebant, ut de Guelfis habet scriptor, quem damus. Ex his unus *Guelfo*, quem Historici magis honoris ergo quàm muneris Comitem vel Ducem vocant, filiam *Juditham Ludovico* Augusto, *Caroli M.* filio, in matrimonium dedit. Vir celeberrimus *Jo. Jacobus Chifletius* ex Augustæ fratre *Hugonem Capetum* Regem, totamque Regum Galliæ, tertiæ stirpis, prosapiam deduxit: Et sunt nunc quoque

quoque viri docti, qui sententiam ejus non spernendam censent. Novissimus ex antiquis Guelfis Germaniæ, *Guelfus* Dux Carinthiæ, cùm in castro suo Potamo (ad Potamicum scilicet Lacum) obiisset, successit in hæreditarias per Sueviam & Bavariam terras *Cunigunda* vel *Cuniza*, nupta *Azoni* potenti Marchioni Italorum ex Atestina Gente, filiumque *Guelfum* in Germaniam misit, qui non tantum ditiones avitas obtinuit, sed etiam ad Ducatum Bavariæ pervenit. Ejus filius primogenitus famigeratissimam *Mathildem*, Italiæ Principem duxit, sed sine liberis decessit. Frater *Henricus*, cognomine *Niger*, Ducatum Bavariæ paternum tenuit, & filiam *Magni*, Ducis Saxoniæ de sua stirpe postremi, duxit. Unde nati ipsi *Henricus* & *Guelfus*. *Henricus Magnanimus* amicis dictus, hostibus *Superbus*, ducta filia *Lotharii* Imperatoris, Saxoniæ Ducatum terrasque Brunsvicenses obtinuit. Eo ex matrimonio natus *Henricus Leo*, Dux Bavariæ & Saxoniæ: tandem, conspiratione *Friderici I.* Cæsaris & Principum oppressus, ægrè nec integras retinuit Brunsvicenses ditiones. Ejus filius *Otto IV.* Imperator, ultus patrem imperium *Philippo Friderici I.* filio extorsit: sed vicissim nepoti ejusdem *Friderici Friderico II.* succubuit. *Guelfus*, alter *Henrici Nigri* filius, Suevicas antiquorum Guelforum, & Italicas *Mathildis* tenuit terras; sed *Henrico Leoni* fratris filio parum æquus, pecunia accepta, *Philippo* Suevo Gibellino (postea Cæsari) suæ domus æmulo, eas vendidit admodum senex. Guelficæ terræ in Suevia prope Potamicum lacum sitæ, ubi hodie Ravensburgum est, extincta in *Conradino* Gibellina Suevorum Cæsarum gente, tandem Austriacis, per *Rodulphum Habsburgium* regnantibus, cessere, à quibus etiam nunc tenentur.

Non pauca in Suevia & Bavaria sunt fundata ditataque Monasteria à *Guelfis*: sed in his eminet Monasterium Vinearum, vulgò Weingartense, quod hoc benefactoribus rependit, ut antiquas eorum res memoriæ posterorum traderet. Chronicon ergo Monachi Weingartensis, à *Canisio* primum editum hîc renovamus, collatum cum Augustano codice, qui est in Monasterio *S. Udalrici* & *Afræ*. Memini olim, cùm ad Historiam Guelficam animum applicare cæpissem, *Carolum Ducangium*, *Christophorum Justellum* aliosque viros doctos in Gallia, cum quibus mihi literarum commercium erat, dubitare, an verum esset, quod vulgò dudum ferebatur, Brunsvicenses ortos esse ex Atestina gente. Equidem disertè in Monacho Weingartensi apud *Canisium* ita legebatur cap. 6. *hic* (Gwelf) *genuit filiam Cunitiam* (Cunizam) *nomine, quam Azo ditissimus Marchio Estensis Italiæ, cum curte Clisma dotatam in uxorem duxit.* Sed cùm codicem Augustanum inspexissem (ex quo Chronicon hoc ediderat & *Canisius*) comperi, quod ex connexione ipsa verborum jam suspicatus eram, vocem, *Estensis*, esse glossema, alia manu ascriptum. Rem tamen ipsam in Italiam profectus, certis illic argumentis asserui

didicique etiam, quibus legibus *Azonis* posteri, in Germania Duces, cum Marchionibus Italis, ex eodem stirpite prognatis, de ditionibus communis parentis transegerint, aliaque nostris Atestinisque scriptoribus ignorata.

GERVASII TILBERIENSIS, Arelatensis Regni Mareschalci, Otia Imperialia ad *Ottonem IV.* Imperatorem. (*Num. 63. Tom. I.*)

G*ervasius* Tilberiensis, vir illustris, & studiis (pro captu temporum) & militia clarus, ad *Ottonem IV.* Imperatorem, *Henrici Leonis* Ducis Bavariæ & Saxoniæ filium, *Ottonis*, primi Ducis Brunsvicensis patruum, libri misit, quem Otia Imperialia inscripsit, injucunda ejus lectione Imperator curas distingueret. Hunc librum passim citarunt autores de manuscripto. Ex antiquioribus, *Theodericus de Niem* Episcopus Verdensis nominatus, libro 2. de schismate cap. 19. librum composuisse *Gervasium* ait, qui vocetur Otia Imperatoris. Et Autor speculi exemplorum (quem, cum aliquot sequentibus, viro quondam eruditione eximio *Jacobo Thomasio*, in literis ad Cl. *Maderum* datis, notatos debemus) distinct. IX. exempl. 42. *refert*, inquit, *M. Gervasius in libro de mirabilibus terrarum & Imperialibus solatiis* &c. ubi historiolam inde profert *Isnardi*, Domini Castri Culfini, quæ nobis extat decis. 3. c. 31. & *Vincentius Bellovacensis* lib. 3. spec. moral. part. 7. dist. 2. ex nostro exhibet narratiunculam de Cellario quodam B. *Rufi* Valentiensis Diœcesis. Tilberiensis nostri etiam *Bocatius* meminit lib. 7. de Geneal. Deorum c. 25. & *Symphorianus Champerius* lib. de antiquitate Lugduni, & autor obscurus de gestis Romanorum c. 154. 155. 162. & *Baptista Fulgosus* lib. 1. memorabil. c. 6. tit. de avibus aliisque animalibus admirandis: & *Gaudentius Merula* lib. 3. memorabilium c. 44. ult. *Pitsei*, *Balei*, *Wolfii*, & ex recentissimis, *Vossii*, *Boysii*, *Reinesii*, *Menagii*, *Ducangii* aliorumque loca nunc attingam. Tantùm notabo adhuc sub nomine Mareschalli Arelatensis citari nostrum Autorem à *Falcato* (*Fauchet Liv. 2. de la Maison de Charlemagne*) cùm de prælio loquitur; inter *Guilielmum* Tolosæ præfectum & *Abdemelecum* Saracenum, tempore *Caroli M.* commisso: quod referens *Guilielmus Catellus* Historiæ Comitum Tolosæ scriptor eruditus lib. 1. hunc Mareschallum sibi visum negat. Fragmentum operis edidit vir quondam doctissimus *Joannes Joachimus Maderus*, hoc titulo; *Gervasii Tilberiensis de Imperio Romano; & Gothorum, Lombardorum, Brittonum, Francorum, Anglorumque Regnis Commentatio, ex ipsius Otiis Imperialibus &c. Helmstadii* 1673. 4*to*. Cùm verò Autor non pauca utilia habeat, quæ nostræ Historiæ illustrationi inserviunt, & *Ottoni IV.* ex hac florente nunc quoque Brunsvicensi Domo Imperatori librum dicaverit; totum opus ex Codice manuscripto membranaceo Bibliothecæ

Juliæ

Juliæ edendum duximus, atque inde Apographum Cantabrigiam misimus, quod Cl. *Waſſus*, collegii Reginæ ſocius, vir doctus & officioſus, cum codice ſed & ipſo ſatis imperfecto contulit, qui in Collegio Chriſti illic extat, quanquam pars collationis vel omiſſa ſit, vel exciderit. Clauſa tunc erat Cottoniana Bibliotheca: itaque codice ejus frui nondum datum eſt. Sanè non pauca reſtituimus, ſed omnia nec licuit, nec vacavit: præſertim, quæ ad Geographiam pertinent, ubi multa congeſſit autor partim à librariis corrupta, partim barbara, quæ examinare majoris operæ foret. Secutus alicubi *Oroſium* eſt, ſed & alios alibi, cum quibus conferri poſſet, ab eo, qui aliquando Geographiam veterem & mediam, poſt laudabilem V. Cl. *Chriſtophori Cellarii* operam retractare veliet.

Scripſit autor anno MCCXI. ut ipſe oſtendit, cum indictionis numerum computare docet. Controverſiam, quæ tunc *Ottoni IV.* erat cum *Innocentio III.* Pontifice Romano aliquoties attingit, non ſine quadam moderatione & judicii gravitate. Nam &, ſermone alicubi ad Papam converſo, hortatur eum libero ſatis ore, ut det *Cæſari*, quæ ſunt *Cæſaris*. Interim *Ottonem* ſeriò & prudenter monet, ut potius Pontifici gratificetur, cujus certè auxilio debebat Imperium, quàm non ſine dignitatis periculo cum eo contendat, qui tunc Vicarius Dei in terris habebatur. Erat ſanè optima cauſa Cæſaris, qui terras *Mathildis* Tuſciæ Ducatricis, ab *Henrico V.* ejuſque ſucceſſore *Lothario*, pro avo hujus *Ottonis*, Imperio vindicatas; à *Lothario* in *Guelfum*, propatruum ejuſdem *Ottonis*, translatas (qui *Philippo* Suevo, quanquam injuſtè vendiderat) Romanæ Eccleſiæ, cum detrimento Imperii & ſuæ familiæ cedere recuſabat. Sed ea tunc erant tempora, ut niſi conſenſu Principum Imperii Eccleſiaſticorum & Secularium Pontifici Maximo adverſari etiam potenti Imperatori, ne dum novo & nondum firmis radicibus nixo, parum tutum eſſet. Nec ineptè noſter de illius temporis facie ait:

Ludit in humanis Romana potentia *rebus.*

De *Henrico VI.* Auguſti conſiliis, qui Principibus Germaniæ conceſſerat, ut feuda magis ad hæreditatis ſpeciem admoverentur: (ex quo diviſiones Principatuum, veritas priore feudorum jure, malè natas ſuſpicor) nimirum, ut viciſſim ejus poſteritas in Imperio ſuccederet, *ceſſante priſtina Palatinorum electione*: nemo tam diſertè clareque ſcripſit quàm noſter, qui mox ſubjicit, *conventionem pridem cum Principibus Teutoniæ factam ab Henrico de ſucceſſione Imperii*, *per ſanctiſſimum Papam Innocentium (III.) fuiſſe caſſatam.* Quæ conventio nuſpiam hodie extat, quod ſciamus. Ubi quod de *Palatinis* habet Cæſarum Electoribus, quantivis pretii eſt. Intelligit autem Archipalatina officia, id eſt, Dapiferum, Pincernam, Mareſchallum & Camerarium, qui in Cæſarum, Regum alio-

aliorumque magnorum Principum palatiis ab antiquo cuncta regebant. Hæ olim dignitates certæ familiæ, aut certo territorio non alligabantur, ut ex *Wittikindo Ditmaro* aliisque intelligi poteft. Electionem Regis vel Imperatoris Romanorum ac Germaniæ feculo certè XII. & magna adhuc parte feculi decimi tertii non nisi ex prætaxatione communi Principum (ut *Alberti* Stadenfis Abbas loquitur) folenni ritu peragebant Principes illi, qui munera Palatina gerebant, autoritatem facri muneris interponentibus tribus Orientalis Francorum Regni ad Rhenum Archiepifcopis, qui & ipfi mox cum Archi-officialibus Electores dici capere; cùm antea in Bavarico & Saxonico regno peculiaris cujufdam Electionis fpecies, autoribus illic Archiepifcopis, celebraretur, ut ex noftris *Ditmari* Supplementis imprimis patet. Denique (vix tamen ante *Rodulphum Habsburgium*) cæteri Principes vel confilio vel negligentia jus fuum omisêre, omnibus longo interregno in deterius commutatis, obfcuratoque per infelicitatem temporum antiquo Imperii Jure. Hæc olim fufiùs in præfatione Codicis Juris Gentium Diplomatici explicata, obfervatus poftea *Gervafii* noftri locus egregiè confirmavit, atque etiam in Mantiffa præloquio provocavimus.

Cæterum *Gervafium* in his, quæ ad Rempublicam pertinent, non fpernendum; mox ubi facra, & remota à fuis temporibus locifque attingit, mirificentiffimum effe & fuperftitiofiffimum fabulatorem fatendum eft. Sed neque prorfus eum à mentiendi libidine abfolverim. Quædam enim velut teftis oculatus narrat, quæ nemini mentis compoti hodie facilè perfuaferis. Sed talia tunc vel in pietate vel certe in laude ponebantur. Vix tamen capi poteft, hominem de nonnullis rebus naturalibus, civilibus, facris etiam, doctè & prudenter differentem, mox in ea dilabi, quæ hodie

Non fanè effe hominis non fanus juret Oreftes.

Nam multiplicis literaturæ virum fuiffe apparet, neque in veteribus Hiftoricis aut Poëtis, aut etiam Ecclefiæ Patribus hofpitem. Sed omnia corrumpebat cacoëthes mirabilia narrandi. Vixit eo feculo, quod ego cum proximo, omnium feculorum poft Chriftum natum ineptiffimum effe comperi; decimo tertio, inquam, quo fubitò omnes propemodum boni fcriptores evanuere, cuncta in fe trahentibus Monachis mendicantibus, qui tunc infurrexerant; & mox ignorantiam atque errorem etiam vivicomburio fancientibus: ut jam vix alia quàm utriufque juris & fcholafticarum argutiarum ftudia fupereffent. Germanis certè feculum decimum aureum fuit præ decimo tertio & decimo quarto; quo tempore etiam jura Imperii fupina ignorantia propemodum intercidêre. Nofter habitum doctrinæ animorumque illius temporis velut in fpeculo intuendum reperiffe. *Turpini* & fimilium nugæ jam ante inventæ erant; fed

ex

ex *Ottone* Frisingensi aliisque contemporaneis apparet, medio duodecimo seculo integram adhuc discernendi facultatem superfuisse, mox verò uno impetu fabulæ, àntea intra Legendas & Sanctorum miracula coërcitæ, sese in orbem literarium effudêre. Sanè non sine admiratione legi, quàm inepta de rebus suæ patriæ & vicinis, vix uno alteroque seculo anterioribus, *Ptolemaus* Lucensis, qui seculo decimo quarto floruit, similesque Italiæ scriptores habeant, usque adeò, ut jam nec Historici nec jureconsulti nossent, quæ esset Guelforum & Gibellinorum origo, quorum factionibus tota Italia crudeliter lacerabatur: usque adeò ridicula sunt, quæ de ea re scribunt. Quanta etiam portenta seculo præcedente, id est, *Gervasii* nostri ætate jam tum peregrinatores referre auderent, ex *Arnoldo* Lubecensi Abbate intelligas, qui epistolam ad se *Conradi* Hildesiensis Episcopi non pauca manifestè fabulosa narrantem in opus suum retulit, tanquam auro includeret gemmam. Tunc & *Benjaminus* Tudelensis Hebræus itinerarium conscripsit, quo nihil prodigiosius, cum quo *Johannes de Mandevilla* seculi XIV. scriptor in suo hodæporico videtur mentiendi audacia certare voluisse. Jucunda inprimis sunt & perridicula, quæ & noster narrat de magicis *Virgilii* operibus apud Neapolin, quibus alia non imparia ille ipse addit *Conradus* Episcopus, qui (quo magis mirere) Imperatoris erat Cancellarius. Quæ verò de spectris, & apparitionibus, de mortuorum responsis, de fatatis vel incantatis personis aut rebus habet noster, neque Legendariis neque Amadisis concedunt. Cæterum ne fabulas quidem istas percurrere pœnitebit curiosum antiquitatis, & legisse ex hoc stercore aurum. Passim aspergit quædam noster, ad Historiam & Geographiam & Physicam utilia. Certè de vermiculo, colore plantaque unde nascitur, differit digna expendi; quæ ex codice manuscripto Bibliothecæ Regiæ exhibuerat *Ducangius*, vir vastæ doctrinæ & diligentiæ, Glossar. Latin. V. vermiculus; unde nostrum Codicem emendavimus. Habet etiam non pauca, quibus res Arelatenses & vicinæ illustrantur. Opinionum quarumdam & traditionum, adde & rituum origines, non alibi occurrentes, subinde insinuat. Quæ refert de variis CHRISTI iconibus, legi merentur. De *Veronica* disertè, ut excellentis vir doctrinæ *Mabillonius*. Est, inquit, *Veronica* pictura Domini vera (vera icon.) Pomum aureum, quod in solennibus sinistrâ ferebant Imperatores, favilla & cinere plenum fuisse refert, ut admonerentur, quàm vana esset omnis humana magnitudo. decis. 1. c. 9. Nonnullos citat Autores, qui non tantùm intercidêre, sed etiam planè nobis ignorantur. Tale est Chronicon *Claudii* ad *Adonem*, quod citatur decis. 3. c. de ortu provinciarum; Historia item seu Bibliotheca versificata decis. 1. c. 9. *Theodosii* Diaconi, tr. de terra sancta, unde ampla exhibentur excerpta, decis. 2. Citatur & (decis. 3. c. de Bevere, id est Castore) egregius versificator *Bernardus*

Sylvester. Et quotidiana (nescio quæ) Historia decis. 3. cap. de Olympo. Complura alia scripta *Gervasio* nostro tribuuntur. Ipse non semel opus suum citat de *vita B. Virginis & discipulorum Jesu*, credo quòd pars eorum in Narbonensem Provinciam cum *Lazaro* & *Maria Magdalena* venisse crederetur. Librum Facetiarum scripserat in gratiam *Henrici* junioris Angliæ Regis, qui ante patrem *Henricum II.* (nostro dictum seniorem) abiit. Sed *de mundi descriptione* librum unum, & *de mirabilibus orbis* librum unum, quos *Baleus* refert, in nostro contineri apparet. *Galfridi* Monmuthensis fabulas de Britonum origine, & *Bruto Conditore* illustravit, eodem *Baleo* autore; certè compendium harum nugarum in opus quod edimus transtulit. Ipsas illustrationes *Galfridi* vidit *Baleus* (aut fortasse, quem ille sæpe exscripsit, *Lelandus*) nam initia citat. Idem *Baleus* à se juvene editam ait *Gervasii* tripartitam Regni Angliæ Historiam sub Illustrissimo Anglorum Rege *Henrico*, libris tribus scriptam, *quem* (inquit) *librum, quia per tres columnas digessimus, duximus* Tricolumnium *postea appellari.* Sed hunc librum videre non memini, neque alii indicarunt. Tribuit etiam Dialogorum librum *Gervasio Baleus* & *Pitseus*, cùm dixisset, dialogorum unum scripsisse, addit: *affirmant etiam multi, eum scripsisse librum nigrum de curia Scaccarriæ.* Ibi *Vossius* hæc referens, & nonnihil per festinationem, ut arbitror, confundens; hunc ipsum librum de Scaccarrio forma dialogi scriptum putavit. Cæterum ambigere *Seldenum* in notis ad *Eadmerum* p. 216. an autor libri nigri *Gervasius* sit, ipse *Vossius* notat. Tandem *Theodericus de Niem* lib. 2. de schismate c. 19. Balnea Puteolana à *Gervasio* libello metrico descripta scribit, ab eo scilicet, qui etiam scripserit Otia Imperatoris.

Sed & de vita viri aliqua subjicere operæ pretium est. *Baleus* non mediocriter eruditum vocat; cognomentum à Tilberia Ostro-Saxonum oppidulo in Tamesina ripa duxisse. *Theodericus de Niem* pro Anglo Saxonem errore quodam facit. *Baleus Henrici II.* Regis Anglorum nepotem credidit. Sed tantæ nobilitatis nulla indicia apparent in hoc libro aut veteribus monumentis: erroremque ortum opinor, quod aliquando in manuscriptis codicibus, pro avo vestro (nempe cùm *Ottonem IV.* alloquitur) legitur corruptè, avo nostro. Cæterum virum genere nobilem intelligas, quòd Marescalci dignitatem in Regno Arelatensi non alteri, (ut tunc erant tempora) Imperator credidisset. Habebat dudum insignes in illo regno possessiones, nempe per uxorem; haud alioqui facilè illic admittendus ad illam dignitatem. Nam decis. 3. c. de equo *Gerardi de Cabreriis*, *in palatio* (inquit) *nostro*, quod ex *vestro munere & ex vestra gratia ad nos rediit per sententiam Curiæ Imperialis propter jus patrimoniale uxoris nostræ &c.* Itaque *Humbertum* Arelatensem Archiepiscopum vocat affinem suum decis. 3. cap. de lamiis. Ipse sese in prælo-quio refert inter homines militares. Itaque marte & arte claruit: nam juvenis

juvenis Bononiæ Jus canonicum docuit, auditoremque in eo habuit *Johannem Pignatellum*, Archidiaconum postea Neapolitanum; quem ait scientia, meritis & sanguine illustrem decis. 3. c. 12. Fuit ipse in ministerio *Guilielmi* Regis Siciliæ, & egit Neapoli tunc, cum Accon seu Ptolemais à Christianis obsideretur, ut ibidem ait. Capta autem illa est post anni & amplius obsessionem Julio anni 1191, & *Guilielmus* Rex paulo ante obierat Novembri mense anno 1189. *Gervasius* autem jam antea *Henrico* Juniori Regi Angliæ, cum patre regnanti familiaris fuerat, qui obiit anno 1183. Tunc ergo in Anglia vel Galliæ parte, Anglis subjecta egit. Et paulo ante (ut ipse refert decis. 2. c. de Impp. Rom. post *Carolum*) vidit Venetiis reconciliationem *Friderici I.* Imperatoris cum *Alexandro III.* Papa, quæ facta est anno 1177, nullumque illic vestigium habet absurdæ conculcationis, quam boni autores ignorant; quin potius moderatum *Alexandri* animum laudat patientiamque, qua tandem triumphârit. De ipsa ceremonia sic loquitur: *in Concilio siquidem Veneto pœnitentem Imperatorem ad sinum matris Ecclesiæ regressum* intuiti sumus; *cùm summa humilitate* stolam per manus *Sanctissimi* Papæ *Alexandri, quam dedit pater pœnitenti filio, recepisset.* Credo, quòd stola nova innocentiæ signum esset post absolutionem.

GERARDI MAURISII Narratio dissidiorum Marchionis Estensis, cum *Ecelino* de Romano. (*Num. 6. Tom. II.*)

CUm *Felix Osius* Vir doctus, Professor Patavinus, hortatu *Dominici Molini* Senatoris Veneti, ab eruditis sui temporis passim celebrati, Historiam *Henrici III.* Augusti, ab *Albertino Mussato* contemporaneo scriptam, edere moliretur: scriptores aliquot alios ineditos addere constituit, qui de rebus *Marcæ*, quam olim *Veronensem* hodie *Tarvisinam* vocant, id est, partis Longobardiæ, Venetis vicinæ, scripserant. Obiit *Osius*, antequàm editionem absolveret; quæ tamen *Molini* favore & *Laurentii Pignorii* cura perfecta est anno Dom. 1636. Ex his scriptoribus visus est nobis collectioni nostræ inseri dignus antiquior cæteris *Gerardus de Maurisio*, causidicus ac civis Vicentinus, & aliquando judex urbis, ut habetur in fine operis, natus *Petro* quondam de *Maurisio* milite p. 29. qui stetit à partibus *Friderici II.* Imperatoris & *Ecelini* de Romano contra Pontificem Romanum & Marchiones Estenses, id est, à parte Gibellina contra partem Guelfam; cùm contrà *Monachus Paduanus*, ab *Urstisio* editus, & *Rolandinus* editus ab *Osio*, aliique pene omnes Pontificis partes tueantur, & in Imperatorem sunt iniqui. Sed *Maurisius* ante ruinam *Ecelini* tertii (secundò nati) scripsit: cæteri fortunam secuti videntur. Quanquam ego *Ecelinum* hunc tueri nolim, cujus crudelitatem & tyrannidem omnes uno ore exagitant; quæ cùm *Maurisius*

E 2 scriberet,

ſcriberet, nondum credo ad ἀκμὴν pervenerant. Sed cur *Mauriſium* in hanc collectionem admitterem, duo fuere: primum, quod de *Ottone IV.* Auguſto habet, quæ, alibi non legenda, ad indolem tanti Principis noſcendam faciunt; deinde quod de rebus Marchionum affert, quæ nuperi ſcriptoris Romani, vir docti ſed Eſtenſibus iniquioris, opinionem refellunt, qui de Pontificio in Comaclum jure epiſtola, Italico ſermone ſcripta, tractavit. Contendit Romanus Scriptor Eſtenſibus Marchionum honorem non ante competiiſſe, quàm *Azo* Eſtenſis ab *Innocentio III. Marchio Anconæ* renuntiatus eſt. Sed *Mauriſius* noſter, adverſus Eſtenſibus & hoſti eorum favens, eoque credibilior, cum ipſorum dignitati teſtimonium perhibet, *Azonem* jam *Marchionem Eſtenſem* vocat ante annum 1204, id eſt, multo ante, quàm Marchiam Anconitanam obtinuit. Narratque, Marchionem Eſtenſem *Ecelino* ſecundo, ſenioris *Ecelini* filio, contra Patavinos (p. 26.) aſtitiſſe; ſed hunc poſtea Veronenſibus contra Marchionem auxilio fuiſſe, qui ad poteſtatis honorem *Veronæ* electus, & deinde expulſus fuerat: mox tamen, repugnante licet *Ecelino*, Veronam recepit. Idem Marchio tunc & *Salinguerram* Ferraria expulit, & jam cum amicis Veronam & Vicentiam & Ferrariam tenebat; quas tamen mox rurſus amiſit (p. 28. 29.) Hoc rerum ſtatu *Otto IV.* Rex, ad recipiendum Imperii Diadema, in Italiam venit, & *Marchionem*, *Ecelinum*que & *Salinguerram* ad ſe vocavit, deditque operam, ut conciliarentur. Qua in re & moderatio Imperatoris & autoritas enituit; & jucunda lectu ſunt, quæ de colloquio ipſius cum Marchione & *Ecelino* habentur p. 30. ubi & apparet, *Ottonem* Aug. Gallico ſermone uſum, & ab Italis fuiſſe intellectum. Et mutanda ibi nonnihil interpunctio eſt; nam pro: equitando cum ipſo in Franceſco, dixit Dominus Rex, &c. ſic diſtinguendum eſt, *equitando cum ipſo*, *in Franceſco* (id eſt Gallicè) *dixit Dominus Rex.* Porrò rebus compoſitis, *Azonem* ad Marchiam Anconitanam (quam ei contulerat) regendam miſit, *Ecelinum* ſecum Romam duxit; eique deinde reverſus, *Vicentinæ* civitatis regimen credidit (p. 31.) Ex quibus intelligitur, Eſtenſes dudum Marchiones fuiſſe, antequàm Anconam obtinerent, & hanc ab Imperatore accepiſſe; etſi poſtea, Imperatore cum Papa colliſo, hujus quoque conceſſionem Marchio expetierit. Quin multo antè ſub Imperatore *Friderico I. Obitio Marchio Eſtenſis* autoris noſtri teſtimonio firmatur. Ita enim non procul ab initio operis (p. 24.) de *Ecelino* avo agens: *Hujus* (inquit) *tanta fuit diſcretio & ſcientia, quòd, quamvis graviſſimè Lombardi Imperatoriam Majeſtatem læſiſſent, & non modicè contra illos fuiſſet Dominus Imperator indignatione commotus: tamen ſic humiliter verbis & factis ſupplicavit eidem, quod tam ſibi quàm dictis Lombardis* & Obitioni Marchioni Eſtenſi *ſuam indignationem dimiſit* &c. Itaque ſi *ſcriptor Romanus* non minùs *Mauriſium* quàm Monachum Paduanum & *Rolandinum* con-

consuluisset, nunquam (credo) in animum induxisset suum, ut Marchionatus dignitatem, Principibus solis eo tempore convenientem, in Estensibus, à Pontifice *Innocentio III.* repetendam judicaret; quam penes ipsos fuisse vetustissimam, & jam decimo seculo vigentem, aliunde certissimis documentis constat. Sed ut ad Marchionem Estensem, jam & Anconitanum factum, redeamus; ille deinde, cum fortuna se circumagens, ab Imperatore ad Papam transiit, & *Fridericum II.* contra *Ottonem IV.* secutus est, ac tandem decessit, relictis duobus filiis, *Aldobrandino* & *Azone*, dicto novello. Tum verò Patavini, spreta *Aldobrandini* Marchionis adolescentia, Estense castrum cum burgo, tanquam in suo districtu situm, juris sui esse contendentes, auxiliante *Ecelino*, obsident, & ut noster ait: (p. 11.) *venit tunc Marchio, tanquam devictus, ad voluntatem Communis Paduæ.* Monachus Paduanus rem ita narrat: *cùm nobilis Marchio Aldrovandinus nollet Communitati Paduæ subjacere, Paduani arcem Estensem cum machinis obsederunt. Videns autem Marchio, se non posse amicos suos, qui obsidebantur, commodè adjuvare; pariterque sciens, quod durum est contra stimulum calcitrare, coactus juravit, sicut civis, Communis Paduæ in omnibus obedire.* Hoc scriptor Romanus arripiens, inde inferre non dubitavit, Estenses, antequàm Marchiones Anconitani à Pontifice fierent, nonnisi privatos fuisse cives, nobiles Paduanos; parum attendens ad illorum, de quibus loquitur, temporum faciem. Sanè animadvertere poterat, *Aldobrandinum* jam tum Marchionem fuisse Anconitanum. Nam volebat Pontifex, ut patri succederet, de Ecclesia Romana benemerito. Itaque civis Patavini appellatio non ideo privatum reddebat; idemque locum habebat, etiam antequàm Marchiones Estenses Anconam fuissent nacti, cùm dudum ex primariis Italiæ Principibus haberentur. Nempe distinguendus erat Marchionatus, feudum Regale, ab allodiali olim terra, qualis erat Estensis; in quam ob viciniam Patavini jus quoddam sibi vindicabant. Sciendum est enim, cum illis temporibus primariæ Italiæ urbes, inter quas *Patavium* erat, speciem quandam Reipublicæ sibi quæque affectarent, vicina oppida Dynastasque proximi tractus, in easdem leges adigere tentâsse. Pulchrè rem explicat *Guntherus* in Ligurino diversis locis. Ita enim libro 2. canit de Italica gente:

Consulibus rerum committere summam
Gaudet, & hos, triplici sumtos ex ordine, (fastum
Ne pariat diuturnus honor) mutare quotannis.
Vivere quemque suæ subjectum legibus Urbis
Cogit, & externos *sub eodem jure* potentes
Alligat, ut terra vix inveniatur in illa
Aut Comes, *aut alius, civili jure solutus.*

 Et

Et idem mox libro tertio introducit *Terdonenses Legatos*, urbem Papiam vel Ticinum accusantes, quod vicinum Comitem, Regni Palatinum, in castro *Lunelli* residentem, sub sua jura coegissent;

Nam præter reliquas, quas aut servire coactas
Subdidit, aut captas evertit funditus urbes,
Aspice, quam turpi Lunelli *nobile castrum,*
Atque Palatini sedem *fixosque penates,*
Verterit illa dolo. Comitem civesque vocabat
Perfida, colloquio pacis de rebus habendo;
Incautosque viros, & nil hostile timentes,
Fraude mala captos in vincula dura coegit.
Ipsaque non armis, nec belli jure, sed astu
Vel potius subversa dolo castella reliquit.
Et nunc ille Comes, consors & regius aulæ,
Ille potens Princeps, *sub quo Romana securis*
Italiæ punire reos de more vetusto
Debuit, injustè victrici cogitur urbi
Ut modicus servire cliens; nulloque relicto
Jure sibi, Dominæ metuit mandata superbæ.

Itaque non mirum, si juvenis Marchio *Aldebrandinus* aliquando similia passus est, vi nihil derogante juri & dignitati. Cæterum ab aliis narratur, quomodo expeditionem Anconitanam susceperit, & brevi extinctus, fratri *Azoni* adolescenti dignitatem familiæ tuendam, & propagandam reliquerit. Atque is est, qui postea (circa A. D. 1242.) *Ferrariam* stabili ditione, volentibus civibus, obtinuit.

SENTENTIA ARBITRALIS JOHANNIS REGIS FRANCIÆ, super controversia honoris & appellatione ad duellum, inter OTTONEM Ducem in Brunswich & HENRICUM Ducem Lancastriæ IX. Decembr. MCCCLII. (*Num. 7. Tom. II.*)


Hoc monumentum Brunsvicensis Historiæ ex quodam Bibliothecæ celeberrimæ Cottonianæ (nuper publico assertæ) Codice accepi. Misit V. Cl. *Thomas Smithus*, Anglicanæ Ecclesiæ Theologus, qui scriptis non tantùm Orientalem Ecclesiam illustravit, sed & virorum Angliæ præclarorum memoriam & labores conservavit; & Bibliothecam Cottonianam egregio indice exornavit. Apud nos nulla rei gestæ memoria aut mentio extabat. Et deliberandum fuit, quis esset ille *Otto* Dux Brunsvicensis, cui cum Duce Lancastriæ lis fuit. Sed omnibus expensis non alium esse arbitror, quàm, qui ex linea *Grubenhagia* ortus, vulgo *Tarentinus*

rentinus dictus vel *Neapolitanus*, postea bellis Italicis inclaruit, & Reginam Neapolitanam *Johannam I.* duxit. Nam tempora conveniunt, nec in alium *Ottonem* narratio quadrat. Laudum enim (quo nomine arbitralem sententiam vulgo appellant) pronuntiatum est A. D. 1352, quo tempore *Otto* floruit, qui & A. D. 1354. Romæ coronationi *Caroli IV.* Augusti interfuit, quod ex Tabulis, ab *Ahasvero Fritschio* Canceliario Schwarzburgico in additionibus ad *Limnæi* Lib. 7. cap. 35. editis, *Henricus Meibomius* junior V. Cl. avi notis in *Bullam Andronici* ascripsit. Ætate jam vergente, *Johannam* duxisse constat circa annum 1376, cùm multis rebus præclarè gestis inclaruisset, & Regina defensore opus haberet. Et ad *Ottonem* Luneburgicum (*Ottonis Strenui* filium, *Johannis* nepotem) A. D. 1354 extinctum, qui domi maritus ditionem rexit, nec patria excessisse cuiquam memoratur; non est, cur ista cum Anglo controversia referatur. *Henricum* Ducem Lancastriæ, Regis Angliæ *Eduardi II.* consobrinum fuisse, comperi. Eum *Ottoni* Duci, tunc inimico, cognatum fuisse, sententia arbitralis observat. Hoc verò ita habet. *Mechtildis* uxor *Henrici Leonis* Ducis Bavariæ & Saxoniæ, fuit soror *Johannis* Regis Angliæ, patris *Henrici III*; & peperit marito cùm alios filios, tum *Wilhelmum*, patrem *Ottonis*, qui primus Ducis Brunsvicensis titulum accepit, patris *Alberti*, patris *Henrici Mirabilis*, patris *Henrici* in Græciam profecti, qui fuit pater *Ottonis* Ducis, de quo agitur. *Henricus III.* Rex Angliæ, duos habuit filios; *Eduardum I.* (hujus generis) Angliæ Regem, patrem *Eduardi II.* avum *Eduardi III*; & *Edmundum*, cujus duo filii: prior *Thomas*, & hoc, jussu *Eduardi II.* decollato, *Henricus*, alter post alterum, *Comites Lancastriæ* dicti sunt. *Henricus* Comes, cognomine dictus est *Torticollus*; & demum ab *Eduardo III.* consobrino, cui paulo ante coronationem militiæ cingulum pro temporis illius more circumdederat, Lancastriæ Dux est appellatus; & inter primos Equites periscelidis post Regem ejusque filium, tertius nominatur. Atque hic tantus vir is est, qui Parisiis cum *Ottone* nostro solenni duello confligere debuit. Res scriptoribus Gallis non fuit ignota penitus, etsi non cognita satis. Nam *Andreas Quercetanus* Historicus Regius *in historia rerum Anglicarum Gallicè edita* memorat ad A. D. 1352. Ducem Lancastriæ 4. Septembris (substituendum Decembris) cum nescio quo Duce aut Principe Bohemiæ, in campo Martio clauso, monomachia certare debuisse, impetrato à Gallis, licet hostibus, salvo conductu; sed Regem ipsum, cùm in eo jam essent, ut congrederentur, pacis conciliatorem fuisse. Credo Ducem de B. inventum in libris veteribus ut sæpe fit; & notiorem Bohemum pro Brunsvicensi substitutum fuisse. Verba *Quercetani* hæc sunt Tom. I. Hist. d'Angleterre pag. 672. 673. *Le quatriéme jour de Septembre ensuivant le Duc de Lancastre devoit publiquement combattre à Paris contre un Duc ou Prince de Boheme,*

que

que les Histoires ne nomment point, en champ clos, de seul à seul. Et pour cet effet, bien qu'ennemi du Roy de France, il avoit obtenu saufconduit de Sa Majesté. Mais comme ils furent descendus en la lize armés & qu'ils eurent fait les sermens, le Roy Jean se rendit lui-même l'instrument de leur reconciliation, & les mit d'accord. Sed Tabulam Genealogicam ad intelligentiam cognationis inter utrumque pugilem subjicere placet.

Henricus II. Rex Angliæ.



Ubi mirum videbitur, componi inter se ad certamen duos Principes, quorum alter, si Genealogiæ lineam spectes, alterius pro avo par est gradu. Sed sciendum est, *Albertum* proavum *Ottonis* Ducis Brunsvicensis, egisse apud *Henricum* Regem, avum Ducis Lancastriæ, etsi *Alberti* avus *Wilhelmus*, Henrico Regi contemporaneus ex Genealogicis gradibus videri deberet. Sed *Mechtildis* uxor *Henrici Leonis*, primogenita natarum *Henrici II.* fuit: at *Johannes* Rex quartus filiorum ejusdem, & ipse sero *Henricum III.* genuit: qui, cùm decederet pater, novennis fuit. Causa qua commiserit duos Duces, non satis explicatur: *Henricus* Dux Lancastriæ, *Coloniæ Agrippinæ* agens (credo, ut nomine *Eduardi III.* cum Principibus Germaniæ negotia tractaret; nam à *Ludovico Bavaro* vicarium imperii in partibus illis *Eduardum* nominatum constat) nescio quid in *Ottonem* Ducem Brunsvicensem jecerat. Quo comperto, *Otto* ad *Henricum* litteras provocatorias misit. Sed postea *Henricus* apud Regem Galliæ rem ita exposuit, ut appareret, rem malè ad *Ottonem* relatam fuisse; eo facilior conciliatio visa est. Cæterùm digna ipsa sententia

tentia est, quæ legatur, non ab Historiæ tantùm & Jurisprudentiæ cultoribus, sed etiam ab iis, qui literas armis conjungunt. Inde enim disci potest non tantùm, quàm studiosi fuerint antiqui tuendæ dignitatis, sed etiam, quàm fuerint in causa honoris tractanda circumspecti. Laudari etiam Regis *Johannis* generosus animus debet, qui primarium Regis, hostis sui, virum ipsumque hostem non spernendum conservavit, quem alterius nihil ad se pertinentis periculo confici impunè pati poterat. Et sanè *fatendum est, illis seculis, quæ nunc prope barbara censentur, multa fuisse edita exempla justitiæ & generositatis, à nostris moribus non æquè exspectanda.*

EXCERPTA DE GESTIS OTTONIS TARENTINI, Ducis Brunsvicensis, ex *Theoderico de Niem* & *Gobelino Persona.* (*Num.* 8. *Tom. II.*)

QUoniam de *Ottone*, vulgo *Neapolitano*, ex Ducibus Brunsvicensibus Principe Tarentino dicere cœpimus, excerpta duorum autorum contemporaneorum de rebus ab eo gestis adjicere placuit. Hi sunt *Theodericus de Niem*, ex antiqua apud Westphalos familia ortus, aliquot Paparum scriba vel secretarius, ad Episcopatum primò Verdensem, mox Cameracensem à Papa destinatus vel promotus; & *Gobelinus Persona* Decanus Bilefeldensis in diœcesi Paderbornensi, de quibus autoribus alii satis dixere. Neque magnoperè, quod addam, habeo, nisi quod in manus meas pervenit *Continuatio Martini Poloni inedita, Theoderico de Niem attributa.* Hunc ad Episcopatum Verdensem, & post ad Cameracensem à Papa *Bonifacio IX.* in sua obedientia dicto, fuisse nominatum; habetur & in Chronico Verdensi, quod hic edimus, in Ep. 43. pag. 221. De *Ottone* dicere præstat, explicareque, quæ illi occasio peregrinationum longinquarum fuisse videatur. Natus fuit ex patre peregrinatore: amitam habuit Imperatricem Constantinopolitanam, aviam ex Marchionum Montisferrati stirpe. Nimirum *Albertus* Dux, *Ottonis* primi Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis filius, *Wilhelmi* nepos, *Mechtildis* Angliæ Principis, *Henrico Leoni* nuptæ, pronepos, ex aula *Henrici III.* Angliæ Regis (*Mechtildis* fratre nati) duxit uxorem *Adelheidem* Montisferratensem, quæ apud cognatam Reginam *Eleonoram*, Comitis Provinciæ *Raimundi* filiam, fuit educata. Inde filius primogenitus *Henricus*, vulgo *Mirabilis*, exteris cognatione innexus, filiam *Adelheidem*, (sed Græcis nomina nostra mutantibus dictam *Irenen*) *Andronico juniori* Imperatori Constantinopolitano desponderat, filio *Michaelis* maturè defuncti, nati ex *Andronico seniore* & *Maria*, vel, ut alii volunt, *Anna* Hungarica; qua defuncta, cùm idem *Andronicus*

ſenior Yolandem de Monteſerrato duxiſſet, eo minùs mirum eſt, quòd nepoti, cognatam conjugi ſuæ poſteriori, uxorem dedit. Porrò *Henricus Henrici Mirabilis* filius, in Græciam ad Auguſtum, ſororis maritum, profectus eſt A. D. 1329; atque inde porrò in Palæſtinam & Arabiam, ad montem uſque Sinaï perrexit. In itinere, &, ut quidam volunt, Conſtantinopoli, *Mariam*, filiam Regis Cypri duxiſſe ſcribitur; viduus (ſi Chronicon Brunſvicenſe picturatum audimus) amiſſa *Helena* (aliis *Hedwige* vel *Catharina*) *Waldemari* Brandeburgici filia, ex qua *Ottonem Neapolitanum* ejus primogenitum, natum credendum eſt: cujus tamen nativitatem ad annum uſque 1307. cum *Meibomio* (in notis ad Bullam *Andronici*) non retraxerim; ita enim ſeptuagenarius anno 1376. *Johannam* duxiſſet, cujus etiam caſui ſupervixit adhuc diu, & militiæ labores toleravit: Et credibile eſt, patrem ejus *Henricum*, qui viginti & amplius poſt annis in longinqua peregrinatione fuit, anno 1307. nec dum conjugatum fuiſſe. Cæterum hunc *Henricum*, vulgo *de Græcia* cognominatum, rectiùs *Duderſtadenſem* appelles, & fratrem *Erneſtum*, Eimbeccenſem; has enim portiones paternæ ditionis accepere. Filius illius primogenitus *Otto Neapolitanus* cum fratribus (de quibus dicere hoc loco ſuperſedeo,) plerumque extra patriam egit, & rebus præclarè geſtis, gloriam ſibi, decus familiæ peperit. Qua de cauſa cum Lancaſtriæ Duce, Regis Angliæ conſobrino, colliſus fuerit, non conſtat, ut jam dixi. Credibile eſt, agendi rationem, Principe & generoſo viro dignam, qua vindicavit dignitatem ſuam, & in magno orbis theatro, coram Franciæ Rege, ad duellum ſolenne comparuit; non parum ad famam ejus contuliſſe. Decennio poſt (quantum judicare potui) Marchioni Montisferrati, bellum cum viciniis gerenti, auxilio fuiſſe, ex commentariis quibuſdam Italicis comperi, & *caſtrum Caluſenum* expugnatum ſervandum accepiſſe. Porrò & cum *Bernabone* & *Galeatio* Mediolani Dominatoribus conflixit, & Eccleſiæ Romanæ copiis in Italia præfuit. Rem bene geſſiſſe ſcribitur, & omnino quadraginta prælìis ſive conflictibus victorem exiiſſe. Poſtremo *Johanna*, Regina Neapolitana, viro nupſit, & Principatum ei *Tarentinum* dedit. Cumque paulo poſt *Gregorius XI.* Pontifex obiiſſet, & Romani tumultuantes cœtui Cardinalium nominationem Pontificis Itali expreſſiſſent, electus eſt *Bartholomæus*, Bari Archiepiſcopus, qui *Urbani VI.* nomen ſumſit. Sed Cardinales Galli cum tribus Italis, violentam Electionem nullius momenti eſſe dicentes, poſtea apud Fundos alium elegerunt, qui *Clemens VII.* in ſua (ut vocabant) obedientia appellatus eſt. Porrò *Johanna* grata fuit *Urbani* electio, ſumti ex ſuo regno; à quo obtinere ſperabat, ut maritus Rex coronaretur. Sed *Urbanus* ſe difficilem præbuit, & in multis rebus Reginæ iniquum oſtendit. Itaque illa *Clementi* ſe applicuit,

cuit, & *Ludovicum Andegavensem* adoptavit, sed magno suo malo. Nam cùm *Urbanus* adversarium ejus *Carolum* Dyrrhachiensem fovisset, hic per proditionem Neapoli receptus est. *Otto* primùm exclusus, dein captus; Regina ad deditionem adacta, postea non amplius visa est. Jussu *Caroli* occisam non dubitatur. *Otto* post triennii captivitatem à Ducis Andegavensis (*Carolo* æmuli) milite interceptus liberatusque hujus partes fovit, tandemque Neapolin & Tarentum recuperavit, & postremò, (si *Gobelino* credimus) A. D. 1387. cum *Margareta*, *Caroli* vidua, Tarento contentus, pacem fecit. Octuagenarium obiisse scribit *Niemius*, & Foggiæ sepultum; sed annum mortis non indicat. Itaque erroneum puto, quod vel hoc vel sequente anno ea vulnere extinctum quidam volunt. Virum pro merito *Niemius* celebravit. *Johannam I.* vulgo ut impudicam & crudelem describunt, quæ maritum *Andream Ungarum* strangulari curarit. Sed *Meibomius*, *Summontius* & alii viri docti, apologiam Reginæ scripsere, quæ ob formam, & ingenium, & mores, ad elegantiam atque humanitatem factos, celebratur. *Niemius*, certè contemporaneus & liberrimus censor, scelera ejus non erat dissimulaturus, si credidisset. Et credibile est, *Johannæ II.* vitia, errore hominum ob commune nomen famæ prioris nocuisse.

EXCERPTA EX MONASTERII S. MICHAELIS Hildensemensis Necrologio. (*Num.* 14. *Tom. II.*)

Solent celebriores Ecclesiæ Fastis inscribere suis nomina benefactorum vel amicorum, quorum commemorationem statis anni diebus faciebant, preces ad Deum fundentes. Dies autem obituarios observare solebant, quanquam interdum non nisi depositionis seu tumulationis dies notatos constet. Itaque *Necrologia* passim vocant, quæ veteres *diptycha mortuorum*, de quibus *Du Cangius*. Libri etiam rationum vel alii catalogi, polyptica aut poliptica interdum appellantur. Et a Diptychis hujusmodi, vel (ut aliquando scribunt) dipticis, fastorum seu Calendarii genere, Galli suum *étiquette*, ni fallor, formavere, id est, indiculum, agenda statis temporibus præscribentem; unde *Etiquette de la Cour*, *Etiquette du Palais*. Quam originationem malim, quàm, quæ viris doctis apud *Menagium* placuit a Græco *ἐίχ*ϴ. Cæterum majorum Ecclesiarum Necrologia ad Historiam prosunt; nam indicant multorum Principum aliorumque insignium virorum dies obituarios, seu, ut vulgo vocant, *emortuales*.

CHRONICON CÆNOBII S. MICHAELIS in Hildesheim Ordinis S. Benedicti, ex Manuscripto. (*Num.* 32. *Tom. II.*)

[..... HAc occasione memorare operæ pretium videtur, *S. Bennonis libellum Expositiones breves super Evangelia Dominicalia*, extare in codice membranaceo Augustæ Bibliothecæ Guelferbytanæ Serenissimi Ducis Brunsvicensis, Mss. Et speciminis causâ exhibebimus primam ex brevibus Evangeliorum Dominicalium *expositionibus*, quæ est *Evangelii primæ dominicæ Adventus*. Ea autem ita habet: *Appropinquans Jesus Hierosolymis*, id est ad visionem supernæ pacis, id est, ad passionem & resurrectionem & ascensionem, *cùm venisset Bethphage*, id est ad domum buccæ, id est, comestionis. In Bethphage enim Presbyteri solebant exercere comessationem. Id est, cùm venisset ad Ecclesiam, in qua micas de mensa cadentes comedimus, id est, adventum bonorum; qui est *juxta montem Oliveti*, id est, qui perseverantes in bono opere, parati sunt transcendere montem olivarum, id est, cum maximo labore ascendere ad alta olivarum, sive ad sublimitatem æternæ beatitudinis. *Misit duos discipulos*, id est, *Petrum* & *Paulum*, quorum *Petrus* fuit primus Apostolorum, *Paulus* autem novissimus. *In castellum, quod erat contra eos*: in Judæam, quæ prædicationi illorum rebellabat; *ut asinam*, id est, Judæam, sub jugo legis alligatam, & *pullum*, id est, gentilem populum, ullius habenæ retinacula nescientem, id est, sub ipsa lege non permanentem, prædicatione sua a laqueo dissolventes infidelitatis, ad fidem adducerent. *Quod si eis aliquis*, id est, inimicus, habens potestatem, *aliquid diceret: dicerent, quia Dominus his opus habet*, id est, habet manifestare miracula sua in eis: sequitur: *Dicite filiæ Sion*, id est filiæ speculationis, id est, novæ legis, quæ a speculatoribus, id est, à Prophetis prædicata. Generatim dicti filius quasi filia. *Rex tuus*, id est, Christus tuus, id est, sub lege *venit*, id est, descendit in terram ad opus tuum, ut impleantur ea, quæ dicta sunt de te; non superbè cum equis & curribus, sed humiliter, super asinam, *sedens*. *Illi autem euntes*, tam Gentiles quàm Judæos ad fidem adduxerunt, *& vestimenta sua*, id est, suam doctrinam *imponentes*, *fecerunt eum sedere*, id est, purificatum Templum Domino. *Alii straverunt vestimenta sua in via*, id est, sancti Martyres, in via existentes, id est, peregrinatione seculi, tradiderunt proculcationi corpora sua, quæ sunt vestimenta animæ. Alii *cædentes ramos de arboribus* confessores intelliguntur, qui ad demonstrandam viam, floribus ramos, id est, exempla sua florentis vitæ nobis defecuerunt. *Præcedentes turbæ & sequentes*, sunt Patres tam veteris Testamenti quàm novi, qui incarnationem Christi venturam prædixerunt.

Ex

Ex hoc specimine intelligi potest, allegoricum interpretandi genus autori placuisse, nec ingenium absuisse. Sed quædam corrupta vitio librarii, bene intelligi non potuere.

EXCERPTA EX ORDINARIO ECCLESIÆ S. MATTHÆI in Brunswic, a Templariis per Johannitas ad fratres Calendarum seu Sancti Spiritus translata ex MSto. (*Num.* 38. *Tom. II.*)

NOta est celeberrimi *Templariorum* Ordinis eversio, per conspirationem *Clementis V.* Papæ & *Philippi Pulchri* Regis Galliæ, qui bonis eorum inhiabat. Acta, quæ ex scriniis *Puteanorum* fratrum prodiere, satis ostendunt, quàm violenter & præter juris ordinem cum iis actum sit; qua de re nuper V. Cl. *Nicolaus Gurtlerus* fusiùs egit. In Germania bonis quidem cecidere per Pontificiam autoritatem; sed criminales in eos processus minus usurpati videntur. Sanè erat tunc inter Templarios Commendatores *Otto* ex Ducibus Brunsvicensibus, filius *Alberti I.* Ducis, frater *Alberti II.* patruus *Magni I*, etsi in his excerptis frater hujus per errorem appelletur. Fuit filius *Alberti* senioris quarto-genitus, &, uti ex diplomatibus compertum habemus, de se ita scripsit: *Otto* Dei gratia, Frater domus militiæ Templi Hierosolymitani & Commendator in Supplingburg. Huic nemo per somnium imputavit nefarias illas ineptias, quæ Templariis omnibus in Gallia & alibi improperabantur. &c. &c.

JOHANNIS BUSCH, ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI, Præpositi in Sulta prope Hildesheim, & in novo opere prope Hallam Saxonum, de Reformatione Monasteriorum quorundam Saxoniæ, Libri Quatuor ex MSS. (*Num.* 39. *Tom.II.*)

.... OCcasio, cur *Rosweidus Buschii* Opus de Viris Illustribus Congregationis Windesemensis quæreret ederetque, nata est ex *controversia Kempensi*, de vero autore operis celebratissimi, quod sub inscriptione *Thomæ de Kempis de Imitatione Christi* circumfertur. Nam *Thomam de Kempis* ex Canonicis Regularibus S. Augustini congregationis Windesemensis fuisse, & in Monasterio *Montis S. Agneti* prope *Zwollam* urbem, vix milliari Germanico a Windesemio distante obiisse, constat. Is præter alia opuscula spiritualia libros quatuor piæ contemplationis conscripserat, qui deinde junctim editi, sub titulo librorum *de Imitatione Christi* prodiere: etsi autoris consilium hoc fuisse, aut certa eos methodo cohærere non appareat. Itaque ab ipsomet, & a *Buschio* (contemporaneo) per initia citantur indicanturque. Extant in *Belgio*

 aliquot

aliquot exempla, ipsius autoris *Thomæ* manuscripta, quæ amissis donatle videtur, aliis ejus opusculis interserta. Talis est Codex Lovaniensis S. Martini, cui miniatis literis subscriptum ab autore: *Finitus & completus Anno Domini* 1441. *per manus Fratris Thomæ Kempis in Monte S. Agnetis prope Zwollis.* Nam autor ex humilitate nunquam cuiquam opusculo suo autorem sese inscripsit. Composuerat opus jam anno Domini 1427; sed diu postea supervixit, & cum ordinem ingressus esset anno Domini 1400, anno demum 1471, major nonagenario, decessit. Typographia increbrescente, mox edi cæpit hoc opus; sed Typographi quidam lucri causa *D. Bernardo*, nonnulli *Johanni Gersoni*, viro celebri, ascripsere. *Bernardus* autor eorum esse non potest, cùm *Francisci de Assisio* mentionem faciant, qui Ordinem Minorum fundavit. Et *Frater Gersonis*, *Prior Cælestinorum apud Lugdunenses* in Epistola ad *Anselmum Monachum*, fraternos labores enumerans, hujus non meminit. Et qui *Gersonis* elogium fecit, opusculis Viri præfixum, disertè de hac re ita scripsit. *Alii autem tractatus sibi* (ipsi Gersoni) *nonnunquam tribuuntur, ut est libellus de Contemtu mundi, quem constat a quodam Thoma Canonico regulari editum.* Itaque qui *Gersonis* opera edidere, hos libros exclusere. Titulus operis tam de *Imitatione Christi*, quàm ut a nonnullis citatur, de Contemtu mundi, non videtur fuisse ab autore præscriptus, sed sumtus ex titulo capitis I. libri I. qui est de *Imitatione Christi* & contemtu omnium vanitatum mundi. Ipse autor hos libros designare solebat verbis initialibus primorum capitum: librum I. *Qui sequitur me* lib. 2. *rerum Dei.* lib. 3. *Audiam, quid loquatur.* lib. 4. *venite ad me.* Nec omnes libri quatuor semper sunt conjuncti, aut eundem in ipsis autoris codicibus ordinem servant: ut appareat, non cohæsisse, sed diversa, etsi cognata hæc opuscula habita ipsi fuisse. *Achilles Statius* in editione eorum *Parisina* anni 1541 refert, veterem *Editionem Brixinam* eosdem libros *Thomæ a Kempis* tribuere; & editio *Noribergensis* Anno Domini 1494. cæteris *Thomæ* opusculis eos præfixit, quam secutus est *Jodocus Badius Ascensius* Parisiis 1524. & postea alii passim.

Primus se objecit *Bernardinus Rossignolius* Jesuita, (apud *Possevinum* in apparatu sacro, ubi de *Thoma a Kempis* agit,) qui codicem invenit Monasterii *Aronæ ad Verbanum* lacum, in quo *Johannes Gessen* autor ascribebatur. Eaque res etiam *Bellarminum* in scriptoribus Ecclesiasticis, de *Gersone* loquentem, commovit, ut *Thomam* nostrum deserere videretur. Sed cùm *Johannem Gersonem*, Cancellarium Universitatis Parisinæ, autorem non esse constaret; *Constantinus Cajetanus* ex ordine S. Benedicti, Abbas *S. Baronti*, Vir doctrinæ non vulgaris, contendit, fuisse nescio quem *Johannem Gessem* vel *Gessen*, Abbatem Benedictinum, operis autorem. Et multos de *Thoma a Kempis* dubitare fecit productus locus *ex opusculis Bonaventura Tom. VII. Operum* parte 4. opusculorum, collatione

septima

septima inter octo Tolosæ habitas; ubi ad verbum habetur bona pars capitis ultimi lib. 1. de imit. Christi, cum his verbis in fine collationis: *& cætera, ut patet in devoto libello de imitatione Domini nostri Jesu Christi.* Sed *Heribertus Rosweidus*, & ipse ex inferiori Germania oriundus, tantum decus nationi suæ injuria eripi non tulit, & *Vindicias Kempenses Cajetano* opposuit Antverpiæ 1621. 8°, easque *Paulo Schoof*, Capituli Windeshemensis per utramque Germaniam Generali, nec non Monasterii *Rubeæ Vallis* Priori inscripsit. Crediderat *Cajetanus*, codicem Aronensem ab antiquo tempore in Monasterio Aronensi, olim Benedictino, postea Jesuitis attributo, fuisse. Sed ostendit *Rosweidus*, *P. Andream Musolium*, cùm anno Domini 1579. Genua proficisceretur Aronam, ad domum probationis Societatis Jesu, quam ingressus erat, hunc librum ex domo paterna secum eo attulisse; eundemque esse mendosè scriptum, & nunc *Gessen*, nunc *Gersen* habere, idque haud dubiè profectum ex opinione quorundam, qui notissimum *Gersonem* pro autore libri habebant; & ignorantia scribentis, qui eundem Abbatem fuisse credidit. Sed etiam ad *Bonaventuræ* locum egregiè respondet, ostendens, hos libros citare *Ubertinum Bonaventura* posteriorem; & cum multis aliis, à viris piis & doctis Ordinis Minorum scriptis, Bonaventuræ tanquam celebriori suppositos fuisse. *Cajetanus* etiam Italicismos quosdam in libris de Imitatione Christi deprehendere sibi visus erat. Sed eos omnes loquendi modos *Rosweidus* etiam in Germanorum scriptis frequentari ostendit; & contra, complures profert indubitatos Germanismos, a *Thoma* nostro & in controverso opere, & in aliis, usitatos; ex quibus ille inprimis insignis est, *scire aliquid exterius*; *si scires totam Bibliam exterius* lib. 1. §. 3. id est, si scires memoriter, Germanis superioribus *auswendig*, inferioribus *van buyten*; id est, clauso libro, nec nisi exterius aspecto ita scire, quæ continet, ac si introspiceres. Ita *Thomas de Kempis* & in aliis opusculis; ita & *Buschius* noster, conterraneus ipsi & contemporaneus, aliquoties loquitur. Hinc & Codicis Aronensis scriptor Italus, istud exterius, quod non intelligebat, omisit, etsi habeant omnes codices & omnes editiones; excepta una *Antwerpiensi* 1575, quæ pro exterius posuit memoriter. Sic *leviter* indignari, id est facile; *cadere super consolationes*, id est in eas incidere; *bene stare cum aliquo*, id est, aliquo amico uti; *quare tam parva tibi ad cor transeunt?* (*zu herzen gehen*) id est, animum penetrant, *gravitas* pro difficultate, Germanis *Schwürigkeit* aliaque id genus multa. His argumentis pro autore librorum *Thomas de Kempis*, egregia *testimonia* accedunt. &c. &c.

DISPU-

DISPUTATIO, CARMINE CONSCRIPTA, INTER ROMAM ET PAPAM, de *Ottonis IV.* destitutione, ex MSto.

(*Num.* 43. *Tom. II.*)

CUm *Innocentius III.* Pontifex Romanus *Mathildis*, potentissimæ olim in Italia Principis, patrimonium ab *Ottone IV.* extorquere non potuisset; quemadmodum nec prædecessores ejus à *Lothario* Saxone & *Friderico I.* extorquere potuerant: Anathemate eum percussit, subditos a juramento absolvit, *Fridericum*que Regem Siciliæ, *Henrici VI.* Imperatoris filium, ei substituendum curavit. Quæ res plerisque, etiam Pontificiæ partis, valde displicuit; quod viderent, Papam, præsentia magis quàm futura curantem, & iræ in *Ottonem* indulgentem, (a quo sibi promtum in omnibus obsequium pollicitus fuerat) multo graviorem & periculosiorem accersere hostem, *Gibellinum* Principem, qui de propinquo immineret, & hæreditario in Papas odio flagraret; cùm *Otto* ex *Guelfis* esset, qui pro Roma contra *Gibellinos* stare solebant. Plerique etiam pertæsi longæ inter *Philippum Ottonem*que contentionis, nova bella horrebant. Inde ab homine Romano, vel certè Italo, profectò hoc carmen, facilè crediderim. Sanè *Cæsarius Heisterbacensis* contemporaneus lib. 2. c. 31. *Historiarum memorabilium* (loco, quem inter excerpta retulimus,) Papæ actus multis in ipsa Roma improbatos, indicat his verbis: *Tempore divisionis Romani Imperii, Dominus* Innocentius *Papa a multis judicabatur; ita, ut eum dicerent ejusdem schismatis autorem, primò partem* Ottonis *nimis fovendo, postea eum persequendo. Propter hoc, cùm idem B. memoriæ* Innocentius *die quadam sermonem Romæ ædificatorium faceret in populo*, Johannes Capotius *qui* Ottoni *favebat, ejus sermonem interrupit, dicens: os tuum os Dei est, sed opera tua opera Diaboli.* Ferunt etiam (apud autorem compilationis Chronologicæ, a *Pistorio* editæ, ad annum Domini 1215.) quendam Abbatem Ordinis Cisterciensis prope *Perusium* eo, quo Papa obiit temporis articulo, in somnia vidisse DEUM in throno, & ad ejus misericordiam confugientem *Innocentium*, huncque persequentem draconem, flammas spirantem, & justitiæ administrationem à justo judice postulantem. Apparet ex hoc carmine in *Ottone* reprehensum, quod aliquando *Episcopos* quidem *Clericos*, *Abbates* verò appellasset Monachos, in quo vera eum dixisse, autor noster respondet. Sed hæc in deteriorem partem rapiebantur ab inimicis ut odiosus redderetur: quin persuadere orbi conabantur, id agere *Ottonem*, ut Clerum in ordinem redigeret, superfluisque opibus exueret, uti ex *Guilielmi Britonis* carmine patet, quo *Philippi* Regis Galliæ res celebravit. Sed contra virum optimum in Ecclesias, brevi, quo quiete regnavit, tempore,

tempore, largum fuiſſe, præcepta ejus, Monaſteriis *Riddagesbuſano*, *Walkenredenſi*, *Mariebornenſi*, *Eccleſiæ S. Blaſii* in Brunſvic, aliiſque locis piis conceſſa, oſtendunt. Luxum faſtumque quorundam improbaſſe, quis culpet? Pium & gravitate morum fuiſſe conſpicuum, convenit inter eos, qui virum noverunt; *in timore Domini* à Matre *Mechtilde* educatum cum fratribus, *Arnoldus* ſcribit. *Virum fuiſſe devotum*, *& qui ſemper Deum præ oculis habuerit*, poſt ejus mortem, cùm nullum adulationi pretium, ſcriptum reliquit *Sigefridus* Epiſcopus Hildesheimenſis in literis, quas *Henricus Meibomius* in Apologia egregii Imperatoris doctiſſima produxit; quem non exſcribimus. *Inſigni corporis ſpecie* fuiſſe & *magnæ fortitudinis*, *Arnoldus* amicus & *Urſpergenſis* ac *Brito* adverſarii, agnoſcunt; & has virtutes *Ottonis liberalitatemque* celebrat Poëta noſter:

> *Sanguine qui Caſtor*, *Alcides robore*, *donis*
> *Inſtar Alexandri*; *minimè conſiderat* (*ex quo*
> *Eſt aliquid dandum*) *cui res ſit danda*, *ſed a quo*.

Cùm milites ejus Romæ aliquid, in foro rerum venalium expoſitum, diripuiſſent, decuplum reddidiſſe, idem narrat. *Continentiam* diu celebrarunt Itali, ut patet ex Hiſtoria *apud Commentatorem Dantis* relata de virgine; qua cùm potiri Imperator, patre tantum non offerente, poſſet, laudata puellæ repugnantis pudicitia, clarum ei maritum invenit, addita inſigni dote. *Pium* ejus obitum certatim celebrant ſcriptores illorum temporum, atque etiam, ut erat ſeculi genius, miraculis ornant; contra *Innocentii III.* fama, ut ex ſupra dictis patet.

CHRONICON LUNEBURGICUM, vernaculâ Saxonum inferiorum dialecto, ab initio Ducatus Luneburgici ad Annum Domini 1421. ex MSto. (*Num. 4. Tom. III.*)

AUtor hujus operis, (cujus bina exemplaria Doctiſſimi Viri, *Pfeffingerus* & *Butnerus* procurarunt) fuit Anonymus, civis Luneburgicus, qui ſeculo XV. adulto ſcripſit; ſed urbi ſuæ contra Dominos favens, & ſubinde, partim ex antiquitatis anterioris ignoratione, partim ex affectu, lapſus. Nam non multo ante, quàm ſcriberet, urbs à Ducibus ſuis ad Principes alterius familiæ deſciverat, ægreque poſt victoriam, *prope Winſam ad Alleræ ripam* reportatam, ad gratiam eorum imperiumque redierat, & diu ſuperfuère reliquiæ ſimultatum. Itaque noſter ſibi hoc negotii datum credidit, ut Hiſtoriam rei geſtæ ſcriberet, qua acta civium excuſarentur. Et habuerunt illi faventem ſibi *Carolum IV.* Imperatorem, Ducibus noſtris parum æquum. Sed tandem melior cauſa prævaluit. Primùm in eo errat autor noſter, quòd Brunſvicen-


ſem & Luneburgenſem ditionem negat principatum fuiſſe, antequam à *Friderico II.* Cæſare in Ducatum erigeretur; & antea tantùm partem Ducatus Saxoniæ feciſſe arbitratur, eo deceptus, quòd, qui hanc ditionem tenebat, ſimul Saxoniæ Dux erat. Sciendum eſt autem, Ditionem, quam dixi, non quidem fuiſſe Ducatum, aut Marchiam, aut Comitatum, ſed Principatum Allodialem ſeu proprium, donec *Otto Henrici Leonis* ex filio *Wilhelmo* nepos, reſignata in manus Imperatoris *Friderici II.* proprietate, territorium feudali lege, ſed Ducatus honore ac juribus auctum, recepiſſet. Veterum ſenſu non tantùm Duces, Marchiones, Comites Palatini, ſed etiam potentes Comites, (quales Comites provinciales, & quidam Burgravii,) & Domini etiam Allodiales inſignis territorii, Principum nomine cohoneſtabantur. Et hoc ſenſu etiam *Epiſcopi Germaniæ* computabantur inter Principes, tanquam inſignia territoria, ad Allodii olim modum, tenentes. Etſi enim regalia per inveſtituram (ſeu traditionem repræſentativam) accipiebant ab Imperatoribus, & deberent etiam ſervitia militaria Imperio; non ideo tamen olim vaſalli cenſebantur, ſed *adminiſtratores* bonorum, quorum proprietas ad Eccleſiam ſpectabat, ſub Imperatorum ſuprema poteſtate. Contigerat autem, ut *Henricus Welfus*, & filius ejus *Henricus Leo*, Duces Saxoniæ & Bajoariæ, ex hæreditate majorum, ſuis aut parentum conjugiis, ditiones acquirerent allodiales. Nam Brunſvicum *Ecbertus* Marchio, & filius ejus *Ecbertus Anticæſar*, tenebant allodii jure. Anticæſari ſine liberis extincto, ſucceſſit ſoror *Gertrudis*, nupta *Henrico* Principi, Northeimenſis terræ Domino. Ita ditio, quam nunc *Gottingenſem* vocant, Brunſvicenſi concrevit. Utramque obtinuit *Lotharius* Comes Supplingeburgenſis, poſtea Dux Saxoniæ, & denique Imperator, ducta *Aixa*, *Henrici* & *Gertrudis* filia; quæ ipſi peperit *Gertrudem* conjugem *Henrici Welfi*, matrem *Henrici Leonis*. Ita *Henricus Leo* materno jure ditionis Brunſvicenſis hæreditatem crevit; Ducatus autem Saxoniæ, quem pater ejus *Henricus Welfus* beneficio ſoceri Imperatoris vaſallus tenebat, inſtar aliorum ejus temporis ducatuum erat officium hæreditarium quodammodo, ad ſolos maſculos deſcendens, niſi indigni aut inhabiles eſſent; ejuſque autoritas, ſimul & jus directorii per totius Saxoniæ (ut ſic loquar): circulum in pace, & jus Ducis militaris in bello dabat, ita, ut Dux Saxoniæ eſſet Gubernator natus Saxonum, Imperatoris vice. Tantoque officio annexæ erant inſignes terræ (feudales utique, ut officium ipſum,) eæque pro bona parte inter Rhenum & Virſurgim ſitæ. Item *Henricus Welfus*, Leonis pater, præter dotales Brunſvicenſes terras, habebat maternas Luneburgicas: quia filius erat *Wulfhildis*, *Magno* vel *Magnone*, ultimo Saxonum Billinganæ ſtirpis Duce, natæ. Familia autem Billingana, cùm alias inſignes

insignes terras, tum maximè Luneburgicam proprio jure possidebat. Cùm ergo Imperator *Henricum Leonem* quæsito prætextu feudalibus regionibus exuisset, allodiales tamen, quas in Saxonia tenebat, pro bona parte ei reliquit; nominatim *Brunsvicum* & *Luneburgum* civitates, cum regionibus annexis. Defuncto *Henrico Leone* & *Ottone IV.* Imperatore ejus filio, *Henricus* Dux Saxoniæ & Comes Palatinus Rheni, major *Leonis* filius, Brunsvigam tenebat; natu minimus *Wilhelmus*, immaturè defunctus, Luneburgum unico filio *Ottoni*, adhuc puero, reliquerat. Defuncto *Henrico* Duce & Palatino, nullo filio relicto, filiæ, Bavaro & Badensi nuptæ, *Brunsvicum* jure hæreditario ad se pertinere ajebant, & jus suum *Friderico II.* Imperatori vendiderant: sed *Otto* non acquiescens, favore subditorum urbem obtinuit, tandemque cum Imperatore transegit, ita, ut ditio utraque (Brunsvicensis & Luneburgensis) in posterum dignitatem Ducatus, sed cum feudi imperialis onere haberet. Inter *Ottonis* filios pessimo exemplo divisa est ditio: *Albertus* Brunsvicensem regionem cum montanis, *Johannes* Luneburgicam tenuit, quæ tunc *Hanoveram* usque extendebatur. *Johanni* filius *Otto* (vulgò *Strenuus*) & huic filius *Wilhelmus* successit, in quo linea *Johannis* mascula defecit. Sed *Albertus Ascanii* generis, Saxoniæ Dux, *Wilhelmi* filia *Elisabetâ* genitus, sibi successionis jus vindicabat. Et sanè ipse *Wilhelmus* aliquando huc inclinaverat; & pactum, quo *Alberti* jus asserebatur, *Carolus IV.* Imperator confirmaverat, quasi filiæ propiores excluderent masculos remotiores; quo jure hodieque Magna Britannia & Hispaniæ regna uti censentur. Sed in Imperio magis receptum est, ut feuda etiam fœminina (qualem Ducatum *Fridericus II.* fecerat,) tum demum ad fœminas irent, cum masculi omnes defecissent. Idque *Wilhelmo* ipsi, rectius edocto, tandem placuit. Itaque consilio procerum, mutatâ ante obitum sententiâ, ditiones suas familiæ servari justum piumque putavit; nec tantum filiam alteram *Ludovico*, filio *Magni Senioris*, Brunsvicensium Ducis, (*Alberto*, *Alberti* supradicti filio, nati) nuptum dedit, successione promissa: sed &, *Ludovico* defuncto, fratrem ejus *Magnum* juniorem, vulgo *Torquatum*, ad se vocavit, eique à subditis sacramenta dici jussit, quod etiam *Luneburgenses* cives fecere; sibi tamen caventes, ne fortè aliquando Imperatoris mandatis inobedientes judicarentur. *Magnus* juvenis, extincto *Wilhelmo*, frena nonnihil laxavit cupiditatibus, & visus est civitati gravis. Itaque cives, exploratâ Imperatoris voluntate, in secreta pacta cum *Alberto*, ejusque patruo *Wenceslao*, Saxoniæ Ducibus Ascaniæ gentis, conveniunt; subitoque Duci suo missis literis renuntiant, simul arcem urbi imminentem invadunt diruuntque; *S. Michaelis Monasterium* ex monte in urbem transferunt, Saxonicos Principes recipiunt

ac dominos agnoſcunt, iiſque ad alias regiones partes occupandas auxilia præſtant. Inde bellum cum *Magno* Duce, eoque cæſo, cum filiis ejus diuturnum, interpoſitis pactis matrimoniiſque ſubinde ſuſpenſum; donec *Alberto* occiſo, tandemque *prælio ad Winſam*, *Alleræ fluminí adſitam*, commiſſo Anno Domini 1388. Brunſvicenſes victoriam obtinuêre & urbs Luneburgica Ducibus ſuis reconciliata eſt. Diu tamen ſuperfuêre ſimultates & querelæ.



PRÆ-



PRÆFATIO

ACCESSIONIBUS HISTORICIS

quibus potissimum continentur

SCRIPTORES RERUM GERMANICARUM

Edit. Hanoveræ anno 1700.

PRÆMISSA.



RIA ſunt quæ expetimus in Hiſtoria: primum voluptatem noſcendi res ſingulares, deinde utilia inprimis vitæ præcepta; ac denique origines præſentium à præteritis repetitas, cùm omnia optimè ex cauſis noſcantur. Accedit, quòd ſpes poſteritatis homines ad præclara gerenda inflammat, ut quemadmodum legunt veteres, ita ipſi viciſſim ſecuturis legantur. Porrò delectationem & fabulæ præſtant; egregia verò documenta, præſertim quibus diſcamus aliquid quod ratio ipſa non facilè dictaſſet, rara invenio, etiam apud bonos Scriptores; quanto magis apud illos ineptos & barbaros, quos ſecula ignorantiæ damnata produxerunt. Sed his quoque nunc & gratias habere, & pretium ponere oportet, originum cauſa, quando melio es deſiderantur, neque aliunde geſtorum ſeriem ſupplere licet. Porrò Græcos & Latinos veteres & Orientales etiam Hiſtoricos (ſi cognoſcendi omnia dulcedinem

& exemplorum utilitatem ſeponas) maximè ſacris originibus, & Religioni, divinis Chriſtianorum libris comprehenſæ, Legibuſque inſervire cenſeo; tum ut ſcripturis genuinitas autoritaſque ſua aſſeratur, tum ut interpretatio vera cognito temporum genio, collatiſque antiquorum ſententiis eruatur. Sed poſteriores Scriptores, quanquam ſemibarbari, quatenùs tamen origines docent rerum noſtrarum civilium, eo ipſo magis quàm elegantiores illi proſunt, res Principum & publica negotia tractantibus ac ſcire aventibus. Nam ex Imperii Romani veteris ruinis, poſtquàm Germanicorum & Scythicorum populorum inundatione ſubverſum eſt, nata eſt alia facies rerum: unde paulatim prodiere regna & principatus & reſpublicæ, quæ nunc quoque florent. Itaque ut horum ortus, translationes, concertationes, limites, incrementa vel decrementa, familiæ denique regnatrices cognoſcantur; ad medii ævi Scriptores recurrere neceſſe eſt, quorum qui ſuperſunt pro maxima parte editi habentur, non pauci tamen latent adhuc, atque indies in lucem proferuntur.

Equidem olim vel negligebantur vel ſupprimebantur genuina Hiſtoriarum monumenta: & ſcriptores complures, ſuperioris præſertim ſeculi, imò nonnulli & noſtri, concinnantes Hiſtorias de remotis temporibus, elegantes magis quàm fidas, id quærebant, ut ipſi ſoli legerentur, & auctoritatem nacti apud poſteros regnarent. Sed paulatim apparuit, quantum interſit inter ſimplicem veritatem, rudis quidem, ſed tamen rebus geſtis vicini ſcriptoris, & fucatas atque calamiſtratas narrationes autoris omnia vel ſeculi ſui moribus æſtimantis, vel affectibus inficientis. Et compertum eſt, etiam judicio & veritatis amore præditos, & à monumentis inſtructos autores recentiores; quales fatendum eſt nobis *Aventinum*, Gallis *Paulum Æmilium*, Hiſpanis *Marianam*, Italis *Sigonium*, Anglis *Polydorum Virgilium* extitiſſe; tamen perſæpe graviter labi. Itaque viri doctiſſimi ac judicioſiſſimi optimum factu cenſuêre, fontes ipſos aperiri, ut unuſquiſque inde haurire, & puros latices à rivis ſubinde turbidioribus diſcernere poſſit. Et quidem ſparſim multi fuêre editi Scriptores medii, ſed tandem tamen exorti ſunt qui plures ſunt complexi, ut apud nos *Piſtorius*, *Schardius*, *Urſtiſius*, *Freherus*, *Goldaſtus*, *Meibomii*; apud Gallos *Pithœi*, *Quercetani*, *Dacherius*, *Mabillonius*, *Baluzius* aliique; ut nunc de Italis, Anglis, Belgis, Hiſpanis non dicam: neque enim recenſionem talium inſtituere hujus eſt loci.

Mihi occaſiones itinerum & commercia amicorum, & Bibliothecæ Tabulariaque Principum, complura obtulêre Hiſtoriæ mediæ monumenta & ſcriptores, quorum aliquos virorum doctorum hortatu, ACCESSIONUM HISTORICARUM titulo in lucem proferre conſtitui. Sequentur plura hujus generis, Deo volente; nunc quattuor autores exhibentur, omnes

omnes à viris doctis jam memorati, plerique jam & promissi aliquoties, & multum expetiti. Primus hic comparet, qui a me appellatur Chronographus Saxo. Sanè in Saxonia scripsisse manifestum est, & sunt nonnulla quæ faciunt, ut suspicer vixisse in cœnobio Magdeburgensi *S. Johannis*, cujus Abbatum acta alicubi curiosiùs attingit. Archi-Episcopatûs certè Magdeburgici res crebrò exponit, atque etiam cùm de fundatione ejus tractat, diplomata adjungit, ac de cætero Saxonica præ cæteris diligentiùs tradit. Chronographum vocavi, quia per annorum seriem non malè decurrit, & temporum examen sibi curæ fuisse ostendit, ut patet ad ann. CCLIV. Equidem fatendum est, tametsi à Christo nato incipiat, in antiquis tamen rebus, Romanaque & Ecclesiastica anteriorum seculorum Historia tales Scriptores non magni usus esse; nihilominùs habent etiam in his aliqua nonnunquam, quæ apud meliores non leguntur. Exemplum dabo in re inter doctos controversa illustranda, *Veronica* scilicet, quam vulgo fœminam esse credunt & inter sanctas referunt, nunc verò viri aliquot doctrina insignes nihil aliud esse verisimillimum reddiderunt, quàm *veram icona* Servatoris, *Lucas* scilicet *Holstenius*, & Dominus *Joh. Mabillonius* ordinis Benedictini, & novissimè R. P. *Papebrochius* ex Societate Jesu in Apologia anno superiore edita; locis pluribus vetustiorum productis, quibus ipsa imago Domini *Veronica* appellatur, tametsi Clarissimus *Reiskius* Epistola contra *Mabillonium*, & R. P. *Sebastianus* à *S. Paulo* Carmelita scripto contra *Papebrochium* edito, sententiam eorum vel dubitationem impugnârint. Equidem fortasse non præter rationem suspicari videbimur, quod in hoc Chronographo ad ann. DCII. legitur *Vnica Domini*, scriptum fuisse Unīca, lineola indice contractionis superposita, id est *Veronica Domini*. Quòd si hæc conjectura admittitur, jam hinc discemus, quod alibi (quantum sciam) non extat, qua ratione illa imago fuerit inventa; uti in ipso autore nostro legi potest. Cæterùm Codex fuit olim R. P. *Christophori Broweri*, de Germanicis antiquitatibus præclarè meriti, præsertim in Fuldensibus & Trevirensibus; qui & subinde nostri verba citat: R. P. *Papebrochii* beneficio idem Codex mecum fuit communicatus. Finit autem noster Chronographus Annales suos anno æræ vulgaris MCLXXXVIII, atque adeo illo ipsò temporè vixisse credi potest.

Gesta Trevirorum jam olim cum paralipomenis & continuatione sua edere voluit *Caspar Bruschius* Egranus, quemadmodum *Vossius* in Historicis Latinis Lib. 3. Cap. 7. annotavit. Eundem Scriptorem *Goldastus* habuit, & *Frebero* edendum dedit, & persuasissimum sibi esse ait, *Golscherum* fuisse dictum, Monachum *S. Mathiæ* apud Treviros. Sed cùm nulla sententiæ suæ argumenta promat, & aliis anonymus autor habeatur, titulum mutare visum non est. Cæterùm habet hæc

Goldastus

Goldastus in Apologia pro *Henrico IV*, dissertatione præmissa Autoribus illic insertis, agens tum de *Engilberto* Archi-Episcopo Trevirensi p. 41. tum de *Theoderico* Virdunensi Episcopo p. 43. Eundem postea Scriptorem nobis promiserat *Petrus Lambecius* indice edito eorum quæ dederat parabatque. Cùm verò nec ipse nec priores ipso *Bruschius* & *Freherus* spem de se factam impleverint, visum est operæ pretium, tandem aliquando desideratum diu Scriptorem luci donare. Tribus Codicibus ad editionem usi sumus, eosque ex se mutuo supplevimus correximusque, variationibus aut supplementis inter uncinos conclusis. Unum *Bibliotheca Augusta* præbuit, alium ipse habui, tertium suppeditavit Cl. *Migius* Heidelbergensis, tunc Rintelensis, nunc Marpurgensis Professor atque Ecclesiastes, cujus doctrina facit, ut non contemnenda ab ipso expectari possint. *Scriverius* unum ex his Codicibus habuit, annotavitque videri initia libri non esse saporis monachalis, stylo altiùs assurgente. Et suspicatur fabulosa illa de remotissimis Trevirensium antiquitatibus sumta esse ex antiquiore quodam, ipsoque fortasse *Licinio* nescio quo Sophista, qui memoratur pag. 31. quanquam ibi non *Licinius*, sed *Galba Viator* ad *Licinium* scripsisse dicatur. Cæterùm in posterioribus habet autor nonnulla non inutilia præsertim circa res sæculi XI & initia XII, quo vixit. Quædam mutata vel interpolata fuisse diversitas Codicum ostendit. Videatur pag. 99.

JOHANNES VITO DURANUS Helvetius sequitur. De hoc *Vossius* jam refert lib. 3. de Histor. Latin. cap. 9, fuisse Monachum ordinis Minorum, & *Ludovici Bavari* ac *Caroli IV.* ætate vixisse, & Historiam produxisse ad annum MCCCXLVIII, quæ manuscripta extet in monasterio *S. Galli.* Sed quæ habemus eo usque non producuntur; & cùm apud Sangallenses inquisivissem, responsum est non reperiri. Exemplar quod secutus sum *Goldasti* fuit, suppeditatum mihi ab insigni apud Bremenses Theologo *Gerhardo Meiero*, qui (ut hoc obiter dicam) hortatu meo præclarum opus aggressus est *Glossarii Saxonici* titulo, in quo origines Germanicarum vocum multas eruet illustrabitque, nec pauca non pervulgata proferet in lucem. Itaque optandum est, ut Viri docti & patriæ literaturæ amantes certatim symbolam conferant, & vocabula inprimis provincialia suppeditent, aliave observata conferant sua. Sed redeo in viam atque hoc adhuc noto, *Vito Durani* Exemplari quædam fuisse adjecta, ex quibus recensio adolescentium illustrium, qui tempore *Lotharii* Saxonis Leodii studiis operam dedisse dicuntur, haud dubiè fabulosa est, potest tamen inesse aliquid boni.

Postremò damus CHRONICON VETUS HOLSATIÆ titulo *Continuationis Chronici Slavorum Helmoldi* (nempe quod Wagria cum vicinia olim ad Slaviam referretur, vid. pag. 29.) inscriptum in Codice *Lambecii*, unde beneficio celeberrimi Viri *Danielis à Nessel*, Consiliarii & Bibliothecarii Cæsarei, ad me pervenit. Multa de hoc libello habet *Johannes* *Mol-*

Mollerus Flensburgensis, Vir doctissimus, in Isagoga ad Historiam Chersonesi Cimbricæ; qui notat, quod & nos observavimus, ab *Huitfeldio*, *Danckwerthio*, *Bangerto* & aliis citari subinde, & *Th. Bartholinum* juniorem (quem præmatura morte nobis ereptum dolemus) Lib. 3. de causis mortis à Danis gentilibus contemtæ c. 3. gravissimè eum tanquam incultum & maledicum invehi, & in Danorum gentem injurium. Et sanè fatendum est, satis ineptè atque incohærenter scribere autorem, & odio in Danos flagrasse videri, nec fidem mereri cùm effutit in ipsos contumeliosa. Cum tamen aliàs non pauca doceat, interest libellum non perire, tanquam habendum inter antiquitatis monumenta, in quibus venenum malignitatis tempus extinxit. Certè *Joh. Adam. Cypræus* primùm, deinde *Petrus Lambecius* edere voluere, atque hic etiam notas promiserat. Danorum gentis virtus jam ab antiquo certissimis rerum documentis testatior est, quàm ut illi deteri quicquam hominis ut apparet simplicis & affectibus indulgentis qualicunque judicio possit. Stantibus adhuc Romanorum rebus *Danos* sub *Saxonum* nomine comprehensos arbitror, qui, ut postea Normanni, Britanniam & litus Aremoricum (quod tunc Saxonicum ab ipsis dicebatur) infestum habebant. Nam non planè ignotos nec incelebratos fuisse Romanis Danos, (etsi vix memorentur apud eos qui extant Scriptores) indicat vox hæc militaris honorificentissima: *Laudabatur Perses Marco, cùm non noverat Gothum, sed ô ubi est Danus?* Nempe illas Saxonum laudes, quorum agilitatem, audaciam, robur, & nauticæ artis peritiam passim extollunt *Sidonius* aliique, puto & ad Danos pertinuisse. Quæ volui obiter annotare hac occasione, quia video non satis alibi observata. Et multo post tempore *Adamus* Bremensis locuples est testis neque suspectus, quàm illi, etiam quo ipse vixit ævo, recepto jam utcunque Christianismo, infracto animo, nullisque editis lamentis tulerint adversa.

Cæterum neque occupationes meæ, neque Typographi absentia permisere, ut in postrema recensione aspergerentur adhuc aliqua lucis nonnihil fortasse fœneratura, vel ut menda nonnulla residua vitarentur; cùm pars instantibus nundinis ne ad oculos quidem meos redierit, ubi typis exivit. Satis tamen emendatè edita, ex iis judico, quæ vidi. Et quanquam notæ, quæ potuissent dari multiplices, absint, atque eruditionis ornamenta nulla accesserint; puto tamen gratum intelligentibus fore, utcunque demum lucem videre Scriptores toties promissos, & fortasse non aliam ob causam tamdiu dilatos, quàm quòd Viri docti qui editionem animo complexi erant, nonnisi ornatos in publicum prodire volebant. Scribendi morem ipsis usitatum, etsi subinde minus orthographicum, retinendum in plerisque judicavimus; nam cum quoque nosse, partem hujus Critices facit: interdum & subsunt Archaismi non inelegantes. Nec dictio ipsa semper contemnenda est, cùm passim excerpta vetustiorum exhiberi videantur.

PRÆFATIO

in Secundam Partem

ACCESSIONUM HISTORICARUM,

quæ continet

ALBERICI MONACHI TRIUM FONTIUM CHRONICON.

ALberici Monachi trium Fontium Chronicon memoratur à *Vossio* in Historicis Latinis lib. 2. c. 46. occasione alterius *Alberici* Casinensis Monachi & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui pro *Gregorio VII.* Pontifice Romano contra *Henricum IV.* scripsit. Hoc Chronicon, ait *Vossius*, deductum esse ab initio Mundi ad annum usque Christi DCXXVI, & extare in Bibliotheca *S. Galli*; atque hunc videri *Albericum*, quem se passim sequi profitetur Autor Chronici magni Belgici, qui fuit Canonicus regularis prope Nussiam. Quæ conjectura *Vossii* vera est, sed cum prioribus non consistit, nam ea Nussiensis ille *Alberici* autoritate utitur in rebus diu post annum Christi 626 gestis. Oportet non nisi partem operis priorem visam fuisse illi, per quem ad *Vossium* scriptoris hujus notitia pervenit. Apud Sangallenses inquirenti mihi nihil tale compertum est. *In Bibliotheca Augusta* quæ est Guelferbyti extat pars posterior ab anno Christi 960. ad annum 1241, quo desinit opus. Eademque planè accepi haberi *in Collegio Parisino Societatis Jesu*, quemadmodum mihi significari curarunt doctissimi Viri *Harduinus* & Bibliothecæ Claræmontanæ præfectus *Tellierius*. Uterque codex est à recentiore manu, sed *integrum antiquum & membranaceum nactus sum ipse*; ex quo totum *Albericum* dare licuit.

Scriptoris hujus autoritate passim utuntur viri docti: ex Gallis *Andreas Quercetanus*, *David Blondellus*, *Philippus Labbæus*; ex Belgis *Aubertus Miræus*, *Christophorus Butkenius*, *Joh. Jac. Chifletius*, & alii. Quoniam magna inprimis diligentia versatur in explicandis stemmatibus illustrium familiarum; & sæpè verba exhibet excerpta ex scriptoribus, qui ampliùs non extant. *Miræus* de ipso in Auctuario scriptorum Ecclesiasticorum cap. 403. *Albericus* (inquit) *Monachus Ordinis Cisterciensis in cœnobio trium Fontium scripsit Chronicon, quod in Gestis anni* 1241. *desinit, brevi edendum, ut spero, ab Andrea Quercetano cum Historia Episcoporum*

scoporum Virdunensium & Abbatum S. Vitoni à Laurentio Leodicensi conscripta, & aliis id genus monumentis antiquis. Labbæus autem in Nov. Bibl. Mf. *digerendis nobilium familiarum Tabulis Genealogicis perquam utilem esse* agnoscit. Sed maximè adhibet commendatque *Chifletius* multis suorum operum locis, ex quibus unum adscribere placet: *Albericus certè* (inquit) *præterquam quòd in rebus exquisitis valdè copiosus est, tria præ aliis habet singularia. Inprimis enim principum illustriorumque stemmata quàm potest accuratè describit*, quod ante illum Chronographorum præstiterat nemo; *ac si in aliquibus deprehenditur errasse, veniam meretur in tanta rerum mole, & cognationum temporumque caligine.* Secundo *Chronicorum quæ vel incuria possidentium, vel ob vastationes regionum postea periêre, selectiores collegit locos & Chronico suo inseruit, unde maximæ ipsi habendæ sunt gratiæ.* Tertio *scriptorum qui typis editi sunt sententias saniores ex melioris notæ codicibus desumtas tradit.* Hæc *Chiflet.* in *Tenneur.* expenso refut. cal. 10. nec immeritò. Sanè demto uno nondum edito scriptore seculi XII. qui & ipse cognationes studiosè explicuit, non memini videre, qui eo in genere paria faciat *Alberico.* Habet etiam alia memorabilia, quale illud quòd unum nunc producam, nec nisi in ipso, & ex ipso in Nussiensi monacho legi, *Fridericum Barbarossam*, cùm primùm in Italiam tenderet, in frequenti procerum Germaniæ conventu constituisse, ut si fortè tunc extingueretur Suevica sive *Wibelingiadum* adoptivorum familia, Imperium in *Henricum Leonem Guelfum* transferretur.

Ineditos autores complures citat noster, sed unum penè aliàs ignotum nominare nunc suffecerit, cujus verba passim exhibentur. *Guidonem* ex nobili *Bazochiorum* familia Cantorem *S. Stephani* Catalaunensis, qui Chronicon ab initio Mundi ad sua usque tempora, mortemque *Richardi* Regis Angliæ deduxit, obiitque anno 1203. ubi de eo noster videatur. Editos scriptores ex *Alberico* verba eorum exhibente non raró posse emendari, notavit idem *Chifletius*, locumque *Eginhardi* produxit (Lum. prærog. 13. ad ann. 804.) ubi vulgò habetur *proprium suum*, cùm *Albericus* rectiùs legerit proprium filium. Ita cùm in *Ottone* Frisingensi legitur *Guegesar*, *Albericus* ad ann. 1106. habet *Wisatum*, quod hodie vocant *Viset* in tractu Leodiensi. Sic cùm in eodem *Ottone* legatur *Caristallium*, *Albericus* ad 1136. habet *Guastallum*, ut multa alia id genus prætercam. Fabulosos autores atque etiam *Cantores* (ut ipse vocat) id est poëtas secutum aliquando pro seculi more, nemo vitio vertet. Ostendit tamen non raró, judicio interposito, plura à se transscribi quàm credi.

Viros doctos quoque & eorum scripta passim memorat. Notabilis est locus *de Hugone à S. Victore* ad ann. 1130, ubi eum ab aliis *Hugonibus* distinguens, *de Saxonia natum dici* scribit, antiquior plerisque omnibus quod sciam aliis, qui extant, idem dicentibus, & adhuc antiquio-

tiquiorum haud dubiè autoritatem pro more suo secutus ; ut adeò fortasse *Roberto* Abbati de Monte *S. Michaëlis* opponi possit, qui tr. de Abbatibus & Abbatiis cap. 5. Magistrum *Hugonem* Lotharienscm appellat, quemadmodum alius à *Mabillonio* viro insigni in Analectis productus Flandrum Iprensem, *Hartmannus Schedelius* Gallum. Sed pro Saxonia patria stant *præter Albericum Johannes à S. Victore*, *Gobelinus Persona*, *Rolevinckius*, *Engelhusius*, *M. Hermannus Cornerus*, *Trithemius*, *Paulus Langius*, eademque est sententia communis recentiorum, nostrorum pariter exterorumque. Certè *in monasterio Hamerslebiensi* sui ordinis, id est Canonicorum regularium *S. Augustini*, sese aliquando vixisse indicat ipse Epistola ad Fratres in Hamersleve *libro de arrha animæ* præfixa. Ab eo qui operum editionem procuravit anno 1648. duo afferuntur loca notatu digna, unus est Anonymi Monachi Gemeticensis, alter *Johannis à S. Victore*. Porrò Gemeticensis Monachi hæc verba sunt : *Eo tempore*, quo scilicet ordo Cisterciensis & Carthusiensis fuere creati, *Magister Guillelmus de Campellis, qui fuerat Archidiaconus Parisiensis, vir admodum literatus & religiosus, assumens habitum Canonici regularis, cum aliquibus discipulis extra urbem Parisiensem, in loco ubi capella quædam erat S. Victoris martyris, cœpit monasterium ædificare Clericorum. Assumto autem illo ad Episcopatum Catalaunensem, venerabilis Gilduinus discipulus ejus primus Abbas ibi factus est ; sub cujus regimine multi Clerici nobiles secularibus & divinis literis instructi, ad istum locum habitaturi convenerunt : Inter quos Magister* Hugo *Lothariensis* sic dictus à confinio Saxoniæ, *& scientia literarum, & humili religione maximè effloruit. Hic multos libros edidit, quos, quia vulgò habentur, non oportet commemorare.* Hæc monachus iste, quæ penè totidem verbis reperiuntur apud *Robertum* de monte loco supra citato libri de Abbatiis, nisi quòd omissa verba maximè ad rem facientia : *Sic dictus à confinio Saxoniæ*, & quod Abbas *Geldoinus* vocatur. Alter est locus *Johannis de S. Victore* in memoriali Historiarum ad ann. 1117. ubi hæc verba : *Hugo fuit* Saxonicus genere & ortu, præpotenti parentela, *adduxitque apud S. Victorem* avunculum suum, *Hugonem, cujus sumtibus ferè tota ædificata S. Victoris Ecclesia.* Autor *vitæ Hugonis S. Victoris* plura adhuc & distinctiora addit nescio unde, quæ ita habent : *Hugo de S. Victore*, illustri apud Saxones genere ortus... *teneriorem puerorum cùm implesset ætatem, in diœcesi* Halberstadensi *traditus est* Monasterio *S. Pancratii, ut ab ejusdem canonicis regularibus institueretur.... Ubi decimum octavum ætatis annum attigit, seculi fugam meditari cœpit, id communicat* patruo *Hugoni* (Joh. à S. Victore avunculum vocaverat, sed hæc vocabula Galli inprimis sæpe confundunt, quibus *oncle* uterque) *Halberstadensis Ecclesiæ* Archidiacono, *qui statim in ejus consilii partem venit. Ambo igitur pares animis patria excedunt.... in manus Gilduini Abbatis S. Victoris primi vota emittunt, sanctique Augustini*

Augustini regulam profitentur. Tunc præterpropter annus erat Domini millesimus centesimus decimus quintus. Narraverat autem ambos Massiliam profectos reliquias quasdam *S. Victoris* inde ad Parisios attulisse.

Extant duæ Epistolæ nondum editæ, una *Borchardi* Episcopi Halberstadensis data in Gronyngen, altera *Friderici* Archiepiscopi Magdeburgensis data in Magdeb. ambæ scriptæ anno 1456. ad Capitulum generale ordinis Canonicorum regularium in Windesem congregatum, quibus commendatur monasterium *S. Pancratii* in Hamersleven. *Burcardi* verba sunt: *Et hoc potissime contemplatione illius eximii & insignis viri* Hugonis de S. Victore, *qui in dicto monasterio* Hamersleven *religionis habitum* & prima elementa regularis vitæ suscepit. *Qui talis & tantus fuit, ut in ordine vestro & tota orthodoxa religione Christi etiam mortuus quam plurimum celebretur & sepultus gloriosè vivat, ita ut* alter Augustinus *nominetur. Ita ut ipsius duntaxat respectu agendum esset quod postulamus. Quam plures etenim sunt apud nos, qui amore tanti Viri ad monasterium ipsum singularem inclinationem tenent &c. Friderici* verò verba hæc sunt: *Scripsimus præteritis diebus devotionibus vestris de statu* monasterii *S. Pancratii* in Hamersleven Halberst. diœces. *ordinis vestri, unde ille præclarus* Hugo de S. Victore *toti orbi venerabilis ortum duxit.* Si *Saxonem* & illustri stirpe, vel (ut *Joh. à S. Victore* ait) præpotenti parentela natum statuimus, satis verisimile est, *ex stirpe Comitum de Blankenburg & Regenstein* processisse. Uti *Henricus Meibomius senior*, judex harum rerum peritissimus, vel ex notitiis quibusdam suis, vel, ut suspicari licet, fide Chronici manuscripti Halberstadensis à *Johanne Winnigstadio* compositi scripsit. *Christianus Paulinus* vir in his studiis & ipse cum laude versatus assentitur, & ubi de *Hugonis* patria disquirit (libro Germanicè conscripto lectionum utilium & jucundarum) notat *Winnigstadium* omnia sua hausisse ex Chronico alio Halberstadensi *Martini Rekbock*, Monachi Corbejensis, Præpositi Groningensis. Simul tamen indicat de familia *Hugonis* apud *Rebbockium* nihil haberi. An forte *Winnigstadii* Codicem consuluit defectu hoc loco laborantem? Nam primum *Meibomium* hæc de Blanckenburgiis scripsisse addit. Sanè vicini *Hamerslebio* erant Comites isti & Monasterium *S. Pancratii* illic struxit *Reinhardus* Episcopus. Extat libellus ineditus de fundatoribus Monasterii Reinhausani in principatu Gottingensi vel Northemio à primo Abbate conscriptus circa annum 1100, ubi *Poppo* Comes in Blankenburg vocatur nepos (incertum ex fratre an sorore) *Reinhardi* Episcopi Halberstadensis. Quòd si ergo *Hugo* Blankenburgius fuit, credibile est fuisse *Popponis* filium, vel si malis fratrem nepotemque adeò *Reinhardi.* Et, si vera sunt quæ de *Hugone* Halberstadensi Archidiacono memorantur, potuerit is *Reinhardi* Episcopi sui esse frater. *Hugonis* nomen me malè habet, minùs usitatum tunc Saxonibus, nisi *Heginonem* dictum malimus & nostrum

& avunculum, quod Galli flexerint in notiorem ipsis *Hugonem*. Sed cur *Lotharienfis* dictus *Hugo*, & cuidam creditus Flander? an quia in his oris aliquamdiu egit, antequàm Gallos adiret, & à Lotharingia in Galliam venit? Quod Gemeticensis Anonymus *de Saxonia confinio* addit, velut ad conciliationem cum recepta de Saxonica origine sententia pertinere videtur; etsi enim Lotharingia hodie non habeatur confinis Saxoniæ, olim tamen fuit, quando hæc non Ostfalos tantùm sed & Angarios & Westfalos comprehendebat, & nunc quoque circulus Westfalicus longè porrigitur. Ut taceam Gallorum quorundam more omne Franciæ Orientalis seu Germaniæ Regnum, inde ab *Ottonum* temporibus Saxoniæ nomine designatum, ut *Glabro* & *Wilhelmo* Gemeticensi, qui *Henricum III.* Regem filium facit *Cononis* Saxonum ducis, *Conradum* Salicum intelligens. Ego etsi de patria & stirpe *Hugonis à S. Victore* nihil adhuc certi pronuntiare ausim; magis tamen in sententiam jam dudum receptam inclino. Et parum verisimile mihi quoque videtur, Lotharienfem aut Flandrum illustri stirpe natum adolescentem ex remotis locis ad tenue ac recens structum loco obscuro Hamerslebiense Monasterium missum fuisse, avunculumque simul Halberst. Archidiaconatum tenuisse, nisi *Reinhardo* Episcopo fundatori aut vicinos, aut cognatione propinqua junctos fuisse ponamus. Interea ista veritati penitiùs indagandæ fortasse aliquando profutura addere illis volui, quæ V. Cl. *Henricus Meibomius* junior pro solita eruditione sua dixit in peculiari dissertatione operibus historicis & avitis & suis adjecta, qua Mabillonianæ objectioni circa *Hugonem* pro avi sententia respondet; me occasionem præbente, qui locum celeberrimi *Mabillonii* indicaram.

Sed ab hac digressione ad *Albericum* revertor. Ejus Opus in Codice Bibliothecæ Augustæ inscribitur: *Alberici monachi trium fontium* diœcesis Leodiensis *Chronicon*; ex conjectura opinor Viri docti. At Codex Claræmontanus apud Parisios habet: *Diœcesis Catalaunensis* forte ex Bibliotheca Cisterciensi *Caroli de Visch*. In Leodiensi tamen diœcesi vixisse judico, & mecum judicabit credo quisquis librum leget: usque adeò multa habet & minuta circa res Leodienses, Hoienses & vicinas. De Imperio etiam Germano fuisse potiùs quàm Franco-Gallum, ut vocat *Chiffletius*, aliqua indicare videntur.

Antequàm finiam, paucula annotabo adjicienda præfationi prioris Accessionum historicarum voluminis. Nimirum legendum *in Chronographo Saxone* non vnicam (seu veronicam) sed tunicam domini, de quo prius dubitaveram, didicisse me ex Chronico *S. Medardi* Suessionis ad annum 590, ubi habetur tunc tunicam domini integram fuisse repertam in arca marmorea. Sed ne quid inde decedat sententiæ doctorum virorum, à quibus ostensum est, *veronicam* nihil aliud olim habitam, quàm veram icona Domini, possum in compensationem dare locum antiqui

tiqui Chronici Germanici nondum editi, quod itidem disertè habet imaginem ipsam Christi dictam veronicam. De Autore libri *Gesta Trevirorum* inscripti à me primum editi, judicium suspenderam illic; nunc re ampliùs considerata *Goldasto* assentior, *Golscherum* fuisse *S. Matthiæ* apud Treviros Monachum. *Tritbemius* in Chronico Hirsaugiensi citat *Theoderici* Monachi *Historiam Trevirorum*, *Golscheri* Monachi *Gesta eorundem.* Idem in Catalogo illustrium virorum Germaniæ dicit: *Golscherum* Monachum *S. Matthiæ* apud Treviros Gesta Trevirorum libro uno scripsisse. Broweriana quoque Annalium Trevirensium pro parasceve duos distinguit scriptores, *Golscherum* Monachum *S. Matth.* Ord. S. Bened. & Anonymum, qui Annales Trevirenses *Cunoni* Episcopo dicavit. Quibus consideratis, cùm in diversis codicibus libellus à me editus inscribatur *Gesta Trevirorum*, aliaque consentiant, *Golscherum* autorem vix dubito. Sed quæ à *Dacherio* Spicilegii Tomo XII. edita est *Historia Trevirorum*, fuerit credo *Theoderici*, cui tali inscriptione librum etiam tribuit *Trithemius* à Gestis *Golscheri* solicitè distinguens. Et hunc *Dacherio* anonymum vel potiùs non animadversum eundem esse suspicor cum Anonymo Broweriano, etsi dissentiat ipse *Dacherius*, eo argumento, quòd *Cuno* Archiepiscopus cæsus sit anno 1066. At Dacherianus Codex finit anno 1122. Sed *Cunoni* Archiepiscopo vix quisquam Trevirensium Monachorum potuit dicare librum, qui in ipso aditu insulæ fuit occisus, nec unquam ad possessionem pervenit. Puto igitur pro *Cunone* legendum fuisse *Brunonem*, ita omnia consentiunt, nam in hoc finit autor Dacherianus. At *Golscherus* à me editus longius procedit, & licet pleraque *Theoderici* retinuerit, multa tamen adjecit, ut opus penè creverit in duplum. Quæ indicanda putavi, ne quis porrò ne conspecto quidem *Dacherio* de re sibi incomperta temerè dicat, Gesta Trevirorum nostra jam in Dacheriano Spicilegio prodiisse.



PRÆ-



PRÆFATIO

Libro inſcripto

JOANNIS ADLZREITER

ANNALES BOICÆ GENTIS;

Quibus hiſtoria a prima Boiorum origine uſque ad annum MDCLI, continetur. Acceſſere

ANDREÆ BRUNNERI E SOC. JES.

Annales Boicorum

a primis initiis ad annum MCCCXI.

quem edi curavit

G. G. LEIBNITIUS

Francofurti ad Mœnum anno MDCCX.



ULLA Germaniæ ſuperioris pars meliores Hiſtoricos invenit, quàm Bavaria; ſive res ſacras, ſive civiles ſpectes. Nam Eccleſiarum Bavariæ res egregiè ſunt illuſtratæ a *Wigulejo Hundio*, & *Chriſtophoro Gewoldo* Jureconſultis; quorum ille Eccleſiam Metropolitanam Bavarici Regni, ut olim loquebantur, ut nunc, Circuli, Salisburgenſem nempe, ſive Juvavienſem tractare non contentus; omnes etiam provinciæ ejuſdem Epiſcopatus, & alias celebriores Eccleſias adjecit: hic verò multa addidit; & ſæpè, quæ prior affirmare contentus fuerat, productis diplomatum Tabulis confirmavit. His adjungendus eſt autor Bavariæ Sanctæ & Piæ *Matthæus Raderus* ex Societate Jeſu, quatuor voluminibus editis ab anno Domini 1615. ad annum 1628; ubi illuſtres

pietate

pietate viros Bavaros, aut in Bavaria florentes recensuit, non tantùm, quorum nomina in fastos, & Martyrologia sunt relata, nec tantùm, a quibus aræ, sacella, ædiculæ, oratoria denominata extant, etsi in fastis non legantur; sed etiam eos, qui piam vitam in quocunque loco, statu, ordine egerunt, & Historiæ testimonio innotuerunt.

Sed major multo eorum seges est, qui Historiam Bavariæ civilem memoriæ prodiderunt. Neque verò hic de medii ævi scriptoribus, velut *Ottone* Frisingensi Episcopo, *Andrea* Ratisbonensi Presbytero (cujus inedita quædam habeo) *Vito Arnbeckio*, Canonico Frisingensi (cujus excerpta quædam primus edo) & similibus loquor, sed de his, qui post restitutas literas scripsere. Neque etiam ex illis nisi eos memorabo, qui Boicam Historiam generalem scribere sunt aggressi. Ex his primus tempore, & penè dixerim etiam meritò, est *Johannes Aventinus*, a patria Avensberga dictus, ut illis temporibus mos erat, a familia *Thurmajerus*; qui jussu Ducum Bavariæ, quorum & partim studiis præfuit, Historiam componens, regionem totam obiit, monumenta inspexit, & ex multis collectaneorum voluminibus, quæ in Bibliotheca Monacensi olim vidimus, opus suum concinnavit: in quo, si antiquissima demas, ex ingenio, aut fabulatoribus depromta, certè cum fide plerumque, & judicio est versatus, nec ineleganter scripsit. Et licèt a *Baronio*, aliisque zelotis reprehendatur, quod liberius interdum Ecclesiasticorum vitiis succensuit; fecere tamen id alii quoque item boni, & constantes in illis ipsis partibus. Certè eodem veritatis studio apologetam interdum eorum egit, quos aliàs reprehendebat. Et fortasse primus *Johannam* Papissam explosit, quæ antea scriptorum consensu penè consecrata habebatur.

Vicisset *Aventinum* haud dubiè *Marcus Velserus*, Patritius & Duumvir Augustanus, vir doctrina, & meritis summus; si res Boicas, quas scribere cœperat, pertexuisset. Sed ille in perantiquis subsistit, cum *Thassilonis* casu desinens, saltem in his quæ extant; præclarè tamen meritus de gente: laudandus etiam inter cætera in Historiam Boicam merita, quod vitam *S. Severini*, ab *Eugippio* Abbate contemporaneo scriptam, in lucem protulit. Nam *Severinus* Regem Herulorum *Odoacrum* in Italiam euntem vidit, & Reges Rugorum cognovit, gentis Germanicæ, quæ tunc sinistram Danubii ripam ex opposito Austriæ (uti nunc regionem appellamus) tenebat; unde Historia illorum temporum Germanica lucem aliquam accipit. *Velserus* idem (ut obiter dicam) autor intelligentibus habetur libelli Italici, quod scrutinii libertatis Venetæ titulo (*squitinio della libertà Veneta*) prodiit, quod etiam satis innuit *Gassendus* in *Peirescii* vita, & *Scioppius*, *Rhodius*, *Scavenius* pro certo affirmarunt. *Scioppius* certè rem præ aliis scire potuit. Erat sanè *Velserus* addictissimus Domui Austriacæ, cui tunc cum Venetis non op-

timè conveniebat. Constat, Italico eum sermone scripsisse tam eleganter, ut nemo Italus magis, quemadmodum *Galilæus*, aliique agnovere, queiscum literas commutavit. Eruditio quoque, quanta in opusculo lucet, penè prodere autorem videbatur. Nam quod *Bælius*, aliique eum secuti, Marchionem *de la Cueva* Legatum Hispanum autorem libelli faciunt, id mihi perinde videtur, ac si Ducem *Longavillæum* autorem fecerunt eorum, quæ a Gallis Monasterii Westfalorum scripta sunt. Et quod *Cueva* Successori commendavit opusculum, tantùm indicat valdè ab ipso probatum, & fortasse etiam promotum fuisse. Nimium tamen scenæ inservit autor doctissimus, dum Venetos Imperatoribus nostris subjectos fuisse contendit; cùm, excepta *Pipini* (*Caroli M.* nati) irruptione, qui partem insularum in potestatem redegit, Venetos a Regno Longobardorum separatas semper rationes habuisse, certò constet.

Cæterum Historiæ Bavaricæ perficiendæ curam dignam magnitudine sua judicavit *Maximilianus* Dux, & postea Imperii Princeps Elector, cujus laudes ab amicis, inimicisque meritò memorantur. Is præclarum laborem imposuit *Andreæ Brunnero* Societatis Jesu viro docto, cujus cum alia extant, in Bibliotheca Societatis, *Alegambio* autore, legenda, tum verò *tria volumina Annalium virtutis, & fortunæ Bojorum* in forma, ut vocant, octava Monachii edita, quorum primum prodiit A. D. 1624, secundum A. D. 1629, tertium A. D. 1637. Sed ultimum penè perierat, turbato autore Svedica irruptione, & obsidis nomine per triennium Augustæ Vindelicorum captivo. Opus suum nonnisi ad *Ludovici Quarti Augusti*, vulgò *Bavari*, initia, annumque 1314. perduxit, ubi opus his verbis clausit: *Hic ipse annus Ludovicum Cæsarem videbit. Ad quod nomen nos quidem assurgimus, contenti pomum aureum, septemviratus insigne, Rhombis Boicis inseruisse. Augustalem Aquilam Ludovico liberior calamus asseret, minusque invidiæ obnoxius. Ea nobis vacationem dedit ardui laboris, manumque sua sponte non cessantem, a tabula submovit.* Ex quibus satis intelligi potest, *Brunnero*, cùm in Societate esset, quæ Romano Pontifici peculiari voto addicta est, per Superiores suos non licuisse Historiam *Ludovici Bavari*, ex sua, suique Principis sententia scribere, ne Roma offenderetur. Sed *Maximilianus* Elector, utcumque Romanis partibus addictus, gloriam tamen majorum præjudiciis Romanis potiorem habuit; & *Ludovico* Imperium a scriptoribus asseri jussit, quod ei Romani Pontifices abrogare voluere. Intelligo, *Brunneri* laboribus *Nicolaum Burgundum* jussu Electoris usum fuisse. Sed alia quoque peculiari opera, non Historiæ continuæ forma, sed critici operis, *Ludovicum Bavarum* Augustum nobis *Johannes Georgius Herwartus* contra *Abrahamum Bzovium* dedit; vitamque egregii Imperatoris, productis ex Tabulario potissimùm Bavarico monumentis, illustravit. Cæterùm supersunt commutatæ inter *Raderum*, *Brunnerum*que literæ nonnullæ ineditæ, ubi

ubi nonnunquam acriter inter se certant. Inter alia litis argumentum est, utrum *Henricus Sanctus* Imperator, idemque antea Bavariæ Dux, Saxo genere, & ex *Henrici Aucupis* stirpe fuerit. Negabat hoc *Raderus*, uti etiam in Bavaria sua sancta negat, elumbibus argumentis. Sed *Brunnerus* receptam sententiam rectè tuebatur.

Postea Historiæ Bavaricæ continuandæ negotium, quantum intelligo, *Jacobo Balde* datum est, viro docto, & ingenioso ex eadem Societate, cujus & specimina quædam Historiæ, sed in novissimis, videre memini. Ille verò longi laboris parum patiens, carminibus animum, amicosque oblectabat, aulæque convictu tantisper fruebatur. Sed non magnos progressus fecisse deprehensus est; unde quidam in illum ita lusit:

Hic situs est, Bojam qui bibit Historiam.

Sed & seriùs ex Societate Jesu *Johannes Bisselius*, Ruinis Illustribus editis clarus, cum memorabilia seculi XVII. tradere aggressus fuisset, peculiari volumine, sub titulo *Leonis Galeati*, Expeditionem *Maximiliani* descripsit, quæ Paragensi victoria Austriacis regnum Bohemiæ asseruit.

Ipsum autem Historiæ Bavaricæ corpus tandem, repetita ab ovo materia, componendum creditum est *Johanni Adlzreitero*, arcani Consilii Bavarici Cancellario, viro doctrina, & peritia insigni. Is an sub *Maximiliano* cæperit, haud scio; neque ipse ait. Illud constat, filio ejus *Ferdinando Mariæ* Electori A. D. 1662. opus absolutum dicasse. A multis pro certo affirmatur adjutum fuisse stylo cujusdam *Warfusæi*; *Balbinus Johannem Ferveaux* vocat, & Jesuitam Lotharingum facit. Idem mihi Illustrissimus *Boineburgius* olim confirmavit. Sed ipsi eruditio sua sufficere potuit, etsi fuerint fortasse, quorum opera uteretur. De consilio suo in præfatione ita ferè loquitur: *Quamvis mihi non pollicerer Velseri nitorem, Raderi claritudinem, Brunneri numerosam, & vix ulli imitabilem celsitatem; reperere tamen aliquid viri clarissimi, cur dicerent, se meam manum flagitare. Voluerunt scilicet eodem stylo, ac tenore in unum semel, simulque conferri, quæ ad nostram usque ætatem gessere Boji.*

Equidem (ut verum fatear) putem, potuisse labore supersederi, in his quæ *Brunnerus* jam dederat; & non raro notasse mihi visus sum, ubi ab eo discessum est, in melius itum non fuisse. Erat enim in illo viro præter cæteras laudes, quas *Alegambius* prædicat, non vulgare acumen conjunctum cum studio veri. Dictio, fateor, paulo affectatior est, in summa tamen non spernenda. Quia tamen placuit uno tenore, & stylo deduci integrum Historiæ Boicæ corpus, etiam Brunneriana retractari necesse fuit. *Adlzreiterus* doctrinam suam, & Bavaricæ gloriæ studium, multo minore quidem, sed tamen erudito opere, jam antè ostenderat, quod inscribitur *Assertio Electoratûs Bavarici, Johannis Joachimi a Rusdorf vindiciis Palatinis opposita*, editaque anno Domini 1644.

 Cæterum

Cæterum Hiſtoricum ejus opus in compendium non malè miſſum habemus ſermone Gallico, tunc, cùm Delphinus Principem Bavaram duxiſſet.

Poſtquàm de Autoribus Hiſtoriæ Bavaricæ primariis diximus, addamus aliquid de origine Gentis.[a] Plerique tanquam rem confeſſam, exploratamque ſumunt, eos, qui nunc Bavari appellantur, omniaque inter Lycum, & Oenum amnes tenent, coloniaſque in Pannoniam proferentes, etiam Auſtriam impleverunt, a veteribus Bojis ortum habuiſſe.[b] Inde ingens incrementum Hiſtoriæ Bavaricæ accedit: nam quæ Boji vel ſoli, vel cum aliis Celtis in Italia, Græcia, Aſiaque geſſere, ea *Aventinus*, *Velſerus*, *Brunnerus*, & *Adlzreiterus* doctè, eleganterque expoſuerunt. Sunt tamen, quibus hæc origo Bavarorum, a conſenſu nominum deducta, non magis certa videtur, quàm quod Cimmerii Homerici *Straboni* iidem cum Cimbris Germanis, Getæ veterum *Jornandi* iidem cum Gothis videntur; quæ viri nonnulli docti adeò non probant, ut etiam refutent. Et certè luſu quodam eventuum fit interdum, ut nomen pariter, & locus antiquæ gentis cum recentiore communis ſit, & tamen diverſiſſima ſit earum origo.[c] Hujus rei exemplum indubitatum in Vinidis, ſeu Wendis habemus, qui idem penè nomen habent, quod antiqui Vandali, & ſucceſſere in eorum ſedes; & tamen gentes diverſiſſimæ ſunt; cùm Vandalos Germanicam gentem fuiſſe ex teſtimoniis veterum, Regumque nominibus planè conſtet; Vinidos autem Sarmatas, vel Slavos eſſe, lingua eorum manifeſtè evincat.

Ut ergò melius judicari poſſit, an Bavari ſint Bojorum progenies, altiùs paulo repetendæ ſunt Boicæ origines. Nomen Bojorum origine Germanicum eſſe veriſimile eſt; nam *Boij*, juvenem (*einen jungen*) majoribus noſtris ſignificaſſe, ex Anglo-Saxonico hodierno conjici poteſt. Reſpondet hodiernum Germanicum *Bube* vel *Bueb* (ut ſuperiores loquuntur) imò & Latinorum puer, & Græcorum παῖς, ut ſolent Celtica vocabula per totam penè Europam diffundi; ita ut hoc omne ferè idem ſit, quod *Kerl*, *Garçon*. Sciendum autem, vetera Gentium nomina interdum origine ſua nihil aliud ſignificare, quàm gentem, hominemve in univerſum; eodem ferè modo, quo ſæpè propria montium fluviorumque vocabula originariè nihil aliud, quàm montem, aut fluvium, aut ſimile aliquid in genere ſignificant. Sic *Alpes*, *Hils*, *Brenner* ſunt montes, colles, cacumina; *Viſeræ* vel *Wiſtulæ*, *Albis*, *Rheni*, *Salæ*, aliaque multa fluviorum vocabula, nihil aliud quàm aquam, aut fluvium vel in univerſum, vel circumſtantiis quibuſdam circumſcriptum (velut originis montanæ, curſûs violenti, guſtûs ſalſi) ſignificabant. *Sambia* Slavis eſt terra in univerſum, & hodie pro certa regione ſumitur. Sic *Teutones*, *Volcæ*, *Boji*, *Madures*, Gentes, populos, juvenes, viros denotabant. *Thiet* in veteri Germanico, & hodierno Saxonico plebejo,

plebejo, eſt gens, plebs; Volc, (vulgus) hodieque populus; *Boy* juvenem (*garçon*) ſignificare diximus; *Madur* ſeptentrionalibus Germanis, & Scythis eſt vir, unde *magd* hodieque etiam noſtris puella, quaſi vira, Madyares autem Hungari ſe ipſos vocant. Taliaque multa congeri poſſent. Sed nunc ad res Bojorum veniamus.

Eos antiquis jam temporibus multo ante *Julium Cæſarem* in Bojohemo (ut *Vellejus Paterculus* appellat) habitaſſe, quæ vox Bojorum patriam ſignificat, vel ex *Poſidonio* diſcimus apud *Strabonem* (lib. 7.) qui ſcripſit, Bojos quondam Hercyniam incoluiſſe ſylvam, ac Cimbros, cùm ad ea loca ſe contuliſſent, ab iis repulſos. Porrò Bohemiam Hercynio ſaltu cingi conſtat. Hanc regionem deinde, regnante *Auguſto* Cæſare, occupavit *Maroboduus*, & in eam cùm alios populos, tum Marcomannos populares ſuos induxit, ut diſertè habet idem *Strabo* non procul initio lib. 7. Idemque confirmat *Vellejus* libro 2. Gentem Marcomannorum *Maroboduo* Duce excitam ſedibus ſuis, in interiora refugientem (ſic lego, non in inferiora) incinctos Hercyniæ ſylvæ campos incoluiſſe. Denique *Tacitus* de moribus Germanorum c. 42. præcipua, inquit, Marcomannorum gloria, vireſque, atque ipſa etiam ſedes, pulſis olim Bojis, virtute parta. Idem c. 28. dixerat de Bojis, manere adhuc *Bojemi* nomen, ſignificareque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Sed *Velſerus* non malè ſuſpicatur, non tam ejectos a Marcomannis Bojos habitatores, quod ſine magno vicinarum gentium perturbatione fieri non potuiſſet, populo integro emigrante, quàm a *Maroboduo* ſubactos, & in unam cum Marcomannis victoribus rempublicam compactos, in nomen ipſorum abiiſſe. Marcomannos *Cluverius* putat in iis locis prius habitaſſe, quæ nunc Sueviam appellamus, atque ideo inter *Arioviſti* auxilia fuiſſe; loca ab iis deſerta deinde occupaſſe colluviem eorum, qui decumates agros coluere, poſtea Allemanni dicti: alii potiùs in Moravia ad Marcam fluvium egiſſe Marcomannos arbitrantur. Sed hoc definire nihil intereſt in rem noſtram.

Porrò Boji antiquitùs non tantùm egere in Bojohemo, ſed etiam ex ea regione progreſſi, in Noricum, Pannoniam, Italiam Galliamque ipſam ſe diffuderunt. Memoratur ad confluentes Oeni, & Danubii urbs Bojodurum, quæ hodie eſt Paſſavienſe oppidum, vel ei oppoſita Oenopolis (Inſtadt) Bojorum tranſeuntium veſtigium. Tranſmiſſo Danubio ad Alpes uſque, & in Pannoniam ſeſe extenderunt. Itaque *Strabo* lib. 7. p. 203. a Vindelicis (ſeu Oeno fluvio) uſque ad Pannoniam Bojorum ſolitudinem protendit. Et eodem libro p. 210. ſeq. refert, Bojos, qui ſub *Critaſiro* erant, *Auguſti* ætate, a *Bœrebiſta* Getarum Rege fuiſſe deletos. Getarum autem (qui & Daci) ſitum indicat autor, dum ait, Mariſum fluvium per Getas labi. Ex quibus intelligi poteſt, Bojorum deſerta propriè in Pannonia eſſe collocanda, ſeu in ea regio-

 ne,

ne, quam hodie Hungariam inferiorem appellamus. Habitabant ergò etiam in Norico Boji, id est, in regione inter Oenum, Pannoniam, & Alpes posita, sed ita tamen, ut interiora montium, mari Hadriatico vicina, alii populi tenerent; in quos illi impressionem facientes, paulo ante *Julii Cæsaris* expeditionem Gallicam, urbem Noricam, vel ut alii legunt, Norejam oppugnarunt, ut ipse *Cæsar* habet belli Gallici libro I, quo nomine Labacum, vel alium locum vicinum intelligi putem.

Diffundebantur autem tam latè, ut etiam Helvetios attingerent. Hinc *Strabo* lib. 4. p. 142. Rhætos, & Vindelicos Helvetiis, & Bojis conterminos esse, & eorum campis imminere dixit. Et hinc factum est, ut Helvetii, cùm regione sua egressi, expeditionem in Galliam facerent, Bojorum manum (triginta duo capitum millia fuere, quorum quarta pars amati) ex ea gente, quæ in Norico Norejam oppugnarat, socios expeditionis sibi asciscerent, ut *Cæsar* dicto loco narrat; qui etiam addit, postea, cùm victi essent Helvetii, & domum remitterentur, Bojos in Gallia mansisse, & petentibus Æduis, quòd egregia virtute essent, concessos, ut in finibus suis eos collocarent. Neque alibi ferè in Gallia Boji apud veteres apparent. Neque tamen putandum est, omnes Bojos ex Norico ad Helvetios accessisse; nam postea, *Augusti Cæsaris* tempore demum, in Pannonia cum *Bærebista* conflixere. Neque etiam putandum est, omnes illos Bojos in Norico agentes, ex illis fuisse exulibus, qui post cladem, a *Scipione Nasica* aliisque Romanorum Ducibus illatam, superstites circa annum Urbis conditæ 566. *M. Valerio Messala*, & *C. Livio Salinatore* Consulibus, in Noricum ad Tauriscos se recepere, ut habent *Strabo*, & *Julius Obsequens* lib. de prodigiis, tametsi *Strabo* hoc innuere videatur, cùm ait lib. 5. p. 147: *Bojos Romani suis domiciliis ejecerunt, qui deinde ad Istrum cùm commigrassent, apud Tauriscos habitarunt, bellumque contra Dacos gesserunt, donec tota ipsorum gens funditùs est excisa, & agrum, qui ad Illiricum pertinet, desertum, ac pecoribus pascuum vicinis reliquerunt.* Multo enim verisimilius est, Bojos Italia pulsos, paucos utique tot cladibus superstites, a popularibus suis receptos, quàm tam amplum terrarum tractum, ab Helvetiis usque ad Dacos pulsis ferocissimis gentibus, occupasse.

Et sanè ipsos Italiæ Bojos ex his, ad dextram Istri ripam usque ad Alpes habitantibus, venisse credendum est. Nam ut Græci sub Celtarum nomine, ita Latini sub appellatione Gallorum, tam Gallos propriè dictos, quàm Germanos, comprehenderunt, cùm præsertim gentes lingua, atque olim etiam moribus simillimæ essent, antequàm Galli cultum majorem recepere. Atque hinc etiam *Livius* gentes Alpinas Semigermanicas appellavit, ubi de *Hannibalis* itinere ratiocinatus est, & proinde credibile est, omnes Gallos, qui ab hac Rheni parte memorantur

rantur a veteribus, & ad Pannonas usque diffundebantur, revera Germanos fuisse. Unde facilis illatio est, Gallos, qui in Græciam, ipsamque Asiam progressi dicuntur, ex Bojis aliisque vicinis Germanis fuisse profectos. Itaque & inter Galatas recensentur Tolistoboji; & licèt etiam Tectosages inter eos memorentur, non ideò eos putandum est ab illis venisse Tectosagibus, qui in Gallia Narbonensi longè remoti colebant; sed, ut sæpè fit, diversis gentibus idem nomen fuisse, præsertim cùm eadem ferè lingua uterentur. Sic Svedi, & Svitenses in Helvetia cognatum nomen habent; nec tamen cum quibusdam putandum est, illos ex his ortos. Equidem sunt qui Bojos ipsos ex Gallia venisse putant tum, cùm sub Rege *Ambigato* centesimo quinquagesimo ferè anno ab urbe Roma condita, Galli multitudine laborantes juventutem emisisse dicuntur, ducibus *Bellovesо* in Italiam, *Sigeveso* in Herciniam sortibus destinato. Sed verendum est, ne hæc posteriorum commenta fuerint: nam antiquis illis temporibus Galli scriptoribus carebant, & vix credibile est, indifferens fuisse, & sorti commissum, utrum in Italiam florentissimam, an in asperrimam Hercyniam eundum esset: in qua, si unquam ex Gallia homines profecti sunt, necessitate, & seditionibus pulsos venisse putandum est, non sponte. Et fortasse ipsum nomen Bojorum in Germania, quos Latini præjudicio quodam suo ex Gallia venisse putarunt (obliti, olim Gallos Germanis confusos) Gallorum in Italiam simul, Hercyniamque migrationi comminiscendæ occasionem præbuit. Sed his missis, sufficit, Bojorum certiores sedes, migrationes, expeditiones, clades, hactenùs paucis attigisse.

Nunc autem post *Augusti Cæsaris* tempora subitò omnis disparuit Bojorum in Germania mentio, vetusque, & clarum nomen aliis succedentibus absorptum est, Marcomannorum imprimis, qui celeberrimum bellum cum *Marco Aurelio Antonino* gessere; post quos deinde illinc Gothi, hinc Allemanni, & Franci celebrati sunt. Tandem post Magnum *Constantinum* Bajoarii audiri cœpere *Velseri* sententia est, adventantibus Czechis Slavonicis populis, Bohemia pulsos Bojos, in Nariscis primum, Palatinatu scilicet superiore, ac vicinis locis consedisse, atque tandem trajecto Danubio in Vindeliciam, id est, præsentes sedes migrasse. *Theodonem* Ducem, *Theoderico* Ostrogothorum Rege in Italia regnante, Bojis vel Bajoariis præfuisse, *Arnpeckius*, *Aventinus*, *Velserus*, *Brunnerus*, *Adlzreiterus* docent, domesticos, sed valdè recentes secuti annales. Ac cæteri quidem *Theodone* Duce advenisse putant: sed *Adlzreiterus* pulsos olim a *Maroboduo* Bojos, semper in Vindelicia sub Romanis hæsisse, ad *Theodonis* usque tempora mavult, quibus hunc proprium Principem agnoverint. Sed vereor ego, ne totum hoc de antiquo illo *Theodone* Bajoario, *Theoderici* Regis æquali, commentitium sit, cùm nullo veterum testimonio nitatur. Bavaros autem, vel ut tunc appella-

appellabantur, Bajoarios, non *Theodorici* primum aut *Justiniani* Magni ævo in has regiones venisse, sed jam aliquamdiu in illis egisse, etiam ipse verisimilius censeo. Sed & Bojos ibi egisse arbitror, etiam antequam *Maroboduus* Bojohemum occuparet.

Equidem autores adducunt *Jornandis* locum, qui paulo post Gothos a *Justiniano* eversos scripsit, & primus sub *Bajobarorum* nomine gentis in his sedibus mentionem fecisse creditur. Refert enim cap. 55. tempore *Leonis* Augusti, *Theodemirum*, Gothorum orientalium Regem, transmisso hyeme Danubio, in Suavos irruisse. Tum addit: *Regio illa Suavorum ab Oriente* Bajobaros *habet*, *ab Occidente Francos*, *a Meridie Burgundiones*, *a Septentrione Thuringos*; quod de suo tempore intelligit, non illo *Theodemiri*. Sed ego locum notavi autoris longè prioris, qui jam Bajoariorum mentionem facit, quem ne *Cluverius* quidem observavit. Is est *Rutilius Claudius Numatianus*, qui, ut ipse indicat, Romæ anno Urbis conditæ 1169. (id est, ex *Vossii* computo Christi 417, *Honorio* Augusto undecimum, & *Fl. Constantino* secundùm Coss.) præfecturam urbicam administravit, & in suo itinerario, vel de reditu libro, *Bojoarii* obstantis mentionem facit. Ex quo intelligimus, in his locis, ubi nunc sunt, sedisse hanc gentem longè antequàm Slavi in Bojohemum sunt ingressi. Nam Slavonicarum gentium irruptiones *Jornandis* demum ætate contigere, ut ipse indicat cap. 23. cùm ait: *Vinidi*, *Antes*, *Slavi*, *quamvis* nunc, *ita facientibus peccatis nostris*, *ubique deseviunt*, *tamen tunc omnes Hermanarici imperii servire.*

Itaque concidentibus illis, quæ de migratione Bavarorum in Vindeliciam dicebantur, non video, cur non partem Bojorum veterum Subalpinorum in ea regione, in qua eosdem olim habitasse constat, hæsisse ponamus, nomen (sub exigua forsan mutatione) in aliquo tractu mediocri, vel pago, tametsi Historicis, aut Geographis non memorato, conservantes; ex quo deinde felici aliquo armorum successu se rursùs diffuderint, & celebritatem receperint. Certè plurimos pagos, vel tractus antiqui nominis exhibent Diplomata, quorum nulla apud autores mentio fuit. Ita videmus Cattorum diù obliteratum, & per multa sæcula scriptorum silentio obrutum nomen in Hassis revixisse, qui pagum Hessi, vel Hessigen, Carolini ævi scriptoribus primum memoratum, tenuere. Et Boji Germanica terminatione *Bojer*, vel, apertiore sono *Bajer*, uti hodie sibi, vicinisque dicuntur, ob lentiorem pronuntiandi tractum, facilè in Bajoarios, aut Bajobaros abiere, ex quibus, satis ineptè Latinizantes posteri, Bavaros fecere. Notandum etiam est, cùm Noricum olim a Vindelicia Oeno fluvio, a Pannonia monte Caetio separaretur; posterioribus temporibus Noricum etiam Vindeliciam complecti cœpisse, & ad Lycum usque fluvium extensum fuisse, eamque omnem regionem etiam vel Ducatu, vel (sub Carolinis) regno Bavariæ

Bavariæ fuiſſe comprehenſam, ad mare uſque Hadriaticum, & Italiæ fines; donec Auſtria *Friderici primi* Auguſti autoritate a Bavariæ corpore avulſa eſt, & poſtea etiam Stiria, Carinthia, Carniola, & Meraniæ, vel Tirolis regio Auſtriacis acceſſit. Unde cùm in circulos tandem divideretur Germania, Bavaricus multo arctior factus eſt vetere Bavariæ regno.

Sed hæc pauca præfationi in luculentum opus ſufficient, cujus ad pervolutionem feſtinantem Lectorem diutiùs non morabimur. Utile autem viſum eſt *Brunneri* pariter, atque *Adlzreiteri* novam editionem dari, quod quærerentur ſæpè, nec facilè haberi poſſent.





PRÆFATIO

Libro inſcripto

HISTORIA ARCANA,

ſive de vita

ALEXANDRI VI. PAPÆ,

ſeu excerpta ex diario

JOHANNIS BURCHARDI

Argentinenſis, Capellæ Alexandri ſexti Papæ Clerici ceremoniarum Magiſtri:

edita a G. G. LEIBNITIO,

Hanoveræ anno 1697.



NECDOTE Arcana Hiſtoriæ exemplum apud antiquos *Procopius* dedit, qui flagitia aulæ *Juſtiniani* Imperatoris occultato libro, nec niſi poſt Autoris obitum edendo complexus eſt; quanquam multi odio magis hominum, quàm veritatis amore impulſum credant. Nomen Anecdoti operis (*des Anecdotes*) renovavit nuper in Galliâ ſcriptor elegans, rem ipſam non ſatis. Rectius ad libellum ſub Rege *Ludovico XI* ſcriptum, qui extat titulo *Chronici ſcandaloſi*, accommodes; & ad præſens *vitæ Alexandri VI. excerptum.* Hujus enim aulâ nihil fortaſſe unquam vidit Urbs vel Orbis, certantibus inter ſe tribus vitiis capitalibus, libidine, perfidiâ, crudelitate; quibus faſtigium imponebat impietas, ſacro Eccleſiæ ſchemate velata, ut ſcelerum palmam omnibus retrò ſeculis dubiam facere velle videretur. *Lucretia Alexandri* filia

filia veterem illam cognominem, vindicato pudore celebratam, famâ contrariâ superavit. *Cæsar Borgia Dux Valentinus*, geminato fratricidio, & sororis stupro nobilis, perjuriis, veneficiis, percussoribus ita usus, ut patre se dignum probârit; memorabile tamen exemplum orbi dedit criminum infructuosè consumptorum; captivus denique, extorris, odii publici victima, & quicquid etiam *Machiavellus* judicaverit detestandæ potius quàm commendandæ tyrannidi perpetuò valiturus. Ut qualem poetæ fingerent tragœdiam a divinâ providentiâ in ipso editam credas.

Res igitur *Roderici*, & *Cæsaris Borgiarum*, Patris & filii, scripsere multi eloquentes viri, sed jucundum tamen & proficuum erit, legere quæ in literas retulit simplici stylo, & quantum judicare licet, odio & amore procul, testis rerum, in dignitate constitutus multaque aperiens, undè rectius judicium feras. Is fuit *Johannes Burchardus* Patriæ Argentinensis, Magister Ceremoniarum in aulâ Romanâ, etiam Ecclesiæ Romanæ a *Julio II.* Papa præfectus. Integrum ejus diarium in manus nostras non pervenit. Excerptis itaque contentos nos esse oportet, in quibus complura etiam memorabilia continentur de expeditione *Caroli VIII. Galliæ Regis* in Italiam, & receptione ejus in urbe Româ, habitisque a Papâ honoribus; & de fratre *Bajazetis* Turcarum Principis, Sultano *Zeme*, [apud nostrum ad Italicæ pronuntiationis modum *Gem* dicto] quem Rex Papa extorsit. Et *de commercio inter Papam & Turcam*, nusquam clariùs exposito; hic enim ipsæ mutuæ literæ, & Pontificii nuntii mandata exhibentur. Ex quibus intelligitur, eousque inter eos amicitiam processisse, ut etiam in nominandis Cardinalibus Romanæ Sedis, ratio Turcicæ commendationis haberetur. Vixit illis temporibus Frater *Hieronymus Savonarola* ordinis Prædicatorum, magnæ diu apud Florentinos autoritatis, ut respublica quoque ejus consiliis administraretur. Hunc multi Protestantium numerant inter testes veritatis; scripta certè laudem merentur: *Cominæus*, qui vidit, penè ut prophetam commendat. *Burchardus* & Pontificis & ipsius literas, & fortuna catastrophen tragicam exhibet; cujus narratio, si fida est, *Savonarolam* inter improbos sanctitatis simulatores collocare oportet: quod tamen in medio relinquo; nam potuit noster decipi narrationibus falsis de homine in aula exoso; nec satis tutò creditur confessionibus per tormenta expressis, nisi aliundè adjuventur. Profuerit tamen ad cautionem hæc legisse, ne quem ideò laudemus effusiùs, quia odio Papæ nobilitatur. Cæterùm *Alexandri Sexti* crimina nemo æquus ad Papatûs vituperationem retulerit; nisi fortè per recriminationem, quâ careri posse malim. Improbitatem hominis agnoscunt, quia nemini in colendâ Romanâ Ecclesiâ concedunt. Quin potiùs interest Pontificis nominis, apparere quanto intervallo præsens Romæ facies distet ab illa quæ ducentis abhinc annis fuit. Neque enim temerè hodiè Pontifices maximos

 fieri

fieri constat, nisi qui magnis laudibus eminent, & Cardinales similes plerumque ab ipsis leguntur. Vitia erunt donec homines: interea ademto sceleribus regno, egregios viros Romæ in throno collocari, nostris temporibus gratulabuntur etiam qui Romæ non favent.

Claudam præfationem hoc uno adhuc observato: *Burchardum* Ceremoniarum in Romanâ curiâ Magistrum quædam dignissima notatu consignasse *de actis inter Legatos circa honores & præcedentiam*, & vel ob hanc causam meritum produci. Ita potior Hungarus, Scoto pag. 4. Montferratensis, Senensi ibid. Electores, Duce Burgundiæ ibid. Rex Romanus, Hispano p. 6. Gallo & Hispano p. 65. Addatur de lue inter Venetos & Sabaudos p. 24. Quomodo oratores Franciæ & Hispaniæ *percusserunt se cum capellis* p. 107. & res ita composita est, ut Hispanus primò Gallis cederet, secundò præferretur. Ne quid dicam de quæstione utrum Cardinalis pro Rege legationem apud Papam obire possit, aliisque id genus, quæ in brevi libello legi possunt.

PRÆFATIO

Ad Chronicon Cœnobii Montis-Francorum Goslariæ, editum Francofurti anno 1698. in 4°. (a).

MUlta in cœnobiorum scriniis, & arcanis penetralibus abdita latere, quæ ad illustrandum studium historicum apprime faciunt, nemo facilè negaverit, cui facultas concessa est, situ obsita, a muribus arrosa, & a blattis exesa eorumdem documenta, diplomata, privilegia, tabulas & literas paulò accuratiùs inspiciendi. Nec enim ea ad sacram saltem, sed etiam ad profanam historiam explicandam utilissima, imò quàm maximè sunt necessaria. Inde cænobiorum, templorum, fanorum & sacellorum ortus, altarium fundationes, & dotationes, ordinum monasticorum, fraternitatum, solemnium sacrorum, & rituum obsoletorum institutiones, Paparum, Archipræsulum, Abbatum, Abbatissarum, Præpositorum & Priorissarum cujusque ecclesiæ, indubitata series, privilegia peculiaria sacris locis concessa, ac demum fata, nec

(a) Ignota fuit hæc Præfatio scriptoribus qui catalogum Leibnitianorum operum dedêre. Illam præfixit *Leibnitius* noster Chronico Montis-Francorum Goslariæ; cùm autem verus hujusce Chronici auctor, se cognoscendum non præbuerat, non defuerunt qui falsò illud D. *Leibnitio* tribuerunt. Sed indubitandum auctorem habuit *Christ. Lud. Kotzebucium* Medic. *Ernesti Augusti* Electoris Brunsvicensis primi. Vid. *Gelehrten Lexicon D. Joecher Tom. II. ad vocem Kotzebucii*, & *Bibliothec. Historic. Struvio-Buderianam Cap.* XVII. §. 28. p. 1032.

nec non incrementa, & decrementa quarumvis Eccleſiarum, unicè ferè depromi poſſunt. Præterea nemo eſt, qui ignorat quantum emolumenti hiſtoriæ profanæ e diplomatum adminiculis accedat: quippe quæ bellorum veras origines, pacificationes, fœdera, permutationes, pacta antiqua, priſcorum locorum nomina, terminos, diſtinctionem, temporum accuratiſſimam ſupputationem, imò Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, Dynaſtarum, & nobilium cujuslibet regionis ſtirpes, aliàs vel ſub oblivionis ſqualore ſepultas, vel ſanè dubiis inextricabilibus involutas, luce meridiana clariùs ob oculos ponunt.

Hæc me quoque perpulere, ut collectis haud paucis Tabulis authenticis, hiſtoriam cænobii Montis-Francorum Goslariæ contexere decreverim. Haud equidem diffiteor, tantas mihi vires minimè eſſe, ut tale quid nitore debito, juſtaque poſſim perficere elegantiâ: Id enim à viris in re hiſtoricâ verſatiſſimis (quales inter innumeros alios ſunt inſignes illi *Meibomii*, avus & nepos) ſaltem expectandum erit. Non tamen ideò animum deſpondi, ſat habens, qui tantorum virorum exempla, hoc eſt tanquam umbra corpus, ſequar, & laboris impenſi præmium ſufficiens relaturus, ſi vel minimi quid in hâc opellâ occurrerit, quod lectori hiſtoriarum amanti aliqualiter ſatisfecerit.

Exhibet verò hoc Chronicon tam urbis, in quâ ſitum eſt, quàm Cœnobii ipſius, quantum haberi poſſunt origines. His junguntur ſecundùm annorum ſeriem, res hinc indè occurrentes, & memoriâ dignæ, interſperſa brevi eorum narratione, quæ in vicinis terris ſuo quæque tempore contigere. Nec ſeriem Præſulum Hildeſienſium omittere fas duxi; quippe qui Francobergenſium diœceſani fuere, atque adeò jure merito ſuo ordine enarrari debuere. Tandem de familiis Comitum, Dynaſtarum, & nobilium hiſce in terris quondam longè lateque florentium quædam hinc inde addidi, ſperans fore, ut hæc quoque lectori haud ſint ingrata. Hoc, quicquid eſt, opellæ tibi offero B. L. ex animo optans, ut lectu digni quid in eadem tibi occurrat, operam, ſi id conſequar, daturus, quò adhuc unum, aut alterum ejuſmodi chronicon, plura, nec lectu forſan injucunda continens, ſuo tempore Francobergenſe noſtrum ſequatur. (b) Hiſce vale, benevole & ſincere Lector, errores humanos hinc inde dubio procul ſæpiùs obvios, ut homo, humaniter ferens. *Dabam e Muſeo III. Cal. Jul. anno MDCXCVII.*

(b) Revera idem *Kotzebucius* paulo poſt publicavit *Chronicon Hamelenſe.* Loc. cit.

NOTITIA DE HISTORIA BRUNSVICENSI,

quam edere paraverat

G. G. LEIBNITIUS.

Ex Actis Eruditorum anni 1717. excerpta.


De Historia sua Brunsvicensi sequentia in scheda annotata reliquit Illustris *Leibnitius*.

» Annales originum Brunsvicensium complectentur res Imperii occi- » dentis ab initio Regni *Caroli Magni* usque ad finem *Henrici II.* Impe- » ratoris, & ita ab anno Domini 769. usque ad a. D. 1025. In iis » habebuntur antiquitates Saxonicæ ad stirpem *Witikindeam*, res superio- » ris Germaniæ ad stirpem *Welficam*, res Longobardicæ ad stirpem ve- » terum Ducum & Marchionum Tusciæ & Liguriæ spectantes. Ab » his enim omnibus Duces Brunsvicenses sunt orti, & regiones habue- » runt; itaque totius Imperii Historiam per illa tempora explicari ne- » cesse fuit; & post tres Imperatorum, vel Regum veteris Lineæ Bruns- » vicensis, nempe *Henrici Aucupis*, trium *Ottonum*, & *Henrici secundi*, » in quæ tempora incidunt etiam cæteræ origines.

» Præmittetur his Annalibus quædam dissertatio de antiquissimo ha- » rum regionum statu, qui ante Historicos ex naturæ vestigiis haberi » potest; & alia de migrationibus gentium, præsertim quæ in has re- » giones venere. Et subjicietur Annalibus deductio Genealogica Guel- » fica, seu Brunsvicensis ad nostra usque tempora ex Tabularis eruta, » brevem sed accuratam familiæ totius Historiam complexa, eminen- » tium familiarum, velut Gibellinæ, Austriacæ veteris & novæ, An- » degavensis, Anglicæ, Schirensis, seu Bavaro-Palatinæ &c. Genea- » logiis longè meliùs quàm hactenùs constitutis. Per documenta etiam » constituetur exactè Chronologia sæculi noni & decimi cum parte » octavi & undecimi, quæ hactenùs miris tenebris involuta fuere, » adjecta etiam Dissertatiuncula, quæ inscribetur: *Flores sparsi in tumu- » lum Papissæ*, ubi novis illatis in Historiam luminibus fabula illa ex- » plodetur, quæ solis hactenùs tenebris chronologicis se tuebatur. De- » nique ausim dicere, nihil tale ad Historiam mediam hactenùs prodiis- » se, in quo tam multi sunt sublati errores in Imperii rebus per Ger- » maniam, Italiamque, & res in clariore luce positæ. Bina erunt vo- » lumina in folii forma, ut vocant, tabulis æneis veterum monumen- » torum, documentorum, sigillorum, numismatum ornata. «

Ex

Ex literis Cl. *Eccardi*, qui in munere Hiſtoriographi Domûs Brunſvicenſis *Leibnitio* ſucceſſit, habemus, quod Vir illuſtris Tractatus de Naturalibus regionis tantùm ideam quamdam, quam animo conceperat, in ſchedis ſuis delineaverit; de migrationibus gentium verò nihil adhuc in chartam conjecerit. In ipſa Hiſtoria ab initio regni *Caroli M.* uſque ad A. 1005. pervenit. Deductiones chronologicæ omnes, præter majores *Azonis Marchionis*, debentur ſtudio *Eccardi*, etiam reliqua ſuppleturi, quæ adhuc deſiderantur. Idem ſpem facit, fore ut duo Tomi priores, in quibus nodi difficillimi genealogici ſolvuntur, & origines omnium familiarum illuſtrium in Europa explicantur, anno ſequente in publicum prodeant. Cætera verò ab anno Domini 1025. uſque ad *Ottonem* primum Ducem Brunſvicenſem & Luneburgenſem ante quinquennium vix comparebunt.



LETTRE



LETTRE DE M. LEIBNIZ
SUR LA CONNEXION
DES MAISONS DE BRUNSVIC ET D'ESTE.

Tirée du tom. 3. de Kortholt.



LE mariage conclu entre Monſeigneur le Duc de Modéne & Madame la Princeſſe de Brunſvic, fille ainée de feu Monſeigneur le Duc *Jean Frederic*, me donne occaſion d'eclaircir quelques points d'hiſtoire de cette Séréniſſime Maiſon, dont je ſuis bien aiſe de vous faire part. Les auteurs demeurent d'accord que l'origine des Maiſons de Brunſvic & d'Eſte eſt commune, en ſorte qu'elles deſcendent d'une même tige, en ligne droite maſculine. Il eſt vrai, que de très habiles gens l'ont revoqué en doute depuis peu, parce que ces mêmes hiſtoriens qui l'avoient annoncé, en ont parlé preſque ſans fondement, & y ont mêlé bien des fautes. Mais j'en ai trouve des preuves convainquantes, & je crois avoir rectifié leurs raports.

Azon, appellé dans quelques titres *Albertus*, qui eſt *Azo*, & *Magnus Marchio* dans un ancien monument, étoit le plus grand Prince de Lombardie en ſon tems: il étoit puiſſant dans le Milanois, & dans la Ligurie vers Gènes; mais outre cela il poſſedoit Eſte, Calaone & pluſieurs terres entre Ravenne & Veniſe. Comme je ne dois parler ici que de la connexion des deux grandes Maiſons dont il fait la tige, je ne veux point remonter plus haut preſentement.

On peut juger cependant de l'antiquité de ſa famille, puiſqu'elle étoit deja ſi grande il y a plus de ſept cent ans. Il doit être né ſur la fin du dixiéme ſiécle, c'eſt à-dire, avant l'an 1000, s'il eſt mort âgé de plus de 100 ans, comme le raporte un auteur de ce tems là. Notre *Azon* fut contemporain de la fameuſe *Mathilde*, & même ſes deſcendans en eurent la ſucceſſion en partie. Ce fut conjointement avec elle, qu'il moyenna quelque accommodement entre l'Empereur *Henri IV.* & le Pape *Grégoire VII*, & il parut en pluſieurs autres occa-ſions

sions importantes. Il eut des enfans de deux femmes, dont la premiere fut *Cunigonde*, héritiére des anciens *Guelphes* de la haute Allemagne, qui avoient leurs terres en Baviére & en Souabe jusqu'au lac de Constance, & l'Impératrice *Judith*, femme de *Louis le Debonnaire*, fut fille d'un *Guelphe* de cette maison là, qu'on croit avoir été une branche des anciens *Agilolfingiens*, qui suivant les loix des peuples de Baviere, en devoient avoir la Principauté. *Azon* eut de *Cunigonde* un fils nommé aussi *Guelphe*, qui obtint les Etats échus par la mort de son oncle maternel, & depuis fut fait Duc de Baviére par l'Empereur *Henri IV.* Il fit entr'autres exploits l'expédition de la Terre sainte, & mourut dans l'isle de Chypre en retournant. *Guelphe* son fils ainé étant mort sans enfans, le second, *Henri* dit le *Noir*, lui succéda, & eut en mariage *Wulfhilde* fille de *Magnus* dernier Duc de Saxe de sa race. De ce mariage nâquit *Henri* surnommé le *Guelphe* chez quelques auteurs anciens, qui épousa la fille de l'Empereur *Lothaire*, auparavant Duc de Saxe, à la place du Duc *Magnus*: & ce fut ainsi qu'*Henri le Guelphe* joignit le Duché de Saxe à celui de Baviére. Son fils *Henri* surnommé le *Lion* recueillit encore par sa mère la succession des anciens. Il soumit à sa domination plusieurs peuples, Slaves ou Wendes, qu'il reduisit à la foi de JESUS-CHRIST & à l'obeissance qu'ils devoient à l'Empire & à lui. Il y fonda les Evêchés de Lubec, de Severin, & de Ratzebourg. Il fut un des plus grands Princes de son tems, ayant recouvert la Baviére, que l'Empereur *Conrad*, successeur de *Lothaire*, avoit ôtée à son père, & donnée au Marquis d'Autriche. Pour consoler l'Autrichien, on le fit Duc lui-même, au lieu qu'il avoit relevé auparavant de celui de Baviére, & on lui laissa quelques Comtés détachées, qu'on croit avoir été ce qui s'appelle aujourd'hui la haute Autriche. Pour *Henri le Lion*, comme il avoit, même en Italie, de belles terres de la succession d'*Azon*, & peut-être aussi de celle de *Mathilde*, on disoit de lui, & même déja de son père, qu'il dominoit *à mari ad mare*, depuis la mer de Sicile, (comme parle un ancien) jusqu'à l'Ocean Germanique, & même jusqu'à la mer Baltique, où quelques-unes de ses loix subsistent encore. Et j'ai trouvé qu'il avoit été destiné à l'Empire du consentement des Etats par l'Empereur *Frederic I.* en cas d'extinction de la maison de Souabe. Car ils etoient proches parens, ayant le même grand-père, qui étoit *Henri le Noir*.

Mais ce même *Frederic* ayant eu depuis des enfans mâles, eut jalousie de son ami, & en machina la ruine par une conspiration generale des Princes voisins, dont l'Empereur se déclara le chef, au lieu de juge qu'il devoit être; ce qui fit perdre la Baviére à *Henri le Lion*, & une partie des terres de Saxe, principalement en Westphalie [qu'on comprenoit sous la Saxe en ce tems-là] avec une grande partie des

terres qu'il avoit conquises sur les Slaves. Son fils *Otton IV.* quoique cadet, ne laissa pas de parvenir à l'Empire.

J'ai trouvé par le moyen des titres qui se gardent dans l'archive royale d'Angleterre, qu'auparavant il avoit été fait Duc d'Aquitaine par le Roi d'Angleterre son oncle, étant considere comme Prince du sang; & qu'il y avoit succedé immédiatement à *Eleonor*, héritiére de Guienne, Reine de France & puis d'Angleterre, dont il étoit le petit-fils. On a encore les privilèges qu'il donna aux habitans de l'isle d'Oleron, comme à ses sujets. L'aîné *Henri*, outre le Duché de Saxe, eut encore le Palatinat du Rhin par sa femme, fille du frére de l'Empereur *Fréderic I.* On peut dire que ce Palatinat s'éleva beaucoup sous ces deux Princes, & succéda en quelque façon aux droits des anciens Ducs de Franconie sur le Rhin, ce qui l'a fait enfin devenir Electorat. Mais l'Empire & le Palatinat (sans parler de la Guienne) sortirent d'abord de la maison, d'autant plus que ces deux Princes n'eurent point d'enfans mâles. Car il y a bien de l'apparence, que si *Othon IV.* en avoit eu de *Beatrix*, fille de *Philippe* de Souabe Roi des Romains, sa postérité se seroit maintenue dans l'Empire; puisqu'on l'offrit depuis à *Othon* son neveu, que *Guillaume*, troisieme frére, (mort avant l'Empereur & le Palatin) avoit laissé; & qui ne fut presque qu'un enfant, lorsqu'il devoit soutenir tout seul la maison ébranlee par la mort de ses oncles & par d'autres accidens fâcheux. Ainsi il ne put conserver la possession que d'une partie des Etats de ses progeniteurs, en qualité de Duc de Brunsvic & de Lunebourg, qu'il a laissé à ses descendans. La maison a eu de la peine à se relever, à cause des partages qui s'y sont faits. Elle a pourtant repris son lustre, & même depuis peu *Ernest Auguste* étant devenu Electeur, a obtenu pour elle cette grande dignité dont il vient d'être revetu.

Je passe à la branche d'Italie, dont l'origine & la connexion avec la notre, quant au détail, a été ignorée de ses propres historiens. J'ai donc trouvé que notre *Azon*, après la mort de *Cunigonde*, épousa la fille du Comte du Maine, & en eut *Hugues*, & *Foulques*. L'histoire rapporte que le Prince *Hugues* obtint la succession du Maine par les droits de sa mère, mais qu'il les transporta depuis sur un autre, parce qu'il étoit trop incommodé par la puissance du Duc de Normandie, connu sous le nom de *Guillaume le conquerant* Roi d'Angleterre. *Foulques* fut le propagateur de la branche Italienne, & c'est de lui que tous les Princes d'*Este* d'Italie sont descendus, lesquels ayant établi ou continué leur résidence à Este durant longtems, en ont pris le nom. Les historiens n'ont pas été assez informés de ces particularités. Ils ont donné des femmes à *Azon* qu'il n'a jamais eues, au lieu de cette Princesse du Maine, qu'il avoit épousée veritablement. Sans parler maintenant de quantité

quantité d'autres fautes, qu'on voit dans les arbres de *Faleti*, de *Pigna* & d'autres après eux, où ils représentent cette connexion de Brunsvic & d'Este. Mais il s'en faut d'autant moins étonner, que ce n'est qu'en notre siécle, qu'on commence à approfondir ces choses, comme toutes les autres. Et il est sûr qu'encore au milieu du siécle passé les Ducs de Ferrare ignoroient eux-mêmes que les Ducs de Brunsvic étoient leurs parens. Ce qui se connoit par les écrits du Comte *Boiardo*, par l'*Arioste* (qui a suivi & poussé le dessein de l'*Orlando*, que le *Boiardo* avoit ébauché) & même par l'histoire du *Sardi*. Il semble que les Ducs *Hercule II.* & *Alphonse II.* ont été les premiers qui ont connu ce parentage. Ce fut alors, que le Comte *Faleti* fit un voyage exprès en Allemagne, par ordre du Duc de Ferrare son maitre, pour s'instruire là-dessus, & *Jean-Baptiste Pigna*, Secretaire d'Etat d'*Alphonse II.* se servit des mémoires de ce Comte pour dresser son histoire d'Este, qui merite fort d'être estimée à l'égard des affaires voisines de son tems; mais qui est sujette à bien des erreurs dans les anciennes, comme des excellens historiens en France l'ont déja remarqué, tant publiquement que dans des lettres particuliéres, où ils m'ont exhorté de ne me point arrêter à cet auteur, ce qui n'étoit pas non plus mon dessein. Or le commerce étant tellement interrompu par l'obscurité où l'histoire étoit dans les siécles ignorans, que les Princes d'Este d'Italie, Ducs de Ferrare, de Modene, & de Regio, ne savoient pas eux-mêmes ce que leurs parens d'Allemagne étoient devenus, & se figuroient certains Comtes inconnus de Fribourg, qui devoient avoir acquis je ne sais quel grand pays en Allemagne; comme aussi les Ducs de Brunsvic ne connoissoient point non plus leurs parens d'Italie, qu'ils confondoient tantot avec les Marquis de Montferrat, tantot avec ceux de Mantoue: il ne faut point s'etonner s'il n'y a point eu de correspondance entre les deux maisons, ni aucune alliance. Et cela me fait venir au point qui m'a donné occasion d'écrire cette lettre. Le *Pigna* dit dans le second livre de son histoire d'Este, qu'*Alessine* fille (à ce qu'il dit) d'*Aldrovandin*, Prince régnant de la maison d'Este en Italie, & sœur de *Beatrix* Reine de Hongrie, avoit épousé *Albert* Duc de Brunsvic, son parent au septiéme degré. Mais nous avons trouvé ici, qu'il n'y a point eu de tel mariage: ce Duc *Albert* surnommé *le Grand*, ayant été marié en premiéres noces avec *Elizabeth* fille de *Henri* Duc de Brabant, & en secondes noces avec *Adelheide*, sœur d'*Otton*, Marquis de Montferrat, qui lui a survécu; car elle vivoit encore l'an 1280, & s'appelloit *relictam Ducis de Brunsvic.* Il l'avoit épousée en Angleterre. Nous avons de bons témoignages de tout cela, & cette alliance semble avoir donné occasion à celles de leurs petits enfans *Henri* & *Adelheide*, enfans d'*Henri*, fils aîné d'*Albert le Grand*, puisque

que cette *Adelheide* devint Impératrice d'Orient, par son mariage avec *Andronic* le jeune; & qu'on croit que son frére *Henri* surnommé *de Græcia*, à cause de ses voyages, épousa à Constantinople *Marie*, Princesse de la famille Royale de Chypre. Et enfin son fils *Otton*, fut mari de *Jeanne* Reine de Naples, & en état de se maintenir dans ce Royaume sans les bouleversemens extraordinaires qui y arrivérent.

Ainsi ce mariage d'*Albert* Duc de Brunsvic avec une Princesse d'Este, apellée *Alessine*, ne se trouvant point véritable, on peut assurer qu'il n'y a eu aucune alliance entre les deux branches de la postérité d'*Azon*. C'est pourquoi le mariage qui a été conclu présentement entre les Altesses Sereniffimes de *Rinaldo*, Duc de Modéne & de Regio, & de *Charlotte Félicité*, Princesse de Brunsvic & de Lunebourg, est remarquable en ce qu'il renouvelle l'union entre ces deux grandes branches d'un même arbre, qui sont séparees depuis près de 700 ans. Et j'ai cru pour cela, qu'on y pourroit appliquer la devise, que je joins ici pour la soumettre à votre jugement.


C'est une grande riviere séparée en deux-bras, qui sont réunis bien loin de là par un canal, avec ce mot: *Commercia reddit*. Car un canal est pour le commerce des nations, & ce mariage rétablit celui de deux grandes Maisons, qui ne sont qu'une même à le bien prendre. On a trouvé cette devise propre pour une medaille, dont l'autre côté porte cette inscription historique: *Matrimonio contracto inter* REGINALDUM I. *Duc. Mutin. & Reg. &* CHARLOTTAM FELICITATEM *Princ. Brunsvic. & Luneburg. reconjunctaque VIImo. divergii seculo Ateslina gente. Hanoveræ XVIII. Nov. MDCXCV.*

Vous y voyez, Monsieur, comme la riviére qui représente la branche d'Allemagne, est du côté du Nord à la façon des cartes géographiques, & fait des tours plus grands; au lieu que l'autre, qui marque la branche d'Italie, est demeurée plus près de la source. Le lion indique la Maison de Brunsvic, & l'aigle fait connoitre celle d'Este d'Italie. On a mis dans le vuide du champ des couronnes, un sceptre, & autres ornemens de la maison. Il y a une couronne impériale; car la maison a eu deux Empereurs & deux Impératrices. Une Royale est au dessous, soit à cause de *Frederic*, qu'on peut appeller Empereur, IV. de ce nom, selon l'usage d'aujourd'hui, mais Roi des Romains suivant l'ancien stile; soit à cause d'*Otton* de Naples. On y voit aussi la marque d'une dignité acquise depuis peu, c'est le bonnet Electoral, mis vis-à-vis de la couronne Ducale. Enfin on y a ajouté d'autres anciennes marques d'honneur des Duchés, qui sont l'épée, la lance, & la banniére, &c. *Hanover* 16. *Novembre* 1695.


P. S. Dans l'arbre du *Pigna*, excepté le Duc *Guelfe* & sa postérité, il n'y a pas un mot sans erreur. *Albert* l'Archevêque, étoit d'une toute autre

autre maison. *Azon* n'étoit pas frére du Duc *Guelfe*, mais *Hugues* & *Foulques* l'etoient. Et l'on met ici trois *Guelfes* pour un. Car deux *Guelfes* fils de deux *Azon*, & deux *Guelfes* fréres de deux *Foulques*, qui ne sont qu'une même chose aussi-bien que les deux *Azons* & les deux *Foulques*; il y a de même deux *Obizzons*, fils de deux *Foulques*, qui ne sont encore qu'une même personne. Aparemment, comme on n'avoit point su que le véritable *Azon* est arrivé à l'âge de 100 ans, & que le Duc *Guelfe* a été plus âgé que ses fréres; on n'a pas vû moyen de concilier les tems, sans multiplier quelques personnes.

Extrait de l'Arbre de JEAN BAPT. PIGNA.



Extrait de l'Arbre corrigé.



REMARQUES
SUR LES LETTRES DE MM. TARIOLI
DI ROVIGO,
ET SALTARINI DELLA BADIA,
Sur la connexion des Maisons de Brunsvic & d'Este.

Tirées de l'Otium Hanoveranum Felleri.

ON est fort obligé à ces Messieurs de la bonté qu'ils ont eu de s'informer. Il est très sur par les livres de *Pigna*, & par d'autres preuves, que *les ancêtres des Princes de Brunsvic & d'Este ont été enterrés alla Badia*, & entr'autres *Guniguldis* ou *Cunigonde* femme du Marquis *Azon*. Ce Marquis avec son fils *Hugo*, qu'il a eu d'une autre femme, a donné quelque chose au monastère *della Badia* en l'an 1095. dont j'ai une copie, mais imparfaite, & que je désirerois obtenir plus complette. Il est sûr que ce Marquis avoit une partie du pays à l'entour, & *le Polesine* ont été longtems dans le pouvoir de ses descendans de la branche d'Este. Mais environ cent ans auparavant ce même pays appartenoit à *Hugues* Marquis de Toscane, & à sa sœur *Waldrade*, comme il paroit par un vieux instrument dont j'ai eu notice. Je souhaiterois de savoir de quelle façon ce pays a passé au pouvoir du Marquis *Azon*. Car quoique *Pigna* & autres se soient imaginés, que ce Marquis de Toscane, fondateur de beaucoup d'Eglises, a été de la maison d'Este, on a des preuves certaines du contraire, & ce Prince n'a point laissé d'enfans. Or je soupçonne que ce changement à l'égard du pays pourroit être arrivé par quelque mariage. On dit communément que *Waldrade*, sœur du Marquis de Toscane, a épousé *Pierre Candian* Doge de Venise, qui a été massacré dans une revolte. Cela se peut, mais il se peut aussi que cette veuve ait épousé depuis un Prince de la famille d'Este, primogeniteur, ou parent du susdit *Azon*. Et ce qui me confirme dans cette conjecture est, qu'on m'a communiqué un *extrait d'un ancien livre mortuaire della Badia*, où sont marqués ceux pour lesquels on prioit comme pour des bienfaiteurs. Cet *Hugo* n'est pas le Marquis de Toscane, qui n'a point eu de *Wal-*

drade

drade pour femme. Ainſi ce pourroit être un Marquis d'Eſte, qui pourroit avoir épouſé *Waldrade* ſœur du Marquis de Toſcane. Si l'on pouvoit découvrir ces anciens Seigneurs de ce pays, & leurs changemens, cela ſerviroit à mieux connoître les ancêtres dudit Marquis *Azon*; les papiers *della Badia*, & autres anciennes Egliſes des environs, y pourroient ſervir. Ce pays appartenoit anciennement à un Marquis *Almericus*, dont on ne connoit pas bien la maiſon. Puis il appartenoit à *Hugo*, Marquis de Toſcane, & puis (comme je crois) à un autre Marquis *Hugo* mari de *Waldrade*, & enfin au Marquis *Azo*, de qui deſcendent les Maiſons de Brunſvic & d'Eſte. Je ne ſais ſi ce livre mortuaire, dont j'ai eu un extrait, & les inſtrumens, & autres piéces du Marquis *Hugues* & du Marquis *Azon*, dont j'ai eu quelque notice, ſe trouvent encore dans l'Abbaye en original ou en copie. Il faudroit ſurtout ſavoir s'il n'y a point de *Pancarte* qui contienne les copies d'une bonne partie des inſtrumens de l'Abbaye, comme c'eſt la coutume.

Les Monaſtères ont ordinairement des catalogues de leurs diplomes, titres ou régîtres, & quelquefois même des livres qu'on appelle *Libros copiales*, ou des *Pancartes*, où ces vieilles chartes ſont regiſtrées, & copiées. C'eſt la premiere choſe qu'on doit demander quand on veut quelques notices des Monaſtères.

J'ai été autrefois *alla Badia nelle Poleſine*; mais ne pouvant pas m'arrêter, je crus remarquer par ce que l'on me montra à la hâte, que les plus anciennes écritures avoient été tranſportées ailleurs. Le Cardinal *Ottoboni*, depuis Pape, en avoit été Abbé. Ces écritures ſe trouveront à Veniſe, ſi elles ne ſont pas à l'Abbaye même.

On voit par les catalogues des manuſcrits des Bibliothéques de Veniſe, que *Tomaſini* a publié, qu'il y avoit un reſte de la bibliothéque du fameux *Pétrarque*, & parmi les livres comme ayant été à lui, j'en trouve qui ſeroient utiles à nos recherches. C'eſt pourquoi je ſouhaiterois de ſavoir, où ces livres de *Petrarque* ſont detenus, & s'ils appartiennent peut-être à la Séréniſſime République, comme ceux du Cardinal *Beſſarion*. Puiſque *Tomaſini*, qui etoit ce me ſemble Evêque de Padoue, a eu ce catalogue, je crois que les Savans de Veniſe peuvent ſavoir où ces livres de *Petrarque* ſe trouvent.

REMAR-

REMARQUES

Sur la Lettre del Signor *Moſcardo* de Verone,

Tirées de l'Otium Hanoveranum Felleri.

LEs livres du *Pigna* & du Père *Riccioli* nous ſont connus ; mais on ſouhaite des preuves, qui ſe trouvent dans les vieux papiers, particuliérement des Egliſes & des Monaſtères. L'on ſait qu'un Marquis *Fulco* a donné des biens au Monaſtère *in monte S. Olıveti* de Verone, quelques années après l'an 1100. Ce Marquis eſt de la maiſon d'Eſte. On ſeroit bien aiſe d'en apprendre des particularités ; & ſi les Egliſes de Verone ou des environs pouvoient fournir quelques autres notices de ce Prince, ou de ceux de cette maiſon, on en ſeroit ravi. Le moyen d'apprendre ces choſes eſt entr'autres de voir les *Pancartes* des Egliſes, ou des Monaſtères. Ce ſont des livres qui contiennent des copies d'une bonne partie des inſtrumens ou papiers plus importans. On eſt cependant fort obligé à M. *Moſcardo* de la bonté qu'il a eu de s'informer.



XXI.

XXI. LETTRES
A M. LOUIS ANTOINE MURATORI,
Auteur des Annales d'Italie (a).

LETTRE I.

J'Ai reçu à Berlin l'honneur de deux de vos lettres adreſſées à Vienne, & j'en ai reçu, un peu auparavant, une précédente qui m'eſt venue par la voye de M. l'Abbé *Guidi* : Je ſuis ravi d'une connoiſſance auſſi avantageuſe que la votre, Monſieur, & je vous dirai que ſur une lettre de M. le Comte *Giannini*, j'ai penſé à un petit ouvrage, qui pourroit être intitulé *Vindiciæ Eſtenſes*, dont j'ai projetté quelque choſe; mais pour l'achever j'attendrai que je ſois à Hanover, (comme en effet j'y ſerai dans 15 jours), & que j'en aye l'agrément de Monſeigneur l'Electeur ; je m'attacherai à dire la vérité, ſans maltraiter *Pigna*, qui a été un homme de mérite, & ſi l'on veut me fournir quelque choſe, j'en pourrai encore profiter.

Je ne deſeſpérerois pas de trouver le père du vieux Marquis *Azo*, & il y a même des endroits où il eſt parlé de ſon ayeul : mais il faudroit de nouvelles recherches pour éclaircir ce ſujet, les miennes n'ont pas été aſſez longues ni aſſez favoriſées ; je n'ai vû que peu de choſes dans mon ſéjour en Italie, & je me ſuis contenté alors d'avoir fait le premier pas.

Vous aurez la bonté, Monſieur, de marquer ma dévotion à S. A. S. & je ſuis parfaitement &c. *A Berlin ce* 16. *de Février* 1709.

LETTRE II.

J'Avois répondu à la hâte derniérement, pour vous faire ſavoir que j'avois fait tenir à Leipzig, & à l'Auteur du Journal de Hollande, une

(a) Ces lettres n'ont jamais vu le jour: elles nous ont été communiquées par M. l'Abbé *Muratori*, qui les a trouvées parmi les papiers du célébre *Muratori*, ſon oncle, à qui M. *Leibniz* les avoit écrites : Nous les avons rangées ſuivant l'ordre dans lequel elles nous ont été envoyées, mais il paroit que les lettres 4. 5. 6. qui ſont ſans datte, ont été écrites dans l'année 1709. & doivent par conſéquent précéder la lettre N°. 3.

Vous faites une objection, Monsieur, que *Ditmar* ne les appelle point Marquis; mais il y a bien d'autres Marquis qu'il nomme quelques fois, sans y ajouter cette qualité: Mais, de plus, pendant la vie d'*Obert* leur pére, ce nom ne leur appartenoit pas, à parler juste, & selon le style de la Cour de ce tems-là. Toujours puisque *Ditmar* en parle avec assez d'emphase, il y a de l'apparence que c'étoient des grands Seigneurs, & par conséquent il est peu probable qu'ils puissent être differens des notres. Il est difficile aussi de concevoir que de simples Seigneurs Lombards ayent pu exciter une sédition à Rome, telle que la dépeint *Ditmar*, où le peuple Romain s'éléve contre les troupes de l'Empereur, il y a plus d'apparence qu'ils y étoient puissans; & ceux dont parle l'histoire de Milan avoient aussi quelque chose à dire à Rome, puisque (comme je l'ai remarqué) il leur est attribué dans la sentence d'*Henri*, d'avoir été parmi ceux qui l'avoient reconnu pour Empereur à Rome, ce qui appartenoit proprement aux Seigneurs & peuples de Rome & des environs. Ainsi c'est une nouvelle conformité. Il semble que cette affaire même leur a fait perdre ce qu'ils avoient aux environs de Rome, & qu'après cela ils ont seulement gardé le nom d'*Orta*. Il est à noter que *Ditmar* dit *postea captos*, c'est-à-dire, non pas à Rome & sur le champ, mais en Lombardie; & cela par adresse comme l'histoire de Novalese le marque. Enfin puisqu'on ne sauroit faire la moindre objection de quelqu'apparence, & puisqu'il y a cinq ou six convenances, du tems, des lieux, des noms, des personnes, de leur nombre, des événemens qui difficilement se rencontreront sans l'identité; & puisqu'enfin l'identité posée en forme d'hypothèse tout quadre à merveille, la chose paroit aussi bien prouvée que 100 autres points d'histoire, qu'on reçoit sans difficulté.

Vous doutez aussi, Monsieur, si l'on peut dire que notre *Adalbert* a pu prétendre au Marquisat de Toscane, mais il est très sûr qu'en ce tems-là les Duchés, Marquisats, Comtés, étoient déja plus que demi-héréditaires, & qu'on ne pouvoit pas les ôter aux familles sans grande raison, & quand on le faisoit, cela causoit des troubles. Quand *Otton* le Grand ôta le Duché de Baviére aux enfans d'*Arnulfe*, ils se rebellérent, & l'Empereur le donna au frére du défunt, & puis à celui qui épousa la fille d'*Arnulfe*. Je trouve la même chose observée dans les Duchés de la France Orientale, de la Souabe, de la Saxe, des deux Lorraines, dans les Marquisats Orientaux (ou de Misnie), Septentrionaux (ou de Brandebourg), d'Autriche &c. Et dans la

O 3 Toscane

Toscane même le Roi *Hugo* voulut faire passer les enfans d'*Albert* le riche pour supposés, tant pour pouvoir se marier avec *Marozia*, que pour colorer ce qu'il faisoit à leur préjudice. Ainsi le fils de *Wido*, selon l'usage de ce tems, avoit quelque droit de redemander la Toscane, que le Roi *Hugo* avoit ôtée injustement à sa famille, & donnée à son frére, & puis à son fils naturel. Il est vrai que ce droit n'avoit point une force entiére, & n'étoit point établi assez précisément par les loix. C'est pourquoi il manquoit aussi quelquefois, & manqua à notre *Adalbert*, quoiqu'on eût tâché de le consoler d'ailleurs. On ne sauroit bien dire de qui il prenoit le titre de Marquis, si ce n'est de son pére, ce qui est un argument pour sa descendance.

Votre remarque des biens d'Arezzo est très considérable, Monsieur, & donne un grand poids à notre sentiment. Vous m'obligerez en me communiquant vos réflexions sur la descendance que nous soutenons, car je ne doute point que votre esprit & vos lumiéres ne lui donnent un nouveau jour. Il vaut mieux différer un peu pour donner des choses plus éclaircies: Quelques mois plus tot ou plus tard, ne sont pas une affaire. Si mon explication de l'historien *Ditmar* peut avoir votre approbation, vous y trouverez un argument considérable pour nôtre sentiment; parce que toutes les apparences sont que ces Seigneurs Lombards dont il parle, étoient puissans aux environs de Rome, ce qui confirme la descendance de notre *Adalbert* de *Guido*, allié avec la famille des Patriciens, & Comtes de Tivoli. C'est en même tems le déchiffrement de l'appellation des Marquis d'Orta, & le fondement de l'opinion de *Le Laboureur* & autres, touchant l'origine des *Malaspines*, qu'ils tirent de ces Comtes. A mon avis il seroit à souhaiter, Monsieur, que vous rendissiez encore visite aux Marquis *Malaspines*, & allassiez sur la piste de M. *Le Laboureur*; vous y trouveriez apparemment des choses dont vous tireriez plus de lumiéres que lui.

Ne pourroit-on pas, par un tiers qu'on ne soupçonneroit point, tâcher de voir les Mss. de l'Abbé *Gamurrini?* J'ai vu cet Abbé en personne, mais il étoit malade, & ne me donnoit pas grande satisfaction; j'étois bien plus édifié de la conversation de M. *Cosimo dell'Arena.*

Je n'ai pas vû moi-même le nécrologue della Vangadizza, mais j'ai trouvé un vieux morceau de papier en forme de billet, écrit du tems d'*Alfonse* Duc de Ferrare, que j'ai emporté avec moi: Il y est dit que de Ferrare on y avoit envoyé *Hippolitum Lollium Ferrariensem utriusque juris doctorem*, & que ce Docteur avoit tiré dudit nécrologue le passage que je vous ai envoyé, *in vigiliâ S. Martini de mense Novembri* 1546. *&c.* Ce papier m'a encore appris d'autres choses. Peut-être que dans vos archives on trouvera quelque notice de l'envoi & du rapport de ce Docteur. Il se peut même que s'il a laissé des descendans, ou que si

si sa famille subsiste, on en pourroit tirer quelque chose. Car ce morceau de papier m'a été donné à Modéne, par un particulier dont je ne me souviens pas bien; mais il me semble que M. *Marchesini* m'en avoit donné la connoissance: s'il vit encore, je vous supplie, Monsieur, de lui faire mes complimens, aussi-bien qu'à M. l'Abbé *Giardini.* Je suis &c. *Hanover ce* 30. *de Janvier* 1716.

LETTRE XX.

QUoique le sentiment du pére du Marquis *Adalbert* ne soit point démonstratif, il sera très difficile que la chose puisse aller autrement, ce qui est plus qu'un degré inférieur de probabilité. Ainsi il paroit raisonnable que l'ouvrage qui traite cette matiére s'y accorde. Il me semble, Monsieur, que vous avez fait une remarque sur le procès d'Arezzo qui favorise ce sentiment; je serois bien aise d'en apprendre le détail.

Je crois que peu de personnes informées douteront de ce que j'ai avancé de l'identité des noms d'*Azon* & d'*Adalbert*, d'*Opizo* & *Obert*, comme d'une douzaine d'autres semblables: & aussi de l'identité des trois fréres Seigneurs Lombards de *Ditmar*, avec les fils du Marquis *Obert II.* pris la même année & avec des circonstances concourantes, & quasi avec les mémes noms, corrompus selon la coutume du tems. L'identité des noms est parfaite dans les *Hugo*, assez visible dans *Azo*, & *Ezil*, & vérifié dans *Adelbert* ou *Hecilin*, par l'exemple de l'Evêque *Adalberto* appellé encore *Azelin*, apparemment le plus âgé, & *Albertus* qui est *Azo* étoit appellé *Ezil*, & le plus jeune *Albert* ou *Adalbert* étoit appellé *Ezeln.* Les corruptions des noms ont fait qu'*Adalbert*, *Azo*, *Ezil*, *Ecelin* ont été souvent dits d'une même personne: Cependant il est vrai aussi qu'*Azo* & *Adalbert* sont quelques fois distingués (parce qu'on oublie ou néglige les origines des noms) & que *Hezil* est pris pour *Henri* en d'autres occasions. Ainsi *Henzel* ou *Hensel* est pris pour *Henri*, & aussi pour *Jean.* En vous alléguant mes raisons, je n'ai pas l'impertinence de vous vouloir obliger à suivre mes sentimens, les volontés sont libres.

Je n'ai pas ici le livre de *Le Laboureur*, il est à Wolfenbuttel, mais il me semble qu'il n'exprime pas assez particuliérement chez quels *Malaspines* il a été.

Je suis &c. *A Hanover ce* 5. *de Juin* 1716.

LETTRE

LETTRE XXI.

J'Ai fait venir le livre de M. *Le Laboureur*, & je trouve que ce qu'il dit de la Maison des *Malaspines* lui a été communiqué à Massa, où la Maréchale de *Guesbriant* Ambassadrice par elle-même de la France en Pologne, pour y conduire l'épouse du Roi *Uladislas*, s'arrêta quelques jours à son retour par l'Italie. Je vous envoye ici, Monsieur, l'extrait de ce qui nous regarde p. 281. & seqq. M. *Le Laboureur* cite les mémoires de la maison p. 283, & il dit p. 284. que l'Empereur confirma ses biens au Marquis *Opizzo Malaspina* en 1164, & que l'original s'en conservoit dans les archives du Marquis de Villefranche en Lunigiane, aîné du nom de *Malaspine*. Cette piéce vous a été communiquée, Monsieur, & vous dites dans votre chap. 18. que l'original se conserve à Florence auprès du Marquis *Barnabé Malaspine*. Il cite p. 287. divers mémoires manuscrits des archives du Prince de Massa. S'il est vrai que le Marquis *Adalbert III.* a épousé *Cuniza* sœur de la mére du Roi *Berenger*, il faudroit, ce semble, qu'il eût épousé une fille de *Berengarius I.* qui a eu en mariage *Bertille* fille de *Suppon* Comte du Palais, & cela pourroit avoir donné occasion à *Obert* fils d'*Adalbert* (qui pourroit avoir été petit-fils de *Suppon*) d'obtenir la même charge sous *Otton I.*, mais l'on en pourroit mieux juger si l'on voyoit l'endroit d'où ce que dit *Le Laboureur* a été tiré. Et je souhaiterois que vous pussiez encore faire un tour dans la Lunigiane, & voir vous-même les papiers des Princes de Massa. Il seroit bon aussi de voir les papiers de la Vangadizza à Venise & sur les lieux. Je suis &c. *A Hanover ce 2. de Juillet* 1716.

LETTRE A MONSIEUR VALLISNIERI (b)

MEDECIN A MODENE.

L'Honneur de vôtre réponse m'a été rendu tard à cause d'une longue absence. Je vous suis obligé, Monsieur, de la bonté que vous avez eue de me communiquer les nouvelles litteraires d'Italie, & d'avoir donné occasion à M. *Muratori* (dont j'estime beaucoup le savoir) de m'écrire en droiture. J'ai eu depuis de Modéne & de Vienne d'autres

(b) Cette lettre ainsi que la suivante à M. *Zanovelli*, nous ont aussi été communiquées par M. l'Abbé *Muratori*.

d'autres nouvelles, moitié litteraires & moitié politiques, fur la difpute de votre cour avec le Pape : Ce que j'ai deja publié y peut fervir, & on en a cité quelque chofe dans les obfervations faites chez vous fur l'ecrit de Rome : Mais je pourrois ajouter bien des chofes pour détruire les affertions très mal fondees de l'écrivain Romain.

Je ne fais fi après l'accord entre l'Empereur & le Pape on continuera la guerre de plume. Cependant je tiens que cet accord n'empêche pas S. A. S. de continuer fes pourfuites en Juftice devant l'Empereur, Juge compétent non-feulement fur Commachio fief imperial, mais encore fur Ferrare, quand même on reconnoitroit Ferrare du Pape, parce que l'Empereur en qualité de Souverain fuprême des terres de l'Eglife Romaine qui font dans l'Empire, mais encore en qualité d'Avocat de l'Eglife, eft en droit de faire juftice, non-feulement à l'Eglife Romaine, mais encore à ceux à qui les adminiftrateurs de cette Eglife ont fait du tort; Et il importe à l'Empereur d'avoir un Prince puiffant en Italie (tel que feroit le Duc de Modène après fa reftitution), qui fût entierement attaché aux interêts de S. M. I. quoiqu'il faille avoüer qu'on a négligé une occafion qui ne reviendra pas fi facilement &c. *A Hanover ce* 21. *Mars* 1709.

LETTRE A M. ZANOVELLI,

AGENT DU DUC DE BRUNSVIC A VENISE.


JE ne faurois m'acquitter de mon devoir fur ma Théodicée, qu'après mon retour à Hanover : car il n'y en a qu'un feul exemplaire à Vienne, où je fuis maintenant, & où S. M. I. & Catholique m'a conferé l'honneur & la charge de Confeiller Aulique actuel. Cependant je dois vous dire que le *Giornale de' Letterati*, qui fe publie à Venife, contient dans fon *tome XI. à p.* 389. *ad p.* 391. *inclufivè*, une critique defobligeante de mon ouvrage, *Scriptorum Brunfvicenfia illuftrantium*, au lieu d'une annonce, ou d'un rapport convenable, comme on y a coutume d'en donner fur d'autres ouvrages : Et il paroit que cela s'eft fait à la fuggeftion de quelque Papalin, parce que j'ai dit quelque chofe dans ma préface pour les anciens droits de la Séréniffime Maifon d'Efte, contre un écrivain Romain. Et comme cela refléchit encore fur les droits de l'Empereur, intéreffé dans la confervation de ceux de la Maifon d'Efte; que d'ailleurs dans le tome précédent X. du même journal p. 406. & 407. on a rapporté avec quelque maniére d'approbation, le fentiment téméraire & infupportable d'un auteur, qui prétend anéantir tous les droits de l'Empire fur quelque pays que ce foit, laiffant feulement à l'Empereur l'honneur du premier Prince Chrêtien, on eft obligé de demander fatisfaction

ſur l'un & l'autre point, & qu'il ſoit inſéré quelque choſe là-deſſus dans un tome ſuivant du même journal.

Je crois que Monſeigneur le Duc de Modéne donnera ordre à ſon Miniſtre à Veniſe de tâcher de procurer cette ſatisfaction, & je vous prie, Monſieur, de l'appuyer : car encore la Sme. Maiſon de Brunſvic y a des interêts communs avec celle de Modéne, & même elle eſt interéſſée ici particuliérement, ayant ſujet de temoigner du déplaiſir de ce qu'à Veniſe on attaque de gayeté de cœur & de fort mauvaiſe grace, un ouvrage qu'elle a fait imprimer.

Et afin qu'on obtienne plus aiſément cette ſatisfaction, il ſera bon de faire connoître aux Collecteurs, & au Libraire du journal, que s'ils y font difficulté, l'affaire ſera portée à l'Empereur, & que M. le Prince *Ercolani*, Ambaſſadeur extraordinaire de S. M. I. & C. pourroit recevoir ordre de demander une ſatisfaction bien plus forte; Et même cela pourroit attirer la prohibition de l'ouvrage dans les pays de S. M. I. en deça & au-delà des Alpes. Et comme en faveur des lettres on ne voudroit pas pouſſer l'affaire ſi loin ſans néceſſite, on a ſujet d'eſpérer que ces Meſſieurs, ſe mettant à la raiſon, donneront ſatisfaction ſur le paſſe, & ſe donneront de garde ſur l'avenir. Vous aurez la bonté d'en communiquer, Monſieur, avec la perſonne qui a l'honneur d'être employée à Veniſe de la part de S. A. S. de Modene. Au reſte je ſuis &c.

A Vienne ce 12. de Juillet 1713.



G. G.



G. G. LEIBNITII
ET OLAI ROEMERI,
Quondam S. R. M. Daniæ a Consiliis Statûs;
DE EMENDATIONE CALENDARII
COMMERCIUM EPISTOLICUM;
Ex Kortholti collectione.

I.

LEIBNITIUS ROEMERO.

I. *De inventis Römerianis.* II. *Status controversiæ de emendatione Calendarii Juliani.* III. Leibnitius Römeri *de hac controversia judicium sibi expetit.*

I. MULTUM debeo Generosissimo *Walthero* nostro, quòd ex tanti temporis intervallo, manus tuæ pretioso pignore ad me misso sopitam inter nos notitiam resuscitavit. Quamquam subinde retulerint, qui a vobis veniebant, superesse tibi benignam memoriam mei, neque ego omiserim data occasione testari, quantum te colam. Inprimis ostendi apud amicos communes, mirari me silentium tuum, qui abundans inventis & cogitatis præclaris, non satis memor esse videaris aut tui tuæque patriæ decoris aut publicæ utilitatis. Videram olim Parisiis particulam tuorum de Epicycloide & rotarum dentibus inventorum subtilissimorum, quæ primus mihi laudarat *Hugenius*. Ea dum edere cunctaris, alius quidam, & ipse egregius, proprio, ut spero, ductu, sed tamen posterior te cognitione, edere anticipavit. Ita tu quid in eo genere præstiteris, plerique omnes, extra paucos amicos rerum veterum conscios, ignorant. Fateor alicubi machinas Astronomicas sanè pulcher-

rimas, ad te auctorem suum referri, sed ne hoc quidem satis constanter & significanter. Tu quidem ista facilè transmittis, ego tamen suum cuique tribui valde lætor, non alia magis causa, quàm quod gloria virorum bene meritorum, quam tu quidem & habes & mereris in primis, præclara ingenia excitare video ad æmulationem. Utinam verò colligas complura egregia quæ parata haud dubiè habes, & sive singulatim in diariis eruditorum, sive collectim edas. In primis optem indiculum talium nancisci posse, sed ad literarum tuarum argumentum venio.

II. Ex quo de Calendarii Juliani emendatione decretum Ratisbonæ factum est, & per omnes in imperio Protestantium ditiones edictis publicis sancitum, duas quæstiones moveri video, quarum prior, quæ magis ad Legislatores pertinet, illa est: Servandumne sit per omnia decretum an inflectendum? altera, quanam optima ratione effectui dari possit? Considerationes quidem tuæ, vir eximie, ad utramque quæstionem pertinent. Ad priorem refero, tum quod notas calculum Astronomicum non ita notum esse negotio quam prima fronte videtur, (cui malo an mederi liceat, alterius quæstionis discussio, de executione decreti scilicet, ostendet) tum quod observas discrimen, quod superest inter nostros & Gregorianos rarò evenire, adeoque tanti non videri, ut ab illis abeamus. Quamquam hoc quidem ipsum potius in argumentum servandæ separationis traxerint, ut scilicet hac ratione bene omnia commoda accessionis ad Gregorianos sine ipsa accessione consequamur salva Evangelica, quam vocant, libertate dignitateque partis, tum quod maximè nos cedendo adversariorum quotidianæ in hac ipsa causa vehementiæ, uti scilicet nostros in potestate habent, ad plura eos audenda, si hac via ipsis res procedat, invitare facilitate, & sic dicam mollitie nostra, videremur, quæ si abfuisset species, fortasse plura impetrari potuissent. Optandum erat, ut executioni decreti (de qua sola non dicam) ipsum decretum satis providisset. Sed hoc dum factum non est, privati quidam officium publicum occuparunt, & cum ordinum Evangelicorum placito ex comitiis, quasi appendix quædam, huc illuc missum est anni primi reformati schema, ac sine examine, ut apparet ullo, receptum, quo tamen decreti præscripta violata videri possunt. Fateor non deesse autoribus rationes suas, sed quæ multis non satis faciunt. Urgebat autem brevitas temporis relicti, ut optandum adeo fuisset hunc annum transmissum pro spatio deliberandi. Sed credo, ubi jam hæc in mentem venere, decretum jam scriptum erat, emendationisque dies dictus. Verissimè notas, ex decreti tenore canonibusque astronomicis, quum plenilunium Paschale hujus anni incidat in tertium Aprilis diem proximo die dominico, id est, quarto die Aprilis Pascha fuisse celebrandum, itaque meritò ais; quomodo verò juxta principia Astronomica Pascha Evangelicorum eo anno in XI. Aprilis processerit? non video. Dicam tamen, quid pro auctoribus schematis afferri acceperim. Aiunt, si in

quar-

quartum Aprilis Paschatos festum retulissent, futurum fuisse, ut ab Evangelicis celebraretur cum Judæis. Nam consuetudine apud Judæos receptum narrant, ut, quoties plenilunium paschale in horas diei sabbathi antemeridianas incidit, agnum paschalem edant vespera præcedente. Pascha autem celebrent ipso sabbatho. Sin plenilunium cadat in horas pomeridianas, eo ipso die agnum paschalem cœnent, & festum Paschatos diem agant Dominica sequente. Alii verò opponunt, etiamsi hæc ita se habere concederentur, nostros tamen canones non debere ire a consuetudinibus Judæorum malè receptis, sed in regulis, quas ipsis Deus præscripsit, & quas respexit Ecclesia, quum quartadecimanos rejecit. Itaque sufficere, ut quartadecima luna evitetur dies Judæorum Paschalis ex lege. Ego neque rem, quæ facti est, excussi, neque judicium meum interpono, putavi tamen, non ingratum tibi fore intelligere, quid utrinque dicatur?

III. In futurum autem de tota re majore erit cura cogitandum, ne aliis ludibrio simus decreta publica privata autoritate refigendo, ubi neminem video, quem habeant Imperii ordines Protestantes, dum Reges septentrionis illis computo, qui te maturius ista expendere, solidiusque dijudicare possit, & quicum conferri mallem. Sed quo omnia rectè atque ordine fiant consultum putem, Corpus Evangelicum nonnullis membris suis quadam nova insolita deputationis specie, rei Calendariæ ritè introducendæ curam committere, ut decretum rectè executioni committatur, ita tamen, ut si major incidat difficultas, referatur ad Corpus. Quibus autem ex ordinum numero ea res committeretur, si per mathematicos delectos cum viris scientia præstantibus communicare possent? Eaque inprimis agenda sunt maturè, quia annus 1704. non longè est, cui certam formam interest dari. Hoc transacto antequam ad annum 1724. perveniatur altiori deliberationi locus esse possit, placeatne unicè stare decretis, an propiùs accedere ad Gregorianos? Hæc mihi, vir illustris, acceptis heri tuis, responsionem ex Waltheriano monitu, tuoque jussu festinanti occurrere, quæ judicio tuo, qui in hoc genere regnas, planè submitto. Vale. *Dabam Hanoveræ* 20. *Januar.* 1700.

II.

LEIBNITIUS ROEMERO.

I. Roemero *suadet, ut Calendarium reformet.* II. *De modis componendi de emendatione Calendarii controversias a* Roemero *propositis judicium.* III. *Observatorium quomodo parandum?*

I. MUltas tibi gratias ago, quòd præclara monita tua ignorare me non finis. Curabo, ut ad Cl. *Junium* perveniant quæ de Ephemeridibus condendis suades, arbitrorque, neminem esse, cujus hic apud

 eum,

eum, plus quàm tua valere debeat auctoritas, & si suggeras, quid in *Kepleri* tabulis mutandum putes, habebis eum haud dubiè prorsus obsequentem. Utinam totum Calendarii reformandi negotium tractare velles ex professo. Ego certè Legato nostro Domino *Schradero* nuper Ratisbonam scripsi, meâ sententia rectissimè facturos Dn. *Maierum* cæterosque, si tua consilia sequantur κατὰ πόδα. Neminem enim esse in ditionibus Principum aut Potestatum, quibus jus suffragii est in Comitiis Imperii, qui tecum in Astronomiæ profundioris cognitione conferri queat, præsertim quum ipsam observandi artem adjunxeris.

II. Ex tribus modis, quos proposui, vix ausim sperare ut postremus, etsi expeditissimus, eligatur, quum ab antiquis & receptis regulis plerique sine magna necessitate non putent recedendum. Et quum multum ad Reformationem Calendarii præsentem contulerint incommoda crebri dissensus a Gregorianis, quæ in Germania experimur, nolent nostri in ea ipsa incidere, quæ per Reformationem istam evitare voluerunt: Ergo, inquies, rectissimè facerent, si Gregorianam correctionem bona fide complecterentur, quam primam proposui viam. Id ego quoque commodissimum putem, sed uti habitus minorum esse video, non facilè video huc descendent, nisi ipsa necessitate compulsi, quod tandem futurum arbitror. Interea igitur post decreta Comitialia de media illa via qualicunque & qualitercunque constituenda, Ratisbonæ est cogitatum a Nostris, placuitque ex Rudolphinis Tabulis deduci plenilunia Paschalia, donec novæ tabulæ auctoritate corporis Evangelici recipiantur, quod fiet, credo, ad Calendas Græcas; interea verò dum de Cyclorum fallaciis queruntur, vereri debent, ne in alias fallacias incidisse, dicantur. Tres Mathematici sanè docti *Sturmius*, *Hambergerus* & *Meierus*, *Erhardi Weigelii*, præceptoris quondam sui, consilia sequuti, sperant Collegium Mathematicum fundari posse sumtibus ordinum Evangelicorum, vel potius privilegio Monopolii Calendarii, quo fiat, ne quis imposterum sine ipsorum venia Calendarios libellos edat. Sed vereor, ut in tanta rerum Germanicarum confusione, & Principum Statuumque Imperii multitudine in praxin deduci res possit. Ita timendum est, ne tandem pertæsi perturbationum nostri sero & minus decore ad Gregorianos se recipere cogantur, quum maturius honorifica magis ratione sponte & consilio convenire cum illis possent. Ejus rei commodissima iniri posset via, si quid esset in Gregoriana ratione, quod si non emendatione, certè explicatione indigeret, ut neutra pars alteri, sed utraque veritati obsequuta videri possit. Dictæ emendationes magis subtiles, quàm necessariæ videntur. *Franciscus Levera* in ipsa urbe Romana consilia quædam de emendando Gregoriano Calendario, vel potius rectè intelligendo, edidit. Et fortè re bene considerata non deerunt, quæ bullæ novæ materiam præbere possint, ita honestissimè Labyrintho exiremus. Cui rei, ut præparentur animi, utilissimum erit, exponi clarissimè difficultates, quibus media illa via

via laborat. Et quum Dominus *Meierus* eas licet jam perceptas in literis ad te suis præterierit, faxo, ut si quæ porrò ad me destinabis, aliisque communicare permittes, maturè passim expendantur a nonnullis, ad quos ea res pertinet. Consultum tamen fortasse erit cavere, ne statim pateat, ad Gregorianos tandem esse deveniendum, ne præjudicatæ opinioni bellum indictum videatur, & plerique primo aspectu absterreantur. Sufficit optima consilia paulatim insinuari. Sed totum tamen hoc tuo judicio est permittendum.

III. Antequam finiam usus benevolentia tua consilium a te flagitare audeo, quid faciendum putes, si quis Princeps mediocre observatorium parare constituerit? in quo unus alteri Observator cœlo invigilate debeat, ubi questio erit, tum de structura, tum de instrumentis maximè profuturis. Vale & fave. *Dabam Hanoveræ die* 5. *Mart.* 1700.

III.

LEIBNITIUS ROEMERO.

I. Ulrici Junii *de Emendatione Calendarii Juliani consilia.* II. Leibnitii *de iis judicium.* III. *Observatorium quomodo adornandum?*

I. Asteras meas pro te, Generosissimo Domino *Walthero* nostro missas, ritè tibi redditas spero. Sed quia tamen interim literas ipsius accepi, quibus nondum responsionem meam allatam significat, utrique vestrum nunc simul scribere decrevi, præsertim cùm rursus mihi sit oblata materia. Nimirum Dn. *Ulricus Junius*, cujus de Ephemeridibus Epistolam editam tibi mittere memini, jam literas scripsit ad Ordines Imperii Protestantes, quibus consilium suum exponit, & operam offert. Nempe quoniam vix multorum annorum Observationibus nova constitui possint, ideo ritè utendum iis, quæ jam habentur. Rudolphinas quidem *Kepleri* Tabulas esse præstantissimas, dubitandum tamen non esse, quin si viveret autor multa sit immutaturus, quum ipse aliqua adhuc vivus notaverit corrigenda. Inter causas errorum esse non infimam, quod Catalogo fixarum Tychonico strictè inhæserit, cujus lapsus deinde per omnem rem planetariam se diffuderint. Præterea in motu Solis & Lunæ prævalere Tabulas *Hevelii*, *Flamstedii* & *de la Hire*, & inprimis postremas tam accuratè convenire cœlo, quàm pro tempore optari posse videatur. In motu Saturni, Jovis & Mercurii *Bullialdi*, *Riccioli* & *Wingii* Tabulas Rudolphinis palmam præripere, sed in motu Martis hactenus nullas. Itaque si Ephemerides nunc has, nunc illas Tabulas sequantur, prout quæque optimæ sunt, Eclectico quodam laboris genere ad eam perfectionem posse promoveri, quæ admirationi sit futura. Contra si neglectis auxiliis novis, tantum Rudolphinis insistatur, diu adhuc nos in erroribus hæsuros. Se magno

magno studio & sumtu utiles huic negotio libros & subsidia sibi comparasse, passim cum insignibus Mathematicis commercium coluisse per literas, multorum judicia & consilia obtinuisse. Proximo autumno Ephemerides annorum 1701, 1702 in specimen editurum, daturumque operam, ut qua liceat desideriis intelligentium satisfiat: Tutiùs esse Ephemerides edere in paucos annos, quàm in multos, quum quotidie nova per observationes eruantur. Totam rem nova ad Mathematicos Epistola fusius esse expositurum. Porrò hac vice sese Ephemerides triplices daturum, tum ex Rudolphinis, uti hactenus *Keplerus* ipse, *Eichstadius*, *Heckerus* & *Kirchius* ad Meridianum Uranoburgicum calcularint, ut scilicet Concluso Ratisbonensi satisfiat; tum ex emendationibus uti *Bulialdi*, *Riccioli*, *Wingii*, *Newtoni*, *Streetii*, *Greenvoodii*, tum denique ex novissimis *Hevelii*, *Cassini*, *de la Hire*, *Galleti*, *Flamstedii*. Postea sese Solis & Lunæ eclipses secundùm suprà dictas Tabulas ad Meridianos, ubi insignes Observatores in Germania, Gallia & Italia habitant, speciatim calculaturum, figuras huic rei necessarias delineaturum, & regiones, quibus totalis umbra est, Geographicè designaturum, omnia denique exsequuturum per epistolam promissa. Fortasse & additurum congressus planetarum cum fixis juxta ductum *Hevelii* in opere posthumo, quia id multum ad correctionem facit. Cogitationes deinde suas subjicit de Correctione Calendarii, Æquinoctio verno, paschate inde dependente, & Collegio Mathematico instituendo. Determinationi veræ Æquinoctii verni ait non sufficere Rudolphinas, imò certissimè demonstratum esse, hoc æquinoctium secundùm Tabulas istas justo maturiùs trihorio assignari, & contra autumnale tantundem retardari; & quotidianam testari experientiam Rudolphinas circa motum Solis ab observationibus valde dissentire, idque maturè ipsum sensisse *Keplerum*, sed morte præventum corrigere non potuisse, quæ quum ita sint, si Rudolphinis nimis inhæreatur facilè fieri posse, ut pascha in 4 aut quinque septimanas anticipetur, veritasque Astronomica minimè obtineatur. Itaque interesse rei Evangelicæ, ut recta constitutione Æquinoctii verni inprimis his erroribus occurratur, quod post tot insignium virorum accuratas & consentientes observationes non difficulter fieri possit. Id ergo quibusdam Mathematicis demandandum videri, quum intra paucos dies verum æquinoctii verni tempus in annos 30 aut 50 computari queat. Eum calculum aliorum deinde censuræ subjici posse, ut postremo a Corpore Evangelico autoritatem accipiat, eaque ratione aliquid solidum & tantis autoribus dignum constituatur. Monopolium Calendarium valde consultum non videri uno quippe Calendario ubique recepto æmulationem illam cessare, quæ artes foveat, & dum diversa diversis locis eaque utilia Calendariis inseruntur, sæpe curiosos harum rerum ad multiplicia Calendaria coëmenda invitari. Id tantulum lucrum multos ad hæc studia excitasse, qui monopolio illo introducto deterreantur. Præstare igitur Collegio Mathematico

matico velut tributum solvant Calendariorum editores Bibliopolæ, id quidquid est facile aucto paulum pretio mercis suæ recuperaturi.

II. Hæc JUNIUS, de quibus judicium tuum flagito: Curavi, ut communicarentur illi, quæ de Ephemeridum ratione monuisti, sed nondum responsum accepi. Videtur mihi Vir doctus & diligens nimio se labore onerare, cui bono enim tot simul Tabulis, etiam ubi compertus error est, satisfacere studet? Decreti Ratisbonensis auctoritas Astronomiæ præjudicare non poterit, & spes est, qui condiderunt semper veritati locum daturos. Mallem eorum haberi rationem quæ de Ascensionibus Rectis monuisti. Partem la-Hirianarum Tabularum habui, integras nondum. Quid & de his & de reliquis, quas nominat *Junius*, sentias nosse desidero. *Newtonum* principia Physica dare voluisse scio, sed hæc observationibus nondum perfectissimè satisfacere agnoscit, ni fallor, ipse, præsertim quum diversa planetaria corpora agunt in se invicem, quorum omnium rationes utique nondum satis sunt subductæ. Itaque non video cur eum advocavit *Junius*, nisi fortè ob celebritatem præterire noluit. Optarem loca fixarum ab *Hevelio* correcta edi, id enim opus, ni fallor, flammas effugit.

III. De reliquo me ad nuperas meas refero, quas interea opinor acceperis, ubi inter alia judicium tuum expetivi de observatorio aliquo construendo, & quid in eam rem maximè convenire putes, ut nimii quidem sumtus vitentur, & tamen præclara præstari possint. Vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 18. *Mart.* 1700.

IV.

IDEM EIDEM.

I. Roemerus *Societati Berolinensi adscribitur.* II. *De observationibus Astronomicis.* III. *De* Tidii *Cyclo.* IV. *De Paschate cum Gregorianis celebrando.* V. *De inventis Roemerianis.*

I. QUanti te faciam, utinam ultra verba ostendere possem, quem ego unicum Astronomicæ Statorem agnosco inter nostros Protestantes! Biennium est, quod hæc Aula, unde scribo, consilium cepit Societatem Scientiarum condendi, eique fini Observatorium quoddam struitur. Mihi credita ab Electore Brandeburgico, nunc Prussiæ Rege, Societatis directio est etsi absenti plerumque. Utinam in tota re tua consilia & habere & sequi liceret! Ego statim quum de Sociis Honorariis absentibus cogitaretur, te potissimum nominavi. Decretum atque etiam signatum Diploma est, sed ex eo tempore mora omnibus rebus injecta est. Nunc reddito non nihil vigore monui, ut dudum datum ad te mitteretur. Nihil illud præscribit aut exigit, sed ad conjungenda consilia studiaque invitat.

II. Papa consiliis *Blanchini* Prælati domestici Astronomique non contemnendi Gnomonem fieri curavit apud Carthusianos, id est, in Thermis Diocletiani, similem Bononiensi. Berolini talia frustra imitari conamur. In Ecclesiis Cathedralibus, qualis Magdeburgensis aut Halberstadiensis, fortasse locus esset tali operi, sed quis ibi observaret? Observatorem hic habemus *Godefridum Kirchium*, non certè indiligentem, & puto tibi non ignotum. Is valde nuper miratus est Eclipsin Lunarem Febr. 1701. quoad durationem & magnitudinem in la-Hirianis Ephemeridibus tam accuratè fuisse perdelineatam, sed vereor, ut id possit *la Hirius* in annos a suis observationibus remotiores.

III. *Tidius* cycli sanè ingeniosi tibique, examinati autor quum videat Gregorianos non facilè discessuros a recepta ratione; in id jam studium confert, ut computo eorum succurrat. Animadvertit ergo secundùm Gregorianum Cyclum Quadrisecularem quantitatem anni esse 365. dierum, 5. hor. 49'. 12". principium autem Cycli a Mathematicis, quibus a *Gregorio* commissa correctio temporum, minus rectè alligatum anno Christi 1600, unde factum, ut hic Cyclus 21. Martii, ad quem Æquinoctium revocari consilium fuit, in fine quatuor seculorum semper uno die seriùs afferat, quàm postulat cœlum pontificisque scopus. Sed eundem Cyclum quadrisecularem cum Cœlo sub finem redire in gratiam, si incipiat ab anno Christi 1500, & quidem media nocte. Nempe quia a *Cassino* observatum est æquinoctium vernum anni 1700. ipso meridie Parisiis evenisse, ideo *Tidius* Meridianum Parisiensem elegit, & hinc retro colligens ad initium in anno 1500. sumendum pervenit. Hoc modo in fine quarti seculi resumta intercalatione Gregoriana ex posita illa quantitate anni reverti omnia ad idem cœli punctum, eundemque mensis hebdomadisque diem, horam, minutum.

IV. Cæterum quia nostri Ratisbonenses omnem Cyclum se nolle dicunt, indeterminata autem pleraque reliquere, videndum putem, an non aliqua sic suppleri possit, ut defendi queat salva ratione Astronomica Pascha hoc seculo plerumque celebrari posse cum Gregorianis. Quanquam potius emendatio, quam computi sui moliuntur Gregoriani, expectanda videatur.

V. Utinam a te impetrari possit, vir eximie, quod sæpe optavi, ut tot præclara inventa, cogitata, observata, quibus quidquid est summorum Mathematicorum provocare possis, ne diutius premas. Si gloria tua, si patriæ non movet, at utilitas publica vilis tibi esse non potest. Quod superest, vale & mihi fave. *Dabam Berolini* 27. *Januar.* 1703.

P. S. Ego intra paucos dies hinc abeo, itaque si quid jubebis forte, Hanoveram mandata perferri poterunt, modo Hamburgum literæ mittantur *in das Hahrburger Haus, oder Hahrburger Hof*, ubi postæ Brunsvigo-Luneburgicæ sedes. Inclusas ad Generosissimum *Waltherum* curari peto, alterasque ad celeberrimum *Sperlingium*. Si quæ occasio sese offerat

a me

a me salutandi excellentes viros Dn. *de Frankenau*, *Casparem Bartholinum*, & *Oligerum Jacobaum*, rogo ut ea uti velis.

V.

IDEM EIDEM.

I. *De inventis Roemerianis.* II. Cassini *de paralaxi stellæ Polaris sententia.* III. *De perficienda Gregoriana temporis emendatione consilia.*

I. Diu me Berolini adversa valetudo tenuerat; inde nuper Hanoveram redux gratissimas a te literas inveni, quæ hic moram traxerant, dum meus indies adventus expectatur. Itaque veniam tardioris responsionis peto. Quum te merito tuo inter principes Mathematicos & præsertim Astronomos colam, gaudeo, & valere te magna spe augendæ scientiæ, & nostrorum Berolinensium consiliis favere, qui plurimum semper deferent tuis: & mei denique amorem conservare, qui tua gloria meritissima ita delector, ut pene nimiæ modestiæ irascar, qua pulcherrima tua inventa premis. Neque excusationes accipio, quasi aut scribendi difficultate aut ipsa imperfectione meditatorum retineare. Nam plus una te lingua valere novimus, & tria ante tot annos absoluta inventa pulcherrima habes, quæ a te ipso ita describi velim, ut simul inveniendi vestigia ostendas. Horum inventorum primum est figura Epicycloidalis rotarum dentibus & inprimis brachiis, vectis in modum ducentibus debita. Neque enim quæ *la Hirius* nuper edidit, tuorum desiderium minuunt. Alterum est magni ad Physicam momenti demonstratio, quod lumen in tempore feratur, quam vellem prolixius exponi. Tertium est machina tua planetaria, quæ ipsi Sinensium Monarchæ admirationi fuit. Hanc ut describas ipse, velim te incitari posthumi Hugeniani operis exemplo, quod nuper Cl. *Wolderi* missu accepi. Nec dubito, quin alia habeas multa. Sed volui tantùm nota omnibus attingere. Quæ quum sint tibi in promtu dudum, præclaris tuis pro restituenda Astronomia laboribus non intercedent. Quorum causa hortabor *Kirchium*, ut tui commercii litterarii magno sanè beneficio frui studeat, unde utilitas in rempublicam & speciatim in societatem redundabit, cujus membris Berolinensibus eo ipso consilio communicavi præclaras ad me literas tuas, tum ut erudiri a te, tum etiam ut, quæ voles, commodiùs exequi possint.

II. Flamstedianam de paralaxi Stellæ Polaris Epistolam nuper *Cassinus* filius impugnavit in Historia Academiæ Scientiarum Parisinæ, ad annum 1699. spectante, a *Fontanello* edita anno superiore. Assentitur observationibus, sed quidquam inde de motu terræ confici negat. Verum esse, quod majorem circulum describat ea stella æstate quàm hyeme; Sed ex

 hypo-

hypothesi terræ motæ sequi potius, quam terra in Libra est, id est, fine Martii & initio Aprilis distantiam stellæ a polo maximam esse, & minimam, cùm terra est in ariete, id est, fine Septembris & initio Octobris: quibus temporibus ex observationibus distantia est mediocris. Hæc junior *Cassinus* prorsus ad mentem tuam; sed quam ipse suspicetur phænomeni rationem, non addit. Tuum judicium ego optem intelligere, tum quid de veritate observationum, tum quid de causa sentias, qui de parallaxi fixarum te dudum certum redditum scribis.

III. Est *Kirchio* adjutor Berolini dictus *Joh. Henricus Hofmannus*, qui cum *Weigelio* ante aliquot annos Daniam adiit, plenus exinde admiratione & cultu tui. Romæ non ignoras de perficienda Gregoriana temporis emendatione cogitari; qua de re literas ad me dedit *Blanchinus* congregationis Secretarius, Astronomus sanè perdoctus, & vir cætera egregius. Is probat sumi cyclum *Tidianum* duplicem annorum 1184, nec tantùm quovis anno seculari seu divisibili per 25, sed & ultimo cycli anno omitti bis sextilem, nempe anno 2784, aut 3968 &c. si ponatur cyclum incipere ab anno 1601, ut nempe ipsius cycli defectus emendetur. Quum verò præterea Tabulam quandam Epactarum novam a P. *Euemero* (*Bonjour*) compositam laudet *Blanchinus*, quæ tamen aliquando integra die tum a vero tum a medio motu recedat, *Tidius* Tabulam Paschalem ex cycli sui duplicati legibus condidit, ut appareat, labili Epactarum hujusmodi auxilio opus non esse. Sed mori in sua Ecclesia jam recepto videtur dedisse *Blanchinus*, ut Epactæ adjicerentur. Quod superest vale, vir inclyte, & me ama. *Dabam Hanoveræ* 3. *Jul.* 1703.

VI.

IDEM EIDEM.

I. *De* Croseckio. II. *De instrumentis quibusdam Roemerianis.* III. *De observationibus Astronomicis in Capite bonæ spei institutis.* IV. *De* Newtoni *Theoria lunæ.* V. *De Ellipsibus Keplerianis.* VI. *De* Flamstedii *observationibus Astronomicis.* VII. *De inventis Roemerianis.*

I. SPerabam ad Vos perventurum illustrem Virum Dominum *de Croseck*, cujus est insignis in studium Astronomicum ornandum propensio, per quem tecum colloqui sperabam: Sed ille ut audio ob valetudinem non prorsus secundam iter domum relegit.

II. Nihil magis gratum mihi accidere potest quàm doceri de rebus tuis, quas gaudeo esse florentes, & opto nobis quàm maximè diuturnas. Mirè placent duo illa volubilia instrumenta ex metallo in Meridiano & primario Verticali nec dubito, quin pro tua maxima rerum etiam Mechanicarum peritia id curaveris, ut ne in motu vacillent, paullatimve

latimve in axe attrita nimiam libertatem acquirant; quamquam tale ſufficiat in complures annos valere, quum etiam poſt eorum decurſum novatis tantum axibus axiumve vaginis, facilem reſtitutionem admittant.

III. Quid noſter Obſervator ex Capite Bonæ Spei miſſurus ſit expecto, vellem non præcipitaſſet iter, & te prius adiiſſet, vel ſaltem cum *Kirchio* noſtro ſatis communicaſſet, ſed Dn. *de Croſeck* moram omnem damnoſam judicabat. Vellem illis obſervationibus conferri poſſet aliquid ad accuratiorem motus lunaris conſtitutionem, quod maximum eſt in Aſtronomia deſideratum ad uſum ſcientiæ.

IV. Cl. *Newtoni* Theoriam Lunæ ſuo operi Aſtronomico inſerit *David Gregorius*, ſed quantum intelligo, in ipſa Anglia ſunt, qui aliquid amplius deſiderant.

V. Ego judicium tuum imprimis deſidero, tum de hac *Newtoni* Theoria, tum de Ellipſibus *Keplerianis* in univerſum, an figuræ iſti ejuſque areis tempori proportionalibus ſic ſatis inſiſti poſſe putes: ita ut aberrationes aliis accedentibus cauſis, ſive in reſiſtentia medii, ſive in aliorum globorum attractione, quærendis tribui poſſint. *Caſſinus* pro Ellipſi aliam Ovalem ſubſtituit, in qua non ſumma rectarum ex locis ad punctum curvæ, ſed rectangulum ſub his rectis ſit conſtans; Eaque obtineri poſſe putavit, ut quod in Ellipſi circiter verum eſt, accuratè locum habeat, ut nempe areæ ex uno loco ſint proportionales angulis ex altero loco. Sed vereor ne minus adhuc his Ovalibus quàm Ellipſibus faveant obſervationes, neve conſenſus Angulorum cum temporibus magis ſit aptus calculo hypothetico quàm rerum veritati. Unde ſuſpicor *Caſſinum* virum accuratæ diligentiæ magis has Ovales ad inquirendum propoſuiſſe, quàm pro veris Aſtrorum lineis venditaſſe.

VI. Londino miſſa ad me eſt delineatio magni operis, quod edere molitur *Flamſtedius*, triginta annorum & amplius obſervationes complexurum; Prima pars continebit diſtantias planetarum a fixis, ſecunda meridianas diſtantias a vertice & tranſitus per meridianum tam fixarum quàm planetarum arcu murali obſervatos. Tertia varios fixarum Catalogos tum alienos tum ex propriis obſervationibus. His multæ accedent figuræ.

VII. Utinam tuorum edendorum eandem ſpem nobis faceres, qui conjunxiſti obſervandi ἀκρίβειαν cum acerrima vi ingenii ſummaque profundioris Geometriæ peritia. Sanè quæ tua proſtant certè eximia tibi potius ab aliis extorta aut ſurrepta quàm a te edita habemus, quæ optarem a te ipſo inventore cum multis aliis explicatius nobis dari: Velut demonſtrationem Motus non inſtantanei lucis, & figuræ dentium ad Rotas Epicycloidalis, ac denique deſcriptionem Machinæ cœleſtis, qua te inventore confecta nihil habuere Galli pretioſius, quod Monarchæ Sinarum offerrent. Hugenianam Machinam deſcriptam videris in ejus poſthumis. Noſſe velim differentiam a tua. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 1. *Octob.* 1705.

VII.

IDEM EIDEM.

I. Crofeckii *in rem Aftronomicam merita.* II. *De* Flamftedii *obfervationibus.* III. *De theoria Lunæ* Newtoni.

I. SPero te valere & florere, meique meminiffe. Nunc ut fcribam, illuftris Dominus *Baro de Crofeck* facit. In eo erat, ut iter in Galliam fufciperet, fcientiæ Aftronomicæ gratia. Sed Rex, intellecto Virum in negotiis publicis verfatum quondam fuiffe, commeatum pene jam conceffum fufpendit. *Crofeckius* in reditu hac tranfiens, rogavit, ut a te quærerem, quid de confiliis, quæ ad te perfcripferit, fentires, aut quid ipfe confuleres. Equidem facilè intelligo tibi de quibufdam aliter vifum, fed tamen non nulla fcientiæ favore indulgenda funt Viris eximiis & bene animatis. Obfervator ejus ad Promontorium Bonæ Spei dudum appulit, quas ibi obfervationes inftituerit non intellexi, neque etiam quam bene inftructus hinc folverit. Optaram, ut ex tua aut *Kirchii* aut alterius obfervatoris infignis fententia omnia fierent, fed præcipitato itinere (quod feriùs intelleximus) fpatium ei rei non fuit. Valde defiderat Dominus *de Crofeck*, ut fub eodem ferè meridiano fiant diffitæ obfervationes. Speremm tamen per Eclipfes Joviales differentiam meridianorum fatis fuppleri poffe. Refractionibus etiam non fatis fidit. Et fatendum eft in regionibus valde feptentrionalibus difcrimen a noftris magnum videri. Atque utinam Lapponicæ nuper obfervationes his conftituendis fuffeciffent. Interim habemus ni fallor hodie multa de Refractionibus fixa & rata, quæ veteres ignorabant. Hortatus imprimis fum, ut Lunæ & Planetarum appulfus ad fixas diligenter notari curet ab obfervatore fuo Africano.

II. Non ignorabis rem in eo nunc effe, ut *Flamftedii* Obfervationes tricennariæ prodeant aufpiciis Sereniffimi Principis *Georgii*. Vellem idem contingeret & tuis & *Kirchianis*, ne quid jam de iis dicam, quæ in Obfervatorio Parifino funt factæ a tot annis.

III. *Flamfteedius* fuas de Luna obfervationes *Newtono* negaverat. Inde factum ajunt, quod hic quædam in motu Lunari adhuc indeterminata reliquit. Sed magna res foret, fi ea faltem, quæ pronunciavit, certa & determinata haberi poffent, de quo judicium tuum optarem. Nam quæ fit *Newtoni* fententia de Luna apud *Davidem Gregorium* habes. Quod fupereft, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 4. *Octob.* 1706.

VIII.

VIII.

IDEM EIDEM.

I. *De Rœmerianis inventis.* II. Christianus Wolfius *laudatur.*

I. ETant venu jusqu'à Gottorp à l'occasion d'un achat de livres manuscrits de feu Mr. *Gudius*; j'ai pensé pousser jusqu'à Copenhague pour renouveller personnellement l'honneur de votre connoissance: Mais enfin il a falu revenir à Hambourg; & je n'ai point voulu quitter le rivage de l'Elbe, qui vous regarde, sans vous saluer. Cette lettre aura un avantage, dont je lui porte envie, & je serois ravi qu'elle me donnât le moyen d'apprendre votre résolution sur la publication de vos belles découvertes. Je souhaiterois d'obtenir de vous la méthode dont vous vous êtes servi autrefois, Monsieur, pour découvrir l'usage méchanique des Epicycloidis dans les figures des dents. Mais je souhaiterois sur-tout, que le public profitat bientôt de vos Observations Astronomiques importantes.

II. J'ai trouvé ici une lettre de Mr. *Wolfius* Professeur en Mathématique à Hall en Saxe, qui a bien de l'esprit & du savoir, & a publié *Elementa Aerometrica*, livre assez joli. Il souhaite de vous être recommandé pour obtenir la chaire des mathématiques vacante à Copenhague à ce qu'il dit. Il paroit actif, & pourroit être employé utilement. Peut-être qu'il aura encor cherché par d'autres voyes l'honneur de vôtre connoissance. Celui de votre correspondance me sera toujours précieux avec des bonnes nouvelles de vôtre santé. *Hambourg le* 23. *Juillet* 1710.

IX.

ROEMERUS LEIBNITIO.

I. *De emendatione Calendarii.* II. *Dubia circa novam correctionem Calendarii Evangelicorum.*

I. NIhil gratius Domine mihi accidere potuit, quàm quòd à Generosissimo D. *Walthero* intellexerim & mei mearumque rerum & amicitiæ veteris adhuc apud te superesse memoriam favore & benevolentia plenissimam. Gratiarum loco non aliud possum reponere, quàm animum tibi inserviendi & gratificandi, si unquam possum paratissimum. Exemplar adjunctum schedæ, quam jussu Regis ad Concilium Ratisbonense transmittendam concinnaveram, *Waltherus* noster voluit ad te mitti. Non invitus assensi, quod exoptem edoceri, si graviora negotia non impediant, quæ tua de hoc negotio sit sententia. Ego certè ut

ut dicam quod sentio, mallem nos ingenuè Gregorian. methodum in solidum admittere, quàm sine evidenti ratione in ejus particula dissensum moliri.

II. Auctores Conclusi in Artic. 1. de exemtione 11. dierum satis expresse loquuntur, sed in Articulo 2. de Festo Paschatis, per calculum Astronomicum investigando, in incerto relinquunt tria sequentia ad Paschatis designationem requisita capita, nimirum:

1) An Æquinoctium ad certum mensis Martii diem sit alligandum, & ad quem?

2) An in Æquinoctiis determinandis Astronomicus Calculus perinde ac in pleniluniis sit adhibendus?

3) An motibus veris vel mediis sit utendum?

Quocunque modo in singulis hisce capitibus procedatur, bina offeruntur methodi Astronomicæ incommoda. Primum, est quod calculus Astronomicus huic negotio non videatur tam aptus, ut cum optato successu adhiberi possit loco Cyclorum, intercalationum in Computis Ecclesiasticis huc usque usitatarum.

Alterum est, quodsi vel maximè illud, quod Cycli a veris calculis discrepant, vel scrupulosissimè consectemur, effectus tamen futurus sit admodum exiguus, ut rarissimè & vix semel vicenis annis in celebrando Paschate a Gregorianis discedere contingat.

Quod primum attinet, in confesso est, Cyclorum usum, quantumvis popularem, nihilominus intra 1000 annorum summam non integro die, & in singulis millenarii annis non biduo a veritate Astronomica aberrare, eaque pollere facilitate, ut vel digitorum articuli pro abaco sufficiant. Astronomorum è contrario Logicam difficillimis & intricatis minutiarum molestiis laborare in negotio, ubi non de horis & minutis, sed de integris diebus æquinoctiorum & pleniluniorum designandis agitur, quæ vel toto biduo ad sensum durare experimur, & præterea ab Astronomis edocemur, ipsam rerum naturam in revolutionum cœlestium particulis a regularitate & æqualitate motuum esse alienam & in motuum summis tantùm & Periodorum restitutionibus æqualitatem servare.

Sed his omissis quæri potest, quid eligendum, quando Astronomi in horarum & minutorum numeris a se invicem dissident, præcipuè in figendis illis pleniluniis, quæ circa mediam noctem ante diem æquinoctii, vel ante Dominicam Paschalem incidunt, siquidem unius minuti differentia (quæ vel accuratissimis artificibus inevitabilis) istic integri mensis, hic septidui errorem vel incertitudinem in celebratione Paschatis inducat.

Ex exemplis, quæ secuturum seculum suppeditabit, insigne est illud anni 1704. ubi plenilunium accidit in nostro meridiano in media nocte inter 20 & 21 Martii, jam si ab Astronomis alius ob æquationem temporis, vel ob motus correctiores, alius ob electionem meridiani primarii

marii &c. paucorum minutorum correctionem urgeat, meritò dubitabitur, utrum erit plenilunium Paschale, hoccine ipsum, an proximæ sequens? Eadem incertitudine laborabit annus 1761, qui easdem habebit circumstantias.

Alterius casus exempla in eodem 18 seculo subministrant anni 1710, 1778, 1798. in quibus plenilunia Paschalia accidunt media nocte inter diem Saturni & diem Solis, unde de Septiduo circa Festi determinationem oborietur dubitatio.

Ex sequenti Conspectu Pleniluniorum proximè æquinoctialium ejusdem seculi facile constabit, quantæ difficultati involvantur Astronomicam sectantes scrupulositatem, quantaque felicitate negotium per Cyclos expediatur, qui via fere media inter tot minutiarum diverticula incedunt.

	Æquinoctia Astronomica.						Plenilunia Astronom.					
	med. dies.	hor.	ver. d.	h.			med. d.	h.	ver. d.	h.		
1704 Mart.	22 --	1.	20 --	0.			20 --	$11\frac{1}{2}$.	21 --	1		
1723	22 --	$15\frac{1}{2}$.	20 --	14.			21 --	4.	21 --	10		
1742	22 --	6.	20 --	4.			20 --	20.	20 --	18		
1761	21 --	$20\frac{1}{2}$.	19 --	9.			20 --	13.	20 --	7		
1780	21 --	11.	19 --	9.			20 --	5.	20 --	2		
1799	22 --	1.	20 --	0.			20 --	22.	20 --	21		

In his omnibus Æquinoctium Cyclicum die 21. Mart.

In his omnibus Plenilunium Cyclicum die 21. Mart.

Restat jam (2) examinandum, quodnam operæ sit pretium ex hac Astronomici Calculi in locum Cyclorum substitutione, an per illam obtineatur differentia a Computo Cyclico Gregorianorum, quæ alicujus momenti sit.

Sunt *Kepleri* Æquinoctia vera, additis 3 horis, fiunt æquinoctia veriora, scil. ad minorem excentricitatem. Certè in proximo quod expectamus seculo vix 5 reperiuntur anni, in quibus Astronomia diversum a Gregoriana methodo nobis exhibet Pascha.

Primus eorum est annus 1700, in quo Plenilunium Paschale tam vero quàm medio noctu incidit in 3 April. & proinde Pascha in sequentem Dominicam, quæ est 4 April. Paschate Gregoriano occupante 11 April. Quomodo verò per Astronomica principia Pascha Evangelicorum eo anno in 11 April. processerit, non video.

Secundus annorum ejusmodi est 1724, tertius 1744, in quibus Pascha Calendarii non correcti Gregorianorum antevertit septiduo. In solo anno 1780 mense integro subsequemur Gregorianos, uti fortè etiam anno suprà nominato 1704.

Si hos quinque annos in toto ſeculo 18 excipias, in reliquis omnibus eadem habebimus Paſchata per calculum Aſtronomicum Plenilunii, ac Pontificii per cyclos Gregorianos.

Si hæc ita ſe habeant, vix credibile erit Theologos, qui excluſioni 11 dierum ad bonum publicum laudabili fato ſubſcripſerunt, æquo laturos animo promiſſam a Calculo Mathematico correctionem Feſtorum tam prope ad Gregorianum computum acceſſiſſe, & tam longè ab illius facilitate & neceſſitudine receſſiſſe.

Si aliquis dominorum Mathematicorum, qui huic negotio interfuerunt, me amico ſuper his meis dubiis reſponſo dignari velit, gratiſſimo illud animo excipiam, & quando eorum mentem circa tria ab initio indicata capita communicare libet, ut inſtitutum eorum liquido cognoſcere liceat, quamcunque potero operam libentiſſimè conferre ſatagam. Ignoſcent, ſi quid vel in ſubitis calculis erratum, vel præter eorum mentem in negotii fundamentis ſit ſuppoſitum, quæ omnia admonitus libens corrigere & reſarcire conabor.

P. S. Quum jam conſtitutum ſit, Paſcha An. 1700 neglecto Aſtronomico Calculo, celebratum iri ad normam Cyclorum Vulgarium, & amiſſa hac occaſione Aſtronomica vix tam inſigni & certo uſui futura ſit in hoc negotio ante annum 1724, verendum, ne per hos 24 annos glorientur adverſarii, nos totos in eorum caſtra tranſiiſſe, omnes igitur intendendi nervi pro anni 1704 plenilunio Paſchali ad 18. April. per Aſtronomicum Calculum protrudendo, ad quod præſtandum uberior deductio artic. 2 in Concluſo reperitur, & præter ſupra monita tria capita etiam determinatio meridiani, ad quem motus ſunt computandi.

X.

IDEM EIDEM.

I. *De decreto Ratisbonenſi de emendando Calendario.* II. Rœmeri *de Ephemeridum calculo conſilia.*

I. OB affectum benevolum, quo me cumulatè proſequeris, ingentes debeo gratias. Non unquam pœnitebit ſilentii ad publicum, in vindicandis reculis meis, quouſque tu te teſtem conatuum meorum qualiumcunque, profitearis, præſteſque faventiſſimum. Ad ea quæ affers, vel potiùs ab aliis afferri indicas, pro tuendo decreto Ratisbon. non habeo quod addam, quum certus ſim, iſta eſſe tibi perſpectiora, quàm ut a mea interpellatione aliqua illuſtratio poſſit accedere. Perſuaſi erant noſtri Theologi non ſolùm in methodo computi, ſed etiam in ipſis feſtorum determinationibus ſenſibile ex hac reformatione proditurum

turum a Pontificiis divortium, eaque opinione occupatus ipse adornaveram, quem hic adjungo, commentarium, quemque Ratisbonam transmittere in animo habebam, nisi me fama de solenni decretorum publicatione a proposito dimovisset. Tibi proinde uni videndum & examinandum missum puta, quod quæso non ægrè feras. Quod in futurum de tota re consulendo & conferendo me usui alicui esse judicas, amicè facis, & ego quamcunque possum operam, lubenti animo offero, imprimis incitatus humanissimis litteris D. *Meieri* Pr. P. Ratisbonensis hodie allatis, in quibus institutum quidem suum luculenter exponit, sed proposita a me dubia non attingit, nisi quod illis & ejusmodi aliis a Collegio quodam Mathematico in illum finem instituendo prospectum iri indicet. Ego quidem propositum Celeberrimi Viri & meritissimi non possum non ex animo approbare & deprædicare, sed quomodo salva auctoritate decreti inimicis sciolis & posteritati in hoc negotio sit satisfaciendum omnino non perspiciò. Astronomicum calculum hoc anno 1700 omiserunt, quod tam brevi tempore inquiunt expediri non posset, additur excusatio concursus Paschatis Judaici cum nostro, & illa extendi potest ad omnes annos, quibus plenilunium Paschale Astronomicum incidit in dies Saturni, cujus census sunt omnes anni, in quibus ob pleniluniorum calculum discedere oporteret a Gregorianis, & proinde ob illum nunquam esse discedendum. Id unum restat, ut æquinoctia, quæ 21 Martii communiter assignantur, in 22 promoveantur, quod medii motus solis efflagitant, atque hac ratione Paschata annorum 1704, 1723 & 1734 &c. per integrum protraherentur. Sed nimis his Disquisitionibus me molestum esse sentio, & fortè supervacaneum, quum in re adeo difficili vix defuturi sint, qui his similia & meliora suggerere possunt illis qui autoritate concludendi & decernendi sunt muniti, a quibus solis ritè informatis negotii exitus & nullo modo a Mathematicorum consensu videtur expectandus.

II. Gratus admodum de Ephemeridum calculo nuncius a te per Dominum *Waltherum* huc pervenit. Successum Clarissimo Domino *Rutori* in laboriosissimo incepto ex animo apprecor, si tuo ipsum consilio & judicio dirigere digneris, non dubito, quin rectissimam capessat viam. Missu scripti inducor ut credam, te meam circa ista exquirere sententiam, quod tantundem mihi est, ac si illam expromere coram jussisses, proindeque paucissimis illam comprehendam, tuoque exacto judicio libentissimè exponam.

1) Unius ejusdem Autoris vestigia potiùs sectanda suaderem, quàm diversorum.

2) *Keplerum* non relinquerem ob illud, quod in sole & luna eum aberrare constat, cùm totum istud duabus tabellis correctoriis unica pagina contentis plusquàm satis ad hunc usum restitui commodissimè possit.

 3) Ephe-

3) Ephemerides mallem ad Afcenf. rectas & declinationes computatas; quàm ad longitudines & latitudines, quum ultimum fcopum omnium calculorum Aftronomicorum credam effe apparentias motus diurni, quas folas metitur & dijudicat vulgus, inquirit genethliacus, cum obfervatis confert Aftronomus, longitudines autem & latitudines eodem loco habeam ac anomalias, commutationes &c. fcilicet pro mediis ad obtinendum prædictum finem neceffariis. Nec folum calculi noftri in Afcenf. rectas & Declinationes definunt, fed omnis labor obfervationum ab illis incipit poft inventa horologia pendula, ut notum eft.

Præterea fi quid præter afcenfiones Rect. & Declinationes ephemeridibus inferendum in gratiam obfervatorum, funt quæ majoris erunt ufus, quàm Longitudines & Latitudines.

Scilicet in fole mallem ephemeridem mediorum motuum ob æquationes dierum.

In ♃ maximus eft ufus locorum eccentricorum ob fatellites.

In ♀ & ☿ Heliocentricæ longitudines quotidie magis defiderantur quàm Geocentricæ &c.

4) Afpectuum paginas omnes vellem excludi faltem optarem præmitti fingulis annis ☌ ☍ □ elong. max. Planetarum primariorum, item ftationes & retrogr. quæ ita uno intuitu maxima cum utilitate & jucunditate intelligerentur. Menfibus fubjungi poffent ☌ lunæ cum Planetis.

Hæc funt præcipua, quorum jam recordatio fubit, alii illa quam tibi amico non auderem proponere, ne mihi affectata novitas imputaretur in re quam maximè mihi ipfi neceffariam effectam vellem, & vel infigni pretio compararem. An verò aliis hoc genere ephemeridum confuleretur, in medio relinquo. Non ignoro quidem Declinationes, & acceffus Planetarum ad fe invicem rectiùs & conformiùs naturæ fecundùm longitudines & latitudines confiderari. Sed ab altera parte non dubito Ephemerides ejufmodi Declin. & Af. R. a vulgo & quibuslibet penitioris Aftronomiæ non adeo gnaris avidius expectandas faciliusque intelligendas, & in ufum traducendas fore, fiquidem ab illis immediatè haberi poffet ftatus cœli & motus fiderum refpectu primi mobilis. Quæ omnia tuæ, Vir illuftris, fubjicio cenfuræ & examini, cui in omnibus non tam mea probari quàm me ipfum placere vehementer cupio. Vale. *Hafniæ d.* 24. *Jan.* 1700.

XL.

XI.

PROPOSITIO

DE PASCHATE INTER IV. ET XI. APRIL. CELEBRANDO,

AUCTORE

OLAO ROEMERO.

Undecim diebus exemptis, si in ordinatione Paschatis penitus insistendum fundamentis Concilii Nicæni, si scil. Pascha celebrandum die Dominico, qui sequitur plenilunium proximum post æquinoctium vernum, impossibile est novam invenire Paschatis ordinationem, quæ a Pontificiorum computo discedit, nisi in paucissimis casibus.

Nova quidem esse potest methodus Astronomica, novus etiam inveniri potest computus Cyclicus, immutatis litteris Dominicalibus, & aureo numero vel epactis, in summa novus & intricatus in re facillima procurari potest labor; Sed non proinde nova erunt Paschata, quæ ex. gr. per 100 proximos annos convenient cum illis Pontificiorum, nisi solummodo in 5 annis ad summum. Erunt quoque in eodem centenario alii 5 adhuc anni, de quorum Paschate ab Astronomis disputabitur in infinitum, nisi publica intercedat auctoritas.

Videndum igitur illis, quibus cura rerum Ecclesiasticarum commissa *est*, quid consilii in hoc negotio censeant capiendum.

1) An in solidum admittendus Gregorianus Computus?

2) Vel discedendum ab eo in Paschatis celebratione cum tantillo quidem fructu, sed cum maxima disputationum incertitudine adversariorum censuræ fortè nimis obnoxia.

3) Vel denique quod ultimum foret remedium, sed a libertate Christiana non alienum, cogitandum de planè nova, constanti & perpetua Paschatis ordinatione, quæ neglectis Judæorum mensibus lunaribus, solum æquinoctium (ad mentem S. Scripturæ) & diem Dominicum (ad placitum Concilii Nicæni) respiceret.

Si harum trium sententiarum secundam eligamus, sine dubio cum tempore vel inviti retrahemur ad primam, quam decentiùs jam ingenuè reciperemus, quàm post aliquot annos adversariorum rationibus convicti & a propria commoditate invitati.

Ultimam reliquis præferrem, & successum sperarem, si causa a Mathematico foro in Theologicum transferretur, ubi si sequens propositio

 admit-

admitteretur, totum negotium esset confectum. Scilicet licere Christianis in Paschatis celebratione loco mensium Judaicorum, qui a motu Lunæ in V. T. definiebantur, adhibere menses solares ab omnibus Christianis receptos & usitatos.

Hinc annus Ecclesiasticus inciperet ab æquinoctio s. 21 Martii die, qui esset semper dies primus mensis primi, & 14 post illum dies, qui incidit in 4 April. responderet Paschati Judaico, & nobis semper esset non ipsum Pascha, sed terminus Paschatis perpetuus, post quem proxima Dominica ad Analogiam Statuti Nicæni esset dies Paschatis Christianorum Evangelicorum. Quo pacto fieret,

1) Ut Pascha nostrum semper inter 5 & 11 April. contineretur, quod alioquin per 35 dies solet ambulare cum maximo plurium actionum incommodo, quæ ad Paschata s. certum anni terminum sunt alligatæ, & nihilominus 5 hebdomadum varietati obnoxiæ.

2) Deinde ut Ecclesia eadem opera in æternum liberaretur a Disputationibus & tricis quæstionum & difficultatum circa aureos numeros vel Epactas cum litterarum Dominicalium Cyclis combinandas, imò ab omnibus subtilitatibus Astronomicis, sola relicta æquinoctiorum cura, in quibus per jam admissam intercalationis methodum ad multa annorum millia orbi universo est prospectum.

3) Et quod præcipuum est, & methodo & reipsa ab heterodoxis Ecclesiis discerneremur, quæ per 100 annos vix vicies in Paschate nobiscum convenirent.

Notandum præterea quod instantis anni 1700 Pascha a nostris in 11 April. positum cum his ipsis regulis congruat, quo facto opportunè accidit, ut tota Calendarii nostri correctio eodem anno incepta & absoluta esse videatur.

Quomodo Paschata posthæc in singulis annis seqq. juxta hanc computi normam procedant, ex subjecta tabella patebit.

Anno	Pascha	Anno	Pascha
1700	— 11 April.	1711	— 5 April.
1701	— 10	1712	— 10
1702	— 9	1713	— 9
1703	— 8	1714	— 8
1704	— 6	1715	— 7
1705	— 5	1716	— 5
1706	— 11	1717	— 11
1707	— 10	1718	— 10
1708	— 8	1719	— 9
1709	— 7	1720	— 7
1710	— 6	1721	— 6

Anno

Anno	Pascha.	Anno	Pascha.
1722 —	5 April.	1726 —	7 April.
1723 —	11	1727 —	6
1724 —	9	1728 —	11
1725 —	8		

Et ſic in infinitum Dominica proximè ſequens 4 April. Paſcha foret.

XII.

ROEMERUS LEIBNITIO.

I. *De* Kirchii *in rem Aſtronomicam meritis.* II. *De emendatione Calendarii.* III. Roemerus *inventa ſua recenſet.* IV. *De parallaxi fixarum.*

I. HAud ſemel ſollicitationes amicorum in publicum provocantium atque ad commercium literarum invitantium, non tam rationum momentis, quàm ſilentio, ut verum fatear, irritas feci, contentus ipſis in pectore meritam gratiam habere & honorem. Nam quum ſollicitudinis literariæ, ut ita dicam, cauſſas habuerim juſtas potiùs quàm veriſimiles, ſilentium mihi vindicare commodiore via non licuit, quàm ipſo ſilentio. Tu, amiciſſime *Leibnitzi*, unus es, cujus gratia mihi illam vivendi rationem mutatam velim, quo cum quippe non ſolùm acta experimenta, meditata, ſed & ipſas cogitationes, ſi fieri poſſit, communicare geſtio, nullo impediendus obſtaculo. Et proinde, quam offers conditionem commercii literarii cum ſocietate, cui præes non poſſum non lubentiſſimo animo ſuſcipere, benevolumque tuum de rebus meis judicium & in ipſo diplomate & in adjunctis literis abunde demonſtratum debita gratiarum actione proſequi. De gnomonibus, quorum mentionem facis, exopto ſcire meritiſſimi *Kirchii* ſententiam item quibus machinamentis obſervatorium Regium inſtruere ſatagit, quanti faciat horologia pendula in rimandis Aſcenſionibus rectis ſyderum quanti tubos pro pinnacidiis in declinationibus. Gaudeo eum in ſocietatem adſcitum; & quum ante plures annos ſuis me literis ſit dignatus, eandem ab ipſo gratiam adhuc exſpectabo.

II. Circa ea, quæ de anni ordinatione agitantur non habeo jam quod addam iis, quæ alias, ut credo, tibi indicavi, ſcilicet me cyclos, qui obſervationibus Aſtronomicis utcunque ſunt conformes præferre ipſis locorum verorum calculis. Item ob dieculæ vel bidui enormitatem in paucis cyclorum locis non turbandam computi regularitatem,

tem, modo integræ restitutiones ritè se habeant sine errore sensibili per 20 vel 30 secula. Sed quum aliter in nostratium concilio Ratisbonensi sit statutum, omnino non refragandum opinor, nihilominus autem negotium inter lites astronomorum non relinquendum. Cessaret omnis contentio, ut mihi videtur, & hucusque decretis suus constaret vigor, si statim cum autoritate publica promulgaretur indiculus Paschatum, saltem pro jam currente seculo exactus ad æquinoctia vera, & motus luminarium veros. Ex tabulis melioribus, quales sunt *Kepleri* secundùm numeros *Kirchii* in sole correctæ, in quo annorum spatio astronomi facilè convenient, remittendo in posteritatis curam sequentis seculi computum, si fortè observationes astrorum perfectiores numeros interea suppeditare valerent. Qui quinquennales intercalationes quadriennalibus intermiscendas urgent, doctæ subtilitati potiùs quàm publicæ commoditati operari videntur. Certè Historicis, Chronologicis & ipsis Astronomis commodissimum erit integra simul secula eodem fluere intercalationum tenore; quamobrem ordinato sensim pro singulis seculis anno Ecclesiastico ad veritatis Astronomicæ rigorem, in civili anno ut opinor non affectandus sed fugiendus dissensus, qui in unico die plerumque plus incertitudinis affert, quàm in decem vel undecim diebus.

III. Venio tandem ad ultimum epistolæ tuæ paragraphum, in quo de meis inventis & observatis cum publico communicandis perquàm honorificè mones. Nec mea, Vir illustris, tanti esse, nec seculum hoc eorum tam indignum existimo, ut exhortationem tuam ad illa edendum non tribuam potius affectui tuo & benevolentiæ, quam publicæ caussæ patrocinio, nihilominus utrinque me tibi obstrictum sentio & ad obsequium damnatum. Quod studia mea hucusque a publico abstinuerint, non factum est data opera, sed partim ratio vitæ, partim difficultas, quam in scribendo experior, in caussa fuere. Præterea cùm provinciam sum nactus in republica literaria omnium μηχανικωτάτην, astronomiam puto, non minùs sensibus & manibus, quàm mente administrandam, semper illic, ut notum est, aliquid desideratur, vel revisendum vel reficiendum, quod nec ingenio suppleri potest, (nam hoc impostura esset) nec obtineri occasione oblata, sed ut plurimum tædiose exspectanda, factum est ut nondum licuerit aliquid publico dignum perficere. Observationum indigestarum commentarii edi quidem possent, sed hac ratione vereor, ne plumæ versicolores in aërem projicerentur, cuicunque obvio, non tam ad formandas alas, quàm ad ornandos galerorum apices cessuræ. Accedit & hoc, methodum meam plurimum continere inusitati, ne dicam paradoxi, quod ejus fidem dubiam redderet, nisi claré & prolixè omnis observandi processus cum ipsis instrumentis describeretur, quod quidem mihi adhuc non inte-

integrum fuit præſtare; Propoſitum tamen mihi eſt, quàm primùm fieri poteſt, aliquo ſpecimine publici judicium prætentare, modò Deus vitam & vires ſuppeditet. Interea generaliter, quinam mei ſint conatus quoque in ſtatu mea ſit Urania, utrumque declarabo. Imbutus principiis Tychonicis per quadriennium illud, quod in ejus manuſcriptis ad editionem præparandis impenderam, ab eo tempore unicè ob oculos habui illam Aſtronomiæ partem, quæ in dignoſcendis & quàm accuratiſſimè determinandis ſitibus & motibus fixarum & planetarum verſatur, nec unquam partem ejus phaleratam, quæ in maculis, ſatellitibus & planetarum figuris occupatur priori æquiparandam cenſui; omnia proinde ſubtilia ſuperioris ſeculi inventa in maſculæ Aſtronomiæ uſum accommodare laboravi, certus objectum obſervationum & materiam a *Tychone* mihi deſumendam, media verò a recentiorum inventis mutuanda. Hoc animo dudum de obſervatorio & de methodis obſervandi cogitatum, quæ ad propoſitum finem obtinendum non majores vel ſumtus vel labores requirerent, quàm quibus ipſe ſolus ferendis par eſſe poſſem, modo otium neceſſarium & locum commodum habere liceret: Quibus meditationibus, & deſideriis intento decennium in Gallia, aliud decennium hic in patria ſine ſucceſſu effluxere, uſquedum tandem anno 1691. occaſionem ſum nactus potiundi voti, non quidem omnino quam optaveram, ſed tamen non contemnendam. Locus eſt in propria domo ante plus quàm 100 annos muris craſſis lateritiis, fundamento firmo exſtructa, cui tamen cœli ſpatium non patet, niſi 68 gradus declinationis 40 borealis & 28 auſtralis: Inſtrumentum ex metallo ſollicitè adaptatum, ſolidum, firmum, ſimplex, quod jam per undecim annos ſine ulla luxatione, ſine ulla me fugiente imperfectione conſiſtit. Addita horologia pendula tripedalia terna 20 annorum uſu cognita, ut per 24 horas $\frac{1}{2}$ ſecundum vix fallant continuè obſervantem. Nimis prolixum foret exponere adhibitam curam in præveniendis corrigendis vel ad minimum dignoſcendis, errorum minutiis infinitis, quæ ob imperfectionem & materiei & operarum, item perpetuam aëris mutationem in quibuſvis machinamentis intervenire ſolent. Quam prope ab optata exactitudine abſim melius olim docebunt ipſæ obſervationes, quæ ut plurimum ita ſunt inſtitutæ & conſignatæ, ut ſuæ præſtantiæ, mediocritatis vel falſitatis notam a ſe ipſis potius, quàm a meo teſtimonio habere queant. Obſervantur fixæ vel planetæ in Aſcenſione Recta ad 7″, in declinatione ad 3″ vel 5″. Fixæ primæ, & aliquot ſecundæ magnitudinis habentur interdiu, niſi ſoli nimis vicinæ. ♀ ultra ſolem in diſtantia ab illo $2\frac{1}{4}$ grad. cis ſolem in diſtantia $7\frac{1}{2}$ graduum eſt obſervata & tantundem elongatus ♃. ☿ meridianus ſæpe. 1692 & 1693 diligentiùs obſervatæ fixæ & planetæ, ſexennio ſequenti interruptè, a 1699 hucuſque iterum aſſiduè. Ex quibus 10 annorum obſervationibus,

1) In promptu mihi eſt certitudo anni ſyderei citra errorem 2″ temporis.
2) De parallaxi fixarum certus ſum redditus ante decem annos, jam per

proximum quadriennium continuè confirmatus, ut publico satis fieri posse credam.

3) Excentricitatis solis locum & quantitatem, ut & moram solis inter puncta cardinalia certas habeo, quamvis obliquitas eclipticæ mihi nondum determinata.

4) Præcessio æquinoctiorum vel motus fixarum unici mensis spatio mihi est sensibilis per methodum, quæ supponit loca solis & fixarum incognita esse 15 minutorum incertitudine.

5) Unicum æquinoctium, sc. superioris anni vernum, observavi insusitato modo, sine suppositione elevationis poli, obliquitatis eclipticae, refractionum: Immo omnia, quæ hucusque ex meis observationibus definivi, hæc tria supposita non involvunt.

In orbitæ ☿ figura constituenda maximè laboravi, habeo situm ejus in locis eclipticæ non ante observatis, tam certum, ac si ipsum in solis disco vidissem & observassem. Quod pro planetarum inæqualitatibus *Keplerus* ex observationibus Martis inquisivit, commodiùs ex Mercurio obtineri posse persuadeor, sed ista & alia quum nondum satis a me sint examinata in præsens prætereo. Quamvis satis noverim, res astronomicas nostra ætate eo perfectionis provectas, ut non multum iis augmenti ex leviusculis meis motuum correctionibus accedere possit, sed quum experientia sit cognitum, conatus duorum proximorum seculorum æquivalere, ne dicam præstare; omnibus observationibus, quæ retro per bis mille annos factæ ad nos pervenere; credendum non inutilem vel ingratum posteritati fore nostrum laborem, si per illum exactitudo observandi eo usque posset provehi, ut duæ ternæve annorum decades cum totidem seculis antecessorum paria facerent. Hæc sunt, Illustris Domine, occupationum & conaminum meorum summa, quorum rationem tibi reddendam putavi, non solum pro societatis initæ jure, sed etiam in documentum istius, quod foveo, desiderii, me totum in tuum sinum effundendi: Adderem quædam de observatorio nostro publico in Turri Astronomica Hafniensi adornato, nisi tædium facessere timerem.

IV. Percuperem a te edoceri an aliquid circa parallaxin fixarum in libris vel relationibus literariis sit proditum, præterea, quæ ab Anglis, *Hookio* 1669. & *Flamstedio* 1698. sunt tentata & communicata. Exstat hujus de illo argumento prolixa epistola ad *Wallisium* typis mandata, in tractatu in folio, cujus pauculas paginas vidi cum titulo: Collectiones Epistolarum, ubi hæc continetur epistola, pag. 701, 702, ad 708. In illa parallaxin stellæ polaris adstruit ex plurium annorum altitudinibus meridianis, quæ tamen, nisi admodum fallor, minimè ad rem faciunt; nam si quæ est in stella polari declinationis differentia ob motum terræ annuum debet illa esse maxima mensibus Martio & Septembri non Junio & Decembri veluti eam supponit & ex observatis suis investigat D. *Flamstedius*.

XIII.

XIII.

IDEM EIDEM.

De observatorio Roemeriano.

SUmo in manus calamum officiosissima cum salutatione, ne diuturnum ob creberrimas occupationes silentium præ pudore neglecti officii fiat æternum. Obsecro sis persuasissimus tuam amicitiam & benevolum judicium mihi tanti esse, ut quòd maximi. Identidem tentanti scriptionem de meis hujus labentis anni occupationibus semper aliquid desideratum & speratum, quod proximè addi posset, unde procrastinando momenta, dies, menses effluxere. Quod facilius excusabis, quando dixero, me hanc æstatem unam ex omni mea ætate mihi ipsi totam sumpsisse dicam an surripuisse ad instituendum observatorium, quale per 30 annos optavi. Quo successu quove fructu, quum jam non possim, ante exactam hyemem, si vitam Deus viresque suffecerit, tibi tuisque primis communicabo dignoscendum & judicandum. Locus est extra urbem versus occidentem 2 milliaribus a turri nostra Astronomica 63″ temporis distans. Ædificium & instrumenta, qualia tam brevi tempore de novo & privatis sumptibus usui apta confieri potuerunt. Terna horologia pendula & duo majora instrumenta ex metallo, alterum in meridiano, alterum in primario verticali volubilia totam constituunt supellectilem observatoriam. Quæ quidem omnia ante exitum Septembris parata, & ad observandum disposita, serenitatem expectant, quæ ab eo tempore ne per biduum quidem continuum contigit. Ex observatis interea subito & interruptè nihil adhuc ad votum pro cœli mensura; satis tamen pro situ instrumentorum divisionibus & horologiis probandis præstitum. Duo mihi proposita videor obtinuisse, alterum, ut observanda sua potius quàm observatoris fide constare possint, non ut non erretur, sed ut errores ex ipsis observatis se prodant, & æstimandos exhibeant. Alterum, ut observator de die totum meridianum & primarium verticalem qua patet horizon perlustrare possit ex obscuro. Hinc omnes stellas secundæ magnitudinis interdiu excipiuntur, imò ipsa polaris, quæ ob tardum motum captu facilior ipso in meridie etiam sub nubili cœlo se conspiciendam præbet, & maximum ad certitudinem situs instrumenti meridiani affert momentum intra eandem revolutionem supra & infra polum observata. Plurimis aliis epicheremaribus, quæ vel ad cavendos vel ad dignoscendos errores alias inevitabiles & insensibiles a me sunt adhibita, hic enumerandis supersedeo, ne molestus fiam. Sed hæc non potui non indicare ad refricandam aliquam mei memoriam, quam benevolentiæ tuæ sollicitè commendo, a qua & illud mihi polliceor, ut ne graviter feras, te adjunctis ad Dominum

minum *de Kroseck* literis non solum procuratorem sed & faventem interpretem adsumi. Opera tua potentis & me amantis conciliatoris plurimum sine dubio apud eum valebit in excusanda tarditate & tenuitate hujus responsi ad literas, quibus ante plures menses me est dignatus eruditissimis, & quod me attinet, nimis honorificis. Si verbo de viri statu & studiis me velis edocere, gratum facies. Iterum perillustris Domine submississimè te saluto, & quævis prospera intimè apprecor. *Hafniæ die 9. Dec.*

EPISTOLA OLAI ROEMERI
AD D. DE KROSECK.

I. *De parallaxibus Lunæ.* II. *De Tychonicis atque Picardinis observationibus Astronomicis.*

I. IMmensas ex animo gratias ago pro literis tuis humanitate & doctrina plenissimis. Quàm possum submisse oro, ut condones tarditatem hujus responsi, quod tam serò mittere ausus non fuissem, nisi animum addidisset dudum experta Summi *Leibnitii* amicitia, qui magnopere a me rogatus eam ut spero apud te tam gravis delicti gratiam mihi conciliabit, quam ipse solitus est benignè impertire. Coram utroque valeat eadem excusatio, quòd elapsa æstate creberrimè fuerim ab urbe absens, nec domi nec rure per triduum continuò consistens, neutrubi mediocriter otiosus. Te coram & hoc addendum, epistolam tuam tot gravia subtilioris Astronomiæ momenta continere, ut vel summo otio impar fuissem concinnando paucis diebus responso, quod docti tui alloquii singulas partes nervosè & pro dignitate rerum aptè prosequi posset. Attingam tamen nonnulla ut potero quæ boni consulas quæso. Et primò quidem de parallaxibus Lunæ planè tecum sentio, minùs rectè in earum indagatione supponi longitudines ex calculo, & refractiones ex tabulis. Longè rectiùs investigari illas ex altitudinibus meridianis, quæ in distantibus terræ locis eodem momento observari possent, adhibitis cautionibus, de quibus accuratè admones. Certè ex observationibus, quas per certos homines in ultimos cogniti mundi fines tuis sumptibus ablegandas, instituere cogitas, ingentia ad Astronomiam commoda, & amplissima ad nominis tui famam decora redundabunt. Præcipuum operæ pretium rediturum opinor ex promont. Bon. Spei, nam inde præter destinatum parallaxium negotium innumera nostro cœlo invisa in lucem producentur. Accedit loci commoditas, qui ut audio nec necessariis ad vitam mediis, nec artificibus aliisque ad opus juvandum aptis hominibus destituitur, quæ omnia in boreali terræ cardine desiderantur, qui astrorum mensori nihil insoliti exhibere

bere valet præter ante visorum distorsionem. Examinari proinde ab Excellentia tua pervelim, numne aliquis in littoribus vestræ Prussiæ locus, qualis Regiomontum, quod non longè a meridiano Capitis Bonæ Spei declinabit, proposito tuo posset satisfacere. Fatendum quidem, parallelorum differentiam hic saltem esse 90 circiter graduum, quæ istic ad 105 grad. extenditur, sed libratis æqua lance omnibus circumstantiis videri posset istum defectum 15 graduum abundè compensari certitudine meridianorum, correspondendi facilitate & sexcentis aliis commoditatibus, quarum copia hic negotium promoveret & adjuvaret, istic penuria impediret ac corrumperet. Sed ista acumini tuo perspicienda relinquo. Quæ deducenda distantia & paralaxi solis ex umbris eclipsium leviter attingis, maximum excitarunt illa penitius cognoscendi desiderium, quum ipse longissimè absim ab omni spe in istud problema penetrandi per viam umbrarum, longè alio abreptus per methodum in Marte a me tentatam 1672, & nuper in Venere 1702, per quam distantia solis a terra non minor quàm intra 12 vel 15000 terræ diametros, & per consequens parallaxis 9" vel 7" secunda, & ista (ut hæc obiter moneam) non supponunt refractiones nec planetarum loca, sed eorum saltem differentias diurnas, easque non a calculo deductas sed re ipsa observatas. Nihilominus suspenso animo ulteriorem dubii hujus explicationem ab excellentia tua avidissimè expectabo.

II. Venio demum ad quæstionem de mutatis meridianis, cui certius quàm superioribus responsum reddere possum, quippe qui *Tychonis* manuscripta tractaverim, P. *Picardi* observationibus interfuerim, proprias sæpius, aliquas etiam hoc anno peregerim, quibus omnibus ad examen revocatis, tuto licet asserere, observata Danica hucusque nullum mutati meridiani argumentum & indicium quidem suppeditare. De Tychonicis constat, ipso etiam fatenti *Picardo*, illas non ejus esse notæ, ut in hac causa adhiberi debeant. Quicunque ipsa *Tychonis* manuscripta inspexerit, non negabit observationes illas horizontales, de quibus agitur, rudi Minerva vulgari astrolabio factas, & obiter extra ordinem reliquarum annotatas ad statuendum sciathericum, fundandum murum vel aliquid simile. In Picardinis, quæ non aliud agendo, sed data opera ad determinandum meridianum instituebantur, ultra unius minuti errorem non subesse largior. Majorem tamen certitudinem nullo modo merentur, quantum ex mihi cognitis circumstantiis judicare fas est. Et proinde nullam habeo causam, quare ex aliquantula a meis nuperis discrepantia ullam suspicarer meridiani mutationem. An cum tempore minutiarum jam imperceptibilium cumulus in sensibile aliquid accrescet, viderint posteri, quibus hic epocham vel a quinque secundorum errore liberam relinquo. Sed desisto inconcinno scripto excellentiam tuam diutius fatigare, quum spem facias, in aula nostra te propediem affuturum. Aderis verò mihi exoptatissimus, cui nihil tanti Hospitis colloquio accidere potest gratius, nihil rebus nostris

S 3 Astro-

Astronomicis honorabilius. Offendes hic machinamentorum & instrumentorum supellectilem non alibi videndam. Sunt quæ vetustate, sunt quæ novitate, alia quæ singulari usu se commendant. Primo loco habenda erunt, quæ exacto tuo judicio probabuntur. Vale Illustriss. vir, & me tuo favore & benevolentia dignari perge. *Hafniæ die* 9. *Dec.* 1704.

G. G. LEIBNITII
EPISTOLÆ DUÆ
AD D. TIEDIUM,

Mathematum & S. Theologiæ in Acad. Kilon. cultorem.

Ex Kortholti collectione.

EPISTOLA I.

De emendatione Calendarii.

EX Domino *Kirchio* hic intellexi, non assentiri eum per omnia tuæ periodo; idque ipsummet vobis significasse. Itaque velim rem inter vos amplius discutiatis. Non ignoras Romæ jam ipsius Gregoriani Calendarii sive emendationem sive explicationem aliquam agitari. Itaque tempus est, ut vos ibi quoque vestra cogitata produci curetis. Dominus Abbas *Blanchinus*, Congregationis novæ in eam rem institutæ secretarius, mihi est amicus, sed & Cardinalis *Norisius* nuper mei benevolè meminit erga amicum, itaque si qua suggerere possetis, quæ non nimis ab instituto Gregoriano abhorrerent, gratam rem præstaretis, quam ego communicarem libens. Amplissimo *Reyhero* me commendari peto. Vale. *Dabam Berolini* 16. *Novembr.* 1701.

EPISTOLA II.

I. Cassini *de Cyclo* Tiedii *judicium.* II. *Status controversiæ de emend. Calendarii.* III. Leibnitius Tiedio *auctor est, ut concionandi usum retineat.*

I. CAssinus nuper a *Fontenello*, Academiæ Regiæ Parisinæ Secretario, monitu meo interrogatus, quid potissimum in tuo elegantissimo Cyclo displiceret, id respondit: quòd non esset centenaria periodus, quod

quod miror. Quasi id referret nisi fortè apud Gregoriana quovis pretio retinere volentem.

II. Ratisbonenses nostri omnes cyclos prædamnaverunt : adeoque commendatio Cycli tui ulterior inutilis erit. Pro ipsis autem excogitanda esset ratio utcumque Astronomica, per quam tamen vix hoc seculo a paschate Gregoriano discedatur, nisi præstat expectare quam Gregoriani sui computi emendationem moliuntur.

III. Gratum est, quod intelligo te Theologiæ dedisse operam, suaserimque, ut concionandi usum retineas. Ita enim certa ratio nobis offeretur curandi, ut aliquando evoceris ad honestam stationem, in qua propius adesse societati nostræ, & præclara cœpta melius continuare possis. Interim optem, ut calculis usum observandi adjungas. Observationum enim maxima meritò ratio habetur. Celeberrimum *Reyberum* meo nomine impertias plurima salute. Vale. *Dabam Berolini* 28. *Januarii* 1703.

P.S. Scribit mihi Anglicanæ Societatis Regiæ Secretarius, Cyclum tuum, quantum sciat ad societatem non pervenisse, sed fortasse non satis advertit.

LETTRE

A Messieurs de l'Académie Royale des Sciences de Paris;

Sur la reformation du Calendrier Grégorien.

MESSIEURS,

Ayant appris plus particuliérement depuis peu que vôtre Illustre Académie me fait l'honneur de me compter pour un de ses Membres, je n'ai point voulu differer davantage de vous en remercier très-humblement, & de marquer la joye que j'ai d'ailleurs de voir que mes foibles essais n'ont pas déplu à de si grands hommes, & à des Juges si exacts. J'espère même que cela me produira l'avantage de pouvoir joüir quelquefois avant le public des nouvelles lumiéres que vous découvrez tous les jours dans les Sciences, & que vos avis, & vôtre concours pourront m'aider, & me redresser, lorsqu'il s'agira de perfectionner, & d'executer quelques pensées que j'ai encore, & qui me paroissent de quelque usage.

Cependant ne voulant pas vous écrire une simple lettre de compliment, j'ai jugé convenable de me servir de l'occasion pour recourir à vôtre jugement, Messieurs, sur une matiére où le public s'interesse, qui nous exerce maintenant en Allemagne, sur laquelle ceux qui y prennent part me font l'honneur de me consulter, & où vous êtes des Juges très-compétens. Voici ce que c'est.

Les

Les Etats Proteſtans de l'Empire reconnoiſſant, que l'année Julienne, qui avoit eté en uſage autrefois dans toute l'Egliſe, & qu'ils ont gardée juſques ici, s'eloignoit trop du Ciel, ont reſolu depuis peu de la corriger avant la fin du Siécle, & de ſe regler à l'avenir ſur la vérité Aſtronomique. Et pour exécuter cette réſolution, ils ont voulu que le mois de Fevrier de cette année ne ſoit que de 18 jours, qu'on comptera le premier de Mars avec le Calendrier Gregorien, & qu'on continuera durant tout le ſiécle ſuivant de s'accorder avec lui à l'égard du ſtile des dattes, & à l'égard des Fêtes immobiles. Et quant aux Fêtes mobiles qui dépendent de la Fête de Pâques, leur intention eſt, qu'on détermine ſelon l'Aſtronomie l'Equinoxe du Printems, & la premiere pleine Lune d'après, afin qu'enſuite le Dimanche prochain ſoit le jour de Pâques. Ce qui leur donnera moyen de lever bien des inconveniens, cauſes par la difference des Calendriers, & de s'accorder ordinairement avec le Gregorien. Or comme autrefois l'Egliſe, pour exécuter les Canons du Concile de Nicée, & pour avoir le véritable tems Paſcal, recourut aux Mathematiciens d'Alexandrie; il ſera convenable encore preſentement de ſuivre les Avis des Aſtronomes excellens. Et puiſque les Lettres Patentes du Roi viennent d'etablir pour toujours l'Académie Royale des Sciences, par une fondation magnifique qui n'avoit point d'exemple encore dans la Chretienté; il paroit que Sa Majeſté a donné en cela encore à l'Egliſe un ſecours qui vient tout à propos, & dont il eût été à ſouhaiter qu'on ſe fût aviſe plûtôt, en établiſſant des Mathématiciens habiles pour gardiens de ces Canons, au lieu de ſe fier à des Cycles, & ſemblables moyens populaires, qui dans la ſuite des tems ſe ſont tant ecartés de la verité. Ce qui auroit encore ſervi comme dans la Chine, à faire fleurir les Mathématiques par autorité publique.

Ainſi pour profiter d'une ſi favorable conjoncture, je prends la liberté, Meſſieurs, de vous ſupplier de vouloir bien faire penſer à cette matiére, & me faire apprendre vôtre jugement là-deſſus. Il y en a eu parmi nous qui ont propoſe de nouveaux Cycles; il y en a auſſi qui ont fait réflexion ſur ce que *François Viete* Maitre des Requêtes, & un des plus grands Mathématiciens de ſon tems, & *François Levera* Romain avoient remarqué touchant le Calendrier Grégorien. Il y a auſſi une perſonne verſée dans l'Aſtronomie qui entreprend de calculer des Ephemerides, & dont je prends la liberté de joindre ici le projet. Ceux qu'on employe préſentement à nôtre Calendrier corrigé, ont deſſein juſqu'à meilleur ordre, de ſuivre les Tables Rudolphines, cependant ces Tables ne ſont pas aſſez juſtes à l'égard de l'équinoxe, & ont encore ailleurs beſoin de correction; ainſi vos avis là-deſſus ſeront de grand poids, tant à l'égard des Cycles, Ephemerides, & Tables, que principalement à l'égard de la détermination des Equinoxes, & des pleines Lunes.

Si je puis contribuer en quelque choſe dans ce pays-ci ou ailleurs, à ce

à ce qui sera à votre but, je le ferai de tout mon cœur suivant vos *ordres*, d'autant plus que ce sera servir le public en même tems. Je ferai même en toute autre chose avec tout le zèle possible &c. *Hanover le 26. Fevrier* 1700.

P.S. (Ce P.S. a été omis dans la Lettre envoyée à Messieurs de l'Académie).

Puisqu'on est sur la reforme des Almanachs, j'ai proposé chez nous, qu'on en fit exprès à l'avenir d'une certaine espèce, où l'on marquât de jour en jour, quel a été l'état de l'air, & de la saison de l'année précédente, avec les mouvemens du Barométre, Hygrométre, & Thermométre, & des vents régnants. Ce seroit rapporter véritablement le passe, au lieu de prédire vainement le futur, & serviroit non-seulement à détruire peu à peu les vanités judiciaires, mais encore à amasser en peu de tems un tresor d'observations importantes, sur-tout si l'on y joignoit une espèce de recapitulation de l'état physique de l'année précédente, à l'égard des saisons, plantes, animaux, & principalement de la maniére épidémique des maladies. Et il seroit bon que chaque Nation eût de tels Almanachs, dont la comparaison seroit encore de conséquence. Mais une entreprise si utile, Messieurs, ne pourroit être mieux exécutée que suivant vos directions.





G. G. LEIBNITII
DE ORIGINE FRANCORUM
DISQUISITIO,

Annotatiunculis illustrata

A

JO. GEORGIO ECCARDO.

1. CUM in Miscellaneis Berolinensibus de populorum Originibus disserens, Francicas obiter attigissem, & paucis indicassem, a Balthico mari repetendas esse; ejus meæ sententiæ, paradoxæ quibusdam visæ, rationes, a viris doctis expetitas, nunc in medium proferre placet. Unde apparebit natalia clarissimæ gentis loca & antiquissimas, quæ noscantur sedes ad litus maris Balthici cis Oderam quæri debere. *Johannem Isaacium Pontanum*, *Hadrianum Valesium* aliosque viros insignes, qui de rebus Francorum vetustis eruditè scripserunt, in citerioribus temporibus locisque substitisse mirum non est. Satis illis fuit ostendere, ubi habitarint Franci antequàm in Galliam transirent, ad dextram scilicet inferioris Rheni ripam; quia veteribus illis monumentis caruêre quæ mihi versare datum est; partim jam prolata in medium, sed post ipsos, partim latentia adhuc in Manuscriptis.

2. Ridicula olim invaluerat opinio, Francos Troja pulsos ad Mæotidem paludem, mox in Danubium & Pannoniam navibus venisse, & inde a *Valentiniano* evocatos Romanis contra Alanos militasse, eosque ex Mæoticarum paludum latibulis expulisse, tandem in Germaniam Galliasque penetrasse. Talia satis malè cohærentia habentur in Gestis Regum Francorum a *Frehero* editis. Et quod de *Valentiniano* (1) scribitur,

(1) Poterit tamen Francorum opera *Valentinianus* contra Alamannos usus fuisse, & inde opinio, quod contra Alanos militaverint, invaluisse. *Alani* enim sæpius in veteribus Codicibus cum *Alamannis* confunduntur. Ita *Crocus*, qui *Gregorio* Turonensi lib. I,

tur, qui Francos ex Scythia vel a Danubio exciverit, planè inc... m est, cùm Francos multo ante jam ad Rhenum consedisse ex multis contemporaneis authoribus constet.

3. *Trithemius* Principes Francorum inde a Trojanis ex *Hunibaldo* quodam recensuit, sed quem ipse confinxisse videtur. Et memini, me literas ineditas legere *Friderici* Principis Electoris ac Ducis Saxoniæ ad *Trithemium*, quibus petebat Codicem *Hunibaldi* secum communicari. Sed *Trithemius* respondit mutata sede (nam Hirsaugia Herbipolin translatus fuerat) Codices non ampliùs in manu sua esse.

4. Fabulam Trojanæ originis suspicor ex eo natam, quod in Fastis *Prosperi Tironis* quidam legissent ad annum *Gratiani* Augusti quartum: *Priamus quidam regnat in Francia quantum altius colligere potuimus. Priami* nomen suffecit fabulæ, atque ita facilè gratus error obrepsit; ea enim multorum populorum vetus ambitio fuit Trojanas origines jactare,

Arvernique ausi Latio se fingere fratres
Sanguine ab Iliaco

apud *Lucanum lib.* 1. Et *Galfridus* Monumethensis alios vetustiores fabulatores secutus, Britannos a *Bruto* filio *Ascanii*, nepote *Ænea* deducit. Talia & Francis placuisse apparet, ubi primum ad studia Historiarum animum applicuêre.

5. Et mox non defuêre aliqui, (quos secutus est autor ille, qui Gesta Regum Francorum scripsit) qui & *Sunnonem* Francorum Principem *Antenore* natum adderent, ut fictio verisimilior redderetur. Sed ego *Priamum* ex *Pharamundo* (hactenus ignoto, sed avo ejus, qui innotuit) in *Pharamum* contracto corruptum suspicor, ut solebant nomina barbarica ad suos sonos accommodare Græci & Romani; cùm idem *Priamus* in vita *Sigeberti* Regis dicatur pater *Marcomeris*, & autori Gestorum sit avus *Pharamundi*; nempe nomen avi, ut fieri solebat, renovantis. Cæterum *Paulus* etiam *Warnefridi*, vulgo *Paulus Diaconus*, fabulæ vel potius fabulam amantibus favens, *Ansegisum Arnulfi* Metensis Episcopi filium Carolinæ stirpis progenitorem ad *Anchisam* Trojanum refert, non tantùm in Episcopis Metensibus, sed etiam in Epitaphio *Rhothaidis* filiæ *Pipini* Regis:

Ast abavus Anchise potens qui ducit ab illo
Trojano Anchisa longo post tempore nomen.

6. Nec Troja sufficere videbatur, *Alexander Magnus* cum Macedonibus accersendus erat ad augendam claritatem gentis. Itaque *Fredegarius*;

 Troja

lib. I. c. 30. *Alamannorum Rex* vocatur, in Fragmentis *Fredegarii* atque apud *Aimoinum* lib. III. c. 1. *Alanis* præfuisse dicitur. Nec vero absimile est, Francos ex interioribus sedibus suis, diu tamen ante *Valentiniani* tempora, ab ipsis Romanis adversus Alamannos excitos.

Troja egressos Francos bifaria divisione partim in *Macedoniam* venisse, partim cum *Friga* Rege vocatos Frigios Asiam pervagantes in litore Danubii fluminis & maris Oceani consedisse; quæ quàm bene scilicet cohæreant, quis non videt? Tum partem gentis in Europam venientem (quasi scilicet Danubius extra Europam fluat) *Francione* Duce, (unde nomen Francorum) Rheni ripam occupasse. D. *Hieronymum* citat nempe confundens continuatorem *Hieronymi Prosperum*, qui *Priamum* nominat, cum D. *Hieronymo Eusebii* Chronicon continuante.

7. Sed ubi semel Macedonia placuit, jam & Magno *Alexandro* Orientis domitori auxilia tulisse Francos æquum ac dignum videbatur. *Otfridus* Monachus Weissenburgensis lib. I. cap. 1. in Evangeliorum Teutonicis versibus scriptorum procemio ad *Ludovicum* Germanicum *Alexandro* cognatos facit.

In einen buachon ih weiz war,
Sie in sibbu joh in ahtu,
Sin Alexanderes slahtu.

Ex libro quodam didici, cognatione & existimatione de genere *Alexandri* fuisse. Subdit deinde Macedonia egressos, & aliarum gentium imperia dedignatos. At *Aimoinus* lib. 1. de Gestis Francorum Autoris Gestorum supra citati & *Fredegarii* diversas opiniones recensens, addit quod *Fredegarius* non dixerat, viribus Françorum auctos Macedonas sub *Philippo* & *Alexandro* prospere bella gessisse. Hoc exemplo etiam *Saxones*, ubi scriptores proprios habere cœperunt, Alexandrinæ militiæ gloriam affectârunt, ut ex *Witikindo* Corbejensi patet. *Aimoinum* secuti sunt *Sigebertus* Gemblacensis, & multi posteriores, quos referre nihil attinet.

8. *Gregorius* Turonensis Episcopus Francorum Scriptorum extantium antiquissimus, nulla facta mentione Trojanarum originum aut Macedoniæ, primam Francorum sedem Pannoniam (2) tradit, ibique urbem Sicam-

(2) Verba *Gregorii* sunt: *Tradunt multi eosdem de Pannonia fuisse digressos: & primum quidem litora Rheni amnis incoluisse, dehinc transacto Rheno Thoringiam transmeasse; ibique juxta pagos vel civitates Reges crinitos super se creavisse de prima, &, ut ita dicam, nobiliori familia.* Pannonia vetus Danubio versus Septemtrionem, & Cetio monte versus occasum, terminabatur. Si itaque inde in Thuringiam profecti fuissent, superare primum debuêre Danubium. Inter Danubium verò & veterem Thuringiam non *Rhenus*, sed *Reganus*, qui Germanice *Regen*, fluit. Unde evidens est, hunc amnem intelligi debere hoc loco. Et facilis est confusio utrorumque a Geographiæ imperitioribus. *Regen* enim vulgo in *ren* & *rein* contrahitur, & promiscuè dictum est olim *Reginhart* & *Reinhart*; *Reginman* & *Reinman*; *Reginbold* & *Reinbold*; *Reginmar* & *Reinmar* ac *Reimar*; *Regenstein* & *Reinstein* &c. *Regenesburgum* quoque alicubi & *Reinesburgum* & *Rainesburgum* scriptum invenitur. Usque ad Reganum imò & Danubium ipsum Thuringos Germaniam olim occupasse ex Anonymo Ravennate discimus, qui lib. IV. cap. 25. scribit: *Iterum desuper ipsam, quomodo ut dicamus ad faciem patriæ Francorum Rhinensium est patria, quæ dicitur Turingia, quæ antiquitus Germania nuncupatur, quæ propinquatur & patria Saxonum. Quam in patriam secundum præfatum Anaridum*

Sicambriam (3) ab iis conditam, quam quidam pro Buda habent. Sed contraria omnia dicenda ex vetustioribus constat, a quibus aliæ longè Francis sedes, alii Pannoniæ habitatores tribuuntur. Franci subinde Sicambri dicti sunt, quòd in loca Sicambrorum veterum successissent, quos ad Sigam amnem ex adverso Coloniæ Agrippinæ aut paulo superius habitasse dubium non est. Itaque nihil cum Sicambris commune Franci habuere, antequam ad Rhenum sunt progressi.

9. *Lacarrius*, qui de coloniis Gallicæ gentis librum édidit, & alii quidam Viri docti (4) ex Gallia, cùm origines Germanicas Francorum a *Cluverio*, *Pontano*, *Valesio* aliisque demonstratas, negare non possent; studio tamen præpostero honoris Gallici accensi, eos ex Gallicis in Germania coloniis, & ita ex regione quidem, non tamen gente Germanica deduxêre. Cùm enim in *Julii Cæsaris* Commentariis (5) legissent Gallos

T 3 olim

dum philosophum designavimus. In qua patria aliquanta castella fuisse legimus, id est --- Per quam Turingorum patriam transeunt plurima flumina, inter cetera quæ dicuntur Bac & Rheganum, quæ in Danubio merguntur. Regani nomen clarè expressum hic est, & *Bac* necessario ex *Nab* sive *Nabo* corruptum. Thuringos quoque Danubium accoluisse seculo quinto, patet ex *Eugippii* Vita *S. Severini*, in qua quædam de Thuringorum in Vindeliciam irruptionibus cap. 27. & 31. narrantur. Conjicio inde, cum Franci Bodogaviam, Windogaviam, Wirogaviam & Salegaviam occupassent; Thuringos, supra eosdem, terras ab Albi inter Salam Albi influentem & Hercynios sive Bohemicos montes per Misniam, Voigtlandiam & per Franconiam inter Tubarum amnem & eosdem Bohemicos montes ad Danubium usque Germanorum vel Hermundurorum reliquiis eripuisse. Ex terris inter Montes Bohemicos & Salam Albi influentem egressi, sibi usurparunt Wirogaviam, Windogaviam & Bodogaviam provincias, a Francis, Rhenum maximam partem transgressis, vacuas penè relictas, non tamen sine Francorum ibi reliquorum maletractatione, de qua adhuc *Theodericus* Rex apud *Gregorium* Turonensem conqueritur. Idem hic Rex, Thuringorum Rege *Herminfredo* devicto, quicquid inter Tubarum & Montes Bohemicos ad Danubium usque habuerant, Thuringis eripuit: eaque regio deinde *Franconia* sive *nova Francia* vocata est; accessitque eidem tandem & Pagus *Salegau* & *Wirogau*. Sed hæc alibi distinctius explicabimus. Maxima verò hujus regionis pars deinde Marchiæ Bajoariæ attributa est, & habitaverunt in ea Marchiones Austriæ veteres. *Gregorius* Turonensis, & quos ille consuluit, ex situ Franciæ sui temporis concluserunt, ipsos Francos, ut Gothi & Langobardi, ex Pannonia venisse. Et commixtio Maris Balthici cum palude Mæotide hunc errorem promovit.

(3) Memoria hic fefellit Illustrem authorem. Neque enim de *Sicambria* urbe quicquam Turonensis habet. Sed Gesta Regum Francorum, *Hincmarus* in Vita S. *Remigii*, & Anonymus in Vita *Sigeberti III.* Francorum Regis, ejus solummodo meminerunt. Ostendunt Hungari adhuc reliquias Sicambriæ in pago *Schambry* dicto non procul a nova Buda atque è regione insulæ D. Margarethæ. Inscriptiones Romanas ibi plurimas effodi *Lazius* Commentar. Reipubl. Rom. lib. XII. cap. 13. testatur. Sed illa, quam inseruit, & quæ de *Sicambrorum Legione* ibi collocata agit, sine dubio fictitia est. Si unquam Sicambri ibi fuerunt, eo deducti sunt *Tiberii* Imp. jussu, qui Sicambros trans Rhenum & alio migrare jussit.

(4) Quales nempe sunt, *Jo. Bodinus*, *Steph. Forcatulus*, *Audigierius*, *Antonius Gosselinus*, *Gabriel Trivorius*, quibus post editum *Leibnitii* libellum accessit *R. P. Turneminius* S. J.

(5) Adde *Livium* lib. V. cap. 35. de ista Gallorum migratione. Cujus tamen narratio

olim coloniam in Hercyniam sylvam duxisse; statim, etsi sine autore aut argumento, decreverunt, ex his Gallis Francos ortos, in majorum patriam rediisse. Sed hæc optantis sunt, non ratiocinantis, & cum iis, quæ proferemus, non consistunt, nec dubium est, Francorum linguam fuisse Teutonicam. Gallis colonis Bojorum regio a veteribus ascripta est, & credi potest, cùm in Asiam tenderent, (quanquam Germanis, ut apparet, in societatem ascitis) nonnullos suorum in regionibus non admodum a Danubio remotis reliquisse. Sed eos longissimè ab itinere deflexisse, quo nihil invitabat, ad mare scilicet Balthicum, & inter medias Suevorum ferocissimas gentes consedisse, ibique se tueri potuisse; ab omni rationis specie alienum est.

10. Antiquas Francorum sedes, antequàm Romanis noscerentur, ad mare Balthicum quærendas, primus me docuit Geographus Ravennas, (6) scriptor ortus, ut apparet, ex Gothis (ut *Jornandes*, qui etiam Ravennæ egit) vel ex alia aliqua Germanica gente; horum enim scriptores, sive, ut loquitur, Philosophos aliis ignotos citat. Hunc primus edidit *Porcheronus* ex Benedictinis Sangermanensibus vir doctissimus: Postea ex Leidensi codice, quem *Grotius* olim indicaverat, recensitum incudi reddidit *Jacobus Gronovius*, qui paternam claritatem sua æquavit. Anonymus ille hæc habet lib. 1. cap. XI. *quarta ut hora noctis Normannorum est patria, quæ est Dania ab antiquis, cujus ad frontem Albes vel patria Albis* (7), *Maurungania certissimè*

tio de *Bellovefo*, ex Gallia trans-Rhenana in Italiam tendente, & de *Sigovefo*, Hercynios saltus occupante, sibi parum constat, ut alibi ostendimus.

(6) Germanus hic natione fuit, & fratri *Odocaro* librum suum dedicavit, ut ex Lib. I. cap. 13. patet. Barbaro quidem scribendi genere utitur, sed sua ex optimis & maximam partem, si *Ivonandem* excipias, deperditis libris excerpsit, ut adeo magno nobis in pretio sit habendus. Accuratiorem illum orbis notitiam habuisse præterea hæc ejus sub finem libri I. extantia verba indicant. *Potuissemus*, inquit, *Christo nobis juvante subtilius dicere totius mundi portus & promontoria atque inter ipsas urbes miliaria, vel quomodo cuncta patria, aut qualiter ponuntur, mirificè depingendo designare. Sed ideo, tanquam lectionem nostram Cosmographia exactiorem facientes, omnes designationes vel quæ plura fuerunt polylogia fugientes, taciturnitati commendavimus.* Et ab initio ejusdem libri dicit, se compellatum a fratre, ut per *pallidines* h. e. *imagines* vel *delineationes* mundum indicet, non quidem, ut hoc præstet, omnem se peragratum esse orbem; attamen *multorum philosophorum relegisse libros & intellectuali doctrina imbuisse totum mundum diversarumque gentium habitationes, sicut in eorum libris sub multorum Imperatorum temporibus, mundus iste descriptus sit.* Quæ etiam in medium profert, optimè conveniunt cum aliis ejusdem ævi authoribus, ut vel *Porcheroni* annotationes patefaciunt. Quando igitur ejus authoritas rejicitur, contraria eidem sententia non conjecturis, sed validis argumentis confirmanda est. Nec nostris in rebus invenio, quæ censuram mereantur, nisi quod *Daniam* & *Daciam* subinde confudisse videatur.

(7) Per *patriam Albis* hic intelligitur Albingorum terra, sive regio trans Albim, ab Egidora sive Dena ad Albim usque protensa, quæ medii ævi scriptoribus *Nort-Albingia* audit; & Holsatiam, Ditmarsiam; Stormariam, Ducatumque Lauenburgensem (olim,

tissimè antiquis dicebatur, in qua patria Albis per multos annos Francorum linea (8) *remorata est.*

- 11. Mau-

(olim, & ante Slavorum irruptionem, Wagriam quoque & Ducatus Mecklenburgici partem usque ad Warnam fere) complectebatur. *Frons* hic eam partem, quæ meridiei obversa est, designat, ut *tergum* sit versus Septentrionem. Ita *post terga* Francorum Britannia, *post terga* Frisonum insulæ Saxonum in eodem Authore. Aliter est in fluminibus, quorum *tergum* est regio, a qua defluunt, & *frons*, ubi exeunt. Ita ad frontem Albis fluvii nempe, *Dania* quam erroneè Ravennas *Datiam* vocat. Eruditus *Leibnitii* adversarius dicit, si ita frons Albis sumatur, *Maurunganiam* sive *patriam Albis* versus Orientem sitam fuisse: Ravennatem tamen infra lib. IV. cap. 18. eandem etiam *ad partem quasi meridianam* ponere, atque ita tam confuse loqui, ut ei fidi non possit. Sed ipsa Ravennatis verba proferenda sunt. Is ubi de Saxonia & fluminibus ejus Amisio, Padera, Lippa, Lina dixerat addit: *Item ad partem quasi meridianam, quo spatiosissima dicatur terra, est patria Albis -- ungani montuosa per longum, quæ ad Orientem multum extenditur, cujus aliqua pars Bajas dicitur. Prænominata Albis patria, secundum præfatum* Marcum Mirum *philosophum, qui Saxoniam describit, designavimus. Hæc patria habet non modica flumina, inter cætera fluvius grandis, qui dicitur Albis & Bisigibilias, Sexaginta, quæ in Oceano funduntur.* Illud *ungani*, cujus initium conspici non potuit, adversarius *Leibnitii Maurungani* legit; Sed *Maurungania* non est *montuosa*. Unde concludo, ipsum *patriam Albis* generaliter sumsisse pro omni regione Albi adjacente. Inferiorem verò patriam Albis *Maurunganiam* vocavit; superiorem, quæ montuosa, *Hartunganiam*; & a Boda Albi influenti *Hartingau* pagus in medii ævi monumentis obvius est, qui Harticum nemus & montana comprehendit. *Hartum* verò vel *Harzum* nostrum, ut & alibi veteres persæpe fecerunt, cum *Hercynia* magna confundit. Unde dicit Hartunganiam multum ad Orientem extendi & partem ejus *Bajas* dici. Ubi *Bojos*, Bojohemiæ incolas, intelligit. Uti autem *Hercynia* dicta videtur a *pice* sive *resina*, nobis *harz* dicta, ita & *Boji* ab eadem appellationem habuerunt. Gallis enim, ex quibus Boji erant, & adhuc Cambris *peg*, Wallis *pyg*, Aremoricis *pek*, nobis Germanis *pech*, & alicubi *bech*, pix & resina dicitur; ut adeo *Bojus* & *Hercynius* sint synonyma. Ravennas commemorata hac superiore Albis patria, regreditur, ejusque flumina describit, quæ in Oceanum labuntur, *Albim*, *Bisigibilias* & *Sexagintam*. Corrupta sunt nomina hæc, sed dum in patria Albis sita sunt, non procul ab Albi, nec procul ab Oceano quæri debent. Unde neque *Leibnitii* conjecturam *Bisigibilias* de *Vistula* interpretantis, neque Viri docti de *Visurgi* exponentis probare possum. Mea verò sententia, disrumpi posset ea vox hoc modo: *Bisigi*, *Bili*, *As*; ut *Biesa*, *Billa* est *Osta* intelligantur, quos Albis Oceano propior recipit. *Sexaginta* fortè etiam ex *Sesa* & *Schwinga* fluviis prodiit. Sed nihil definio; contentus demonstrasse, Ravennatem Maurungaviam non simul ad orientem & meridiem collocasse. De *Hartungania* enim & *Hercynia* ibi loquitur, non de *Maurungania*.

(8) *Linea* neque extremitatem neque partem unquam denotavit: uti adversarii Leibnitiani perhibent: sed significat atque significavit semper *ductum* vel *tractum continuum a principio ad finem suum.* Fallitur aut fallit, qui aliter eam vocem interpretatur. Sic in genealogicis rebus *linea* est idem ac *genus*, *gens*, sive *generatio*. *Paulus Diaconus* exemplum præbet, ubi lib. II. de Gestis Langobard. cap. 9. scribit: *Qui Gisulfus non prius se regimen ejusdem civitatis & populi suscepturum edixit, nisi ei, quas ipse eligere voluisset, Longobardorum faras hoc est* generationes *vel* lineas *tribueret. Factumque est, & annuente sibi Rege, quas optaverat Longobardorum præcipuas* prosapias, *ut cum eo habitarent, accepit, & ita demum ductoris honorem, adeptus est.* Glossæ veteres: *Linea*, στιχὸς γένους. Id quod idem est ac *funiculus generationis* sive *genus veluti id de patre in filium progressum est.* Hinc & Gallicum *ligne*, *lignée* &

11. Maurungaviam vel potius Mauringaviam sive *Mauringiam* (9) fuisse sitam

& *lignagi* pro *genere* & *stirpe*. Vita S. Genulphi de Childerico: *Hic verò linea prosapiæ Pharamundi per viros defecit, mansit verò per Bliuhildem.* Monachus S. Eparchii Egolismensis in Vita Caroli M. *Carolus Martellus genuit Pipinum, qui de illa linea generationis elevatus est primus a Francis, evacuata omni Linea de genere Pharamundi.* Ubi *linea* integram personarum successionem in familia a primo authore ad ultimum usque denotat. Guilielmus Malmesburiensis lib. I. c. 1. *Erant abnepotes illius antiquissimi Woden, de quo omnium pene barbararum gentium regium genus* lineam *trahit*. Quibus Malmesburiensis ad Bedæ verba respexit, quæ Hist. Eccl. Angl. lib. I. c. 15. de eadem re ita leguntur: *De cujus (Wodeni) stirpe multarum provinciarum regium genus originem duxit.* Ipse Ravennas Geographus *lineam Francorum* inferius lib. IV. c. 46. *Francorum generationem* per Synonymum vocat.

(9) *Paulus Diaconus* eandem regionem *Mauringiam* vocat & *Scoringiæ* sive regioni Chersonesi Cimbricæ litorali, quæ insulas Danicas respicit, vicinam fuisse indicat. Post Moringiam idem hic author Golandam sive Gothorum regionem ponit, non quod ipsa Gothorum regio Mauringiæ proximè adsita fuerit; sed quod intermediæ gentes tunc a Gothis dominarentur. Poterit autem optimo jure Wagria & vicinæ Provinciæ unà cum Lauenburgicis & Mecklenburgicis terris Mauringia vocari à suis *Moris* sive *paludibus* & *lacubus*. Nullibi enim tam frequentes paludes, quàm hic locorum, invenies. Et videntur Slavi irruentes inde adsitam regionem *Pomeraniam* sive, ut ipsi loquuntur, *Pomorze* nominasse, non tam quod *mari* (ita enim integra litori nomen Pomeraniæ conveniret) quàm quod veteri Mauringiæ vicina esset. Vir historicæ rei alias non imperitus putavit *Mauringiam* hanc collocandam esse in Bremensi Ducatu, ubi Chauci habitarunt. Fictitiis *Caroli M.* diplomatibus Bremensi & Verdensi sententiam suam confirmare allaborat. Dum enim ibi in descriptione finiam utriusque Diœceseos legitur: *Motam paludem, quæ dicitur Sigefridesmor* &c. Ille statim *Motam* idem esse statuit ac *moram*, quod tamen solidioribus argumentis demonstrandum erat. Nec enim audacibus conjecturis, sed veterum auctoritatibus talia fulciri debent. Notandum quoque, non, ut vulgo cernitur, sed ita distingui debere: *Motam, paludem, quæ dicitur Sigefridesmor* &c. *Mota* enim est palus, sed miser amniculus & vix accolis notus, qui nunc *Mede* dicitur, ubi infra Zevenam in Ostam defluit; supra verò Zevenam generali nomine *Aue* venit, peculiari indignus ob exiguitatem suam. Debeo hanc Motæ notitiam peculiarem Cl. *Rothio* Gymnasii Stadensis Rectori, qui regionis istius descriptionem accuratiorem magno studio & diligentia confecit, & vetera nomina recentibus secundum ductum monumentorum fide dignorum ubique solicitè contulit. Concidit ergo paradoxa opinio adversarii Leibnitiani a *Mora* hoc Mauringiam deducentis. Quod idem addit, *Chaucos* in Tabula Peutingeriana sub Francis comprehensos esse, hoc etiam erroneum invenio. Tabula enim illa populos litoris Germanici, & eos, qui ad Rhenum habitabant, recensens, primò ponit *Chacos*, seu *Chaucos*, quos jam Rheno vicinos *Lucanus* testatus est. Juxta Chaucos ponit *Apsivarios* sive *Amsivarios*. Sub Chaucis ad exitum Rheni habitantibus atque Rheno proximis locat populum, quem *Rhepstini* corruptissimè scribit; unde quidam non minus erroneè Cheruscos faciunt. Fortè legendum est *Tencteri*, ut Tencteri veterum indicentur. Sub hoc demum populo, cujus nomen corruptum est, proximè ad Rhenum in Tabula sequuntur: *Chamavi qui & Franci*; quo indicatur, reliquos ante nominatos populos non esse Francos. Sub Chamavis & quidem ad medium Rhenum porrò in eadem Tabula longo ordine sequitur FRANCIA & eam a Borbetomago excipit SVEVIA. A Chamavis enim usque ad Mœnum Rheno influentem *Theodosii* ævo habitabant *Franci*. Supra Franciam illam Oceanum versus inveniuntur *Burcturi*, sive *Bructeri*, qui ita etiam a Francis distinguuntur: licet hos eorum socios unà cum Amsivariis aliquando

quando

ſitam ad mare Balthicum, conſtat ex *Paulo Warnefridi* (10) vulgo *Diacono*, iter Longobardorum (etſi fictitium) deſcribente; præterquam quod ipſo vocabulo indicatur. Eſt enim Mauringia regio maritima (11) ut Morini, ut Aremorica; & hodieque eadem ferè regio *Pomerania* appellatur, ſunt enim Pomerani Slavico ſermone ſiti ad mare, ut *Polabi* ſiti ad Albim, *Lube* enim Albis eſt Slavis.

12. Itaque ex Geographo Ravennate apparet, *Francorum lineam* ſeu majores regionem incoluiſſe intra mare Balthicum & Albim. Quæ regio

quando fuiſſe non negaverim. *Chamavos* Francis quoque accenſet *Julianus* Imp. Epiſtol. ad S. P. Q. Athenienſem. Cis Amiſiam verò amnem nunquam Franci degerunt. Nec Vir celebris *Chaſuarios* ſive accolas Haſæ rectè inter Francos retulit. Diverſi enim hi ſunt ab *Attuariis Francis*, qui a Wetera amne nomen habent; & apud *Strabonem* lib. VII. ibi jam *Chattuarii* occurrunt, qui Rhenum deinde transgreſſi inter illum & Moſam conſederunt. In Mauringia verò noſtra, ſive in terris a Slia & Egidora ad Chalulum vel etiam Warnam in litore maris Balthici jacentibus (hos enim fines Mauringiæ fere adſcribo) Francos primum degiſſe, præter Ravennatem & aliæ rationes evincunt, inferiùs producendæ. Ad Panim ſive in Pomeraniam uſque Mauringiam tamen extendi nolim: quia Pomerania paludibus & ſtagnis non referta eſt, ut Wagria & Mecklenburgicus Ducatus, & quia præterea ex altero Warnæ latere *Warini* a veteribus commemorantur.

(10) Authoritatem *Pauli Diaconi* impugnat Celeberrimus *Leibnitii* adverſarius. Dicit, eum omnia miſcere, & ubique malè cohærere ejus narrata: quod tamen, ut verum fatear, hactenus non obſervavi. Secutus eſt veteres Scriptores jam deperditos. Migrationem etiam Langobardorum exactè refert, ſi excipias, quòd eos ab extrema Jutia in Orientem ducat, cùm in noſtro Albis litore potiùs commorati ſint. *Aſſipiti*, quos ſupra Mauringiam commemorat *Paulus*, toto cœlo ab *Uſipetibus* inferioris Rheni accolis differunt, & ſignificant *Aſſos reſiduos*, qui ſcilicet non iverant in Septentrionem cum *Odino*. Mauringia transmigrata, dicit, veniſſe Langobardos in *Golandam*, h. e. Gothorum terram. Hos enim præſertim ſub Hermanarico in omni litore maris Balthici etiam cis Viſtulam imperaſſe *Jornandes* non obſcurè prodit. Ex Gothorum patria eos in *Anthaib* (h. e. Antarum regionem ſive Poloniam) deinde in *Bathaib* deſcendiſſe refert. *Bathaib* hoc ſine dubio eſt *Gepidarum* terra, vetus nempe *Dacia*. *Gepidæ* enim dicti ſunt quaſi *Gothorum reſidui*, a *beiten*, *biden*, manere, reſiduum eſſe. Et *pide*, *beite*, *bathe* pro *reſiduo* regulariter dici poteſt, præſertim ſi *a*, more veteri, ut *e* enuncietur. *Bathaib* ergo ex *Bathorum* ſive *reſiduorum* (ſc. Gothorum) *regio*, qui iidem ac *Gepidæ*. *Burgundaib* eſt Burgundionum terra, quam ſcilicet Gepidiæ proximam tenuerunt, antequàm Galliam intrarent. Hæc ſi obſerves ſolum, locis illis nomina per anticipationem dari, optimè cohærent. Nec audiendus *Vorburgius*, quando dubia adverſus *Pauli* narrationem injicit, ex ignorantia veterum rerum enata. Dum celeberrimus vir Mauringiam cis Albim eſſe perſuadere conatur, putat etiam apud *Dionem* Oceanum Germanicum λίμνην dici. Sed *Dione* accuratius inſpecto, videbit, λίμνην ab Oceano diſtingui, & *Vada* Oceani (vulgo *die Watten* dicta) ea voce indicari. *Tacitus* verò Ann. lib. II. c. 8. per *lacum*, unde in Oceanum delatus eſt Germanicus, non vada illa, neque Oceanum ipſum; ſed *Flevonem lacum*, quem Rhenus efficit, & cujus etiam *Mela* lib. III. c. 2. meminit, intellexit. Videatur *Menſonis Altingii* Notitia Bataviæ & Friſiæ antiquæ pag. 63. Sed hæc obiter.

(11) Mauringiæ nomen non *maritimam*, ſed *moris* ſive paludibus plenam regionem deſignat.

gio videtur ferè contineri intra Eidoram & Panim (12) amnes; & fortè ultrà ad Oderam seu Viadrum usque protendi. Et secundum hodierna nomina continebit Holsatiam, Ducatum Lauenburgicum, Ducatum Mecklenburgicum & Pomeraniæ partem (13): & ex gentibus eas regiones olim incolentibus, Reudignis (14) (an cum *Cluverio* Deuringis?) Avionibus (an qui postea Caviones vel Chaibones?) Anglis, Werinis (15) (seu Varnis), Eudosibus (16), & quos alios illic *Tacitus* memorat; globum acerrimæ juventutis & velut ver sacrum, ad novas sedes quærendas fortunamque tentandam exivisse. Nec dubitem addere (17) Herulos & Rugios & eos, qui antiquioribus Cimbri (18), & Saxones & trans Eidoram Danos ac Jutas, etsi *Tacito* non memoratos; *Nigelli* secutus testimonium, quod mox afferetur.

13. Id

(12) Uti jam monui, paulisper contrahenda videtur vetus Francorum sedes, inter Eidoram nempe & Warnam.

(13) Hæc adimenda est Francis ob rationes adductas.

(14) Lege: *Reudingis.* Alibi ostendo pro *Reudingis* poni debere *Heudingos*, & denotari *incolas Ericeti Luneburgici*, quod nobis *die Heide. Aviones* verò sunt habitantes ad *Avam* Luneburgicum, sive *Auam*, quæ jam protractius *Ilmenavia* dicitur. Longobardis itaque utrique viciniores, quàm Francis fuêre, & verosimile est maximam partem cum iis exiisse, Saxonibusque terras suas vacuas pene reliquisse.

(15) Quosdam ex his cum Francis Albim transiisse non negaverim, præsertim cùm ii, qui Legem Anglorum & Werinorum habuerunt, in Francia, ut alibi ostendam, coluerint. Major tamen pars diu post Francorum emigrationem in avitis sedibus adhuc remansit.

(16) *Eudoses* ego quasi *Eudores*, sive accolas Oderæ, dictos puto.

(17) Liberalius paulo hic Vir Illustris Francis diversos admodum populos adjunxit.

(18) Profiteor hic ego, me statuere, *gentem Francorum esse ipsas Cimbrorum veterum reliquias*; quia situs Francorum in Mauringia quadrat in *Cimbrorum civitatem* Tacito memoratam. Illam enim inter Anglos & Varinos posuit gravissimus hic author, ubi Ravennas lineam sive gentem Francorum olim habitasse refert. Cimbros ab antiquo *prædones* & *vagos* fuisse *Posidonius* & ex eo *Festus* afferunt. Imò genuinum ipsorum apud Germanos nomen ab illo Cimbrorum diversum, *Plutarcho* teste, *latronem* denotavit. Vetustissima autem vox, qua *latronem* vel *prædonem* nec non & *vagum* sive *exulem* indicavimus, fuit *warge* & *wrake*; uti etiam trajecto *r* dicimus *bernen* & *brennen*; *born* & *brun*; Sax. *wermte* & *wremte* &c. Vox a *werfen*, *ejicere*, derivata *ejectum*, scilicet patria, &, quoniam exules ejusmodi ex præda vivebant plerumque, per consequentiam *prædonem* & *latronem* significavit. In Lege Salica Tit. LVII. leg. 5. *wargus* redditur *expulsus de pago.* Glossæ interlineares *Thuani* hic habent *dejectus* pro *ejectus.* Junge, quæ *Cangius* his addit. *Sidonius Apollinaris* lib. VI. Epist. 4. prodit Arvernos *latrunculos* vocasse sua lingua *vargos.* Septentrionalibus specialim *warger* designat *piratam.* Et cùm olim piratica laudi apud populos barbaros haberetur, Septentrionales nomen *Wargorum* honorabile sibi putabant. Sic Dani illi ex Anglia Constantinopolim profugi, atque ibi in custodiam Imperatoriam seculo undecimo adsciti, se *Warangos* vocabant, unde Græci *Barangos* fecêre. Speciatim Lubeca, & unde Lubeca excrevit, Aldenburgum in Russicis monumentis in *Variach* sita dicitur. Et quoniam ex illa regione omne mare Balthicum præcipua mercimonia acciperet, atque inde etiam celebriores piratæ venirent. factum est, ut omne Mare Balthicum Russis etiam *Mare Wargicum* dictum

13. Id autem factum verisimile est, cùm bello Marcomannico sub *Marco Antonino* commotâ barbarie pars gentium citeriorum in Romanas regiones irrumpens ulterioribus succedendi locum fecisset, aut dedisset exemplum: quo tempore Gothi & Burgundiones versus orientem, Franci versus meridiem migravêre; illi nonnihil in meridiem, hi paulum in occidentem flexi; illi ex regionibus trans-Oderanis, hi ex cis-Oderanis.

14. Geographi Ravennatis testimonium adjuvat *Ermoldus Nigellus* (19) Francus autor. Ejus carmen habetur nondum editum ad *Ludovicum Pium* Augustum. Ubi de *Haraldo* Dano principe regii sanguinis agens, qui in Aula Cæsaris fidem Christi receperat, disertè ait, Francos fuisse Danis cognatos, imo ex iis ortos, nempe pro parte, ac de cætero (quemadmodum judicare æquum est,) ex regione Danis vicina, cujus incolæ ejusdem cum Danis essent originis; ut autor hic Ravennati concilietur. Verba ita habent libro quarto:

dictum fuerit atque adhuc dicatur. Et *Rurico*, qui seculo post C. N. octavo Principatum Russorum adeptus est, *Waregus* nominatur; quia ex Danis regioni *Variach*, sive, ut vocabulum a Slavis deinde corruptum est, *Wagria* vicinis ortus esset. *Warge* verò hoc Anglo-Saxones *wrace*, *wræce*, sive *vræce* & *fræce* enunciarunt. *Bensonius* in Vocabulario Anglo-Saxonico: *Wracan*, *wracian*, exulare. *Wræcca*, exul, miser. *Wrecca*, *wreccea*, exul, miser. *Fræc*, profugus. Ut alia prætermittam. Francorum nomen veteres quidam per *ferox* exponunt, unde illud a nostro *frech* derivasse videntur. Licet autem hæc ratio vocis falsa sit, indicat tamen *Franci* vocabulum olim sine *n* scriptum fuisse; quemadmodum & in Norwegicis monumentis veteribus Franciam aliquoties *Fracolandiam* exaratam inveni. Cùm igitur *Waregi* sive *Fræci* aut *Fraci*, hoc est, *vagi*, *exules* & *piratæ* vel *latrones* eo loco inveniantur, ubi parvam *Cimbrorum* civitatem veteres ponunt; & Cimbri Germanice nomine, quod *latronem* denotet, insigniti fuisse a veteribus authoribus ferantur: hoc ego nomen *Frace* vel *Frake* fuisse non vanè existimo. Ex *Frake* autem, *n* indito, factum deinde est *Franke*, *Francus*; ut ex *recken* prodit *rancke*; ex veteri *brechen*, splendere, *prangen*; ex *wacken* (unde *wackeln* diminutivum) ejusdem sensus *wancken* &c. Qui prodidere, ipsum Cimbrorum nomen *latronem* significare, *Plutarchum* attentè non inspexerunt. *Fracis* enim sive *Francis*, a Germanis ita dictis, Cimbrorum appellatio indita est ab Helvetiis Gallis, cùm societatem cum iis adversus Romanos iniissent. Et notatu dignum est, *cymmar* adhuc in lingua Cambro-Britannica, veteris Gallicæ sobole; *socium*, *sodalem*, *comparem* designare. Sed hæc alibi fusius exponentur. Sufficit nobis hic, vel ex ipso Francorum nomine, eorum originem a Balthico mari, confirmasse. Accedit his dialectus Francica vetustissima, quæ, ut ex reliquiis ejus in Lege Salica Heroldina extantibus patet, Saxonicæ atque Anglo-Saxonicæ propinquior, quàm Alamannicæ fuit; & sibilis etiam caruit. Exempla in Notis nostris ad hanc Legem passim videri possunt.

(19) Carmen ejus de Vita *Ludovici Pii* in Bibliotheca Cæsarea asservatur. Editionem promisit Illustris *Gentilottus ab Engelsbrun* in Catalogo Codicum MStorum ejusdem Bibliothecæ proximè imprimendo. Faciliùs autem gravi illius ævi scriptori, ex communi traditione aliquid asserenti, fidem habuerim, quam nostræ ætatis homini, eidem contradicente, nec tamen valida satis adversus ipsum argumenta proferenti.

Hic populus porrò veteri cognomine Deni
Ante vocabantur, & vocitantur adhuc.
Nort *quoque Francisco dicuntur nomine* manni,
Veloces, agiles *armigerique nimis.*
Ipse quidem populus latè pernotus habetur,
Lintre dapes quærit, incolit atque mare.
Pulcher adest facie, cultuque statuque decorus,
Unde genus Francis, *adfore fama refert.*
Victus amore Dei, generisque *misertus* aviti
Temptat & hoc Cæsar lucrificare Deo.

15. Dænos vel *Denos* appellat, ut hodieque Germani facimus, non *Danos*; nempe a fluvio *Dena* vel Dina, quod apud Anonymum illum Ravennatem vetus fuit Eidoræ nomen, in *Deninga* (ad fluminis exitum) vulgo Tœninga, relicto appellationis antiquæ vestigio, *nam Eidoram dictam constat ab* Heggedor, (*ut Ditmarus a me restitutus vocat*) *vallo scilicet, in quo ad aditum porta relicta erat, quo Dani ejus ripam antiquitus munierant*; quæ pag. 29. Tomi I. Scriptorum Brunsvicensia illustrantium jam a me notata, primus erui ex Ravennate Geographo, Danorumque ut Francorum originibus lucem, ni fallor, aliquam attuli, Danosque loco supra dicto jam antiquitus, Romanis fuisse laudatos notavi. *Laudabatur Parsus Marco, dum non noveras Gothos, sed ô ubi est Danus?* (20) quod Romanorum dicterium Geographus Ravennas nobis servavit, quo Gothi Parthis, seu Persis, Dani Gothis præferri videntur, & credibile est *MARCUM intelligi Antoninum.* Sed hæc obiter, quia aliis haud observata, & ab hoc loco non aliena, pertinentque etiam ad Francorum & Saxonum cognatarum Danis gentium decus. Saxones *agilitate terribiles Grosius* dixit, sed Danos supra omnes nationes velocissimos habitos ait scriptor ille Ravennas. Sub Saxonibus a cæteris scriptoribus nobis notis *Jornande* prioribus Danos comprehensos alias notavi, quemadmodum & Frisios, Cauchos, Warnos (qui proprium deinde regnum ad Oceanum Germanicum condidêre) Anglos, Jutas, aliosque populos mare inter Galliam Britanniamque & litora utriusque piraticis excursionibus infestantes; pro quibus omnibus solum tunc Saxonum nomen celebrabatur. *Doniam Urbem* (id est Toningiam) jam *Ethelwerdus* nominat, autor ex Anglorum Saxonum Regia stirpe in libro ad *Mathildem* Filiam *Ottonis M.* scripto; cùm ait: *Saxonum gentem fuisse in tota ora maritima a Rheno*

(20) Crediderim ferme per *Danum* hic non Chersonesi Cimbricæ incolam, sed *Dacum*, montium quondam Transsylvanicorum habitatorem, intelligi. Sic idem Ravennas lib. 1. cap. 16. *Daniam* pro *Dacia* ponit. Ibidem tamen cap. 11. ubi dicit, *Gothos, Danos, & Gepidas* ex Scanzia exiisse, Chersonesi Cimbricæ Danos in animo habuit.

Rheno fluvio usque ad Doniam urbem, id est, usque ad Eidoram. Et putat *Cambdenus* in Britannia cap. de Danis, *Ethelwerdum* Danos ab hac urbe dictos credidisse: sed a flumine dicti sunt, cujus accolæ erant, & unde etiam urbs nomen habuit: & translata est appellatio, ut fit, in populos ulteriores, ut Hermunduri & postea Allemanni, id est superioris Rheni accolæ, toti Germaniæ apud Gallos veteres & recentiores nomen fecere. Nam quemadmodum alibi dudum notavi, Herminones vel Hermunduri, Heermænner, Hermanni eadem sunt ferè vox, quæ *Germani*, variata tantùm aspiratione initiali; uti idem est *Lotharius*, *Hlotarius*, *Clotarius*; Germani fratres Latinorum iidem cum iis quos Hispani vocant *Hermanos*; denique Gammanus Latinorum idem, qui Hummer Germanorum; ut alia exempla nunc non addam. Ab Herminonibus ergo, qui omnes populos Germanicos a Bojohemo usque ad Rhenum olim complexi videntur (etsi Hermundurorum appellatio mox strictiùs accepta sit) etiam ulteriores cognatæ linguæ populi, atque ita omnes, inde a Rheno usque ad Sarmatas & Scandinaviæ Fennos, a Gallis & horum exemplo a Romanis dicti sunt Hermanni vel Germani, quod militem sonat. Eodem modo nomen Danorum, accolis Dænæ fluvii proprium, ulterioribus Cimbricæ Chersonnesi & insularum Balthicarum incolis commune factum est. Sed hæc obiter.

16. Tertium argumentum pro Francorum originibus accedit ex ipsis veteribus contrariæ sententiæ patronis præsertim Gestis Regum Francorum & scriptoribus sequacibus, dum Francos a Mæotide palude accersunt. Sciendum enim est, scriptores locis temporibusque remotos Mæotidem paludem cum mari Balthico (21) non raró confudisse, quod etiam notavit *Adamus Bremensis*, lib. 4. *Fortasse* (inquit) *mutatis nominibus arbitror illud fretum* (mare Balthicum) *ab antiquis Romanis appellari paludes Scythicas vel Mæoticas*. Exemplum manifestissimum habemus in *Procopio*, qui lib. 1. belli Vandalici Vandalos primum circa Mæotidem consedisse narrat, quos a mari Balthico venisse ex *Tacito* aliisque constat. Ne jam addam (quod amicus non ineptè suspicatur) regionem circa Panim (22) fluvium per errorem Pannóniam appellari potuisse, & *Frigam* Regem apud *Fredegarium*, (si quid in hac re veri) Fricconem fortasse dictum, cujus nominis Principes apud Septentrionales inter Deos relati sunt, quemadmodum apparet ex *Pauli Diaconi* Longobardicis. *Fredegarius* etiam etsi perturbatissima narratione, parti antiquorum Francorum ad Oceanum sedes assignat.

V 3 17. *Pri-*

(21) Quæ Vir eruditus contra hæc disseruit, non attingo. Constat enim sibi sententia *Leibnitii*, & ex *Jornande* apparet, Ablabium quoque Mæotim paludem cum mari Balthico confudisse, quando Herulos juxta eam locavit. De Herulis enim adhuc in climate Arctoo sive ad Balthicum mare residentibus ibi sermo est.

(22) Suggessimus hoc nos ipsi p. m. auctori: sed rem omnem nondum satis expenderamus.

17. *Prima* ergo *Francorum sedes* inter Albim & mare Balthicum ex Geographo Ravennate & *Ermoldo Nigello* ostensa est; *alteram* inter Albim & Visurgim (23) amnes quærendam ex Legis Salicæ præfatione hactenus parum intellecta ostendemus. *Tertiam* inter Visurgim & Rhenum collocandam ex Romanis scriptoribus constat, cùm per incursiones suas nimis noti esse cœperunt; unde tandem transmisso Rheno in Romanas regiones progressi florentissimum regnum victis Allemannis, Burgundionibus & Wisigothis in Gallia parteque Germaniæ condidere.

18. Legem Salicam, quæ cum aliis Germanicarum gentium antiquis legibus dudum edita extat, a Francis fuisse latam constat, cùm nondum Christum recepissent. Manifestum etiam est, tunc nondum Reges habuisse, (24) sed, ut postea Saxones in hac nostra Germania,

Quot pagos, tot pene duces,

ut ait antiquissimus poëta Saxo. Nam in ipsa præfatione Legis refertur ex diversis pagis Legatos convenisse ad condendam Legem: Regis aut Prin-

(23) Ex iis quæ ad Legis Salicæ Prologum commentati sumus, evidens est alterum Francorum sedem ab Albi usque ad Salam Franconicum porrectam fuisse.

(24) Reges quidem Francorum jam a tertio post Chr. N. sæculo apud Scriptores Romanos invenimus; sed facile persuadeor fuisse Duces regali pene potestate, qualis & olim *Arminius* Cheruscus. Circa annum 288. occurrunt *Atech* & *Genobaudes Reges Francorum*. *Eumenius* in Panegyrico *Constantini M.* c. 10. etiam *Regum Francorum* meminit, *Mellobaudes Rex Francorum, & Comes Domesticorum Gratiani* Imp. annis 374. & 378. Alamannos devicit. In Chronico *Prosperi* Pithœano legitur: *Priamus quidam regnat in Francia, quantum altius colligere potuimus.* In annum 382. *Ruinardus* hoc refert. Ingenio non caret conjectura Leibnitiana, quod verum *Priami* nomen *Pharamundus*, atque ipse *Marcomiris* pater, & avus *Pharamundi Regis* fuerit. Excepêre hunc *Priamum Marcomeres* & *Sunno Reges*,

- - - *quorum alter Etruscum*
Pertulit exilium: cùm se promitteret alter
Exulis ultorem, jacuit mucrone suorum,

teste *Claudiano* de Laudibus *Stiliconis* lib. I. qui eosdem hos principes ibidem *ingenio scelerumque cupidine fratres* vocat. *Sulpitius Alexander Regales* nominat, hoc est, ut dixi *Duces* regali pene potestate, qualis & *Theodemeres*, *Richimeris* filius, a *Frigerido Rex Francorum* dictus, fuit. Post eum tamen suasu *Marcomeris* ex exilio suo forte reducis, certi quidam pagi Francorum in Salica Lege nominati Regem communem sibi elegisse, & novum hoc regnum legibus firmasse videntur. Nec spernenda omnino autoritas Autoris Gest. Francorum, qui sua ex antiquiore procul dubio fonte hausit, ubi scripsit: *Defuncto Sunnone Franci petierunt consilium, & elegerunt Faramundum filium Marcomiri: & levaverunt eum super se Regem Crinitum. TUNC ET LEGEM HABERE COEPERUNT, quam Consiliarii eorum Priores gentiles his nominibus Wisovast, Wisogast, Arogast, Salegast, in villabus Germaniæ, id sunt Bodecheim, Salecheim, Widecheim, tractaverunt.* Ii, qui jam propius ad Rhenum accesserant Attuarii, Chamavi, aliique, nec non illi, qui jam ultra Rhenum processerant, & Mosam inter & Rhenum sedes fixerant, *Pharamundum* & ceteros nonnisi comiter coluisse suspicio est. Videntur & hi proprias sibi leges condidisse, quæ *Ripuariæ* dictæ, & a *Theodorico Clodovei* filio deinde emendatiùs publicatæ sunt. Proprios quoque Duces regali potestate eos habuisse credas. Tales

Principis ibi mentio nulla est. Et *Otfridus* loco suprà citato dicere videtur, antiquos Francos Regem non tulisse. Nam quod nunc in Lege Salica de Rege, de legibus Dominicis, de Ambascia Dominica & similibus legitur, manifestè a posterioribus insertum est; cùm legem hanc jam antea scriptam, sub *Clodovæo*, *Theoderico*, *Childeberto*, *Chlotario*, *Dagoberto* recensitam & interpolatam constet ex ipsa illa præfatione.

19. Multi credunt, Francos tunc jam trans Rhenum in Belgica egisse, nempe in regione Tungrorum & Aduaticorum, circa Mosam, Scaldim & vicinos amnes; ubi nunc Leodiensis ditio & Ducatus Brabantinus, & Flandriæ Comitatus, quæ sententia *Johannis Jacobi Chifletii* fuit, quam & *Godefridus Wendelinus* peculiari libro de nativo Legis Salicæ loco firmare conatus est.

20. Sed Francos seriùs in Gallia Belgica sedes fixisse constat, & infrà pluribus dicetur. Et cæteroqui debilissima sunt Wendelini argumenta, nonnulla etiam ridicula. Verba Germanica in Editione Heroldina interspersa, & in Malbergis seu Mallorum conventibus usitata, quibus plerumque

Tales fuerunt *Sigibertus*, qui Coloniæ tesedit, & *Ragnacharius*, qui apud Camaracum; *Chlodovei* per matrem parentes & propinqui, atque a *Gregorio* Turonensi *Reges* appellati. *Pharamundo* filium fuisse *Clodionem* Gesta Francorum, Vita Regis *Sigeberti* III. ceterique recentiores produnt. *Gregorius* solum *nobilissimum in gente sua Regem Francorum fuisse*, *Dispargi in termino Thuringorum habitasse*, & Camaraco capto usque ad Suminam fluvium terras occupasse, refert. *De hujus stirpe*, pergit Gregorius, *quidam Meroveum Regem fuisse asserunt, cujus fuit filius Childericus*. Gesta Regum Franc. in Codice Cameracensi dicunt *Meroveum de genere Clodionis produsse*, & Genealogia Regum Francorum apud *Quercetanum* Tom. I. pag. 794. testatur *ex genealogia Priami fuisse Meroveum*. Id quod *Leibnitius* conjecturam confirmat, statuens, *Priami* idem esse nomen ac *Pharamundi*. Per *Priamum* enim hic *Pharamundus* intelligitur. Genealogia alia Veteri Legis Salicæ Codici adjecta ibidem pag. 793: *Primus Rex Francorum Faramundus dictus est. Faramundus genuit Cleno & Cludiono. Chludius genuit Chlodebaudo*. Huic posteritatem tribuit illam, quam alii *Meroveo* Genealogia Regum, quam laudat *Chifletius* Anast. Childerici pag. 13: *Meroveus, qui non erat Clodii filius, sed ipsi sanguine conjunctus, fecit se creare Regem, Clodii filios, qui ætate minores erant, excludendo*. *Fredegarii* Historia epitomata Francorum fabulam habet, *Clodionis* uxorem, cùm ad mare lavaretur, a bestia *Neptuni* sive Minotauro compressam, filium peperisse *Meroveum*, unde progeniti *Merovingi*. Genealogia vetusto Conciliorum & Capitularium Codici addita apud *Quercet.* l. c. pag. 793. *Merovium* (ita scribit) *filium Merovei* vocat. *Clodionem* duos filios habuisse, & uni Romanos, alteri *Attilam* favisse, *Priscus*, scriptor fide dignus, prodit. Ut hæc concilientur, dicendum est, *Clodionis* uxorem ante hunc habuisse virum *Meroveum*, ex quo pepererit *Meroveum*, *Clodionis* privignum, & postea successorem: Ex *Clodione* verò illum, cui *Attila* bene voluit, quique forte in bello periit; & alium, cui Romani faverunt, & cujus nuptiarum cum Romana virgine Senatoriæ gentis *Sidonius* meminit: hujus nomen fuisse *Chlodebaudus*. Et huic juveni *Meroveus* regnum præripuisse videtur. Ita omnia cohærent, & cum veterum relationibus conveniunt. *Meroveum* filium habuisse *Childericum* certum est. Hujus historiam omnem, præter mortem forte, inter fabulas refert *Danielius*. Quædam fabulosa ei mista esse concedo. Interim illum a populis rebellibus pulsum, ad Thuringorum Regem *Bisinum* profugisse,

&

rumque summa rei capita indicantur, ab amico doctissimo *Johanne Georgio Eccardo* (cui multum debebit lingua Germanica) multis in locis egregiè explicantur, qui novam tanti Teutonicæ vetustatis monumenti editionem parat, multa præclara daturam. Wendelinus autem, cùm nihil in illis intelligeret, nomina inde villarum Brabantinarum fecit, in quibus habiti fuissent malli vel placita condendarum Salicarum legum causa; ut alia taceam non minùs vana.

21. Cæterum juvit deceptionem prava lectio *Gregorii* Turonensis, in quo Tongriam (25) legerunt, unde creditum est Francos ex Pannonia digressos maturè transmisso Rheno in Tongris egisse; cùm *Ruinardus* novissimus

& in regno restitutum, ejus uxorem, invito marito, sibi sociasse, non improbabile est. Tunc enim *Bisinus* Thuringorum Rex, dum *Childericus* in Gallia aliis bellis implicitus esset, super Francos in Bodogavia, Windogavia & Wirogavia residuos irruisse, eisque malè tractatis regionem inter Albim Bodam, Hartzicos montes & Salam Albi influentem, nec non & ad Werram superiorem sitam, eripuisse videtur. Et licet pro tempore hanc injuriam alibi occupati vindicare non possent Franci; mansit tamen apud eos alta mente reposita, & vindicta reservata est *Chlodoveo* ejusque filio *Theodorico*. Post *Childericum* itaque ex pagis, qui Legem primùm condiderant, & Regem sibi elegerant unanimi consensu, nullus remansit Francis præter *Pagum Salicum*; unde non mirum LEGEM illam, cùm a *Clodoveo*, etiam ex Salica gente orto, emendaretur, augeretur ac veluti renovaretur, speciali nomine SALICAM in posterum vocatam. Reliquæ enim hujus nominis rationes ab aliis allatæ ne hilum quidem valent. Nupera sententia Viri docti, qui statuit *Chlodoveum* hanc Legem Alamannis devictis præscripsisse, consistere nullo modo potest. Francos enim, nunquam verò Alamannos, secundùm eam vixisse, ex iis, quæ superius ad Legem ipsam diximus, & in medium attulimus, certissimum est. Nec ullam Alamanni Chartam unquam inveniet, qua is dicat, se aliquid secundùm eam Legem peregisse. Habebant illi peculiarem Legem, æquè vetustam, imò fortè vetustiorem; ac Salica fuit, a *Theodorico* deinde in ordinem meliorem redactam, ipsisque confirmatam. Ipsa Legis Salicae Conclusio cum Prologo convenit, & claris verbis dicit, *Chlodoveum* saltem Salicam legem emendasse & auxisse ex temporum suorum ratione. Legem autem Salicam primum Latina lingua, barbaro licet stylo, ad instar Legum Romanarum conscriptam fuisse, nullus dubito. Proceres Franci in aula Imperatorum tunc potentes erant, & plurimi in castris eorum agebant, ubi linguam illam sibi familiarem reddebant: Germanicam scribere nesciebant ferè usque ad tempora Carolina, uti illud *Otfridi* Præfatio in Paraphrasin Evangeliorum Francicam evincit. Et quicquid Legi postea additum est, ideo Latino sermone conceptum legitur. Comites autem, & sub iis Centenarii aliique magistratus in Judiciis sive Mallobergis sensum Legum patria lingua repetebant; unde glossæ illæ Germanicæ, Latinis vocibus difficilioribus superpositæ ab hominibus Francis, Latinæ linguæ imperitioribus, sensim additæ & tandem in textum exemplaris, ab *Heroldo* editi, irrepserunt, quas nos primi, secundùm genuinum ipsarum sensum, exposuimus.

(25) Verba *Ruinardi* sunt: *Thoringiam* habent omnes Manuscripti, quos videre licuit, infra *Thoringorum*, præter Regm. qui hac secunda vice habet *Tungrorum*; & Bad. *Tongrorum*. Paulo post idem *Ruinardus* dicit: *Sed huic lectioni non solum editi & manuscripti Codices, sed & Fregedarius & auctor gestorum Franc. &c. refragantur.*

noviſſimus diligentiſſimuſque editor *Gregorii*, optimè notet, in omnibus ferè Codicibus Manuſcriptis legi Toringiam, quemadmodum & legerunt omnes veteres *Gregorii* exſcriptores.

22. *Gregorius* ipſe ita ſcripſit: (26) *Tradunt multi eoſdem de Pannonia fuiſſe digreſſos, & primum quidem littora Rheni amnis incoluiſſe, de hinc transacto Rheno Thuringiam tranſmeaſſe, ibique juxta pagos vel civitates Reges crinitos ſuper ſe creaviſſe.* Sed Thuringia Pannoniæ propior eſt quàm Rhenus; nec a ripa Rheni dextra in Thuringiam tendenti tranſmittendus eſt hic fluvius. Itaque *Valeſius* pro Rheno Mœnum accipit vel legit. (27) Ita quidem *Gregorio*, Pannonicas Francorum origines credenti, ratio dictorum conſtabit; Sed res ipſa ſe longè aliter habet, Francique non a Danubio, ſed ab Albi in Thuringiam (ut nunc dicitur regio) devenêre.

23. Alii quidam Viri Docti Legem Salicam ad Iſalam vel potius Iſſelam amnem conditam credidere. Sed Iſſelam unquam Salam dictam non apparet, nec alio ullo indicio hæc ſententia juvatur; etſi ſerius Francos Salios in Batavorum inſula ſedem poſuiſſe conſtet. At illi non ab Iſſela, ſed a Sala amne Franconico, unde venerant, nomen habuere, ut jam patebit.

24. *Secunda* ergo *ſedes Francorum* & origo Legis Salicæ optimè habetur ex ipſius Legis Salicæ præfatione. Memorantur ibi tres Francorum pagi *Salageve*, (28) *Bodogeve* & *Windogeve*, ſecundùm editionem *Heroldi* (vel ut quidam veteres legerunt, quod eodem redit, Salaheim, Bodoheim & Windoheim) ubi in tribus mallis uno poſt alium convenere ex quatuor primariis pagis (*Wiſogeve*, *Bodogeve*, *Windogeve* & *Salageve*,) Legati ſeu Deputati: *Wiſogaſt*, *Bodogaſt*, *Windogaſt* & *Salagaſt*; quæ non nomina virorum propria ſunt, (ut accepit *Valeſius*, cui ideo ſuſpecta fuere) ſed appellativa a regionibus, unde miſſi venere. *Gaſt* (29) enim ſignificat hoſpitem ſeu advenam, & fortaſſe vi ipſius Etymologiæ relativum eſt ad *Goam*, *Gau* vel *Geve*, γαῖαν regionem cujus eſt incola. Itaque

(26) Hunc *Gregorii* locum ex mente authoris ſupra ad Cap. VIII. hujus libelli explicavimus.

(27) Nihil tamen mutandum eſſe ex iis patet, quæ loco citato diximus. *Danielius* eos Francos Rhenum tranſiiſſe putat, qui poſt acceptas a *Probo* imperatore circa Pontum Euxinum ſedes, per varias provincias divagati, tandem in patriam ſuam per Gallias repedarint. Sed *Gregorius* non de illa Francorum manu, verùm de integra gente loquitur.

(28) De his Pagis exactè egimus in Notis ad veterem Legis Salicæ prologum.

(29) Qui *Sapientem* vel *Præfectum* hanc vocem vertunt, ſententiam ſuam ne unico quidem veteris monumenti loco, neque uſu vulgari comprobare poſſunt. Etymologia a *ga*, pagus, arceſſita noſtra eſt, eamque in Notis ad prologum affatim probavimus. Si vir doctus ejus derivationem a *gaſat*, h. e. *poſitus*, veroſimilem reddere voluiſſet, adducenda fuiſſent veterum loca, ubi ea voce hoc ſenſu uſi fuerint, quæ nuſquam inveniet. Nihil enim aut parum admodum ingenio in etymologicis indulgendum eſt, ne Becanizare aut Rudbeckizare peritioribus videamur. *Gaſt* nihilominus Vir doctus

que *Salagast* est vir ex *Goa* seu pago *Salico* veniens, idemque est in cæteris. Nomina a scriptoribus *Adone*, *Sigeberto*, *Ivone* aliisque corruptè enunciata ex ipso Legum Germanicarum vetustissimo Codice Fuldensi, quem *Heroldus* editor secutus est, meritò emendantur, eaque ratione optimè intelliguntur.

25. Porrò situm pagi *Salageve*, qui videtur habitus potissimus, & toti Legi, etsi pro parte tantùm in eo conditæ, nomen dedit; non ex conjectura, sed antiquissimis monumentis *Carolo Magno* anterioribus æqualibusque didici. Extant scilicet Traditiones Fuldensi Cœnobio factæ, quas partim *Johannes Pistorius* edidit, partim ipse Fulda obtinui; ubi in scripturis circa *Pipini* primi Regis tempora & paulo post datis sæpissimè pagus *Salageve* occurrit, jacens ad Salam fluvium, non Thuringicum, ut credidere plerique, sed Franconicum, qui in dextrum Mœni latus prope Gemindam hinc dictum, influit; ut ex locis in pago sitis, quorum ibi mentio fit, nunc quoque extantibus, manifestum est.

26. Atque hic est Sala fluvius, ad quem *Carolus M.* aliquoties egit, ibique palatium regium habuit, cujus nomen hodieque superest in *Königs-hofa* (30) villa seu aula Regia: quæ fuit, ut antiquissimus Poëta Saxo scripsit,

Nascenti vicina Salæ.

Etsi quidam Sala Thuringico præoccupati pro Salafelda habuerint. Notat Poëta, fœdere perpetuo Saxones illic Francis æquatos, & in communem Rempublicam receptos fuisse.

27. *Bo-*

doctus *Præpositum*, *Præfectum*, vertit. Quoniam autem *Salageve* vel *Salaheim*, *Bodogeve* vel *Bodoheim*, & cetera, ipsi vici Wormsgaviæ videntur; sequitur inde, hos *Præfectos* necessario fuisse *Præfectos istorum vicorum & terrarum ad hos vicos pertinentium*, quos vulgo *Scultetos* & *Heimburgios* aut *Dorfrichter* vocamus. Et licet nolit, hanc sibi sententiam tribui; ex iis tamen, quæ profert, nemo alium sensum exprimere poterit. Qui Salicam Legem condiderunt *Priores* vel *Primores gentis* vocantur in Prologo & aliis veterum locis: ex singulis pagis sive provinciis convocatos etiam affirmatur. Et cùm sequentes Francorum Reges emendarent Leges suarum Provinciarum, ex singulis iterum provinciis Primores, prælertim Duces, consulebant, ex veteri instituto. Incredibile igitur est, maximæ gentis Legem præcipuam in quatuor vicis parvulæ & Alamannicæ provinciæ conditam fuisse. Nec talia sine gravioribus probationibus nobis offerri velim.

(30) *Palatium Saltz* vel *Palatium Salæ*; quod *Carolus M.* adamavit & ubi cum Saxonibus etiam pacem firmavit, navibus adiri potuit. Poeta Saxo in Vita *Caroli M.* ad annum DCCXC. canit de eodem *Carolo*:

Est aggressus Mœnum navale per amnem.
Ascendit que per hunc, donec prope Mœnia venit.
Magna Palatinæ sedis Salt nomine dicta.
Nascenti vicina Salæ nam fluminis hujus
Rivus adhuc modicus hæc ipsa Palatia cingit,
Vix raucum per Saxa ciens resonantia murmur.
Dispositis ibi rebus, aqua redeundo secunda
Wormatiam petiit.

De eadem re Annales Laureshamenses ita scribunt: *Rex - - - per Mœnum fluvium ad Salæ palatium suum in Germania juxta Salam*

27. *Bodogevam* & *Wisogevam* pagos a fluviis *Boda* ad radicem Harzicorum montium fluente & Wisera (quem Latini Visurgim dixere) denominatos quàm maximè convenit. Et Bodogevæ pagi partem fecit, qui postea pagus *Hartegau* est dictus. Sæpe enim manentibus nominibus pagorum minorum amissa sunt vocabula pagorum majorum provincias designantium. Sæpe etiam fit, ut pagi majoris nomen, quod olim totum fluvii tractum complectebatur, exiguæ parti manserit. Ita pagus *Leingau* a Leina nostro dictus, postea soli parti superioris Leinæ circa Gottingam mansit. *Windogevam* non ita bene designare possum. Fortasse Unstruta fluvius Thuringiam secantium primarius olim *Windrista* (31) (quo ferè nomine fluvius alius Hildesiam alluit, nam literam W initialem sæpe negligi constat) omissa terminatione *Winda* dicta est; ut Wisera vel Visurgis *Wisa*.

28. Ex his primariis seu majoribus Francorum pagis (multi enim minores in majoribus continebantur) colligere pronum est, Francos ab Harzicis montibus, unde Boda in Albim (licèt non immediatè) defluit, usque ad Mœnum, in quem Sala ille exoneratur, sese diffudisse; & proinde partem regionis Brunsvicensis & Halberstadensis, Hassiæque, totam ferè Thuringiam, & partem Franconiæ hodiernæ tunc tenuisse, & ita in partem regionis Longobardorum, Cheruscorum & Cattorum, sed maximè Hermundurorum successisse; vel potius cum iis, qui nondum per anterio es migrationes excesserant, in unum corpus coivisse. Nam credibile est, globum hominum a Balthico mari venientium, instar pilæ nivis in itinere, aliis sive per vim, sive sponte accedentibus crevisse. Itaque limites habuerint, a meridie, Mœnum; a septentrione,

 Har-

Salam fluvium constructum navigavit: atque inde iterum per eundem amnem secunda aqua in Wormatiam reversus est. Eadem fere Regino habet. Cùm autem *Konigshofa* aqua adiri nequeat, Sala ibi per scopulos tenui admodum alveo fluente; inferius *Palatium Salæ* quærendum est, ubi nunc oppidum est Neostadium: ei enim in monte adjacet Castrum *Salzburg*, quod est ipsum illud Palatium Carolinum. Nec tamen Sala amne cingitur, ut Poëta canit; sed alluitur saltem. *Merianus* in Topographia Franconiæ pag. 64. elegantem & castri & oppidi delineationem dedit, quam ex mente *Meriani* correctam hic adjungimus. Castrum *Meriani* tempore ad Nobiles Advocatos de Saltzburg (dem Adelichen Geschlecht der Voiten von Saltzburg) pertinuit. *Munsterus Ober-Saltza* vocare videtur. *Wehnerus* in Pract. Observ. voc. *Ganerben* de eodem hæc profert: *Aliud exemplum est in arce Salisburgo*, Saltzburg, *ad Salam in Franconia Orientali, ubi etiam Imperatoris* Conradi, *qui cognomen Salici adeptus est, regia olim, & lex Salica primum lata est a* Woeremundo *ejusque consiliariis quatuor, qui in ipsa Lege nominantur* Visogast, Arogast, Salegast, Vindogast. *Itaque arx hodie est etiam domus ganerbica, similiter suum habens Burggravium & sua Regalia.* Accedit his testimoniis traditio communis incolarum hujus loci, quòd *Caroli M.* ibi Regia fuerit sedes. Vid. *Jo. Petri Ludovici* Continuatio Episcoporum Bambergens. pag. 1042. seq.

(31) Hanc conjecturam non probamus. Vide, quæ ad Prologum commentati hac de re sumus. Fluvius Hildesiam alluens nunquam Windrista, sed olim *Indrista*, vulgo *Innerste*, semper dictus est, quasi *maximè interior* (Ostphaliæ nempe) *amnis*.

Harzicos montes; ab occidente, Visurgim (32) cum Fulda influente continuatum; ab oriente, Salam Thuringum Albi influentem, ac deinde ipsum Albim. Et quia maximè Hermundurorum regionem tenuere, quibus propriè Germanorum nomen conveniebat, ut ostendi; hinc factum puto, ut D. *Hieronymus* & alii annotarint, qui tunc Franci, olim dictos fuisse Germanos.

45. On vient à présent au second point, savoir au second & dernier séjour des Francs après qu'ils eurent passé l'Elbe. On suppose dans le traité, qu'ils avoient eu devant eux le *Viser*, l'*Elbe* derriére eux, le *Hartz* à leur droite & le *Meyn* à leur gauche : C'est l'époque de l'institution de la Loi Salique, en partie dans le bourg nommé *Salagau* ; La préface à cette loi fait expressément mention de ce bourg, & sa situation est spécifiée dans les traditions de *Fulde*, dans lesquelles on remarque en même tems celle des trois autres bourgades capitales des *Francs*, qui y avoient envoyé des députés pour l'institution de la Loi Salique ; & que cette loi avoit été dressée, non-seulement avant que les *Francs* eussent embrassé le Christianisme, mais avant qu'ils eussent des Rois, & même avant qu'ils se fussent approchés du Rhin. Au contraire dans les remarques on est d'avis §. 22. p. 266. que *Clodove* est l'auteur de la Loi Salique ; qu'après que les Allemands se furent soumis à lui, il leur avoit donné des commandans Francs, imposé des tributs, donné des loix, qui furent appellées *Franches* ou *Saliques* ; qu'il s'étoit servi pour les rediger du conseil de quelques Francs sages & éclairés, & qu'il les avoit établi juges dans les bourgs de *Salheim*, *Bodenheim*, *Windheim*, & *Wiesenheim* situés dans le *Wormsgau* ; Bourgs qui d'Allemands étoient devenus Francs.

46. Ce sentiment ne paroit pas fondé, car dans ce cas là la *Loi Salique* eût été donnée alors, bien moins aux *Francs* qu'aux *Allemands* vaincus ; ce que personne n'a avancé jusqu'à présent. D'ailleurs on ne trouve pas la moindre trace d'*Allemands*, ni dans la loi même, ni dans sa préface.

47. *Saalheim*, aujourd'hui *Saulheim*, *Bodenheim*, *Windheim*, à présent *Weinheim*, *Wissenheim* ou *Wisheim*, sont des bourgs dans le *Wormsgau* ; on passe qu'ils soient tous aussi anciens, mais comment s'accorde cela avec ce que dit la préface de la loi Salique, telle qu'*Héroldus* nous l'a donnée d'après un exemplaire des plus anciens ? Tous ces bourgs y sont nommés *Salagheve*, *Bodoghese*, *Windogheve* &c.

48. Et supposons qu'on veuille appeller ces lieux, avec d'autres anciens écrivains, *Salacheim*, *Bodoheim* ; on sait que ces dénominations ne se contredisent pas : Car *Heim* a été dit anciennement des bourgs, des villes, & même des régions entiéres, comme *Boheim* & chez *Tacite Bohemum* le démontre ; & encore de nos jours, *Heim* & *Heimat* signifient la même chose, c'est-à-dire, nôtre contrée, ou patrie.

49. Mais de quelques puissantes contrées, de provinces entiéres (qui représentoient toute la nation des Francs) en faire des villages du Wormsgau ; des Députés Législateurs, en faire des Juges de village ; voilà ce qui est aussi incohérent, que de faire *Mota Palus* de *Maotica Palus*, quoiqu'il soit bien certain, que *Conringius* & quelques autres se soient laissés entrainer à changer en villages, des régions & des provinces entiéres.

 50. Et

50. Et comment peut-on ſuppoſer que *Clodove*, qu'on déclare pour le légitime & véritable Légiſlateur, n'y ſoit jamais nommé? & qu'on n'y nomme expreſſément que les Juges des villages circonvoiſins, qui n'ont fait que lui prêter leurs lumiéres & leurs conſeils, ſans avoir été revêtus de la moindre autorité?

51. Et ſi ces endroits (ſuppoſé qu'ils n'aient été que de ſimples villages) n'ont eu eux-mêmes aucune autorité dans une affaire ſi importante, d'où vient qu'ils ſont nommés deux fois, quand il s'agit du dénombrement des bourgs, & quand il y eſt queſtion des Députés?

52. Peut-on bien croire que le Roi n'ait pas eu auprès de ſa perſonne des Juriſconſultes, & qu'il ait été obligé d'avoir recours pour cette loi aux Juges des villages de ſes environs? Ne ſait-on pas que dans ces tems-là les principaux Seigneurs aſſiſtoient aux Conſeils des Rois dans de ſemblables affaires?

53. La préface dit expreſſément, que *Clodove* corrigea la Loi Salique; cela ne marque-t-il pas aſſez, qu'il n'en eſt pas l'auteur, mais qu'il avoit trouvé cet ouvrage tout formé?

54. Qu'on faſſe attention à ces mots: *Gens Francorum inclyta cùm adhuc teneretur barbarie, dictaverunt Salicam legem proceres ipſius gentis, qui tunc temporis apud eandem erant rectores: Sunt autem electi de pluribus, viri quatuor his nominibus, Wiſogaſt, Bodogaſt, Sologaſt, & Windogaſt, in locis quibus nomen Salagheve, & Windogheve, qui per tres mallos convenientes, omnes cauſarum origines ſollicitè diſcutiendo, tractantes de ſingulis, judicium decreverunt hoc modo. At ubi, Deo favente, Clodovæus Comatus, & inclytus Rex Francorum primus recepit Catholicum baptiſmum, quicquid minus in pacto habebatur idoneum, per præcelſos Reges, Clodovæum, Childebertum, & Hlotarium fuit lucidiùs emendatum & procuratum decretum hoc &c.* On laiſſe à juger ſi ces mots ne ſignifient pas aſſez clairement, que cette loi eſt plus ancienne que *Clodove*; qu'elle a été faite (non-ſeulement avant que les Francs euſſent reçu le Chriſtianiſme, mais même auparavant qu'ils euſſent des Rois), par les Grands de leur nation, ou par ceux que la nation avoit députés à cet effet, & pour laquelle raiſon elle eſt appellée *Pactum*, quoiqu'il n'y ſoit pas expreſſément déclaré, qu'ils n'aient pas eu des Rois alors; étant d'ailleurs conſtant que les Francs, ainſi que les Saxons, ont longtems vécu ſans être gouvernés par des Rois.

55. Il eſt au moins palpable, que ſi l'auteur de la préface eût ſu que *Clodove* avoit dicté cette loi, il auroit parlé différemment, & l'explication que *Clodove* ſoit le premier auteur de cette loi, & qu'il l'ait corrigée, après avoir embraſſé le Chriſtianiſme, eſt par conſéquent incohérente.

56. La préface diſtingue l'époque des Francs barbares, d'avec le tems de *Clodove*.

57. Voyons à préſent les objections des remarques contre le traité, quant à l'origine de la Loi Salique. Elles conſiſtent proprement dans ce qui

qui suit: Que l'auteur du traité n'a pas su deviner ce que c'étoit que *Windoghеve*, & qu'il n'a pu produire que trois endroits, *Salagheve*, *Bodogheve*, & *Windogheve*; & dans la remarque on trouve le quatrieme, & même tous les quatre ensemble, *Solheim*, *Bodenheim*, *Wisheim*, & *Wormsgavie*. La remarque conclut donc au but selon les règles d'une bonne logique §. 15. p. 258. & 259. Cela seroit fort bon, si ces quatre endroits quadroient pour le moins aussi-bien que les trois ci-dessus marqués; mais c'est ici que gît l'erreur; car ces quatre endroits exprimés dans le traité ne sont pas des simples villages, ce sont des contrées, des provinces &c.

58. Du reste on croit avoir indiqué dans le traité avec assez de vraisemblance le *Windogheve* ou *Windgau*.


59. On insinue §. 20. p. 263. qu'il est plus croiable que ces endroits étoient proches les uns des autres, qu'éloignés d'environ 30 milles d'Allemagne. Mais selon la teneur du traité, le contraire est bien plus probable; puisque c'est de ces endroits qu'ont été choisis les Députés de toute la nation des Francs, qui habitoient un district très considérable; or il est ordinaire qu'on tire les Députés des extrémités de la région qu'on habite.

60. Il ne paroit point de vestiges, que le district du pays le long du Rhin, que les Francs enlevérent aux Allemands, ait été appellé la petite France. Il est vrai que le terme de *Magna Francia* se trouve quelquefois chez les écrivains postérieurs de Byzance: On ne trouvera cependant point que ce soit par opposition à cette contrée située sur le Rhin, mais bien à la *Lombardie citérieure*, que les Grecs & les Italiens ultérieurs, ou méridionaux, nommérent quelquefois *Francia* dans le dixiéme siécle. Il se peut que ce pays, enlevé aux Allemands par les Francs, habité ensuite par eux, & situé au-delà du Meyn, soit celui qui a été appellé *Nova Francia* par l'anonyme de Saint Gall, qui étoit lui-même Allemand. Voyez *in vitâ Caroli M. lib. 1. cap. 23. 24. & Francia antiqua cap. 25. & lib. 2. cap. 16.*

61. On cite dans les remarques §. 21. p. 264. contre le sens du traité, que les Francs avant le tems de *Pharamond*, n'avoient probablement pas été aussi riches que cette Loi l'indique, dans laquelle il est question de beaucoup d'argent & d'impôts; mais il est facile à présumer, que ces impôts n'avoient pas été tels dans la Loi Salique primitive, qu'ils avoient été imposés par les Rois successeurs, selon les circonstances des tems, ainsi qu'il est arrivé dans bien d'autres choses, où il est par exemple fait mention des Rois des Romains. Ce n'est pas qu'on veuille nier ces passages, comme il paroit qu'on le veuille interpreter §. 27. p. 271. mais parce qu'on présume qu'ils ont été ajoutés.

62. Que la Loi Salique ait été presqu'entiérement refondue, c'est une chose manifeste, parce que cinq Rois, *Clodove*, *Theodoric*, *Childebert*, *Clotaire*, & *Dagobert* y ont fait des changemens en différens tems; ainsi que l'affirment les deux préfaces rapportées dans l'édition d'*Héroldus*; la

69. Il eſt vrai qu'il eſt dit dans les remarques §. 14. p. 256. qu'on voudroit parier, que *Theodoric*, en armant les *Francs* contre les *Thuringiens*, n'avoit pas ſeulement ſongé aux anciens *Hermundures*, qui avoient été les maitres de ces pays il y avoit quelques ſiécles. Mais de grace qui eſt-ce qui parle des anciens *Hermundures*? Il s'agit dans le traité des *Francs* reſtes en arriere dans le pays des *Hermundures*, quand le grand eſſaim des *Francs* en ſortit pour paſſer le *Veſer*, & pour s'approcher du Rhin. L'époque où les *Thuringiens* maltraitérent ſi cruellement les *Francs* qu'ils trouvérent encore, ne paſſe guéres d'un ſiécle & demi le tems de *Clodove*; & ce terme n'eſt pas ſuffiſant pour faire oublier l'atrocité des traitemens qu'ils leur firent ſouffrir.





G. G. LEIBNITII

BREVIS DESIGNATIO MEDITATIONUM *DE ORIGINIBUS GENTIUM*, *DUCTIS POTISSIMUM EX INDICIO LINGUARUM.*

UM remotæ *Gentium Origines* Historiam transcendant, *Linguæ* nobis præstant veterum monumentorum vicem. Et vetustissima linguarum vestigia supersunt in nominibus fluviorum atque sylvarum, quæ mutatis accolis plerumque persistunt; proximæ sunt locorum ab hominibus constitutorum appellationes; quanquam enim multæ villæ, multa oppida à conditoribus nominentur, quod in Germania valde est frequens, quæ serius exculta est; alia tamen loca à situ, à proventu, à cæteris qualitatibus appellantur, & vetustiorum difficilis est etymologia. Nomina etiam vetera hominum, quorum nulla Germaniæ gens plura Frisiis retinuit, ducunt nos in sacraria, ut sic dicam, veteris linguæ. Illud enim pro axiomate habeo, *omnia nomina quæ vocamus propria, aliquando appellativa fuisse*, alioqui ratione nulla constarent. Itaque quoties vocabulum fluminis, montis, sylvæ, gentis, pagi, oppidi, villæ, non intelligimus, intelligere debemus, ab antiqua nos lingua discessisse. Sic quotiescunque nomen hominis Germani, velut Franci, Alemanni, Saxonis, Gothi, Vandali, in *Ric*, vel *Ricus* terminatur, ut in Theodoricus, Fridericus, Hunericus, & similibus; ignoraremus fortasse fortitudinem & robur significari, nisi *Venantius Fortunatus Chilpericum* ita exposuisset:

Adjutor fortis, si interpres barbarus adsit.

Hulpe enim auxilium hodieque est. Hinc jam admonemur gigantes & heroës ante paucos annos in libris Germanicis novissimæ vetustatis *Recken* dictos; quod proprie longurionem notat. Est enim *Recken* nunc quoque extendere, & conti seu baculi oblongi apud Brunsvicenses dicuntur *ricken*. Et ipsum *reck*, *ricken*, à Celto-Scytico est fonte, nam *reye*, *rige*, *regula*, *regere*, *rex*, *reiffen*, *reissen*, aliaque multa, ad extensionem se referunt

runt lineamque rectam, quæ nascitur, filum extendendo. Ex ipsa enim natura soni, litera Canina motum violentum notat, at K finale ejus obstaculum, quo sistitur. Sic in *Ruck* (*einen Ruck thun*) promotio violenta est, sed per gradus, ubi quavis vice motus sistitur. Sic etiam adhibetur *Recken*, cùm subitò vi magna nec sine sono intenditur filum vel aliud, ita tamen, ut non rumpatur, sed sistat impetum: ita habemus ex linea curva rectam, eamque instar chordæ tensam. Sed ubi ruptio fit, pro litera K sistente, sequitur S vel Z, motus exeuntis index, & fit *Riss*, *Reissen*, *Riz*. Tales detegunt sese primæ origines vocabulorum, quoties penetrari potest ad radicem τῆς ὀνοματοποιίας. Sed plerumque tractu temporum, crebris translationibus veteres & nativæ significationes mutatæ sunt aut obscuratæ. Neque verò *ex instituto* profectæ, & quasi lege conditæ sunt linguæ, sed naturali quodam impetu natæ hominum, sonos ad affectus motusque animi attemperantium. *Artificiales Linguas* excipio, qualis *Wilkinsii*, Episcopi Cestriensis, viri ingenio doctrinaque egregii fuit (quam tamen vix quisquam præter ipsummet & *Rob. Boylium* didicit, ut hic mihi narrabat) & qualem Sinensem *Golius* non contemnendus judex suspicabatur: talis etiam fuerit, si quam mortales docuit Deus. At in linguis paulatim natis orta sunt vocabula per occasiones ex analogia vocis cum affectu, qui rei sensum comitabatur: nec aliter *Adamum* nomina imposuisse crediderim.

Quanquam autem hinc facilè intelligatur, multa peculiaria vocabula labentibus seculis facta esse à variis populis, maximè cùm rudis barbaries plus impetus quàm rationis haberet, prorumperetque utcunque ab affectu in sonos, ut sese occasiones dabant; variatumque fuisse, prout erant animi, *organaque* ipsa loquendi, quorum non omnibus nationibus æquè facilis usus: Illud tamen notatu dignissimum est, per magnam continentis nostri partem *linguæ* cujusdam *antiquæ latissimè fusæ vestigia* in linguis præsentibus superesse; cùm multa sint vocabula quæ inde ab Oceano Britannico ad usque Japanicum protenduntur. Nolo protritam illam Sacci ubique usurpati observationem afferre, quam nec satis examinavi: aliam vocem in exemplum accibo veteribus jam Celtis usurpatam, quibus dudum *Mar* erat equus. Unde *Pausanias* prodidit, triplicem equitum ordinem illis dictum *Trimarchiam*. Vox *Mare* aut *Màre* notissima antiquis Teutonibus, (quibus *Mareschalcus* qui equis præest) nunc quoque superest apud Germanos. Eadem vox *Mar* aut cognata, etiam remotissimis Tartaris ad eos usque qui Sinas sibi subjecêre, eodem sensu cognita est, quod miratus est *Johannes* Rex Poloniæ non magis fortitudine quàm doctrinæ amore commendabilis, cùm à *Claudio Grimaldo* inde à Sinis advecto quædam Orientalium Tartarorum vocabula sibi explicata accepisset; nam Præcopitarum linguam Rex tenebat: idque mihi ipse paulo post eximius ille *Grimaldus* narravit. Talis quoque est vox *kan*, de potente, procere, Rege. Nam *kan*, *können*, posse significat; *King König*, Re-

Regem: at *Chaganus*, *Can*, Sarmatis, Hunnis, Persis, Turcis, Tartaris, Principem, usque ad Sinas. Et sanè in pronunciatione literæ K initialis vim quandam non mediocrem exerceri, prorumpente per obstaculum spiritu, ipsi sentimus. Quoties igitur vox eadem aut nonnihil transformata Britonibus, Germanis, Latinis, Græcis, Sarmatis, Finnis, Tartaris, Arabibus, communis reperitur (quod non adeo rarum est) vestigium præbet linguæ antiquæ communis. Ut vel dicendum sit aliquando Europæ Asiæque potiora sub uno magno imperio fuisse, ubi communis quædam lingua dominata sit (ut serius Latina per Europam, Græca & Arabica serius per Asiam Africamque) vel potius (quod magis sacris Literis consentit) cæteras gentes unius gentis aut stirpis emissaria coloniasque fuisse, quanquam in remotioribus paulatim detrita vestigia sint cognationis. Nam novæ facilè linguæ nascuntur mixtura & corruptione cæterarum, & nobilem fœminam Anglam sæpe audire loquentem memini, quæ in Gallico Anglicè, in Anglo Gallicè dicebat. Et centeni aliquot similes facilè novam linguam procudissent in posteris, qualis Rhætorum hodiernorum ex Italica Gallicave corrupta, non minus quàm hæ à Latina: & repetitæ corruptiones corruptionum omnia tandem originis lineamenta confundunt. Itaque non miror si interiorum Africæ & omnium Americæ linguarum cognatio cum nostris agnosci non potest.

Linguas ex antiqua illa latissimè fusa derivatas, in binas species non malè dividimus, *Japeticas*, ut ita loquar, & *Aramæas*: Japeticæ Septentrionem implevere, Aramææ meridiem; totam verò Europam nostram Septentrioni computo. Quod si Septentrionales ad *Japhetum* referas, meridionales fratrum *Semi*, *Chami*que propaginibus non ineptè tribuentur. *Japetum* ejusque filium *Promethea* hominum fabricatorem etiam mythologi ad Caucasum collocarunt, Aramæi (vel *Arimi*) pro Syris jam *Homero* innotuêre.

Ex Meridionalibus linguis *Arabica* imprimis latè patet, magnam enim implet peninsulam inter Rubrum Persicumque Sinum. Et vicinæ, *Syriaca*, *Chaldaica*, *Hebræa*que ipsa, valdè ipsi sunt cognatæ. *Hebræam* velut dialectum quandam majoris linguæ constituère, eamque in paucis reliquiis conservatam satis apparet: nec mirum hoc est, cùm exiguam Syriæ partem occuparit. At fieri potest, ut melius cæteris vetustissimas reliquias servet, cùm à nulla gente antiquiores libros habeamus. Carthaginem à Phœnicibus conditam constat, & linguam *Punicam* (cujus scena mox latinè versa apud *Plautum* exstat,) ex Hebræa & cognatis *Reinesius*, *Bochartus* aliique egregiè illustravêre.

Porrò & trajecto mari rubro *Æthiopiæ* Orientalis meliora Arabum insedisse colonias ex ipsa *Abyssini* sermonis consideratione manifestum est: nec Amharica ab Æthiopica vulgari nisi dialecto distat. Plurimum Arabismi in maris Indici accolis apparere ajunt, ubi Malabarica lingua sese in ipsas Insulas expandit, qua de re notatu digna habet Cl. *Relandus*.

Ægyptia,

Ægyptia, quæ hodie *Copta*, multum ab Arabicâ cognatisque abest; & fieri potest ut ab antiquissimis Æthiopibus processerit, antequàm Arabes in Æthiopiam trajecere. Persica, Armena, Georgiana, mixtura quadam ex Scythis & Aramæis, tanquam in confinio, natæ videntur; sed ex Scythis antiquissimis, quos posteri ipsorum hodiè non agnoscerent. Parthos (qui & Persæ) ex Scythia exules venisse veteres tradidère: non potui tantùm Germanici invenire in *Persico* quantum *Elichmannus Salmasio* dixit, & unico pene *God* excepto, cætera ferè Germanis assonantia, his cum Græcis Latinisque communia sunt. *Armenam* linguam cum Ægyptiaca communem habere fundum credebat Cl. *Acoluthus* vir apud Uratislavienses doctus & in linguis Orientalibus egregiè versatus, quarum non exigua jactura decessit: & coram mihi sententiæ rationes aliquando Berolini explicuit, sed quæ parum satisfaciebant. Equidem *Ægyptiorum* Coloniam apud *Colchos* à *Sesostre* relictam veteres prodidere, quam verè non dixerim. Sed in linguis illis sejunctis & à cæterarum communione abscissis diligentius studium ponendum esset, ibi enim origines altiùs latent.

Quicquid linguis septentrionalibus commune est, *Japeticum* appellare possis, soleo & *Celto-Scythicum* vocare. Huc ergo refero quæ Germanis Græcisque communia sunt, sed ab antiquo, nam quæ seriùs per commercia literasque Gallorum & Romanorum, intervenientibus studiis & sacris, à Græcis ad Germanos pervenere, non sunt hujus loci. Sed huc etiam refero quæ Germani cum Sarmatis, Fennis, Tartaris communia habent. Sanè si ratum est homines Europæ ex Oriente quasi solis motum secutos venisse; apparet hominum examina instar sacri veris, ex Scythia progressa, Tanai, Istroque transmissis, partim in Occidentem, id est in Illyricum, Pannoniam, Germaniamque penetrasse, unde tandem in Italiam, Galliam, Hispaniam progressi sunt posteri; partim ad meridiem flexos in Thraciam, Macedoniam Græciamque vertisse: ubi seriùs ex Phœnicia & Ægypto Coloniæ supervenere; unde literæ *Græcorum* Phœniciis, sacra etiam Ægyptiis debentur. Sed Scythæ fundamentum (ut sic dicam) jecere gentis Græcorum, ut Celtæ Italorum.

Scytharum nomine hoc loco perantiquos Euxini maris accolas intelligimus, quocunque nomine venerint. Cimmerios illic *Homerus* collocavit, hos à Scythis *Herodotus* distinxit. *Tanais*, *Danaper*, *Danaster*, *Danubius* (ne quid de Duna & Dwina dicam) ab una eademque gente quatuor magnis fluviis impositæ appellationes supersunt, & à *Jornande* Gotho ita enunciantur ut origo appareat, quæ nunc contracta posteriorum pronunciatione ex parte suppressa est. Nam *Dniester*, *Dnieper*. ægrè antiquam radicalem literam initio servant; *Niester*, *Nieper*, nec servant. Favet Scythicis rerum Celticarum originibus, quod quædam veterum Scytharum vocabula ab *Herodoto* nobis servata, ex Celtico, id est Latino Germanicove egregiè explicantur. Nam *Aeorpata*, Amazonum appellationem,

lationem, Viricidas significare, prodidit *Herodotus*, *Aeor* virum, *pata* occidere: porro *battere*, *battuere* jam antiquis Romanis cædere erat, quod supereft in linguis ex Latina corruptis; nec vestigia in Germanico defunt. *Patschen* dicunt de his qui re quadam lata, ut planta pedis, manu, palmula aquam vel aliud semiresistens verberant, voce à sono orta. *Vir*, *Baro*, *Herus*, *Herr*, *Er*, cognata esse apparet, quibus consonat *Aeor*, ut οἶνος vel œnus vino.

Nec minus feliciter *Arimaspi* explicantur, quam vocem monoculos significasse idem *Herodotus* locuples autor testatur: nam *Arima* (inquit) Scythæ unum vocant, *Spu*, oculum; non quòd oculo altero gens careret, sed quòd uno maximè in collimando uteretur. Porro *Arim* significat unitatem, solitudinem, paucitatem, itaque *Eremus* Græcis solitudo, *Arm* Germanis pauper, *Arim* Scythis erat unum, *Erti* nunc est Georgianis. At *Spehen*, *specere*, *spia*, *épier*, Germanis, Latinis, Italis, Gallis, uno verbo, Celtis, est videre. Inde jam manifestè *Arimaspus*. Originaria significatione *spehen* acrem quendam aspectum significat, tanquam penetrantis, nam *Sp* passim nobis est in actionibus penetrantibus & penetrandi instrumentis. *Herodotus* sese cum principe Scytha conversatum memorat, & fortasse adiit Scytharum confinia, ut fuit sanè magnus peregrinator: eoque plus (ut in plerisque) fidei meretur. Cæterum quædam antiquorum Scythicorum nos fugere quis miretur in lingua genteque tam remota, nolim enim in *Xamolxis* Getæ nomine, aut Scythæ *Anacharsidis* vel similium, conjecturas prodigere. Optarim autem Scythica vocabula colligi ab aliquo viro docto, ut Gallica, Phrygia, Ægyptiaca, aliaque hujusmodi ex veterum scriptis quidam congessere. *Hesychius* jam Scythica nonnulla suppeditat.

Scythicorum nomine à Celtis sejunctorum Turcico-Tartarica, Sarmatica &.Fennica complector; etsi hæc tria multum inter se distent. *Turci* jam antiquis noscebantur, Tartarorum nomen natum est, cùm in orbis perniciem ductu *Chingis-Cani* erupere. Turcas ex regionibus venisse, quas qui nunc habitant *Usbecci* vocantur, id est ex Massagetis vel Scythis Persiæ vicinis, satis apparet per ipsam gentis utriusque linguam. Cognatam esse Turcicæ Tartaricam Præcopensem constat, & *Calmuccos* etiam (quod recens nomen credo & a Russis inditum) imò & *Mogallos* (quæ vetus appellatio) sermone ad Turcas accedere proditur. Ipsi illi Orientaliores Tartari, Sinis imperantes, multa habent cognata Turcis vocabula, ex quibus nonnulla mihi R. P. *Bouvetus* suppeditavit. Ex Turcorum genere & *Comanos* fuisse, qui tunc cùm primùm Tartari ingruerent inter Tanaim & Danubium sedes habebant, certis indiciis comperi. Eorum reliquiæ in Hungaria supersunt (quo Tartarorum metu confugerant) sed linguâ ni fallor amissâ.

Gens non minus latè per Asiam Europamque fusa, est fuitque dudum *Sarmatarum*. *Herodotus* Sauromatas strictius accepit, sed *Tacitus* Sarmatas

matas Germanis proximis opponit: itaque gentes eum intellexisse apparet, quæ postea *Slavonicæ* sunt dictæ, sub quibus comprehendimus Russos, Polonos, Bohemos, Moravos, Bulgaros, Dalmatas, (hodiernos scilicet) Slabinosque cæteros maris Hadriatici accolas, tùm ad Balthicum gentes Vinidorum qui' vulgo *Wendi*, (*Vandalis* Germanis non confundendi) *Jornandi Antes*, & quicunque ejus generis post migrationes Germanicarum gentium in loca vacua succedentes quicquid à mari barbaro, (sic vocabant veteres) ad Albim, imò ad Salam etiam Thuringicam protenditur, tenuêre. Scimus omnes Vinidos (quorum aliqui in Luneburgico tractu, plures in Lusatia Marchiaque supersunt) facilè Moscis nuper interpretum vicem præbuisse. Et *Sparwenfeldius* Suedus, vir insignis & cùm aliis laudibus, tum Orientalium linguarum cognitione excellens, mihi affirmavit per literas, linguam quam in Moscua didicerat intra Carnos & Carniolanos iter facienti valuisse. *Jornandes Winidas* populosam gentem in iis regionibus ferè collocat, quæ nunc trans Vistulam Polonica Republica continentur; dividitque in Antes & Slabinos. Sed ego *Antes* & *Wendos* vel Winidas sola pronuntiatione differre arbitror, litera W (ut passim fit) nunc præposita nunc omissa.

Ad Sarmatas, vel si mavis, Slavos, etiam *Hunnos* refero & *Avares* quoque, qui tenuêre quæ nunc Hungariæ, olim Pannoniæ appellatione censebantur. Nam postquàm Gothi, Longobardi, Gepidæ, aliæque Germanorum gentes in Italiam, Rhætiam, Heduos, aliaque loca transgressæ, quicquid Danubio Alpibusque interjacet, aut sponte aut à novis advenis pulsæ, deseruere; successere Slabini quorum pars serius superveniens, Avares appellabantur, inde nunc quoque omnis ille tractus Slavonicis gentibus habitatur, nisi ubi *Hungari*, (alterius gens originis) interrupere. Sane in ipsa Hungaria, Rascios, Servios, Croatos, & Ziculos & plerosque Hungariæ superioris incolas, Slavonici generis esse, ex lingua constat. Porrò, apud veteres, Hunni Avaresque in Pannonia, Magni *Caroli* ævo conjungebantur, & nunc Hunni Avarum, nunc Avares Hunnorum nomine continebantur; sed jam ante campos ad Danaprum, nescio quos *Hunnivar* dictos, *Jornandes* notavit: & de gente *Hun* & *Var*, etiam *Simocatta* aliique scriptores Græci mentionem fecere.

Aliisque etiam indiciis apparet Hunnorum gentem Slavonicam vel Sarmaticam fuisse; etsi quibusdam Græcis Turcæ dicantur Hunnica gens, sed latè sumta voce, ut idem quod gentem Scythicam significaret: Ita enim contigit ut barbari illi remotiores, à veteribus Scythæ, à mediis Hunni, item Turcæ, à recentioribus Tartari generali vocabulo appellarentur. Ex *Prisci* Rhetoris legatione constat, duas tantum Linguas in aula *Attilæ* usitatas fuisse, Gothicam & Hunnicam. Gothicam esse Germanicam manifestum est, & vel Regum nomina demonstrationi sufficiunt. Hunnica autem, nisi ipsa fuisset Sarmatica, debuisset etiam tertia illic usurpari, cùm *Attila* inter medias gentes Slavonicas tunc versaretur. Adde

quòd

quòd *Coni* vel *Chuni* vocabulo equum Sarmatis significari constat, ut proinde *Hunnorum* nomine nil nisi equites significarentur: semperque in equis egisse, non minus quàm nunc Tartaros successores, ex veterum narrationibus constat. *Jornandes* inferias *Attilæ* datas describens, ingentis *Stravæ*, id est, ut ipse explicat, commessationis meminit, porrò apparatum lautiorem, nunc quoque *Stravæ* nomine Sarmaticis gentibus venire, Cl. *Eccardus* professor Helmstadiensis indicavit; qui dudum hortatu meo antiquitatibus linguæ Germanicæ illustrandis non sine successu incumbit. Cazaros quoque ad Euxinum Pontum olim sitos, Slavonici fuisse generis, indicia habeo.

Alia ingens Septentrionis natio *Finni* habendi sunt, quos *Tacitus* Fennos nominat; miramque eorum feritatem, qualis hodiè Lapponum Sylvestrium aut Samojedarum, describit. Et sanè Lapponum gentes originem cum Finnica communem habere dudum nos *Schefferus* ex lingua docuit. Et jam *Jornandi Scridi-Finni* dicuntur (à cursu, nam *schreitten* est passus facere) quos hodie Lappones appellamus. Sed & longiùs in orientem cognationes protendebant. Cujus manifestum indicium *Hungari* præbent cognatus Finnis populus, quos ab interiore Scythia, &, ut nunc loquimur, à regionibus Siberiæ propioribus venisse ex *Jornande* constat. Et *Rubruckius* à *Ludovico S.* ad Tartaros missus, didicit, antiquam Hungariam tunc dictam *Pascatir*, quam credo esse quæ hodiè *Baskiriæ* nomine sub Magni Russorum Monarchæ ditione est. Porrò nulla linguarum Europæarum Hungariæ æquè ac Finnica accedit, quod *Comenius*, quantum sciam, primus notavit. Sed & nuper *Fabricio* ex Suedia ad Persas commerciorum causa misso, comes juvenis Finnus Cl. *Brennero* cognatus, cùm in itinere, non procul Volga jam ad Caspium æquor accedente, pro jumentis ad vehicula conductis nummos incolis alicubi solveret, miratus est illis nomina numeralia pene eadem Finnicis esse; inde ad colloquium progressus, intellexit pleraque, intellectusque est. Itaque arbitror, veterem magnam & continuam à Septentrionali Oceano ad Caspium penè mare nationem, Slavis postea sive Sarmatis intervenientibus, extrita parte, fuisse interruptam. Fortasse & *Esthi* & *Libones* cæterique maris Baltici accolæ qui originis sunt à Slavica diversæ, ad Finnicam referri debent; quanquam id ægriùs agnoscamus nos, qui harum linguarum ignari sumus: Idem de *Samojedis* suspicor. *Hungari* ex Scythiâ Asiatica seriùs in Pannoniam venêre, partemque ejus planam implevére, cùm Avares incolæ Magni *Caroli* armis fracti, tueri se non possent. Exinde Pannonia (detracta regione quam nunc ab Orientali situ *Oesterreich*, latinè Austriam dicimus & à *Carolo* Germaniæ vindicata) *Hungariæ* nomen ab occupatoribus novissimis accepit: incolæ ex Avaribus (id est Slavis) & Hungaris misti mansére. Hungari scriptoribus Græcis inferioribus *Turcarum* nomine censebantur, Turcæ *Persarum* Græci ipsi *Romanorum* appellatione cohonestabantur, ad quamdam veteris Imperii speciem retinendam. Hacte-

Hactenus de Scythis, nunc ad *Celtas* venio, qui quicquid penè Europæ à Scythis ad mediterraneum mare & Oceanum, & commune utrique Gaditanum fretum extenditur, implevêre. Olim Germanicarum Gentium partem usque ad Tanaim habitâsse constat, etsi à Winidis seu Antibus interrumperentur; & in media Taurica Chersonneso non ita pridem Germanorum reliquiæ superfuêre, fortassis ne nunc quidem extinctæ. Postea Germani illic per migrationes fracti, omnia usque ad Albim Slavis cessere, recuperavere tamen pleraque tandem ad Balthicum mare & penè ad Vistulam usque. *Bastarnæ* quoque trans Carpathios montes Germanis olim accensebantur, sed *Dacos* & *Getas* ad Sarmatas referre malim. *Illyrii* veteres & *Pæones*, credo, olim Celtæ, id est Germani vel Semi-Germani erant. Slavonica verò lingua nullo jure *Illyrica* appellatur, etsi hodiè Slavi & Illyricum & omnia loca vicina teneant, nam seriùs immigrarunt. Gentes Alpinas *Livius* semi-Germanicas vocat. Et omnes illos Celtas ad Germanos refero quicunque à Rheno in Septentrionem atque Orientem extendebantur: Sed qui trans Rhenum nobis Celtæ, ad Gallos pertinebant, tametsi Belgarum origo magis Germanica censebatur. Antiquiora tamen spectanti generatim Gallos à Germanis, Germanos à Scythis ortos credibile est, ut jam diximus; etsi paulatim longo temporum migrationumque intervallo linguæ mutatæ sint.

Veteris Gallicæ reliquiæ, *Pontano*, *Cambdeno* aliisque collectæ nunquam magis quàm in *Aremorica* & *Wallica* spectantur. Hujus dictionariolum *Boxhornius* originibus Gallicis inseruit, quod consideranti mihi manifestè apparuit multum Wallicam ex Germanico traxisse. Si pleraque hodie parum agnoscimus, mutationes crebras temporum, locorum, hominum migrantium spectare oportet. Insulæ ex continenti vicino habitatores accepere: Veteres Britanni ex Gallis & Germanis orti sunt: *Cymræi*, id est, Cambri vel Walli, ex *Cimbris* credo, ut Angli ex Saxonibus; successores Britannorum, ex successoribus Cimbrorum. Et quia minus mutantur linguæ in locis parum accessis, crediderim Cymræos veteribus Cimbris lingua propiores quàm hodiernis Germanis, *Hibernos* putem ex ipsa Britannia ortos, itaque lingua Hibernica refert nobis antiquiores Britannos, id est adhuc antiquiores Germanos Gallosque; proinde ex Hibernis antiquissimi Celtæ in lucem revocabuntur. In quo labore virum doctum apud Anglos laudabiliter versatum intelligo.

Ex Celtis, id est Germanis Gallisque, Alpes Pyrenæosque transgressis, Italiam & Hispaniam habitatores accepisse credibile est, longè ante illos qui memorantur *Livio* Gallorum posteriorum adventus. Aborigines Italiæ intelligo, id est incolas Græcis, Lydis, Phrygibus, Phœnicibus aliisque mari advectis antiquiores. Nam antiquissimæ migrationes omnes terra factæ sunt, seriùs & ægrè magna multitudo navigavit: quanquam *Tacito* contrarium exciderit. Græcorum deinde multæ in Italia maritimæ coloniæ conditæ sunt: inde Lingua Latina ex Celticâ Græcaque mistis

nata. Postea pars Italiæ citerior Galliæ Cisalpinæ, ulterior magnæ Græciæ nomen tulit; in medio Latini & Tusci cum vicinis plurimum utrinque trahebant. Hetruscam antiquam non intelligimus, ac quæ ipsius in lapidibus nonnullis supersunt, ne legimus quidem.

Hispanorum quoque antiquitates longinquæ minùs exploratæ sunt. *Reinesius* in libello de Deo Endewellico aliquam lucem attulit. Veteris literaturæ Hispanicæ pauca rudera in nummis supersunt quos collegit *Lastanosa* vir doctus libello lingua Hispanicâ edito: at Cl. *Baryus* à consulatu apud Hispalim ad Bavaros nuper reversus in opere quod editioni parat multum auxit illustravitque. Frustra hæ literæ ad Runas referuntur, nam ipsæ Runæ nil tantæ antiquitatis ostendunt, & nummos illos cusos apparet florente Romana Republica multo ante Gothorum adventum. De veterum incolarum origine non minùs impedita disquisitio est. Sanè pars magna Hispanorum *Celtiberi*, ex Celtis venerant, seriùs opinor: nam antiquitus quidem credibile est ipsos Iberos ex Celtis natos. Fortasse tamen *Vascones* & cognatos illis populos excipere oportet: nam Vasconum lingua ab omnibus Europæis mirè differt, nec dum aliqua alia reperta est, cui appropinquaret. An dicemus, Hispaniam ante Celtarum adventum ab Afrorum propagine habitatam, atque inde Vascones superfuisse? An potius vetus aliqua gens ex anteriore migratione, (priusquàm illi adventarunt qui Celtas id est Germanos Gallosque sevêre) non Hispaniam tantùm sed & Aquitaniam & omnem viciniam tenuit, nam fluminum communia vocabula favent. Tres Gallias, Aquitanicam, Celticam, Belgicam *Cæsar* distinxit: Ubi *Celtarum* nomen arctissimè sumi apparet: & crediderim propriè Galliæ Celticæ habitatoribus convenisse, deinde tam latè acceptum à Græcis, hinc Massiliam, illinc Istrum adeuntibus, notata quadam vitæ linguæque similitudine, ut omnem occidentem veteribus ignotum complecteretur. Nam olim Græci quos ignorabant populos, occidentales, Celtarum; septentrionales, Scytharum; Orientales, Indorum; Meridionales, Æthiopum appellatione designabant; ulteriora ex propioribus denominantes. *Herodotus* certè satis ostendit (quanquam & ipse variet) peculiarem, neque adeo magnam nationem Scythas fuisse, quæ gentibus ejusdem plagæ nomen fecit, quod nondum *Homeri* ævo Græcis innotuerat, non magis quàm Celtarum.

Germania ut Galliæ Italiæque antiquissimos habitatores, ita *Scandinavia* paulo posteriores dedit: neque enim dubium arbitror, Germanicas gentes ex Cimbrica Chersonneso & Balthico litore primum in Insulas quas nunc Danicas dicimus, deinde in Scandiam ipsam transgressas, & indigenis Finno-Lapponibus in remotiora pulsis, litoralia mitioresque tractus insedisse. Sanè lingua Danorum, Suedorum, Norwegorum, manifestè ad Germanicam est referenda, non minùs quàm hodiè Italorum, Gallorum, Hispanorum Latini generis censeri debet: quanquam hi populi non ob originem sed imperium linguam Romanam receperint, quod secus

cus est in Septentrionalium Germanismo. Nec mirum *Septentrionales Germanos*, citerioresque, invicem non intelligi, cùm nec Austriæ aut Bavariæ rusticus Westphalo aut Belgæ de rure homini facilè colloqui possit; *Otfridum* Carolini ævi scriptorem Germanum (ne quid de *Ulphila* longè antiquiore dicam) nemo nostrûm hodiè sine interprete intelligeret. Ita temporum æquè ac locorum intervallis primùm Dialecti, tandem & linguæ mutantur. Ubi verò sermone in literas redacto, ut meditandi spatium detur, manifestæ in plerisque communes origines effulgent; *dialecto* magis quàm *lingua* variatur. Cæterum de *lingua Germanica antiqua* inprimis præclarè meritus est *Franciscus Junius* (cognominis Theologi filius) cujus lucubrationum pars Oxonii servatur. Hujus exemplo excitatus *Georgius Hickesius* Anglicanæ Ecclesiæ Theologus, vir insignis, Thesaurum Linguarum Septentrionalium (Teutonicarum scilicet) nobis dedit magno & utilissimo labore. Apud nos nuper viri egregii *Johannes Schilterus* J. C. primum Ienensis, dein Argentoratensis, & (meo hortatu) *Gerardus Meierus* Theologus Bremensis vetera linguæ Germanicæ illustrare aggressi sunt; ambo relictis præclaris (quanquam fortasse affectis tantùm) operibus morte intercepti.

Scio doctos quosdam viros apud *Septentrionales Germanos*, nunc nescio quam sibi fingere diversam à Germanis Gothorum gentem, nunc ipsam Germaniam pro Gothorum suorum Colonia habere: sed Gothos negare Germanis, testimoniisque veterum pariter ac rerum evidentiæ obstrepere nemo potest, nisi Prætorium orbis Gothici autorem obstinatione æquare velit, qui Gothos ad Sarmatas transferebat. Germanos autem ex Scandinavia processisse faciliùs credi posset, si interiora ejus versùs glacialem Oceanum Germanicæ gentes habitarent. Sed omnia illic citra ultraque Boddicum Sinum *Finnolappones* tenent, natio à Suedis Norwagisque tota lingua distans: itaque Finnos tanquam veros Aborigines magnæ illius peninsulæ concipio, quam ab exigua sed proxima nobis parte Scaniâ (ut hodieque appellatur) vel Scandiâ vel Scandaviâ, veteres *Scandinaviam* appellavêre: nullæque illic radices sunt Germanismi, qui tantùm oras radit. Itaque Germanos inde accersens similis illi foret, qui omnes Arabas, Syrosque pro posteris *Abassinorum* haberet; aut qui multis abhinc seculis Londinum Angliæ missam à Bostonia Americæ Coloniam crediturus esset. Suediam, *Suedilant*, hodieque apud Suedos significare novalem terram, exustis sylvis in agrum versam, constat. Fuit enim *Sueden* urere etiam apud antiquos Germanos, unde restat *Siden* coquere, & *Sud* de meridionali seu calida plaga. Sed illa regio longè ante Romanos scriptores novalis facta est, cùm Svionum id est Suedonum florentissimam gentem jam *Tacitus* agnoscat ipse Suevos eousque extendit, id est partem Germanorum.

Non tamen nego colonias ex septentrionali in *citeriorem Germaniam*, sed seriùs remissas. Sanè à Balthico mari Cimbri, Saxones, Heruli,

Vandali aliæque nationes venêre, & Herulorum principum majores in Scandinavia egisse nos *Procopius* docet. *Jornandes* inde & *Gothos* arcessit: contrà *Cluverius*, Geographiæ veteris princeps autor, Gothorum sedes ad Vistulam locat, non spernendis rationibus: in eum *Georgius Sternielmius* Suedus vir doctus (qui cum *Benedicto Skyttio* regni Senatore, sed infelice, multum in Harmonia linguarum elaboraverat) libello edito acrius æquo insurrexit, sed argumentis hic non perinde valet. Ego *Jornandis* autoritatem non planè contemno, etsi non semper tutam fatear, præsertim in remotis, nec satis cohærentia narrare deprehendam. Secutus est *Ablabium*, & Senatoris, id est *Cassiodori* libros de Gothicis deperditos. *Jornandes* ergo Gothus, ex Scandinavia Gothos arcessit, etsi eos Getis, longè antiquioribus Ponti Euxini accolis, confundat. Ego non tantùm apud Suedos orientalem occidentalemque Gothiam, sed & in Cimbrica Chersonneso *Gutiam* (sic enim ferè Jutiam pronuntiamus) & ad Vistulam olim notos Romanis Gothones, & Gothlandiam Insulam considero. Itaque potuit Gothonum vel Guttonum appellatio communis aliquando utriusque litoris Balthici habitatoribus fuisse, indeque datum huic ipsi mari nomen *Codani* (id est Gothici) Sinus. Et quamvis Germani transmarini primi seu vetustissimi à nostris haud dubiè orti sint, non tamen caret verisimilitudine postea juvenum acerrimorum globum ex Scandinavia rursus egressum in cismarinis regnum Gothorum condidisse; & originem principum procerumque cum origine gentis confusam à posteris & Historicis, quasi tota gens ex iisdem locis exisset, aut Scandinavia gentium vagina esset, quæ nunquam credo valde populosa fuit. Favet ipse *Jornandes* (c. 14.) qui nobis Gothos cum rege *Berig* tribus tantùm navibus advehit. Sanè in Gothorum, ut in Cimbrorum, Francorum, Saxonumque migrationibus, credendum est venientes à remotis locis, instar pilæ nivis crevisse, obviis vi vel sponte in expeditionem nomenque accedentibus. A Vistula versus Pontum Euxinum paulatim progressos Gothos *Cluverius* cum *Jornande* convenit. Sed illic quoque Bastarnas aliosque dudum Germanos invenisse apparet.

Asianorum migrationem in Suediam (memoratam gentis mythologis sed ubique recentioribus) in tanta distantia, & commeandi nunc quoque difficultate, fabulosam credo, fictamque tunc, ubi literis admissis didicêre Scandinavii quid *Asia* esset. *Asas* autem vel Heroës, cum *Odino* vel *Wodane* advectos, à Saxonibus in Cimbria adhuc agitantibus venisse apparet, apud quos ipse *Wodan* regnavit, quantùm ex vetustis Anglorum gentis annalibus (longè septentrionalium scripta transcendentibus) intelligi potest. Itaque nunc Scandinavii ab his, nunc hi ab illis regnatores accepêre. *Wodanem* tanquam peregrinum corrupere Septentrionales in *Odinum*: passim enim literâ *W*, mutilant Germanicas voces. *Danos* (vicinis *Denos*) *Jornandes* à *Cogenis* derivat, quos etsi in Scanzia collocet, possis extremos Jutas interpretari ad promontorium *Scagen*. Inde

Inde egressos à *Dena fluvio*, nomen *Denorum* invenisse apparet, regionem verò nomen *Denemarcæ*. Nam is fluvius limitem seu marcam Cimbricæ Chersonesi facit, hodie Eidora dictus ab *Heggidora*, ut veteres memorant, seu munimenti porta, sed idem apud Ravennatem Anonymum lib. 4. c. 17. dictus *Dina*; cujus vetus nomen Deninga vel *Toninga* servat, quæ *Donia* credo urbs apud *Ethelwerdum*. *Herulos* à Danis pulsos *Jornandes* tradit cum Saxonibus piraticam exercuisse in Romanos mari & sæpe sub eorum nomine latuisse credibile est. Virtutem Anonymus ille extollit, nec *Jornandes* Gothus, & ipse Ravennas, laudes eorum parcè memorat.

De migrationibus Germanicarum gentium in Romani Imperii provincias non est cur multis agam, quando ex historia notæ sunt, nec linguarum fulcro egent. Sunt tamen quæ hic notare operæ pretium erit, *Suevos* illos paucos qui nomen antiquum retinuerunt *Allemannis* mistos constat. *Bojos* ex Bojohemo & Marcomannis in *Bajoariam* venisse putem, cùm Vinidarum gentes invalescerent: de Francis & Saxonibus paulo fusiùs agere oportet. *Francos* inde à Troja, mox à Ponte Euxino quidam non recentes evocant, urbemque nescio quam Sicambriam ipsis ascribunt; tanquam in Pannonia aliquando habitassent; is enim mos per populos, ubi primum literas accipiunt, ut semiliterati scriptores mira comminiscantur, partim aliorum populorum antiquas narrationes vel figmenta æmulantes, partim plebejas quasdam traditiones ad ea referentes quæ in libris legunt. Unde Francis, Britannis, Scotis, Scandinaviis nata sunt monstra narratiuncularum, quas Germanico vocabulo *Sagas* (id est sermones vel fabulas) vocant septentrionales. Eruditi quidam Galli arripientes Gallorum coloniam antiquam in Germaniam deductam, hinc jam Francos derivant, ut Gallos Galliæ reddant, quod optantis est, non comprobata docentis, quis enim ipsis dixit Francos ex illa parte Germaniæ ortos, quam veteres Galli insedisse scribuntur. Ego Francorum initia à Balthico litore repetenda comperi, non minus quàm Vandalorum, Gothorum & Saxonum; non quòd inde venerint ut magna gens, sed quia quidam globus virorum fortium erumpens, progressu in magnam gentem crevit. Nam *Marcomannici belli* occasione cùm sub *Marco Antonino* Italia ipsa periclitaretur, barbariem in spem prædæ erectam & intimis sedibus excitam apparet: atque ex eo migrandi rabies duravit, donec exhaustæ Germanorum ulteriores regiones Vinidis cessere, & citeriores in majora regna coalescentes pacatius cultæ sunt. Porrò Franci mox in *Hermunduris* & *Cheruscis* sedes posuère inde ad Rhenum in Sigambrorum regionem vicinasque progressi sunt, totique jam à Mœno ad Batavos tractui nomen faciebant & mare Gallicum infestum habebant, tandemque ipsi in Galliam transiêre: cùm ecce *Saxonum* posterior & adhuc dum acrior recentiore barbarie gens, à tergo supervenit.

 Saxones

Saxones in Cimbricæ Cherſonneſi faucibus primus *Ptolomæus* agnovit, nec procul inde *Anglos Tacitus* collocat, cujus tempore aut nondum natum erat Saxonum nomen aut finibus perexiguis continebatur. Cum deinde creviſſent, & *Chaucos Friſioſ*que aſciviſſent, piratica celebres facti ſunt, exſcenſioneſque in Gallia & Britannia prædæ agendæ cauſa faciebant. Inde *Litus* utrumque *Saxonicum* in Notitia Imperii dictum eſt. Circa ea tempora Francos ab ipſis Batavia pulſos conſtat, eaque facta ſunt antequam Britannia Saxonibus ſedes præbuit. Iidem diſcedentibus Francis in Weſtphalia ſucceſſere. *Werinorum* deinde regna & *Thuringorum* à Francis partim, & partim à Saxonibus everſa ſunt, quæ vetuſtioribus nominibus *Cheruſcorum* & *Hermundurorum* diceres. Ager Werinorum (ſi Friſiam fortaſſe excipias) Saxonibus ceſſit, iidem Thuringiæ partem obtinuere, inter Albim ſcilicet & Harzicos montes quæ diu *Northuringia* in diplomatibus dicta eſt. Pars quoque Saxonum cum vicinis olim Longobardis in Italiam migravit. Poſtremo ſub Imperatoribus Germanicis *Vinidorum* pleræque regiones inter Albim Wartamque & ultrà, partim coloniis Germanorum partim tranſgreſſis in mores noſtros linguamque incolis, in Saxonum nomen conceſſere, & potiſſimam partem ſuperioris Saxonum Circuli faciunt.

DISSERTATIO

DE ORIGINE GERMANORUM,

Seu Brevis Diſquiſitio, utros incolarum Germaniæ citerioris, aut Scandicæ ex alteris initio profectos veriſimilius ſit judicandum.

Ex variis Felleri monumentis ineditis depromta.

I. Cum ex ſermonibus Domini *Benzelii*, juvenis Suedi doctiſſimi ornatiſſimique, ab illuſtri *Sparvenſeldio* mihi commendati, intellexiſſem, multis eruditis ejus gentis perſuaſum eſſe, Germanos noſtros ex illis ultramarinis originem ducere, qui Scandicam peninſulam ab antiquis temporibus habitarunt, mihi verò contrarium veriſimilius videretur, putavi non malè me facturum, ſi quæ nunc quidem ſubitanea meditatione in mentem venerunt, in chartam conjicerem, ut veritas magis magiſque collatis argumentis erueretur. Nihil enim adhuc decretorium apud me conſtitutum habetur, nec demonſtrationibus ſed conjecturis hactenus agere poſſum. Et ipſas conjecturas nondum ſatis ordinavi ſuiſque momentis

mentis expendi, ut pronuntiare sententiam ausim. Interim quò nunc inclinet animus, exponam.

2. Equidem egregiam Suedorum operam in eruendis antiquitatibus mirificè laudo, & agnosco interdum falsas etiam vel incertas opiniones utiles esse hominibus ad præclara excitandis, uti sanè spes agricolam alit, & ambitio fortitudinem stimulat, & *tria magna inania*, Lapidis philosophici, motus perpetui, & quadraturæ circuli, tres insignes scientias mirificè locupletarunt, ut adeo *Hugenii* consilium propemodum probem, qui impossibilitatem Tetragonismi circularis, etiamsi haberi posset, malebat non demonstrari. Et ne si possem quidem (quod non possum) omnia evertere, quæ ingeniosissimè commentus est, aut eruditè in honorem gentis suæ propugnavit latè patentis Vir doctrinæ magnique acuminis *Olaus Rudbeckius*, eam operam sumendam putarem, ne scilicet ille laudatissimus popularium ejus ardor antiqua investigandi monumenta restingueretur. Fas tamen puto & nostros in partem venire laudis, & pari diligentia antiquitates suas vindicare. Mihi autem ultra partium studia affectusque attollenti animum, & patriam communem humani generis intuenti, contendere argumenta argumentis placet, æquali lucro, utra pars vicerit, dum veritatis cognitio augeatur. Atque hoc nunc quidem justa cura agere non possum, sed festinatas tantùm cogitationes chartis inscribo, ut occasionem præbeam altiori disquisitioni.

3. Ante omnia autem assumo ex Scripturæ Sacræ autoritate homines ex Asia in Europam venisse. Nam si quis contemtis Sacris Scriptoribus gentes passim autochronas statueret, is considerans quod res est magnam Orbis nostri partem aquis mersam fuisse, facilè in eam posset venire sententiam, cùm primi eminuerint altissimi montes, homines priùs in rupibus, quales sunt Suedi & Norwagi, habitasse, ac deinde paulatim in planities nostras, ubi incœpere Siccari, descendisse. Sed si Suedorum & Norwagorum majores ad habitandas Septentrionis rupes ex Oriente advenere, jam quæstio tantùm est, utrum per Finnoniam & Lapponiam, an per Germaniam nostram venisse, verisimilius judicentur.

4. Sed & hoc monendum puto, cùm de Suedorum Norwagorumque majoribus quæro, non ideo à me intelligi primos Scandinaviæ habitatores, quin hos ab illis potiùs distinguendos videri. Fortasse enim ante Germanicarum Coloniarum adventum tractus illos transmarinos genuini magis Septentrionis filii Finnonico-Lapponicæ originis utcunque habitavere, donec, ut fieri solet, Germanicæ gentes jam cultiores nonnihil, ut inter barbaros & ex mansuetiore tractu venientes, mari & Germaniæ viciniora obtinuere, prioribus habitatoribus ad interiora montium sylvarumque latibula compulsis. Præsentium ergo incolarum majores ab antiquissimis habitatoribus distinguendos puto, quamdiu nondum definita est controversia, nec satis demonstratum, nullos alterius generis homines, ante Germanici generis colonos illic habitasse.

5. Et

5. Et cùm *Germanos*, *Teutones*, *Suevos*, *Gothos*, *Vandalos*, *Suedones* vel *Suiones*, *Saxones*, *Francos*, *Alemannos*, *Anglos*, *Danos*, *Normannos* &c. ejusdem generis esse populos ipsius indicio linguæ constet, quo nullum est certius cognationis gentium argumentum, rectè hos omnes esse dicimus Germanicæ vel Teutonicæ originis populos, antiquissimorum autorum secuti exemplum, *Taciti* inprimis, qui quicquid hujus est linguæ Germanicum vocat. Et quia *Germani ab Herminonibus autoreque horum Irmino dicti videntur* (ut alias à me ostensum est (*a*)) & hic ipse à *Teutone* vel *Tuistone* jam ipsius *Taciti* ætate creditus est descendisse, putem non minori jure Teutonici nominis quàm Germanici appellationem latissimè porrigi. De *Gothico* verò nomine idem dicere non ausim, quasi eo cunctæ Germanicæ gentes rectè comprehendantur, quamdiu scilicet demonstratum non est cæteros Germanos ex ipsis fluxisse. Nam quod quidam Scytharum & Gothorum idem esse vocabulum arbitrantur, etsi absurdi damnare nolim, tamen nec verisimile agnoscere possum. Interea de nominibus litigare cum quoquam nolim, quoties de re convenitur, & hæc tantùm affero, ne temerè videar Suedones sub Germanico vel Teutonico nomine comprehendisse.

6. Sed nunc ad indicia venio, unde conjecturæ sumi posse videntur *de ordine migrationis*, utrum scilicet Germanicæ gentes priùs ex nostra Germania in Scandiam venerint an contra. Et Germaniam nostram priùs quàm Scandiam à Germanis gentibus habitatam aliquis fortasse non injuria malit, primum quod credibilius est, aliis sepositis, minorem partem esse ramum majoris, quàm radicem. Unica enim radix est, multi rami, & in dubio tutius est alicui rei ascribere quod frequentius est, multisque commune, quàm quod rarius est propriumque unici. Itaque minorem partem à majore fluxisse justa præsumtione credetur, nisi illa radicalis esse & seminalis peculiaribus argumentis ostendatur. Majorem autem multo partem esse Germanorum citeriorem, quàm Scandicam, puto negari non posse. Præsertim cùm olim *Jornande* teste, & aliis quoque antiquis autoribus Germania Cismarina à Tanai ad Rhenum fuerit porrecta, & ad Meotidem paludem Pontumque Euxinum Germanicæ gentes diu habitarint.

7. Deinde si Scandia velut centrum esset & fons Germanici nominis, cùm ex centro in omne latus prodeant lineæ, consentaneum foret, ut Germanicæ gentes non huc tantùm effunderentur, in Daniam scilicet & cisbalthicas regiones, sed etiam nonnihil expanderent sese in aliud latus, versus Fennones scilicet & Russos. Cùm tamen contrarium experiamur, & omnis lingua natioque Germanica cum ipsis Suedis & Norwagis abrumpatur.

8. Unde ex situ locorum verisimilior apparet hypothesis conjicientium, ut

(*a*) Vid. T. I. p. 233. T. II. p. 245. & Epist. seq. ad *Nicasium*.

ut in magna inundatione eo usque porriguntur aquæ, donec objecta collium vel aggerum coerceantur, ita Germanicas gentes post magnam Europæ partem impletam in ultimum usque Septentrionem exundantes, tandem objectu Botnici Sinus & inaccessarum rupium substitisse, & *Suedos non tam tempore primos quàm situ extremos Germanorum fuisse.*

9. Et hoc argumentum ab abrupto illic Germanico sermone vel ideo in contrariam hypothesin valere debet, quod ejus defensores Germanos omnes ex Fennonia per Sueciam venisse volunt. Unde mirum meritò videri debet, nullum in toto illo trans Botnicum tractu apud Finnones vicinosque superesse Germanicæ linguæ nationisve vestigium, & velut reliquias tantæ migrationis. Equidem possibile esse fateor, ut quicquid illud est fuerit deletum, sed non omne quod possibile verisimiliter assumitur sine probatione, & semper id potiùs credendum est, quod maximè fieri solet, & quàm minimum supponit mutationis.

10. Contra *Germanos*, cùm ab Oriente utique huc venerint, ex *Scythia potiùs & Ponti Euxini vicinia* ad Danubium Rhenumque *venisse*, vel ideo credibilius est, quod certis testimoniis veterum constat in illis regionibus olim habitasse Germanicas gentes. Quin etsi deesset antiquorum autoritas, tamen res ipsa quod dicimus comprobaret. Nam ante pauca adhuc cùm Genuenses in Taurica dominarentur, illic habitabant Germani, & vix ante seculum quoque Germanicæ reliquiæ in eadem religione superstites memorantur.

11. Et licèt hodie fortasse nulla ampliùs ad Pontum Euxinum supersint vestigia Germanorum, non magis quàm in Finnonia, & rerum conversionibus nihil novum sit stirpitus tandem evelli veteres colonos, multum tamen interest inter ea, quæ comprobantur non minùs quàm dicuntur, & ea quæ dicuntur tantùm; itemque inter migrationes sedesque, quarum diu adhuc superfuere indicia, & eas quarum nec extat memoria, nec reliquiæ aliquando extitisse memorantur.

12. Si ponamus etiam Germanos per Finnoniam & Sueciam in nostras has oras tandem venisse, fatendum tamen utique erit ad Tanain & Mæotidem vicinaque loca sedere debuisse, antequàm ad Fennones & Balthicum mare progrederentur, quoniam scilicet ex Oriente venêre, & ab Euphrate & Tigride fuere digressi. Sive enim Caspium mare ab ortu obierint, sive quod propius est per angustias inter utrumque mare, Caspium scilicet & Euxinum, viam invenerint, credibilius est mitiora & mari utrique viciniora loca tenuisse, quàm remotissimis Scythiæ desertis immersos, per Samojedas & glacialis Oceani ripas, calcatis paludibus difficillimo itinere circumivisse. Nisi quis scilicet quidvis sine argumento & veri specie asserere sibi permissum putet.

13. Quod si ergo Germanicæ gentes priùs ad Tanaim & Euxinum Pontum, vicinaque in Scythia habitavere, quàm in Finnonia & Suecia, cuivis jam æstimandum relinquo, utrum factu credituque sit facilius, à

» à Tanai ad Danubium Albimque & Rhenum rectissimo apertissimoque,
» quin etiam commodissimo usitatissimoque itinere ventum fuisse, quàm
» omne genus Germanicum mirificis anfractibus per Sarmatiam ad Finnones, atque inde vel per Lapponas, vel per Botnicum mare ad Suecos, atque hinc demum in Germaniam nostram fuisse traductum. Ut nesciam an quicquam ab omni specie veri alienius fingi possit. «

14. Sanè hodieque, ubi multa faciliora sunt quàm olim itinera, ex centum exteris, qui de citerioribus oris in Scandinaviam venêre, (exceptis quos naves per Oceanum adducunt) vix unum putem accessisse eo itinere, quo totum Germanicum genus venisse volunt sententiæ adversæ Patroni. Cùm plerosque omnes id potius iter facere constet, quod nos verisimilius judicamus.

15. Ac spero quidem saltem ipsos Suedos circumitioni Sinus Botnici in designandis majorum suorum nostrorumque hospitiis renunciaturos. Quantæ certè sint in remotis illis gentibus viarum difficultates, vel doctissimi *Bilbergii* nuperum ad extrema regni Suediæ, jussu sapientissimi Regis, observationum cœlestium causa susceptum iter ostendit.

16. Rejecto ergo Germanorum per Lappones transitu superest, ut Germani ex Scythia & Euxino Ponto venientes, per Finnoniam transmisso Botnico sinu transierint in Suediam, atque inde per Daniam & Balthicum mare ad Albim Viadrumque, ac porrò demum ad Danubium sint profecti. Quod sanè iter maximum ac difficillimum mirificè ab omni veri specie alienum esse nemo non videt, cùm à Tanai ad Danubium nullo negotio, solo Borysthene & Tyra transmissis perveniri possit.

17. Fateor tamen iter hoc utcunque anfractuosum facilè concocturos, qui *Ulyssis hodæporicon* ferre possint, *quod nobis doctissimus Rudbeckius dedit, magno quidem doctrinæ apparatu, & acumine non minore, sed nulla veri specie*; ut injuriam me facere putarem celeberrimo Viro, si quid in eo ultra elegantem ingenii lusum sibi proposuisse crederem.

18. Utique sine exemplo est à Tanai ad Danubium tendi per Russiam, Finnoniam, Sueciam, Daniam & Germaniam denique Daniæ ac Danubio interjectum, tanto terrarum spatio, tot peragratis gentibus, itinere toties flexo, tot fluminibus maribusque transmissis. Sed à Tanai ad Danubium iri per Borysthenem & Tyram, ita planum usitatumque est, ut nihil possit magis. Et exempla habemus plerarumque gentium Scythicarum quæ in Romanum Imperium irruperunt; ut olim Gothi, Alani & Hunni, postea Slabini, Bulgari, Avares, Hungari, Cumani, Tartari. Nec facilè iter reperietur magis gentium migrationibus tritum.

19. Immò à Tanai ad Danubium unam solidam continuamque olim habitasse gentem magno inter alia indicio docere videntur cognata non horum tantùm duorum, sed etiam interjectorum magnorum fluviorum nomina, ab una eademque utique gente imposita. Quis enim non videt consonare *Tanaim*, *Danaprum*, *Danustrum*, *Danubium*? ut *Jornandi* Gotho appel-

appellantur. *Danaper* autem est qui vulgo *Dnieper*, veteribus Borysthenes, & Danaster est qui olim Tyras, hodie *Dniester*, cui credibile est etiam *Istri* nomen assonare etsi Danubio tributum. Sæpe enim gentes eædem diversis fluminibus eadem nomina imposuere, & sic plures apud Cheruscos *Bodæ*, apud Hermunduros *Mildæ*, apud Ripuarios *Mosæ*, apud Pannonios Dacosve *Muræ*, *Moravæ* aut Marisii. Nec dubium est propria vocabula aliquando appellativa fuisse, ut nunc quoque *Elba*, *Scandis*, appellativa fluvii vox est, propria nobis. Idem de *Dona* dicendum, quatuor magnis fluviis ab habitatoribus attributa, quos vel inde porrectos fuisse apparet à Tanai ad Sueviam, in qua hodie *Doneschiing* (fortè Donespring) ad Danubii fontes villa.

20. Certè *Dacos* & *Getas* (quos fuisse eosdem vel cognatos cum Gothis verisimile arbitror) ut situ vicinos, ita cognatione junctos fuisse referunt. *Bastarnas* quoque Germanicam nationem vel Gothicam fuisse à veteribus indicatur. *Rhætos* Alpinasque gentes Semigermanas *Livius* dixit. *Gothos* ab Hunnis pulsos sub *Valente* Augusto in Romanum Imperium irrumpentes à Ponto Euxino venisse disertè habetur. Continuabantur ergo Germaniæ nationes à Tanai ad Rhenum etiam *Jornandis* Gothi testimonio.

21. Ex his jam satis intelligitur (quando parata erat continuataque connexio Danubianorum Germanorum cum antiquissimis gentis sedibus in Scythia, quæ ipsas Scandicas tempore anteibant) frustra per Fennos & Svionas circumduci origines Germanorum, ut ad illum ipsum Danubium redeatur, cui jam tum tam propè assidebant, quasi flumine ad fontes usque ipsos redeunte. Quod si Danubiani ex Scythia & Ponti littoribus, non circumflexo incredibiliter per Scandiam, sed recto itinere & solito sunt petendi. Jam puto neminem tam obstinatum fore, ut cæteros Germanos ad Albim, Visurgim, Rhenum, ex Scandia unicè arcessendos arbitretur.

22. Unde nunc ultrò conficitur, quod initio dicebamus multò quàm contrarium esse *verisimilius*, *primos Germanos Scandinavios colonos esse citeriorum*, ut Angli Saxonum, Britones veterum Gallorum, Islandi Norwagorum, & Insulani vel Peninsulani plerique continentium terrarum, quas habitatas rerum etiam ordo confirmat, & exempla quotidie ostendunt.

23. Nec quicquam facilius est & convenientius mori populorum, quàm Germanos ex Cimbrica Chersonneso in Insulas Danicas & Scandiam sese infudisse brevissimo trajectu; cùm longiore etiam navigatione postea ad Estios Livonosque penetrarint.

24. Sanè propriam & magnam nationem per extremum Europæ Septentrionem diffusam, à glaciali Oceano ad Balthicum mare pertinuisse multa indicant, quæ Fennones & reliquam vicini maris oram, tum Lappones, Samojedosque, quin & trans Russiam Permios & his vicinos fortasse complexa est. Sanè Lappones Fennis cognatos *Schefferus* ostendit multis argumentis, neque Estios & Curonas prorsus hinc alienos arbitror,

& nuperæ Moſcorum ad Sinas Legationis comites notarunt; apud Permios voces Livonorum ruſticis uſurpatas. Simile aliquid de Groenlandis quibuſdam accepi. Porrò etſi Hunni versùs Caſpium mare habitarint, cùm Perſas non minùs quàm Romanos infeſtaſſe ſcribantur, Fennis tamen cognatos nominis indicio quidam judicant; de Hungaris res certior eſt, quos *Jornandes* Siberiæ vel Sabiris vicinos facit, dum murinarum illis pellium commercia tribuit, quas Sabellinas appellamus. Hungaricam autem linguam in multis Fennonicæ conſentire jam *Comenius* in Didacticis & *Sterniehmius* in argentei Codicis præfatione notarunt.

25. Linguæ ergo indicio diſcimus unam magnam nationem variè in populos diſtinctam, pene à Siberia & Obio fluvio toti mari Cronio vel albo velut prætextam, ad Norwagicum uſque vel Deucaledonium Oceanum ſeſe extendiſſe, eoſque antiquiſſimos fuiſſe, & genuinos Septentrionis habitatores credi par eſt, & Scandinaviam quoque ante Germanos tenuiſſe veriſimile arbitror. Niſi putemus (quod equidem refutare non poſſum) Germanicas gentes eodem ferè tempore quo Fennos, à diverſa parte in Scandinaviam ſe penetraſſe, aut antea etiam adveniſſe, cùm nondum Finnonicæ nationes trans Botnicum Sinum uſque ad Lapponiam Occidentalem eſſent progreſſæ.

26. Cæterum continua cognatarum Nationum Fennici vel arctoi generis interrupta labefactataque ſeries ſedeſque turbatæ fuere, cùm in Occidente Germani Scandinaviam irruperunt, & in Oriente Sarmatæ *Ruſſorum* nomine interiora Moſchici Imperii, inter Finnones & antiquos *Jornandis* Hunugaros poſita coloniis implevere. Num quoties extrema à cognatis nationibus ab antiquo occupantur, media à diverſa gente tenentur, conſentaneum eſt hanc interfuſam priorum contribules pepuliſſe.

27. Quod ſi quis tamen Finnonicas Colonias, Germanicis antiquiores in Suedia fuiſſe neget, & Suedos primos loci habitatores omnino velit, de quo §. 4. & 25. nonnihil dictum eſt, hunc velim de argumentis cogitare quibus ſententiam firmet. Equidem favere videtur ipſum nomen *Suediæ*, quod terram novalem excisis exuſtiſque arboribus culturæ aptam redditam ſignificare accepi, ſed fortaſſe antiqui illi habitatores ſylveſtres fuere, quales hodieque Lappones & alios feros populos eſſe videmus, qui non agricultura ſed venatu piſcatuque victitant, ut ſupervenientes demum Germani novalem fecerint terram.

28. Multum ad quæſtionem hanc accuratius definiendam facerent *etyma locorum*, *fluviorum* maximè & *montium*, quorum nomina ſunt *nominibus villarum antiquiora*. Quod ſi enim multorum locorum nomina etymologiam manifeſtam ex lingua Suedica vel etiam *Iſlandica* (quæ *antiqua Scandica eſt*) non recipiunt, valde verendum eſt, ne alterius linguæ populi in Suedia habitarint.

29. Sed ea inquiſitione harum rerum peritioribus delegata, *nobis illud veriſimillimum reddidiſſe ſuffecerit*, *Germanicum omne genus minimè ex Scythia* per

per Finnoniæ Suediæque circuitus in has oras fuisse delatum, sed potiùs à Tanai ad Danubium atque inde porrò recta via progressum, inde sese in Scandinaviam ex Saxonia infudisse. Quod tamen antiquissimis temporibus contigisse oportet, quandoquidem jam Suedones vel Sueones *Taciti* ævo Germanis accensebantur.

30. Cæterùm hæc quæ contra doctorum quorundam apud Suedos virorum sententiam diximus, nolim accipi, tanquam ex animo in Suedos iniquo profecta; nam meritissimæ gentis ornamentis libens faveo, & gloriam Hyperborei nominis *Sternielmio* & *Rudbeckio*, emissasque Gothorum colonias *Jornandi Grotio*que non illibenter concedam, tametsi viris doctis cavendum censeam, ne dum quicquid uspiam inclytum est, levibus & pene *Goropianis argumentis* ad suæ gentis decus trahunt, etiam veris fidem demant.

LETTRE A M. NICAISE

SUR L'ORIGINE DES GERMAINS,

du 28. Mai 1697.

Tirée de l'Otium Hanoveranum Felleri.

JE suis ravi non-seulement que M. d'*Avranches* approuve ma conjecture sur l'étymologie de *Germani*, mais encore qu'en montant plus haut, il donne justement dans mon sens. Car j'ai déja écrit à deux ou trois amis il y a quelques années, que je crois non-seulement que les *Germains* viennent des *Herminons* ou *Hermins*, mais encore que ces peuples ont apparemment leur nom d'un ancien Prince ou Héros nommé *Irmin*, ce qui est la même chose qu'*Arminius* ou *Herman*; l'*Arminius* contemporain d'*Auguste* ayant le même nom avec le plus ancien *Irmin*. Car *sul* ou *seul* est colonne en Allemand. Cette colonne (mais sans l'Idole) se montre encore dans l'eglise cathédrale de Hildesheim. *Meibomius* en fit autrefois un livre exprès. On dit que la figure de l'Idole représentoit un Dieu de guerre, & en effet *Heer* est armée, ou chez les anciens Teutons *Hari*, d'où vient (comme je le crois) *clameur de haro*, car *ban* est l'appel (*citatio*), ce qui ne veut dire autre chose, que la convocation ou proclamation generale pour se trouver à l'armée, dont vôtre *arriere-ban* a été fait par corruption. Or *heer*, dis-je, est l'armee ou *hari*: *ἄρης* Mars, *wehr* arma, *werre* guerre; *Ariman* dans les vieux titres, homme de guerre, ou *de genere militari*. Cela n'empêche point le rapport d'*Irmin* à *Hermes* (*Mercure*) que nôtre illustre Prélat a remarqué; seulement

ment il y a lieu de croire que chez les Germains, *Mars* & *Mercure* étoient confondus; ces peuples n'estimant que les armes. Comme encore *Wodan* ou *Odin* des Saxons répond sans doute le plus à *Mercure*, cependant c'étoit encore un grand guerrier, quoique cru magicien en même tems. Lorsque M. *Eggeling* à Brême publia son étymologie des Germains tirée *à Germanis Fratribus*, je lui envoyai la mienne des *Herminons*, & de l'ancien Héros *Irmin*, dont ma lettre parloit fort au long. Je la communiquai aussi à un ami, qui fait un journal en langue Allemande. J'ajouterai encore ce que je remarquai dès-lors, que ce Prince *Irmin* ou *Hermin* paroit être marqué par *Tacite*, puisqu'il dit assez clairement, que les *Ingevons*, *Herminons*, & *Istævons*, ont eu leur nom de trois fils de *Mannus*. Il semble que les *Hermunduri* ont gardé particuliérement ce nom, & que peut-être la terminaison *duri* ne sera autre chose qu'une corruption d'*Hermanner*, comme *Winnen* & *Winden*, *ban* & *band* (banni, bandit) sont la même chose &c.

EPISTOLA AD AMICUM;

DE ORIGINIBUS NATIONUM TRANSYLVANIÆ;

Ex Otio Hanoverano depromta.

MUltum tibi debeo, tum quòd præclaras tuas in Beierianum Theologiæ compendium notas dono mittis, tùm & quòd *Origines nationum Transylvaniæ* a Domino *Valentino Franco a Frankenstein*, viro, ut apparet, egregio, scriptas mecum communicas, quæ possunt eos errore suo liberare, qui nescio quas longinquas vel a *Carolo M.*, vel ab anterioribus etiam temporibus Saxonum Daciæ Origines fingunt. Sanè *Carolum* eousque penetrasse non apparet. Saxones quosdam in regiones transrhenanas ab eo translatos, quos *Ludovicus Pius* restituit, memorant scriptores, non tacituri colonias tam longinquas, cùm & Saxones in exercitu *Caroli* contra Hunnos non prætermittantur. Equidem Gothi, & Gepidæ & Longobardi, & alii Germani populi in Pannonia sedere, ut taceam, verisimile videri, jam antea antiquos *Dacos*, cognatos Getis, (si *Straboni*, aliisque credimus) Gothicam fuisse, seu Germanicam gentem. Sed quicquid illic fuit Germanum, id dudum abolitum esse putandum est gentium migrationibus, & assentiendum demonstranti auctori, Germanos hospites a Regibus Hungariæ jam Christianis privilegiis datis fuisse allectos, urbesque affluxu mercatorum, & opificum, & quorumdam etiam militarium virorum opplevisse, ut in Prussia, & Livonia, eo tamen discrimine, quod in has regiones per vim irrupêre, in Hungariam verò venêre invitati.

Optan-

Optandum, ut diplomata aliqua obtineri possint, quibus ista magis illustrentur præter id, quod dedit *Toppeltinus in Originibus Transylvaniæ*, (quem ad manus habeo) p. 16. sq. *Regis Andreæ* concessum Saxonicæ nationi immunitatis *privilegium*. In quo gaudeo Dn. *Franeum* correxisse errorem, & substituisse *vocati* pro *donati* magno utique discrimine. Illa enim vox novos hospites esse declarat, hæc quasi pristinos incolas repræsentat. Honorisque ipsorum interest Saxonum, ut non quasi servi prius libertate donati, sed promissa libertatis ingenitæ conservatione *vocati* credantur. Nosse operæ pretium foret, utrum originali privilegio Regis sit appensum, vel additum monogramma, tum & qui testes diplomati, ut solet, accesserint. Hæc enim omnia præterit *Toppeltinus*, quæ si opera viri præclari poterimus impetrare, plurimum adjiciet beneficio suo.

Equidem diploma *Andreæ* Regis non Saxones, sed Teutonicos nominat, & *Hermannus* ille, a quo *Hermanstadt*, Noribergensis fuisse dicitur, & alioqui constat persæpe ab Italis, Gallis, aliisque exteris omnes omnino Germanos dici Saxones, postquam Francorum appellatio Gallis magis tribui cœpit, & *insigne rutæ* ab Hermanstadiensibus serius haud dubiè ascitum videtur appellationi, opinionique populari servire. Interea nolim negare, Transylvaniæ Germanos peculiariter ad Saxones referri debere, præsertim si favet dialectus, de qua accuratius inquiri par erit, an Westphalicæ, vel Saxonicæ inferiori sic satis consentiat. Itaque specimina quædam habere optem, ut a plebejis hominibus pronunciantur, indicemque *vocabulorum provincialium*, quæ etsi Germanica tamen omnibus Germanis nota non sunt. Hinc enim meliùs judicabimus de origine & dialecto.

Sed & de cæteris Transylvaniæ habitatoribus quædam ampliùs scire optem. *Scyculos* ab Hungaris distinguit Dominus Autor, sed *Toppeltinus* ait, ejusdem esse originis cum cæteris Hungaris. Linguâ rem optimè definierit, utrum nempe sit sincerè Hungarica, an multum peregrini habeat admistum, sive Sarmaticum, vel Slavonicum, (quod nunc pro eodem accipio, lingua Slavonica latissimè sumta) sive etiam ab alia Scythica gente. De *Walachis*, vel *Blachis*, omnes consentiunt, linguam plurimum habere Latini. Semper mihi suspicio fuit, posse in aliquibus Daciæ angulis aliquas superesse reliquias *linguæ Cumanæ*. Nam Cumanos sæculo XIII. Rex Hungarorum recepit, habitationemque iis concessit, etsi postea, cùm bellum Tartaricum ingrueret, pro maxima parte fuerint deleti. *Cumania* autem videtur sese ab Hungaricis ditionibus ad Pontum Euxinum porrexisse.

Cùm dicit Dominus Autor in Wallachia, & Moldavia linguam Ruthenicam cum Latina, in Bulgaria verò, & Mysia cum *Illyrica* esse confusam, velim ego nosse, quid hic significet Illyrica. Vulgo sic ipsam appellant Slavonicam; sed aliud ab ipso intelligi puto, cùm aliàs a Ruthenica non satis distingueretur, quæ & ipsa est Slavonici generis.

De

De *Cingaris*, quorum aliquæ in Dacia habitationes, dignum itidem altiùs inquiri. Celeb. *Wagenseilius* in nupera appendice Noribergensium memorabilium Cingaros a Judæis ubique Germania pulsis ingeniose satis derivat, & linguam revocat ad Hebræam. Sed Autor, qui dicit, eos ubique una uti lingua fundamentali, etsi dialectis diversa, videtur plura, & certiora suppeditare posse. *Toppeltinus* eos vult Græcorum ferè religionem sequi, & aliquam baptismi nomine cæremoniam peragere; certè nihil affert, quod sapiat Judaismum.

Postremò mirum mihi videtur, quod *Toppeltinus* refert, Saxonas Transylvanos se quidem vocare *Detschen*, cæteros verò Germanos *Mueser*. Ipse vult *Detschen* esse a Dacis, *Mueser* a *Monsieur* Gallico. Sed fortasse *Detschen* nihil aliud quàm *Deutschen*, quid verò *Mueser*? nam gallicum *Monsieur* longissimè relegandum puto. Cùm idem *Toppeltinus* dicat; *Germanicam Linguam malè intelligimus, intelligi etiam ab ipsis vix possumus*, addatque, se multa vocabula Gallica, Italica, Hispanica, Anglica, Turcica, & Tartarica in suorum sermone notasse, optandum foret dictionariolum Germanicæ Transylvanorum plebeiorum linguæ haberi, precesque, aut alia specimina adjungi, non ad nostrum sermonem accommodata, sed genuina.

Cùm in privilegio Regis *Andreæ* mentio fiat *Blachorum* & *Bissenorum*, & de Blachis, quid sint constet, quæritur quid nationis sint Bisseni, quorum sylva Teutonicis a Rege confertur.

EPISTOLA AD JAC. CAROL. SPENERUM,

DE NOTITIA GERMANIÆ ANTIQUÆ.

Ex Speneri notitiâ Germaniæ antiquæ Halæ ann. 1717. editâ.

OPus tuum cum multâ voluptate percurri, partem maximè, quæ comprobationes continet. Apparent ex eo non vulgaris doctrina & diligentia: nonnulla fatendum est in hoc argumento valdè problematica esse.

Ingeniosa est conjectura illa, quâ Fosos cum *Cluverio* trans Albim locas. Sed mihi videtur ne Cheruscos quidem usque ad Albim pertigisse, & regionem circà Luneburgum, Dannebergam, & antiquam Marchiam penè usque ad Magdeburgum, fuisse Bardorum vel Longobardorum. Et licet Cherusci usque ad Albim pertigisse ponerentur, non tamen commodè dici posse ex *Tacito* Fosos conterminam Cheruscis gentem, si Albi, præsertim ubi tam magnus est, dividebantur. Denique non apparet, quomodo trans Albim tacti illi fuerint ruinâ Cheruscorum a Cattis profecta; cùm dubitari non posse videatur, bellum inter Cheruscos & Cat-

Cattos cis Albim gestum fuisse. Itaque mihi verisimilius videtur, Fosos non alios fuisse, quàm accolas Fusæ amnis. Poëtæ & Panegyricorum auctores non satis exactè situs locorum observant. Illud:

Ingentes Albim liquere Cherusci,

non magis accuratum est, quàm istud alterum:

. . . . . . *Mediumque ingressa per Albim*,
Gallica Francorum montes armenta pererrant.

Auctor Tabulæ Hydrographicæ Germaniæ est Dn. *Phil. Henr. Zolmannus*, filius Consiliarii intimi Saxo-Cizensis.

Quod superest, vale & fave. *Dabam Hanoveræ 3. Octob. 1715.*


EPISTOLA AD AMICUM,

DE TITANIS ET GIGANTIBUS EX SCYTHIA ORIUNDIS.

Ex Otio Hanoverano Felleri.

FAcio ecce copiam epistolæ, quam doctus in Gallia vir *Abbas de Charmoye* scripsit, ut scopum exponeret operis sui *de origine nationum* aliquando edendi, de quo pergratum mihi erit judicium tuum. Cæterum aliis passim epistolam communicari nolim, ne autore forsan invito edatur. Ego laudandum studium censeo ex mythologiis eruendi veritatem historicam, quamquam ob licentiam, quam sibi sumsere Poëtæ, id mihi videatur sæpe perdifficile. Semper tamen credidi, *bello Titanum*, *aut* etiam *Gigantum* cum Diis indicari vel Scytharum, vel Celtarum irruptiones in Asiam, & Græciam iis subjectam regibus, qui inter Deos sunt relati. *Promethea*, qui inter Titanes habetur, Scytham fuisse indicat alligatio ad Caucasum jussu *Jovis*, quo nil aliud designari putem, quàm exclusionem Scythicorum populorum excubiis ad Caspias portas collocatis. Sed nescio, an talia ideo statim ad Celtas pertineant, qui tunc fortasse in Scythia ampliùs non erant. *Callimachi* locus, *Gallos propaginem Titanum* vocantis, poëtico lusui propior videtur, quàm historicæ auctoritati: Nempe Galli templum Delphicum oppugnantes Titanum audaciam in Deos renovare videbantur. Veteres Celtarum nomine Germanos, Gallosque comprehendebant, ideo Istrum dicebant oriri in Celtis. Galatas, & Celtas vel (ut pronunciari deberet) Keltas, idem vocabulum esse putem. Itaque quæ horum honori dicuntur, etiam ad nos pertinent. Sed nolim honorem nationum quæri figmentis, qualia *Rudbeckius* pro Suedis suis ingeniosè quidem, & doctè, sed tamen sæpius vanè concinnat. Interim ignoscendum *est viris doctis* nonnihil patriæ amori indulgentibus, saltem ne absterreamus eos ab indaginibus, neve prorsus contemnamus, quæ minus

certa ſunt. Fieri enim poteſt, ut reperiantur aliquando, quæ conjecturas juvent. Ego quidem non dubito, ſi Turcis, & Tartaris eruditio daretur, exorituros ex ipſis, qui Hyperboreos ad majores ſuos non minore, quàm *Rudbeckius* jure referant. Interim non inutiles ſunt conjecturæ, nam ita quædam non ſpernenda eruuntur, alia etiam minùs certa, tamen non malè annotantur in ulterioris examinis gratiam, firmanda aliquando, aut rejicienda creſcente paulatim luce. Equidem ſi totius generis humani per orbem diſperſi originem, ex inſanæ Babyloniorum ſubſtructionis auctoribus petamus, *lineam Coloniarum* per Scythiam ad Iſtrum, & Celtas ducendam putem, nec dubito ex Germania in Galliam, & Italiam primos habitatores veniſſe: Sed & *quicquid in Scandinavia Germanicæ originis eſt*, *coloniam Germanorum puto*, anteriores habitatores Finno-Lappones ad rupium interiora pellentium. Arbitror etiam, ut Germania Anglos *Britanniæ* dedit, ita olim ei & priores incolas pro bona parte dediſſe. Interea non nego, poſterioribus temporibus ex Gallia, & Scandinavia in Germaniam colonos rediiſſe. Cæterum connectere populos remotiores cum Moſaicis originibus non facilè puto, unde & *Bochartus* pleraque de propioribus Palæſtinæ gentibus intellexit, quæ aliis ad longinqua referuntur. Difficultas aliqua mihi in Cananitis eſſe videtur, quibus, credo, ferè eadem erat cum Hebræis lingua, quomodo ergo hi ex *Semo*, illi ex *Chamo*? cum populi linguæ cognatæ non primis tantùm, ſed etiam propioribus originibus convenire debere videantur. Sed hæc omnia judicio tuo ſubmitto &c. 6. *April.* 1699.



VITA



VITA
B. ERNESTI AUGUSTI
ELECTORIS BRUNSVICENSIS PRIMI;

Ex Germanico ſermone in Latinum verſa.



OSTEAQUAM Deo, ſapientiſſimo rerum humanarum gubernatori, placuit, e conſpectu noſtro in ſui conſpectum longè beatiſſimum transferre Patriæ Patrem Dominumque noſtrum ſapientiſſimum, indulgentiſſimum, in cujus virtute, quoad vixit, pariter noſmet maximo cum felicitatis noſtræ ſenſu acquievimus: conſentaneum eſt in his exſequiis, ut laudes Principis noſtri ad poſteritatem prodantur, ſimulque habeant futuri Principes, quod imitentur exemplum, nobis denique, ad gratam recordationem excitandam, vitæ illius ſumma, velut in tabula proponatur.

Natales debuit Princeps Sereniſſimus, *Erneſtus Auguſtus*, Dux Brunſvicenſis ac Luneburgenſis, S. R. I. Princeps Elector, Epiſcopus Oſnabrugenſis &c. beatiorem nunc vitam vivens Dominus noſter deſideratiſſimus, natales igitur debuit ſuos venerandæ antiquitatis ac nobilitatis prorſus eximiæ Ducum Brunſvicenſium ac Luneburgenſium Domui. Eſt ea profectò inter paucas per omnem Europam clariſſima, quippe cujus potentia & opes, etiamſi horum ſeptem ſeculorum memoriam repetamus, magna ſanè deprehenditur; cùm quidem minùs etiam ſplenduerunt, quæ nunc primas tenent, Principum Familiæ. Huic rei fidem faciunt neque auctores parum idonei, in quorum teſtimonio alias acquieſcere cogimur, neque opiniones ex vano hauſtæ, vel optata potiùs, neque inſtrumentum privatum ac teſtimonia domeſtica, nec denique conjecturæ vix hoc nomine dignæ; ſed faciunt fidem auctoritates ejuſmodi, quæ tantæ potentiæ tamque antiquæ Principibus deeſſe non poterant. Itaque eorum tum genealogia, tum res geſtæ coævorum ſingulis Scriptorum fide & auctoritate, firmatæ reperiuntur; ut, quæ parum perhibeant inſtrumenta noſtra publica, nimiæ antiquitatis expertia, ea com-

mune quasi tabularium, historiæ veræ præsidium prodat, nihilque nobis privatim reliqui faciat.

Satis constat, jam ante hos septingentos annos in Italia vixisse *Azonem*, Marchionem, ex omnium, quotquot in Italia, immò tota prope Europa gentes commemorantur, antiquissima *Esteorum* gente. Is fuit magna ex parte Ligurum ac Longobardorum dominus, inde a mari Adriatico ad Genuæ usque fines. Hujus natu maximus filius, *Guelfus* avunculi sui, e Principibus Germaniæ, Guelfica itidem stirpe oriundi, terras Bavaricas & Suevicas sanè magnas hereditate accepit: quo facto ducis Bavarorum dignitatem cepit, cumque in Germaniam commigrasset, quæ sibi adhuc in Italia terræ paruerant, eas fratribus e noverca suis concessit, certa tamen lege ac conditione, quæ sibi jus quoddam adhuc suum vindicaret. Illos auctores generis sui agnoscunt *Estei Principes* in Italia, bonum factum! adhuc florentissimi, unde progeniti sunt fortissimi clarissimique Ferraræ, Modenæ, Rhegiique Duces.

Guelfus autem Dux, qui potentia & opibus suis universam Germaniam Italiamque complexus esset, filio suo cognomini, natu maximo clarissimam nec non potentissimam Principem *Mathildem* uxorem impetravit: cùm alter ejusdem filius, *Henricus*, *Niger* cognomine, ultimi Saxonum Ducis e gente Billungorum filiam *Vulfhildam* in matrimonium accepisset. Ita illo matrimonio spes nata est, terrarum Mathildicarum aliquando potiundarum, quæ mox vim ac robur exitu accepit: hoc Bavariæ Saxoniæque jungendæ facultatem dedit. Nam, qui hoc matrimonio editus erat filius, *Henricus Guelfus*, cùm *Lotharii* Imperatoris gener factus esset; Brunsvicenses, Luneburgenses ac Northemenses terras cum Saxoniæ, Angriæ & Vestphaliæ Ducatibus conjunxit. Hæ omnes terræ *Henrico* illius filio, cognomine *Leoni*, hereditate paterna partim, partim materna venerunt, auctæque sunt, quod laudi ei cessit, tum aliis modis, tum Soravorum populis victis & religionem Christianam doctis, quod beneficium eidem maximè debebatur, finibusque eorum occupatis: quas ejus opes etsi tandem invidia & æmulatio fregit, magna tamen earum pars, propriarum quidem terrarum, quin illius posteris salva maneret, impediri non potuit. Eundem illum Patrem venerantur duo Imperatores, totidemque Imperatrices, aliique deinceps fortissimi & fama sua Orientem non minùs quàm Occidentem complexi Duces Brunsvico-Luneburgenses, in his *Ernestus Augustus* ille noster, cum Fratre fortissimo, cujus vitæ Deus prospiciat! qui splendorem suæ Domus, impetrata Electorali dignitate, mirificè auxerunt.

His ergo tantis natalibus usus Elector noster a nobis nunc heu! planè distractus, dubium videri potest, digniorne illis, an ipso iidem illi fuerint. Natus est in arce Herzbergensi, anno post Christum natum cIↄIↄcxxix. d. xx. Novembris gemellus quidem cum sorore editus, *Dorothea Magdalena*, ante anni decursum d. xii. Nov. cIↄIↄcxxx. rebus humanis iterum

rum exemta. Patrem habuit *Georgium* Ducem Brunſvicenſem, ac Luneburgenſem, de cujus virtutibus ac rebus geſtis nonnulla dicendi locus videtur. Fortes intelligentur enim ſic maximè, creari fortibus, & ad virtutem erecta ingenia propagatione communicari. Fratres ille ſex habuit, ſed modò unum ex his ſe juniorem. Natu majores quatuor, *Erneſtus*, *Chriſtianus*, *Auguſtus*, & *Fridericus*, omnes deinceps ducatui Zellenſi præfuerunt. Cum his ille *Georgius* fraternam concordiam, ſi quis unquam, coluit, ut & admirationi eſſet & exemplo, nec illis modò, ſed noſtris etiam temporibus. Accepto per literarum ſtudia ingenii cultu cùm peregrinationes inſtituiſſet, bellicis interfuiſſet etiam expeditionibus, in aulis denique Imperatoria aliiſque negotia publica feliciter tractaſſet, a Fratribus ſuis, qui cœlibatum perſequebantur, ad matrimonium ineundum impelli ſe paſſus eſt, id quod nec ſine prole fuit. Cùm res Germaniæ perturbatiores eſſent, tum ille Circuli, Domuſque ſuæ negotia fortiter ſuſcepit, hoſtibus magno ad *Oldendorpium* prœlio fuſis, aliaſque ſæpe numero victis, ut in paucis Defenſor partium Evangelicarum exiſtimaretur. Idem ille, ſuſcepto Præfecti Circulo Saxonico inferiori munere functus eſt egregiè, Viſurgi ab exterorum copiis liberata, Oſnabruga, Mindeno, Hildeſia captis, Luneburgo urbe iterum in poteſtatem redacta. Itaque, Familia Calenbergo-Guelferbytana extincta, etſi Fratribus adhuc utebatur natu majoribus, quorum unus modo imperium capeſſiverat; tamen his conſentientibus Calenbergico Ducatu & Gottingenſi potitus eſt. Ita cùm Principis pii, fortis, ſapientis, denique etiam felicis laudibus & meritis abundaſſet, tandem d. XI. Apr. CIↃIↃCXLI. Hildeſiæ obiit.

Matre uſus eſt *Anna Eleonora* Principe natalibus ſuis digniſſima, oriunda quippe e Landgrafiorum Haſſiæ Gente illuſtriſſima.

Avum paternæ originis habuit *Guilielmum*, Ducem Brunſvicenſem ac Luneburgenſem.

Avia gaviſus eſt *Dorothea*, e Dania Principe regia.

Proavo nomen fuit *Erneſto*, Brunſvicenſi Duci ac Luneburgenſi.

Proavia ei *Sophia* fuit, e gente Ducum Mecklenburgicorum.

Abavum habuit *Henricum*, cui in matrimonio fuit *Margaretha* Princeps Electoralis Saxonica.

Maternæ originis avo uſus eſt *Ludovico* Landgrafio Haſſiæ.

Avia *Magdalena* Principe e Domo Electorali Brandenburgica.

Proavum veneratur *Georgium* Landgrafium Haſſiæ, cui fuit in matrimonio *Magdalena* e Comitum Lippenſium gente oriunda.

Abavum habuit *Philippum* Landgrafium Haſſiæ.

Abaviam *Chriſtinam*, Principem Saxoniæ.

Atque hi fuerunt majores Sereniſſimi Electoris noſtri, quorum ſeriem altiùs multo repetere poteramus, niſi nota ſatis auguſtæ gentis antiquitas talem operam ſupervacuam faceret. Ac fuit ille quidem Fratrum ſuorum

natu minimus; ſed tamen vel parvulus indolem oſtendit ejuſmodi, quæ magnam ſui ſpem concitaret. Patre orbatus eſt adhuc puer; ſed tamen ita jam ex eo profecerat, ut ab eo inter adminiſtrandæ reipublicæ graviſſimas curas, ſenſu religionis vero & integro imbutum animum teneret; inde veri honoris ſtudium, integritatem, fraudis & verſutiæ odium, præclarè factorum æmulationem, & omnia ſemina virtutum earum acceperat, quarum in omni ejus vita expreſſa veſtigia maximè extabant. In quo etiam uſus eſt magiſtra matre pia, ſi qua unquam, & ſapiente, cui, ut & Electori, hæc inſederat opinio, ut, cùm ſpes patriæ futura filiis ſuis niteretur, eorum educationi maximè conſultum vellent.

Igitur nondum quinquennis Princeps noſter, id quod ante item factum erat in Fratribus ejus, comitibus inſtructus eſt, peritiſſimis, prudentiſſimis, a quorum exemplo proficere poſſet, in vita piè, atque ita, tranſigenda, uti filium Defenſoris religionis evangelicæ ſtrenui decebat, in omnibus porrò virtutibus principali loco dignis, in comparanda denique eruditione moribuſque formandis. In quibus omnibus egregiè ille profecit, ut eximia dignitas oris, habituſque corporis comites haberent doctrinam & ſuavitatem, quæ caperet omnes atque exhilararet. Nec unquam deſiit literarum ſtudiis favere, immò impenſe ſavit, cùm ita ſua ipſius experientia edoctus eſſet de illorum utilitate, ut in legendis bonis libris per omnem vitam ſuam ſubinde verſaretur, non facilè huic negotio ſubtrahens tempus, quod a publicis negotiis reliquum fieret.

Cùm autem maximè noſter parenti ſuo ſpem de ſe jucundiſſimam certiſſimamque concitaret, placuit Deo hunc Principem incomparabilem, qui in eo tum erat, ut Brunſvicenſes terras hoſtium manibus penitus eriperet, ex hac vita evocare: quo, etſi præmia morum pietati, laborum patientiæ, periculorum pro Patria & Religione vera ſuſceptorum moleſtiis, attribuebantur, magnus tamen dolor infligebatur ſuis, civibuſque omnibus, cura etiam permagna imponebatur fœdere ſibi junctis, totique Germaniæ, qua Evangelicam doctrinam colebat. Nec enim adhuc erat Principum quis, exercitui ſuo ipſe Dux, totiuſque cauſæ Proteſtantium moderator, & defenſor; ſiquidem, quæ huic, & univerſo imperio prodeſſent, multa neglecta ſunt; ipſi autem Domui Electorali vulnus inſanabile inflictum eſt.

Accidit is caſus d. II. April. CIƆIƆCXLI. anno ætatis, quem agebat Princeps noſter duodecimo, cùm quidem Fratres ejus duo natu majores peregrinatione inſtituta, e Belgio in Angliam tranſvecturi, domum revocarentur. Horum natu maximus *Chriſtianus Ludovicus* ducatus Calembergicum & Gottingenſem in locum Parentis demortui regere cœpit: reliqui duo ætate proximè inferiores *Georgius Guilielmus*, cujus vitæ Deus faveat! & *Joannes Fridericus*, qui magnum ſui deſiderium reliquit, in peregrinas terras abierant, *Erneſtus Auguſtus* autem noſter natu minimus, ut ſolatio matri eſſet (quæ interea unam filiam ſuam *Sophiam Amaliam* menſe

mense Octobri CIↃIↃCXLIII. Principi Danico, Archiepiscopo tunc Bremensi, deinde Regi *Friderico III.* collocaverat) terras peregrinas invisere minimè ratus, in litterarum studia porrò incumbere statuit, annosque hujus sæculi 44. & 45. in Academia Marburgensi consumsit, in qua Rectoris Magnificentissimi munus oblatum sibi, ut indulgentiam in hanc Academiam declararet, accepit; nec modò hanc ob caussam, sed quod etiam egregiæ animi & ingenii dotes in eo conspiciebantur, & dignitas quædam singularis tum externa, tum, quod tantis esset natalibus ortus, ab omnibus maxima admiratione cultus est. Et profectò ille cum omnibus Fratribus suis tum peregrinando, tum exercitibus ducendis in Germania pariter atque exteris terris, tum domi in Principibus Germaniæ longè dignissimis qua indolem generosam, qua splendorem generis, qua ingenium, qua integritatem, qua liberalitatem naturæ, qua suavitatem, qua denique fortitudinem, numerati sunt.

Anno CIↃIↃCXLV. cum ætate Electorem proximè antecedens Frater, *Joann. Fridericus* Dux peregrinationem primam absolvisset, paulloque ante, quàm in *Christiani Ludovici* Ducis verba juraretur ab Ordinibus & Civibus, Hanoveram se contulisset, tum *Ernestus Augustus* noster primum & ipse terras exteras, Belgio, Anglia, Francia lustranda, invisit, annoque hujus seculi sexto & quadragesimo præcipitante Parisiis fuit, indeque non modo Franciæ partes plerasque adiit, sed etiam non sine periculo in Hispaniam usque tecto nomine suo penetravit: hinc petita Italia & ad Siciliam usque peragrata Maltham adiit, tandemque sospes ad suos redux factus est.

Interea Capitulum Archiepiscopatus Magdeburgensis *Ernestum Augustum* nostrum Coadjutorem cum promissione successionis constituit: quod ei meritò contigit, quippe qui jam mense Septembri anno 1638, Patris cura inter Canonicos præbendatos Ecclesiæ Cathedralis per resignationem in favorem acceperat, adeoque ex gremio eligi poterat. Quod cùm ita factum esset, mense Decembri anno CIↃIↃCXLIX. convenit in urbe Zellensi inter oratores Capituli & Coadjutorem, quo facto decretum Electionis Magdeburgi d. xx. Nov. CIↃIↃCXLVI. consignatum Electori nostro traditum est.

Jam fuit illa quidem spes Præsulatus Magdeburgici irrita, nec promissis illis fuit satisfactum; ceterum tamen habuit ea res hoc boni, ut Episcopatu Osnabrugensi ornaretur. Est enim anno CIↃIↃCXLVIII. in pacificatione Osnabrugensi tandem hoc constitutum, idque multis gravissimis de caussis, ut Episcopatus hicce alternativo jure Principibus Brunsvicensibus reservaretur, primusque a morte ejus, qui tunc esset, Episcopi, illum *Ernestus Augustus* regeret.

Cùm autem non diu post pacem Westphalicam *Fridericus* dux Zellensis, nostri Patruus unus adhuc superstes d. x. Dec. CIↃIↃCXLVIII. obiisset, & in ejus locum *B. Christianus Ludovicus*, ducatibus Zellensi & Grubenhagensi

hagensi præesse cœpisset, traditis ducatibus Calembergensi & Gottingensi *Georgio Guilielmo* Fratri ætate se proximè inferiori; tum *Ernestus Augustus* Hanoveræ plerumque cum eo fuit, amorque ille mutuus isque planè singularis, ut neque domi, neque foris nisi una, essent, fecerat; Italia etiam aliquoties invisa. Interdum tamen idem ille noster Reginam Daniæ solus invisit.

Anno cIↃIↃCLIII. mense Octobri, *Christiano Ludovico*, nuptias celebranti idem illud par Fratrum adfuit, annis proximè sequentibus peregrinando iterum consumtis. Per illud tempus accidit, ut, cùm *Ernestus Augustus* veris tempore anno cIↃIↃCLVII. Venetiis relictis Vindobonam peteret, dum Innum flumen trajiceret, febri acuta oppressus Vindobonam deportaretur. Eo tempore maximum vitæ discrimen adiit, ab ipsis Medicis morbo mortem præsagiente relictus, tandem tamen servatus præsenti auxilio divino, & corporis robore naturali. In quo ille morbo *Georgii Guilielmi* plus quàm fraterni amoris documentum vidit, quippe qui, nuntio de Fratris morbo ancipiti accepto, incredibili celeritate dies noctesque sine requie, nec cibo sumto nec potu Venetiis, curru publico usus, Vindobonam advolavit, ut adesse fratri laboranti posset, quocum postea domum rediit.

Cùm autem hæc ducum Brunsvicensium familia nondum prole aucta esset, visum est, *Ernesto Augusto* matrimonium ineundum esse. Itaque *Sophiam* Ille Principem Bavariæ *Friderici V.* Electoris Palatini filiam sibi junxit, quam nunc viduatam meritò atque ex animo dolemus. Sunt autem illæ nuptiæ exeunte Septembri anno cIↃIↃCLVIII. Heidelbergæ celebratæ, novosque conjuges d. IX. Nov. Hanovera primum vidit, qua in urbe faustissimis ominibus excepti ad annum usque hujus seculi primum & sexagesimum perpetuò manserunt,

Anno cIↃIↃCLIX. d. VI. Maii Mater Nostri Herzbergæ obiit, exuviæque ejus Zellæ in sepulchro principali marito olim suo appositæ sunt, ibique exequiis Elector Noster una cum Fratribus suis d. XXXI. Aug. summam pietatem declarantes, interfuerunt.

Anno cIↃIↃCLX. d. XXVIII. Maii suscepit Noster e Conjuge sua Filium primogenitum *Georgium Ludovicum*, quem nunc Dominum Nostrum Indulgentissimum veneramur, Deum Optimum Maximum precati, ut hunc acerbum casum levare vita longæva, regimine felici omnisque generis felicitate principali, velit. Anno proximè sequente d. III. Octobr. iterum ei natus est Hanoveræ Filius *Fridericus Augustus*, quem vivum intueri nobis non ampliùs contingit.

Jam cùm die XXI. Nov. cIↃIↃCLXI. *Franciscus Guilielmus* Cardinalis è gente *Wartembergorum* in urbe Ratisbonensi, Episcopali sede sua, ex hac vita decessisset, nec esset ampliùs etiam Episcopatui Osnabrugensi Præsul; Elector noster e pacis legibus Episcopum Principemque in illis terris se gerere cœpit, prouti convenerat, ipse autem Osnabrugam prius

prius non venit, quàm inthronisatio in Ecclesia Cathedrali fieret, die xx. Septembr. CIↃIↃCLXII. Ibi tum Hanovera cum omni aula in Osnabrugenses terras concessit, Iburgo sede Electorali capta.

Cùm igitur imperium noster capessere cœpisset, eum se gessit, ut expectationi omnium, quæ ante fuerat, satisfaceret. Admirabantur novi cives in Principe suo propriam quandam oris dignitatem mistam cum comitate singulari, quæ verecundiam pariter omnibus atque amorem injiceret; multo magis autem morum gravitatem & indulgentiam adversus summos & infimos nemo non celebrabat gratusque suspiciebat. Ita factum est, ut mire confiderent ei omnes mireque sibi omnes de tali Principe gratularentur, ut vix videatur unquam fuisse Princeps, qui nascendi lege imperium acciperet, magisque a suis amaretur, omnique modo coleretur.

Strenuus porrò præfuit Reipublicæ noster, ordinesque provinciarum tum ipse aliquoties omni modo juvit, tum vicissim ab ipsis adjutus est. Instituta publica ad securitatem Reipublicæ & utilitatem referebantur, disciplina servabatur, quæ in fraudem legum fieri solita erant, abolebantur, jus suum cuique reddebatur. Inprimis autem effecit verecundia sui suæque gentis, quam injecerat exteris Principibus, Principem se gerendo laudabilem, suisque civibus prospicientem, ut neque fines suos hostes invaderent, neque licenter suo arbitrio transirent, aut alia incommoda, temporibus, quæ sequebantur, difficillimis, infligerent, cavitque ab his omnibus juvante Deo per sex & triginta annorum spatium, quod imperio suo impleverat, imo rempublicam omnem ita in melius vertit, ut Episcopatus Osnabrugensis vix dici possit expertus esse Principem tam perennem sibique felicem.

Imperio suscepto Serenissimus Elector noster aliquot annos pacatos habuit; verum, quæ post secuta sunt tempora, ejusmodi erant, ut quasi theatrum ingenio & fortitudini essent. Hæ autem nostri virtutes comitem habebant animum sane placidum, ut eam ob rem non parum contulerit ad discordiam periculosam, quæ mox in sua ipsius Domo orta erat, sedandam, & ad gratiam Fratrum revocandam, qua posthæc inprimis opus fuit, cùm tempora celeriter consequerentur ejusmodi, quæ periculorum nihil minùs quàm expertia erant: agebatur autem securitas universæ Domus & incrementum splendor ejus capere poterat.

Cùm enim *Christianus Ludovicus*, Dux Brunsvicensis ac Luneburgensis die XV. Martii CIↃIↃCLXV. rebus humanis exemtus esset, isque casus discordiæ locum fecisset inter *Georgium Guilielmum* & *Joannem Fridericum* illius Fratres Duces Serenissimos, de optione & exæquatione terrarum; *Johannes* autem *Fridericus* qui Zellæ fuerat, quo tempore Frater ex hac vita decesserat, ibi & in toto Principatu Zellensi sacramentum exegisset, cui Frater natu major reclamabat; quo consilio copiæ utrimque paratæ, auxilia expetita, & omnia ita instituta erant, ut intestinum bellum metuen-

tuendum esse videretur; Tum verò noster ille unà cum *Augusto* Duce Guelferbytano intercessit, primumque Brunsvigæ, post, cùm Electores Coloniensis & Brandenburgensis, Sueciæ denique rex, qua Dux Bremensis, & ipsi arbitros se gerere cœpissent, Hildesiæ, cùm diu multumque esset ea res agitata, composita est ita, ut tandem sub initium mensis Septembris ei negotio ad perfectionem nihil deesset: in quo etsi Franciæ Administri aliique aliorum Principum, & ipsi intercesserunt; nostri tamen fraterna consilia efficacissima fuisse credibile est.

Ea re auctoritas nostri incrementa utique cepit, quo nomine inde ab hoc tempore in societatem negotiorum publicorum, tum Europæorum, tum Germanicorum inprimis, ordinandorum venit, unde ipsi suisque magna utilitas manabat.

Mense Octobri, cùm convenisset inter Duces Brunsvicenses Hildesiæ de successione imperii, Legatus Regis Angliæ Iburgum venit, propter bellum, quod illi regi cum Belgis intercederet, ut mandata Regis sui curaret. Noster autem in eo versatus est, ut impediret, ne bellum, quod inter Ordines Belgicos, & Episcopum Monasteriensem, qui fœdere sibi junxerat Regem Angliæ, ortum esset, latiùs serperet, inque fines Imperii, aut suas terras propagaretur. Itaque etiam ei consentaneum visum est securitatis caussa cum tota Aula sua in Metropolin Osnabrugam concedere, sibique ea in urbe ædes, suis sumtibus magnificas exstruendas curavit.

Cùm porrò Elector Palatinus eo tempore gravissimas controversias cum Duce Lotharingico viciniisque aliis Principibus haberet, noster illum, ut Conjugis suæ Fratrem auxilii sui expertem esse noluit, prætereaque effecit, ut istæ controversiæ dirimerentur.

Interea *Georgius Fridericus* Comes, post Princeps, Waldeccensis una cum Legato Batavo Ordinum suorum nomine cum nostro ejusque Fratre Duce Zellensi mense Decembri Nienburgi fœdus quoddam fecit, ex quo illi nostri copias auxerunt. Mense Aprili anni sequentis Cliviæ, interventu Principum quorundam, nec exclusa Domo Brunsvicensi, materia discordiarum sublata est.

His ita sedatis civitas Bremensis seditionem movere visa est, quæ, ne erumperet legationibus & conditionibus propositis tentatum est, quarum pars fuit Legatus nostri, quibus tandem effectum, ut conveniret inter Ducem Suecicum & civitatem die XV. Novembr. CIↃIↃCLXVI. atque ita paci in illis terris consultum est.

Sed alibi mox bellum exarsit. Cùm enim Franci anno CIↃIↃCLXVII. expugnatis multis urbibus munitissimis in Belgium Hispanicum invasissent, Noster æquè ac Electores & Principes alii, ablegavit, qui conventui Coloniensi interessent, qui omnes in eo consenserunt, ut ad Imperatorem Franciæ & Hispaniarum Reges legatos mittendos censerent, nosterque sibi passus est imponi, ut pacis revocandæ gratia legationem Hispa-

Hispaniensem curaret; Hagæ Comitum etiam unà cum *Georgio Guilielmo* fœdus cum Daniæ Rege, Electore Brandenburgico & Ordinibus Belgicis ad otium & concordiam conservandam & revocandam d. XV. Octobr. CIƆIƆCLXVII. faciendum curavit; postea autem, ut fœderi accederet, quod à tribus Principibus ejusdem nomen sortitum est, &, ut pacem quæ convenisset Aquisgrani inter Franciæ & Hispaniarum Reges mense Maio CIƆIƆCLXVIII. ratam haberet, ab Anglis & Belgis invitatus est, quod tamen eventu caruit.

Eodem tempore nostro cum fratribus suis placuit copias transmittere in Candiam adversus hostem Christiani nominis infestissimum. Ibi tum noster, non modò ut gloriæ suæ consuleret, sed inprimis etiam Christiano nomini subsidium ut pararet, animumque candidum Reipublicæ Venetorum, cui se debere putabat, præstaret, seriò rem egit, suisque magnum numerum copiarum Luneburgensium Duce *Josia*, Comite Waldeccensi, non solùm in Candiam trajicere voluit, sed ad expugnationem etiam urbis usque, cum Reipublicæ & Christiani nominis bono, interesse negotiis bellicis ad mensem Septembrem anno CIƆIƆCLXIX, jussit. Id exemplum excitavit & alios Principes Imperii, Electores etiam, qui suas copias Duce Luneburgico crediderunt.

Interea noster suscepit è conjuge sua duos Filios & unam Filiam, Principes, quippe d. XIII. Dec. CIƆIƆCLXVI. Osnabrugæ cum Fratre gemello, vitæ experte, in lucem editus est *Maximilianus Guilielmus*, anno autem CIƆIƆCLXVIII. d. II. Octobr. *Sophia Carolina*, quæ nunc quidem Electori Brandenburgico collocata est, rebus humanis interesse cœpit; sequenti denique anno mensis Octobris die tertio natus est *Carolus Philippus*, qui, cùm omnibus carus esset, fortitudinis maximè nomine, juvenis adhuc in Albania defensor Christiani nominis occubuit.

Anno CIƆIƆCLXX. controversia mota est cum Episcopo Monasteriensi de possidenda urbe Hoechster, siquidem Abbas Corbeiensis hoc sibi jus competere, noster autem in fide sua eandem illam urbem esse, dixerunt; & armis utrimque uti velle videbantur. Ea de caussa Fratres nostri & cognati Principes hieme anno CIƆIƆCLXXI. Hamelam convenerunt, ut communibus consiliis ei rei mederentur; dum Principum vicinorum aliorumque interventu factum esset, ut compositionis spes oriretur; quo facto Bilefeldæ interim nonnullæ conditiones acceptæ sunt, tandemque Coloniæ compromisso locus factus est.

Cùm præterea periculum imminens Imperio toti & viciniæ inprimis magisque timendum esset, nec satis consultum Domui Brunsvicensi, nec eadem satis dignum videretur, antiquissimam urbem Brunsvigam indomitam gloriari, quippe quæ hostibus aliquando præsidio esse posset; visum est in eo elaborandum esse, ut illa urbs subigeretur. Nec verò in dubium vocari poterat jus Ducum Brunsvicensium in hanc urbem, aut municipales civitates Brunsviga dignitate superabat. Itaque

universi Principes Brunsvicenses eo consilio veris tempore Burgwedelæ convenerunt, decretumque est id, quod sibi domuique suæ maximè gloriosum esset. Nec ei decreto effectus defuit. Brunsviga enim, cùm a die XIX. Maii ad diem XII. Junii oppugnata esset, in ditionem redacta est, Principes Brunsvicenses suos agnoscens, postea quam aliquot secula immorigera fuerat, immo interdum cum hostibus Ducum Brunsvicensium fecerat, eos adjuvando, cum magno illorum incommodo, oppugnata etiam aliquoties, sed irrito conatu.

Sub finem hujus anni exarserant controversiæ inter Electorem Coloniensem & civitatem, ut vis hostilis consecutura videretur; timendumque erat, ne periculum belli, quod Belgis è Francia tunc imminebat, ea re in Germaniam arcesseretur. Erat enim in urbe præsidium Belgicum, & exercitus Francicus Archiepiscopatum occuparat. Sed noster ille unà cum *Johanne Friderico* Duce, Electore Moguntino, aliisque, supra quam sperari poterat, rem eo deduxit, ut nihil inde periculi timendum esset. Ita tunc illa tempestas disjecta est.

Jam antea noster conciliator fuerat nuptiarum inter Electoratus Palatini hæredem Principem, post Electorem *Carolum* & *Guilielmam Ernestinam* Principem Regiam Daniæ. Itaque cùm nuptiæ celebrandæ essent, noster cum conjuge sua, Brunsviga non diu capta, Harburgum adiit, indeque Altenavium petiit, quo Regina Daniæ Vidua cum sponsa Filia Principe venerat. Eam igitur noster Heidelbergam cum conjuge sua deduxit, qui ex eadem illa, vix dum advena d. XIX. Sept. CIƆIƆCLXXI. *Christianum* Filium suscepit. Inde itinere in Italiam facto, proximo vere cum conjuge Osnabrugam rediit.

Cùm igitur bellum illud exortum esset ineunte anno CIƆIƆCLXXII. in quo Franci unà cum Anglis, junctis sibi Episcoporum, Coloniensis, & Monasteriensis copiis, Belgium fœderatum quasi inundarant; Princeps noster inito cum Fratribus suis ad aquas acidulas Pyrmontanas colloquio, consilia cepit publicè salutaria, quibus exsequendis factum est, ut ab incursionibus & pervagationibus liberæ essent terræ Brunsvicenses. Cùm enim exercitus Cæsareus, cui præerat *Montecuculius* legatus, sub initium anni CIƆIƆCLXXIII. Episcopatum Paderbornensem cum vicinis civitatibus Westphalicis occupasset, Ille Noster sua Domusque suæ auctoritate effecit, ut Osnabrugensis Episcopatus similem fortunam parum experiretur: quod idem factum est tum, cùm *Turennius* Mareschallus mense Octobri anni CIƆIƆCLXXII. ipsaque hieme anni CIƆIƆCLXXIII. imperium Romano-Germanicum invasisset, ad Visurgim etiam progressus, qua re Westphalia ex parte, inprimis quæ Brandenburgico Electori ibi parent terræ, ipsa belli sedes factæ sunt.

Jam quidem Princeps ille noster, ne hoc fieret, legatis variè missis, prohibere tentarat, cui ejus consilio non ita multo post satisfactum est, Circulo illo Westphalico è pace, quæ mense Junio ann. CIƆIƆCLXXIII. con-

convenerat, a belli molestiis liberato, ut etiam spes esset, fore, ut in conditiones pacis, quotquot bello confligerent Principes, coirent. Ea autem tum irrita fuit, siquidem Franci porrò in ipsa viscera Imperii sævierunt. Quamobrem Imperator Romanus seriò magis negotium belli aggressus est, Regique Hispanorum visum fuit Octobri mense anno CIↃIↃCLXXIII. Francis bellum inferre.

Interea cœptum est de pace agi mense Junio ejusdem anni, interventu quidem Anglicorum pariter ac Suecicorum legatorum, quo etiam noster ille miserat, qui cum legatis Moguntinis, Neoburgensibus, Hassiacis, tum ibi, tum alibi consilia de pace agitarent, donec mense Maio anni CIↃIↃCLXXIV. omnia illa consilia abjicerentur.

Mense Septembri anni CIↃIↃCLXXIV. natus est nostro Principi Filius Junior *Ernestus Augustus*, Dux Brunsvicensis ac Luneburgensis.

Eodem anno Electoratus Palatinus aliique Principatus imperii hostili vi ac crudelitate ita affligebantur, ut nostro videretur, ne salus Germaniæ pessum daretur, ipsaque ejus libertas & dignitas, ut igitur videretur nostro necessario coeundum esse fœdere cum Imperatore Romano Hispaniarum Rege & Belgii fœderati summis Ordinibus, & adstipulandum iisdem conditionibus, quæ jam ab *Georgio Guilielmo* & *Rudolpho Augusto*, Ducibus Serenissimis Hagæ Comitum solemni formula sancitæ fuerant.

Adhuc quidem Elector noster prudentissimum se Principem gesserat, sed ab eo tempore non minus excellentem ducem bellicum se præbuit. Cùm enim Imperii Ordines bellum Franciæ inferendum statuissent, ille suis copiis, quæ adversus hunc Germanici nominis hostem ducerentur, ipse præfuit, adscitis etiam Zellensibus & Guelferbytanis copiis, quibus nostri Frater & ipse præfuit, eæque copiæ ad Coloniam Agrippinam mense Junio Rhenum transierunt, in Germania inferiori, ut a principio visum fuerat, bellum gesturæ; sed rejecto hoc consilio consultius existimatum est, si peculiari expeditione ad Rhenum, quem Medium dicunt, hostis turbaretur, Trevirique urbs oppugnaretur, quæ biennio abhinc hostilis ditionis fuerat; partim ut Domino vero potestas fieret redeundi in sedem suam, partim verò etiam, ut Lotharingicas terras appropinquarent. Itaque par illud Fratrum Serenissimorum cum exercitu prope viginti millium, maximam partem suorum, ad finem mensis Julii Treviros, cui urbi præsidium erat sex millium, oppugnare cœperunt. Id consilium potiundorum Trevirorum irritum reddere *Crequus* Mareschallus Francicus cum satis magno robore exercitus Francici tentavit, haud procul à ponte Kunzico, quo Saara fluvius transitur, castris opportunè collocatis. Ea re nunciata Ducibus nostris, consilia extemplo inita sunt ipsis calendis Augustis, quæ eo pertinebant, ut sine mora in hostes impetus fieret, omnia alia sentientibus plerisque, qui cum illis erant, ducibus bellicis.

Cùm enim Principes illi noſtri exiſtimarent, non ſine periculo oppugnationem porrò inſtitui poſſe, imminentibus copiis hoſtilibus, quæ ſingulis diebus augeri poſſent, præſertim cùm præſidium ſatis firmum urbi expugnandæ ineſſet; abſtinere autem ſe a conſilio expugnationis, hoſtibus vix conſpectis, ignominioſum ſibi putarent; hoc tamen ſecuti, quod ipſos fugere adeo perſpicaces non poterat, ut, ſi hoſtes nimium ſibi confidentes, nec impetum noſtrorum veriti opprimerentur, nullum autem tempus conſiſtendi, aut arceſſendorum auxiliorum relinqueretur, ut, inquam, ſpem victoriæ non vanam adeſſe crederent: non magis illi prudens quam ſalubre conſilium illud ceperunt, idque perquam celeriter ſapientia ſua fortique animo nixi executi ſunt.

Cùm primùm igitur Saaram flumen tranſiiſſent noſtri, tanta quidem celeritate, ut perterrito hoſti & tempus deeſſet, & animus & conſilium arcendorum noſtrorum; ita in eum impetus factus eſt, ut, licet vincere ſuetus, à copiis noſtris collectitiis, quod non putarat, funderetur. Interea præfectus Præſidii Trevirenſis cum magna parte ſuorum impetum in noſtros, quorum ſex millia ad urbem remanſerant, ſed irrito conatu, fecit, in qua ille expeditione in foſſam unà cum equo ſuo præcipitatus periit. Exercitus autem hoſtilis, ut de prælio paucis dicam; ita fuſus eſt, ut propemodum omnes ejus duces vel capti eſſent vel interfecti, militum pauciſſimi fuga ſalutem invenerint, tormentis, impedimentis, ſignis omnibus omnino in prælio relictis; ut præliorum & expeditionum, quæ in toto illo bello ſuſceptæ ſunt maxima & feliciſſima dici debeat. Ceterùm *Crequius* Mareſchallus Treviros Aſylum petiit, cujus urbis oppugnatio intentis viribus continuabatur, dum ejuſdem menſis die xxv. expugnata eſſet, in qua cum reliquis captivis noſtri *Crequium* etiam illum acceperunt.

In hac expeditione filius Electoris noſtri deſideratiſſimi natu maximus, quem nunc Dominum noſtrum veneramur, primum caſtra ſecutus eſt, nunquam ille parentem ſuum non ſecutus, quippe ceteris etiam ejuſdem expeditionibus ſemper interfuit.

Ita rebus feliciter geſtis, quamvis cuperet noſter, ut perſequi victoriam ſuam, inque hoſtium fines ingredi ſibi liceret, fieri tamen nihil minus potuit, tum, quia exercitus Cæſareus commorari trans Rhenum ſuperiorem non potuerat, tum quia utrique noſtrorum Principum neceſſitas impoſita erat cum pleriſque ſuorum Patriæ celeriter repetendæ, ne a ſe negligerentur, quæ propter bellum inteſtinum in vicinia coortum partim ad ſuam ipſorum, partim ad vicinorum Principum ſalutem ac felicitatem pertinerent.

Anno ſequenti tamen iterum Germaniam inferiorem noſter ille adiit, & amore boni publici militum numerum, quem ex pacto ſiſtere oportebat, aliquot legionibus auxit, indeque cum hac manu ſua ad finem belli uſque omnibus ſingulorum annorum expeditionibus una cum

cum Principe Araufionenfi, cui nunc Regi Britannia paret, interfuit.

Menfe Julio anni ejufdem pars fuit oppugnationis Maftrichtenfis, multumque præftitit qua illa urbs Maafa fluvio alluitur. Verùm cùm in diverfas partes abirent, confiliarii artifices, plurimifque morbis exercitus infeftaretur, militum numero ea re valde diminuto, abftinere fe a confilio expugnandæ urbis vifum eft, præfertim cùm ad finem menfis Augufti appropinquarent, qui laborantibus in urbe fubfidio effent. Ceterum hoc boni tamen habuit hæc oppugnatio, quod arci Philippinæ fatis confulere hoftis non poffet, quippe quæ urbs munitiffima fequenti menfe ab legato Imperatoris duce Lotharingico recepta eft.

Jam, etfi nofter nihil paffus eft in fe defiderari, quod inftituere potuiffet ad hoftem atterendum, quin potius neque fibi, neque filiis fuis, nedum militibus, tum in hac, tum in fequentibus expeditionibus pepercerit, fumtibus etiam, fupra quam debuerat, factis, fecutus quippe publicum magis bonum, quàm fuum: evenit tamen difficultatibus, quas fuperare non licet, quotiefcunque a plurimorum ducum arbitrio pendent res bellicæ inftituendæ, ut adverfus hoftem omnibus rebus inftructum parum feliciter nec fatis celeriter pugnaretur.

Anno CIↃIↃCLXXVII. interfuit nofter unà cum fuis militibus oppugnationi urbis munitæ, quæ a Rege Carolo (*Charleroy*) nomen habet, in qua relinquenda auctore noftro ceteri duces exercitus hoc fequebantur, ut prælio hoftem peterent: fed id confilium poftea parum ratum vifum eft. Proxima æftate eaque ultima, quæ hoc bello gerendo confumebatur, anno CIↃIↃCLXXVIII. hoftis ab exercitu fœderatorum, in quo nofter, uti alias, ipfe præfuit fuis, ad fanum *S. Dionyfii*, non procul ab urbe Bergenfi in provincia Hennegavio, menfe Augufto, ita prœlio affligebatur, ut nifi nuntius allatus effet de conditionibus pacis Franciam inter & Belgium, multum inde lucri expectandum fuiffet. Erant enim Elector Brandenburgicus, Duces Brunfvicenfes aliique Fœderati, nunc quidem a tergo planè liberi, poterantque omnes fuas vires Franciæ opponere; præterea videbantur Angli in eo effe, ut bello intereffe vellent, qua re mutata rerum facies tota fuiffet, fi modo adhuc fuftinere fe Fœderati nec pacem nimis celeriter arceffere voluiffent.

Cùm anno CIↃIↃCLXXV. Noviomagi, mediantibus Anglis, de pace facienda in univerfum deliberaretur, nofter etiam per Legatum fuum ei negotio præfto fuit. Præterea videbatur utilius effe Reipublicæ, fi conjunctis viribus bellum continuaretur potiùs quàm pax inter fingulos fieret, quod timendum erat. Itaque nofter ille per fuos eam rem inprimis urgere fæpius inftituit. Verùm prævalebat pacis cupiditas, qua plerique incenfi erant, unde noftro acquiefcere placuit.

Paullo poft, quàm inter Franciam & reliquos Principes de pacis conditionibus convenerat, turbæ fe quædam anno CIↃIↃCLXXIX. moverunt, quæ ad urbem Hamburgum pertinerent. Ibi tum nofter etiam de copiis fuis

suis quasdam appropinquare vicinas regiones jussit, effecitque una cum aliis, ut Novembri mense ejusdem anni Finnebergæ res componeretur, excluso turbarum omni metu.

Ita rebus pacatis placuit Deo, nostrum novis principalibus muneribus ornare, *Joanne Friderico*, Fratre nostri, cùm in Italiam profectus, Augustæ Vindelicorum decubuisset, ex morbo paucorum dierum d. XVIII. Decembr. anno CIↃIↃCLXXIX. mortuo. Exuviæ Beati principali comitatu inde arcessebantur, & omnis generis honores iis Hanoveræ d. XXI. April. CIↃIↃCLXXX. solemni pompa funebri tributi sunt, quo ipse paullo ante cum tota aula noster venerat, a quo tempore sedem ibi perpetuam habuit, sibique d. XII. Octobr. sacramentum dici jussit.

Vix dum suscepto hoc novo regimine turbæ iterum eæque permagnæ timendæ erant. Rex enim Franciæ pace illa non diu composita, *Reuniones*, quas dixit, instituit, contra quas pugnabant Ordines Imperii. Itaque utrimque placitum est, ut Legati Francofurtum ad Mœnum convenirent, nostroque, Imperii nomine, mandata commissa erant, quibus ut satisfieret, legatus ejus anno CIↃIↃCLXXXI. eo se contulit. Franciæ autem Rex, cùm interea perrexisset eadem via, quam ingressus erat, Argentoratensi urbe etiam Septembri mense capta; noster animum libertatis studiosum in illo conventu ostendit, censuitque inhibendum esse expeditionibus istis, gravaminum discussionem instituendam, quæque eo pertinerent curiose comparanda; existimare enim se parum honorificum, tum apud eos, qui nunc viverent, tum apud posteros, fore, immò religioni ducendum esse, si Ordines tot Imperii sine ope deserti proderentur, & peregrino imperio insererentur. Itaque sublato tandem Novembri mense anno CIↃIↃCLXXXII. illo conventu, reliquæ deliberationes Ratisbonæ instaurandæ visæ sunt.

Anno CIↃIↃCLXXXI. sub initium æstatis hospitio exceptam noster sororem suam Reginam Daniæ viduam, cum filio *Georgio* Principe Regio, ad acidulas Pyrmontanas tendentem prosecutus est; ubi Elector Brandenburgicus & *Georgius Guilielmus* unà fuerunt. Sed & Electrix Palatina eodem venerat, & reduce Regina Hanoveram, quo & Electrix Saxonica venerat, utraque Electrix, unà cum Principe Regio Hanoveram convenerunt.

Anno CIↃIↃCLXXXI. & sequenti imminebat his terris a contagione metus, quæ ex Oriente Vindobonam indeque per Bohemiam & Saxoniam superiorem tandem ad Hercyniam sylvam manarat. Sed juvante Deo curaque diligentissimè adhibita ibidem illa pestilentia substitit.

Mense Junio anni CIↃIↃCLXXXII. Imperatorem Romanum inter & Ordines Imperii ad confirmandam revocandamque concordiam & securitatem Laxenburgicus tractatus, qui dicitur, factus est. Ibi tum noster, ut ex pace Westphalica & Noviomagensi pacata omnia manerent, d. XIV. Januar. CIↃIↃCLXXXIII. Vindobonæ cum Imperatore transegit, ita ut in se

se susciperet, quod commodum Imperio esset, decem millia suorum militum sistere; eodemque anno cum Circulis & Ordinibus Imperii, qui jam Laxenburgico Tractatui accesserant, consilia iniit defendendæ rei communis.

Hoc & sequenti anno multa mala tum ex vicinia, tum aliunde eaque gravissima imminere videbantur. Quare Duces Brunsvicenses exercitum septem & viginti millium alere cogebantur, e quibus nostro quinque millia equitum, peditum autem decem millia sacramento addicti erant. Neque enim solum Turcæ bellum ad Vindobonam usque propagarant, quo magna pars exercitus Imperialis ipsorumque Ordinum abierat, unde nec reditus mox, durante illo bello dabatur; sed timendum etiam erat periculum e Francia & Septentrione, cui a nostro ceterisque in hoc tractu Principibus obviam eundum erat, nec tamen per absentiam copiarum obviam iri poterat; ut in summum res adducta discrimen, præsertim dum Vindobona oppugnaretur, omniumque rerum eversio metuenda videretur.

His talibus temporibus noster ille dubium videri potest, constantem ne & imperterritum animum magis, an ingenium divinum omnibus probarit, si quidem neque promissorum illecebris, neque minarum denunciationibus a recto tramite averti nullo modo potuit. Itaque nostro inprimis debebatur, quod animo ceteri non planè ceciderunt, nec discordia nata est, sed quod amissa conjunctis viribus recuperata sunt, quibus tandem temporibus noster supervixit.

Itaque per Legatos suos, quos interesse voluit Conventui Sociorum Hagæ Comitum instituto, anno CIƆIƆCLXXXIV. generosa consilia suasit, minimeque probavit inducias in viginti annos Conventui probatas, nec Ratisbonæ rejectas, quippe hostibus interea omnia, uti tenebant, relinquebant. Sed quando, animis distractis, quæ e republica essent, non planè obtineri poterant; in eo tamen, cur acquiesceret, habebat noster, quod nec omnes tamen provinciæ a Francis Reunione sua petitæ, & alia, quæ dignitati imperii adversarentur, minùs facta, immò prohibita sunt.

Eodem circiter tempore contigit nostro *Sophiam Carolinam* Principem Filiam suam Electoratus Brandenburgici tunc Heredi, nunc Principi, collocare; quæ nuptiæ d. XXVIII. Septembr. a. CIƆIƆCLXXXIV. Herrenhusæ celebratæ sunt.

Insequentis anni mense Majo diem obiit *Carolus*, Elector Palatinus, qui nostrum Electorem pariter ac Brandenburgicum, Landgrafium item Hassiæ Cassellanum, voluerat exequi, quæ testamento suo cavisset. Nec defuit officio noster, sed & hoc nomine & conjugis suæ, inprimis cùm Franciæ Rex, Principis Orleanensis nomine, quæ Electricis demortuæ soror fuerat, hereditatem sibi quandam, tanquam illa legitima

heres fuisset, venire voluisset; hoc igitur duplici nomine legatos Heidelbergam misit, ac diligentissimè curavit, ut in Ecclesiasticis & Politicis omnia ritè ordinarentur.

Induciis cum Francorum Rege factis, copiarum suarum partem adversus Turcas stipendia facere constituit, misitque quinque millia in Hungariam, quæ Imperatori auxilio essent. His pariter ac ceteris auxiliis Domus Brunsvicensis præfuit Princeps tunc juventutis nostræ, nunc Dominus noster. Hæc decem millia, unà cum mille equitibus, quibus jam ante Frater hujus nostri Electoris ibi præfuerat, æstate illa munitam urbem Neuheusel expugnarunt, eique prœlio interfuerunt, quod ad Granum oppidum hostibus perniciosum erat.

Immò sequentibus mox annis universum nomen Christianum fortiter juvit idem ille noster missis in Moream prope sex millibus suorum, qui Venetis subsidio essent adversus Turcas. Et fuerunt magno illis adjumento in expugnandis urbibus pariter ac victoriis reportandis. Ibi tum *Maximilianus Guilielmus*, tertius tunc Filius Princeps Brunsvicensis, tribunus militum interfuit, commutato mox hoc dignitatis gradu, cum alio, qui est in eodem genere, gradus proximè superior, sed in Venetorum exercitu, nec, nisi aliquot elapsis annis, eo se abdicavit.

Augusto mense anno cIↃIↃcLXXXVI. novis turbis locum fecit Hamburgum, quas quidem, ut opprimeret noster aliisque periculis caveret, ipse in viciniam concessit, adsumto satis magno militum suorum numero, in quo non modò fratrem, sed alios quoque Principes adjutores habuit; ut tandem sub initium mensis Octobris omnia componerentur.

Sequenti anno subinde in eo elaboravit noster, ut controversiæ, quæ inter Daniæ Regem & Holsatorum Ducem Gottorpiensem agitarentur, itidem dissolverentur.

Ac statim subsecutum est hoc ipsum bellum, qui finis nostro bellandi fuit. Franco-Galli enim *Philippi* arce oppugnata sub finem æstatis anno cIↃIↃcLXXXVIII. ad Danubium usque & in Franconiam arma sua contulerant. Cùm igitur periculum ostenderetur amittendi utriusque circuli, qui dicitur, Rhenani, idque permagnum; animi autem & virium vix satis esset ad idem periculum amoliendum, omnibus propemodum opibus in Hungariam & Belgium translatis: noster rogantibus, Electore Trevirensi & Hassorum Landgrafio Cassellano non modò in locum præsidiorum Hassiacorum, quæ ex oppidis suis ad confluentes sese contulerant, suos milites succedere jussit, sed effecit etiam, ut Magdeburgi quàm primùm colloquendi facultas sibi fieret cum Electoribus Saxonico & Brandenburgico, Hassorum denique Landgrafio Cassellano, qui omnes consilia ceperunt ejusmodi, quæ ad arcendum impetum hostilem pertinerent. Ex his noster adsumtis octo millibus, ad Rhenum, qui medius dicitur, contendit, quod idem factum est a cete-

ceterorum illorum Principum copiis, qua re factum est, ut, etiamsi Arci Philippinæ aliisque oppidis Palatinis auxilium ferri non posset, hostes tamen arcerentur, ulterius progressuri, confluentesque & Francofurtum obtinerentur.

Hieme consecuta, noster relicta suorum ad Rhenum dimidia parte, reliquos subsequi se in patriam voluit, eorumque numerum ad octo millium adauxit. Jam verò terris suis & Reipublicæ Germanicæ proficuum videbatur esse, si turbæ Daniam inter & Holsaticam Domum Gottorpiensem ortæ sedarentur. Itaque noster veris tempore anno CIↃIↃCLXXXIX. satis magnam suorum manum Albi admovit, quod itidem factum ab Suecorum Rege, & *Georgio Guilielmo* Duce; Deoque favente tantum profectum est, ut per conditiones Altonavienses, quæ nostro ex parte debentur, Holsatorum Dux Gottorpiensis restitueretur.

Ita duplici beneficio patria communis Germania a nostro affecta est. Ejus enim Filius natu major præfuit octo millibus militum Brunsvicensium utriusque Domus, per oppugnationem urbis Moguntinæ. Ipse autem octo millia suorum conditionibus Altonaviensibus perlatis, ex fœdere cum Hispaniarum Rege facto in Brabantiam duxit, siquidem verè profecti erant.

Cùm verò interea exercitus hostilis, trajecto Rheno in Sueviam irrupisset, periculumque Circulo Bavarico immineret, in eo denique jam esset, ut ab oppugnatione se abstinerent: Electores Saxonicus & Bavaricus, Legatus denique Imperatoris, Lotharingiæ Dux litteris & nuntiis e castris Magontiaco imminentibus, ad nostrum missis, impensè rogaverunt Legato alio Imperatoris ipsius adjuti, ut revocatis suis militibus, quàm celerrimè posset, Magontiacum eos petere vellet; in quo noster statim petentibus satisfecit, nec ipse eam expeditionem detrectans, cui cùm interesse cœpisset, factum est, ut urbs illa ipsis calendis Septembribus sese dederet.

Ita rerum facie mutata illæ nostri copiæ, quæ in Brabantiam contendere cœperant, ut & ceteræ ejusdem copiæ, quæ ab initio oppugnationi interfuerunt, duce Principe suo eodem perrexerunt, aliquot in ipso itinere dimissis legionibus, quæ Electori Brandenburgico, in oppugnanda urbe Bonnensi occupato, auxilio essent, tum ad finem usque oppugnatio perducta esset, hoc est, ad diem secundam mensis Octobris. Enimverò jam ante aliquot annos insignibus nostri meritis in universam patriam destinata erat Electoralis dignitas, cujus rei mentio iterum ab Electoribus injecta nec Imperatori displicebat. Cùm igitur Augustæ Vindelicorum anno CIↃIↃLXXXIX. sub finem æstatis Electorum conventus ob eligendum Regem Romanum futurus esset; ita quidem, ut & Imperator & plerique Electorum ipsimet eo se collaturi essent: nec noster abesse ratus, per legatos hoc opus ita instituit, ut suffragantibus

tibus plerisque Electoribus Imperatori novus Elector probaretur. Quamquam tum quidem res planè perfecta non fuit. Fieri enim non poterat, ut, coronatione Regis die xxv. Januarii cIↄIↄcLxxxx. facta, diutius commorarentur.

Eodem anno magna clades illata est Domui Electoris Nostri ereptis e vita duobus ejus Filiis altero & quarto loco natis, quorum hic primo, ille autem ultimo anno in exercitu Imperatoris nomen Christianum defendentes occubuerunt. Et *Carolus* quidem *Philippus* in Albania haud procul a Pristina ipsis calendis Januariis adversus Tartaros pugnans cecidit: *Fridericus Augustus* autem in Transsylvanis ad Fanum Sancti Georgii die xxx. Dec. angustias viarum obtenturus interfectus est.

Ejus anni mense Maio Princeps Filius natu maximus cum aliquot adhuc legionibus in Belgium Hispanicum contendit, eaque æstate undecim millibus copiarum paternarum præfuit. Autumno autem illæ ipsæ reduces factæ sunt, siquidem conditionibus satisfactum erat, nec Hispanorum Rex novas requisiverat.

Anno cIↄIↄcLxxxxII. ineunte vere noster quinque millia suorum in Hungariam, ut Imperatori adversus Turcas auxilio essent, misit, ubi porrò etiam de christiano nomine deque suo Principe bene meriti sunt. Præterea *Maximilianus Guilielmus* Princeps, Imperatorius dux bellicus in Italia, ad Rhenum, & in Hungaria stipendia fecit, ut nunc quidem proximus a duce bellico, qui propriè dicitur, mereat, cujus exemplum *Christianus*, Princeps, nuper, finitis in Belgio expeditionibus, secutus est.

Exeunte Junio ejusdem anni convenit nostrum inter & Magnæ Britanniæ Regem, summosque Belgii Fœderati Ordines, Hagæ quidem Comitum, de mittendis a nostro adversus Franco-Gallos in Belgium Hispanorum octo millibus.

Interea cœpit instaurari conatus potiundæ dignitatis Electoralis, felici nunc quidem eventu; quippe Imperator eodem anno significaverat disertis verbis, & Electores cuncti, idoneis caussis ducti, & superiori consilio Augustano nixi, tum per literas, tum per legatos idem Imperatorem rogaverant. Itaque Ratisbonæ mense Octobri conclusum Collegii Electoralis per majora, ut vocant, Electoratum nonum sanxit, menseque Decembri Investitura super eodem ab Imperatore Electori nostro, ejusque posteris per legatos Vindobonæ impetrata est: qua illum dignitate omnes Reges exterique Principes, quibus cum Imperio res in bello non fuerat, nec a nostro animus ullo pacto alienus, dignissimum habuerunt, Electorisque nomine insignivere. Atque etiam idem noster mense Decembre ann. cIↄIↄcLxxxxII. illi Fœderi Socius accessit, quod primum inter Imperatorem & Ordines Belgicos d. xII. Maii

Maii ann. cIↃIↃcLxxxix. inſtitutum erat, ſociorum deinde aliorum eorumque potentiſſimorum acceſſione auctam.

Cùm anno ſequenti noſtri pariter atque Fratris fines per abſentiam copiarum utriuſque in Hungariam & adverſus Franco-Gallos miſſarum, non ſatis tuti eſſent, & præſidiis firmati, impediri non potuit, quin Ratzeburgum urbs oppugnatione acerrima infeſtaretur. Interim tamen exteri vicinique Principes caverunt, ne revocarentur illæ copiæ, quippe quòd cum Reipublicæ magno detrimento conjunctum fuiſſet, effeceruntque auctoritate ſua, ut illæ turbæ domeſticæ ſedarentur.

Quotquot illo Fœdere juncti erant Principes, iis verò anno cIↃIↃcLxxxxv. in Congreſſu Hagæ Comitum, menſe Auguſto habito, viſum eſt, eaſdem conditiones porrò ſervari; in quo nec abnuit noſter.

Cum e fratre demortuo neptes a noſtro filiarum loco haberentur, pergratum ei fuit, ita volente Deo, ipſoque Imperatore conciliante, *Rainaldum* Principem, Modenenſem & Regienſem Ducem ſibi in matrimonium dari voluiſſe *Carolinam Felicitatem*, Principem, Filiam natu maximam *B. Johannis Friderici* Ducis Brunſvicenſis. Ipſæ nuptiæ per Procuratorem Sponſi Principis d. xviii. Novembr. Hanoveræ celebratæ ſunt: quo conjugio Brunſvicenſis & Eſteenſis Domus, ſeparata inde a ſeptem ſeculis, ejuſdem tamen paternæ originis, iterum copulata eſt.

Præter eas copias, quas in Belgio alebat noſter, idem anno cIↃIↃcLxxxxvi. quatuor millia ſuorum in patriæ communis commodum ad Rhenum contendere juſſit, quamquam hi ipſi, cupiente Rege Britannorum, nec Imperatore diſſentiente, in Belgium arceſſiti ſunt, quo quidem opportuno maximè tempore venerunt, ſiquidem hoſtis in eo erat, ut Namurcum urbem ab obſidione liberaret; nec tamen potuit impedire, quominus hæc munitiſſima urbs expugnaretur.

Proximè ſuperiori adhuc anno præter illas copias adhuc ſex millia ſuorum ad Rhenum miſit, cùm ibi videretur periculum maximè imminere. Poſteaquàm autem Franci cum robore exercitus ſui in Belgium conceſſerant, iterum rogatus eſt noſter, ut ſuos eodem ſe conferre juberet, cui voluntati ſuorum ſatisfecit, eaque re effectum eſt, ut poſt expugnatam urbem Atham nihil ab hoſtibus memorabile gereretur: qui fuit idem belli finis.

Cùm enim omnibus tandem placuiſſet, ut conſultationes de pace ſuperiori anno inſtitutæ Riſvici in Batavis inſtaurarentur, eodem adhuc anno arbitro Suecorum rege convenit inter Imperatorem, & qui cum eo fecerant, & Regem Franciæ, ita ut terræ per illam *Reunionem* affectatæ reſtituerentur, votique compos ex parte fieret noſter, quod inde a multis annis ſuſceperat.

Interfuit negotio pacis Riſvicenſis, & Hagenſi Congreſſui Sociorum

 Legatus

Legatus noſtri e primo ordine, qui a Principibus pacem conciliantibus, & ab reliquis Fœderatis Principibus, ut Legatus Electoralis habitus eſt, honorum quippe omnium compos, qui Legatis primi Ordinis haberi ſolent.

Quod controverſiæ inter Electorem Saxoniæ & Brunſvicenſem Domum de Lauenburgicis terris diremtæ ſunt, id & ipſum noſtro debetur, qui ultimum vitæ annum agens hoc negotium perfecit.

Quoniam, qualis fuerit in imperio, breviter expoſuimus, nunc etiam, quæ fuerit ejus valetudo, vitæque finis, dicendum eſt. Erat autem cum animi, tum corporis virtutibus quamplurimis a Deo ornatus, & naturali vigebat robore corporis, ut perpeti plurima poſſet. Jam etſi a multis annis interdum capitis dolores præcordiorum ſuppreſſiones & alia incommoda ſeſe ingerebant; tamen præterierunt, atque ita adhuc valuit noſter, ut peregrinationibus magnis, bellicis expeditionibus, aliisque laboribus ſine incommodo par eſſet, & a triginta annis nunquam decubuerit.

Ab anno autem cIↄIↄcLxxxxv. mirè corporis vires decreverunt, ut anno ſequenti gravem caſum experiretur, unde tamen ſatis ſuſtentatus eſt. Mox alia incommoda plura in genere nervoſo conſecuta ſunt. Ad hæc levanda, etſi ars omnia expromſit, quæ valerent ad vitia ventriculi atque inde orta incommoda tollenda, nervoſque adſtringendos: irrito tamen conatu iſta fuerunt, atque etiam aliquoties plures adverſi caſus conſecuti ſunt, ut vires ſubinde magis magiſque conficerentur.

Itaque cùm præterea appetitus ciborum & quies defeciſſet, & alvi difficultas ingruiſſet, oppreſſit noſtrum d. XIII. Octobr. anno ſuperiori media nocte repentinus morbus, qui vitæ finis idem videbatur. Sed placuerat Deo, ut medicorum conſiliis eventus reſponderet, ipſeque vires iterum colligeret.

Ita trimeſtre ſpatium noſter traxit, reviviſcente ſubinde ſpe valetudinis revocandæ, cùm animadverterentur, quæ rectè illam alere debere videbantur.

In hoc diuturno & moleſto Beati Electoris morbo Electrix propemodum dies noctesque ad finem uſque vitæ aſſidue conjugi adfuit, nec ſuæ vel quieti, vel valetudini parcens; in quo præbuit exemplum fidei conjugalis, vix uſpiam reperiendum; cum ea viciſſim a Beato Electore, quocum fœcundum & felix matrimonium habebat, mirè nunquam non adamata eſſet.

Nec verò infirmitas corporis noſtrum impedire potuit, quo minus cum ſuis amicis Reipublicæ conſuleret, ſi a paucis ante mortem diebus receſſeris, voluitque ad ſe referri ex eo genere res, ut, quæ viderentur, declarare poſſet.

Non multo ante vitæ finem recreari voluit corpore & ſanguine Dominico,

minico, in quo velut viatico accipiendo omnia edidit signa, quæ Christianum fidei veram formulam secutum probant.

Tandem igitur volente Deo d. XXIII. Januar. ejus, quem nunc vivimus, anni, factum est, ut nostro post cœnam paullulum recubanti membra quodammodo resolverentur, ut excitatus e somno commovere se non potuerit, nisi quod arteriarum ictus infirmi animadverterentur. Pridie illius diei *Georgius Guilielmus* Dux, nostri Frater, Herrenhusam venit, ut Fratri amantissimo animam agenti omni modo adesset, tristi officio functus, cùm omnia, quæ adhiberentur, nihil proficerent. Itaque Deo relicta omni cura preces adhibitæ sunt, quo item modo noster usus est, testatus id disertis verbis, cùm esset a Confessionario suo eam ob rem rogatus. Mox animam exspiravit, paullo ante mediam noctem inter preces circumstantium, sed placidè exspiravit, nec efferata facie, confisus tranquillè Domino suo. Vixit supra annum LXVIII. menses duos & triduum.

Jam debebat mentio fieri virtutum corporis & animi, quæ cum aliis multis rebus in eo suspicienda sunt, quippe constat, fuisse illum unum de Principibus Principum suæ ætatis. Neque tamen ei negotio immorabimur, cùm sit ei satisfactum partim iis, quæ sunt commemorata, partim communi omnium testimonio summa illius laus comprobetur.

Nec tamen alienum fuerit unum & item alterum afferre. Erat ille validis membris, statura procera & bene conveniente, vultu sereno, ut ei dignitas & pulchritudo virilis rectè tribui potuerit, quippe qua tum amorem sui, tum verecundiam omnibus inspiraret.

Nec minus fuit robur animi rebus magnis destinatum, ut, cùm hoc ad illa superiora accessisset, singulare quoddam ac planè divinum ortum esset. Splendebat his utriusque generis virtutibus in omni actu rerum sermonibusque privatis, conciliabatque sibi, quotquot, cujuscunque conditionis erant, convenisset, plusque sæpe numero ipse in consultationibus magnis effecit una collocutione, quam effecissent alii, multum temporis eidem rei tribuentes.

Ingenio valebat singulari, ut opportuno tempore meminisset rerum diu præteritarum. Magis tamen adhuc perspicacia valuisse dicendus est, quippe satis constat, eum sæpe in rebus maximis solerter excogitasse, quibus profici aliquid posset, & quæ nulli reperta erant. Judicium acerrimum erat, eoque caput rei cujusque ad se relatæ animadvertebat, quæ minus probabiliter efferrentur, perspiciebat, quæque optima factu essent, velut inspiratur, optabat; id quod sæpe numero admirati sunt, qui consiliis ab eo capiendis interfuissent. Inprimis etiam valuit futura e longinquo prospiciendi facultate, idque in rebus maximis in utramque partem; nec eventus non respondebat.

Cum his virtutibus ingenii mirum non est, si eloquentia quædam natu-

naturalis, digna magno Principe, conjuncta fuit. Dixit cum facilitate nec minori suavitate ac vi, ut etiam sententiose diceret, res explicandas breviter monstraret, ut resisti vix potuerit consiliis a se datis, & oratione sua comprehensis.

Literæ ipsius manu scriptæ emendari vix potuerunt, quarum ratio in verbis parum scrupulose, sed bene compositis sententiisque commodè subjectis aliquid referret ejusmodi, quod sine respectu ad ejus sublimem locum, sublimitatem tamen aliquam referret.

Neminem latet aliquot linguarum facultate inprimis Italicæ & Gallicæ pariter nostrum tum in loquendo, tum in scribendo valuisse. Latinam linguam idem a primis annis didicerat, ejusque usum etsi postea omisit, ut facultatem dicendi amitteret, intelligentiam tamen retinuit, & subinde in consultationibus verborum vim & potestatem rectè tribuit, & in usu cum aliis acutas sententias bene accommodavit.

Otium fefellit legendo multa, inprimisque res magnas & memorabiles omni memoria gestas cupidissimè ex monumentis hausit. Itaque & hanc ob caussam & propter multum usum cum peritis omnium rerum & eruditis viris, quorum copia ipsi nunquam nec in aula sua, nec in peregrinationibus defuit, ut eos etiam magni faceret, libenterque adhiberet; has igitur ob caussas nostro erat scientia rerum major, quàm pro illo loco. Has opes, ut & conservationem valetudinis peregrinationibus se suis aiebat debere. Quemadmodum hæ ingenii dotes mirè illustrarunt mentem Beati Electoris; ita virtutes animi voluntatem rexerunt ad veram felicitatem persequendam. Verissimè dici potest, cùm hac quoque ex parte laudabilem Principem fuisse, qui non modò alios voluerit operam dare pietati in Deum, justitiæ & omni modestiæ, sed ipse etiam exemplo suo præiverit.

Pietatem in Deum, infucatam illam verissimè amavit, & severissimè exercuit, odio habens omne genus simulationis, nec ullo modo ferens improbitatem. Res ecclesiasticas & scholasticas non solùm tuitus est, sed in melius etiam provexit, studiumque probavit omnibus in eo, quod ad gloriam divinam pertineret, nec minus liberalitatem in piis caussis, quæ dicuntur, juvandis.

Constantissimè sectatus est partes Evangelicorum, eorumque formulam, ut evangelicum Principem decet, tutam præstitit; nec verò aliter sentientes odio persecutus est, sed moderatum se iis præbuit, concordiam Christianam concupiscens.

Quæ ad alios omnes pertinent virtutes, justitiæ & benignitatis nomine comprehenduntur. Eæ necesse est sint præcipuæ in Principibus, quibus in multos alios regimen Deus commisit; eædemque sanè maximæ nostrum ornarunt.

Justitiæ

Justitiæ inprimis intentus erat, suum cuique cupiens: præmia bene factis tribui volebat, quæ secus facta essent, puniri: quem sensum suum non modò in iis rebus ostendit, quæ ad alios pertinerent, sed in iis etiam, quibuscum sua utilitas esset conjuncta, ut nihil præter jus & fas unquam appetierit.

Hinc factum est, ut nihil nostro æquè probaretur, ac bona fides & sinceritas: promissis suis stare didicerat pariter in parvis magnisque rebus: aversabatur autem calumniam & dolum, ut res naturæ suæ infestissimas.

Singularem benignitatem tum nemo ignoravit, tum ii præsertim experti sunt, quibus contigerat cum eo esse. Lætabatur impensè fortuna aliorum juvanda, unde cives suos, quantum per temporum injuriam fieri posset, omni ope adjuvabat; omninoque in id nitebatur, ut prouti quisque meritus esset, ipseque posset, aliis benefaceret. Quotiescunque ad notitiam ejus pervenerat res quævis, aut conditiones hominum, nihil minus quàm flagitare & instare rogando opus erat; immò sponte & libenter benignitas ejus & indulgentia occurrit, quæ res beneficiis ejus duplex pretium apud intelligentes & gratos homines conciliabat.

Quos haberet secum, eos consideratè adscivit, & vero etiam tutos præstitit; concordiam inter eos esse cupiens calumniæ & delationibus, quod & ipsum probat benignum & excelsum animum, aures non præbuit, aut delatum saltem adversus delatorem defendit: liber erat & vacuus a suspicione, quæque cum ignominia aliorum aut detrimento conjuncta viderentur, curiosè cavit, nihil enuncians, quæ sibi aperta & commissa essent. Hic virtutum concursus, qui parvi pendere alios docere solet, tamen in eo fuit conjunctus cum indulgentia & caritate, quæ vilissimorum etiam res & fortunas solicitè curaret.

Fortem & magnum animum Electoris nostri in ipsis rerum discriminibus, constantem item perpetuumque animum in consiliis consideratè captis prorsus clamant illa, quæ supra commemoravimus. Profectò in summis temporum difficultatibus, quas superari posse nemo speraret, constantiam servavit noster, spem alens, non temeritate aut vano consilio nixus, sed scientia rerum idonea & perspicaci indagatione, id quod eventus sæpius comprobavit.

Idem ille virtutum concursus progenuit generosum illud & heroicum pectus, quo sunt animæ excelsissimæ solæ insignes, id quod ex omnibus Electoris nostri factis apparet. Symbolo utebatur: Sola bona quæ honesta, quo vix aliud respondere melius poterat tum animo nostri, tum verò etiam factis. Nihil magis sequebatur quàm gloriam, integritatem, justitiam, communem utilitatem, quæ quidem omnia honesti vocabulo continentur. Hujus animi sibi sui liquido conscius tranquillè vivebat; nec verò in rebus agendis alia media adhibebat, quàm quæ cum honestate essent conjuncta.

Sed nec hic locus, nec tempus hocce laudes hujus tanti Principis pos-

 tulat.

tulat. Quæ ſunt hactenus commemorata, taceri non poterant, niſi facere injuriam velimus memoriæ tanti Principis. Sed nec plura memorari neceſſe erat, quippe in exteris regnis pariter atque in hac noſtra Germania illuſtriſſimum illorum teſtimonium perhibetur. Non ſine invidia virtus alias eſſe ſolet; nec noſtro defuerunt adverſarii & invidi; & hi tamen ipſi noſtro ſuum, virtutes ejus admirando, reddiderunt.

Itaque non dubium eſt, cùm res a noſtro geſtæ ultra tempus, ad quod propriè pertinent, vim permagnam utilitatemque publicè & privatim exercuerint, majoremque poſt probaturæ ſint, quin ad poſteritatem prodantur ab hiſtoricis laudes noſtri immortales. Domus Brunſvicenſis autem in illis ſuorum numerabit, quorum fulgore maximè ſe ſplendere exiſtimet.

Ceterum, erepto nobis hoc ſidere, velit Deus O. M. Electorem Sereniſſimum, cui nunc paremus, ut & Principem Filium Heredem, Filiaſque Principes longævitate, proſpera valetudine, omnique genere felicitatis beare, afflictum hoc denique caſu animum Electoris erigat. Annuat idem ille Deus noſtro ſuum ſpiritum, conſiliiſque proſperos ſucceſſus largiatur, ut & Patriæ felicitas, & ipſius gloria, perennis utraque, conſequatur; cives autem quàm diutiſſimè hoc regimine felici lætentur.

Solatium Deus etiam præbeat Electrici Sereniſſimæ, Principis nunc noſtri, matri, ſororique noſtri, Electrici Brandenburgicæ, tribus denique Fratribus Principibus, vitam longævam cum felicitatis partibus omnibus concedat, ut recreati ex hoc triſti caſu videri poſſint.

Georgio Guilielmo, Duci Brunſvicenſi, quem verè afflixit, mors *Beati Erneſti Auguſti*, ut fratrem facilè agnoſceres, huic igitur, ut conſolatio & animi refectio contingat, optamus, Deumque rogamus, ut diu ſalvum illum atque florentem eſſe jubeat; quod idem omnibus apprecamur, qui ſunt cum illa domo cognatione conjuncti.

Nec verò dubitamus, quin Dei benignitas Beato, verè pio, ſuperatis omnibus difficultatibus, cùm non niſi quæ honeſta eſſent quæſiſſet, conceſſura ſit, quæ ita virtutem perſecutis per Chriſtum præmia parata ſunt, ut ſola bona, quæ æterna, perſentiſcere queat.


Sit ergo exuviis B. Electoris terra levis & reditus in vitam cum omnibus ſanctis, & piis, ſine fine lætam & felicem. Hac nos quoque felicitate, juſto tempore, beet Deus Trinunus per Chriſtum Dominum noſtrum, cui ſit laus in æternum!

IN

IN GESTA ELECTORIS BRUNSVICENSIS PRIMI ERNESTI AUGUSTI,

EPIGRAMMA.

Prima operum sacrata Deo; sibi cætera, tellus
  Patria, & Imperii vindicat altus honos.
Creta jacens Ponto, testesque Alpheus & Ister,
  Barbaricæ cladis, res orientis habent.
Teutoniæ limes, gelidam servatur ad Arcton,
  Et pulso bimaris terra recepta Duci.
Parte aliâ medii jam libera flumina Rheni,
  Et Mosula, & gratis, Moge, fateris aquis.
Prædicat assiduum spectator Belga laborem,
  Et bello socii, Britto, Batavus, Iber.
Antiquus renovatur honos Brunsvigidos oræ,
  PRIMUS ubi ELECTOR, cui LEO plaudat AVUS.
Consilii pars magna, Aquilæ non vellier alas,
  Et fructum vivo debuit illa Viro.
Pax datur Europæ, pulchræque catastropha vitæ,
  ERNESTI AUGUSTI facta notanda vides.





TROIS LETTRES A M. PFEFFINGER

Professeur en Histoire à Lunebourg.

LETTRE I.

SUR L'ORIGINE DE L'EMPEREUR CONRAD LE SALIQUE ET DU PAPE GREGOIRE V.

Tirée de l'Otium Hanoveranum Felleri.


JE suis bien aise d'apprendre que vous faites imprimer des notes sur le Droit public de *Vitriarius*. Je n'ai pas encore lû le livre de cet auteur, & je ne sais point par où il se distingue. Je m'imagine cependant, qu'il contiendra de bonnes choses, puisque vous voulez bien l'éclaircir.

Guillimanus, qui a fait un livre exprès sur l'origine de l'Empereur *Conrad* le Salique, croit, qu'il descendoit d'*Otton* le Grand par son fils *Ludolphe*. *Blondel* fameux généalogiste, & assez exact, est du même sentiment. Cependant, après avoir tout examiné, j'ai été obligé de suivre celui d'*Aventin* (a) & de quelques autres, approuvé par M. *Eiben*, qui le font descendre d'*Otton I.* par sa fille, qu'il fit épouser à *Conrad* Duc de Franconie. Il est vrai que *Ludolfe* fils de l'Empereur a eu aussi un fils *Otton*, mais cet *Otton* doit être distingué de celui dont descend l'Empereur *Conrad*. Il semble qu'on n'en peut guéres douter en lisant le passage d'*Otton* Evêque de Frisingen, qui fait connoitre clairement que

(a) Editioni Germanicæ *Aventini*, curante *Cisnero* publicatæ anno 1580. adjectæ sunt variæ tabulæ Genealogicæ, ubi confer Tab. 12. *Conradi Salici* stemma repræsentantem, quam *Leibnitius* hic innuit.

que *Conrad* le Salique vient de *Conrad* de Franconie, de la famille de *Weibelingen*, & que les Ducs de Souabe, Empereurs, n'ont été Gibelins, que parce qu'ils descendoient des anciens Gibelins par la fille de l'Empereur *Henri IV.* (*Agnes*), qui épousa *Frideric* Duc de Souabe. Aussi d'autres anciens appellent l'Empereur en question *Conrad de Weibelingen* (b). L'Evêque de Frisingen *Otton* devoit le savoir, puisqu'il touchoit de si près les Empereurs de Souabe (c).

Pour répondre maintenant aux argumens que vous alléguez pour la descendance Saxonne masculine de *Conrad* le Salique, je vous dirai, Monsieur, quant au Pape *Brunon*, dit depuis *Grégoire V.* qu'il ne descendoit pas non plus d'*Otton I.* Empereur, autrement que par sa fille; quand *Ditmar* l'appelle neveu d'*Otton III.* cela veut dire proche parent (*Neve*) comme il l'étoit en effet, & même un peu inferieur dans la ligne, ensorte qu'il pourroit être appellé, *non quidem nepos ex fratre*, *sed tamen nepos ex consobrino* :



Je me souviens même, qu'il y a des auteurs non modernes, qui disent en termes exprès, que le Pape *Grégoire V.* descendoit dudit *Conrad* le sage. Après cela vous voyez bien, Monsieur, que les passages de *Glaber* & de *Rolevinck* ne disent point le contraire. Il ne paroit pas que le passage de *Roswita* soit suffisant pour prouver, que *Ludolphe* fils d'*Otton I.* a été Duc de Franconie aussi-bien que de Souabe, puis qu'on sait que *Conrad* a été Duc de Franconie. Mais quand il l'auroit été, l'on sait encore qu'il y a eu alors bien des changemens à l'égard des Duchés &c.

(b) Ita appellatur in *Chronic. Laurisham.* Tom. I. Freheri p. 73.

(c) Vide *Otton. Frising. Lib. 6. Chron.* c. 28.

LETTRE II.

I. *Des antiquités du Monastére fameux de* S. Michel *de Lunebourg*. II. Otton le Grand *est le fondateur de ce Monastére*. III. *De M.* Abercromby.

I. JE me souviens d'avoir vu autrefois *das Bayerische Stambuch des Wiguleius Hundius*; mais il ne me parut pas des plus considérables, ainsi je crois qu'on s'en peut consoler. Le dessein de rechercher les antiquités du Monastére fameux de *S. Michel* de Lunebourg que vous avez pris, Monsieur, est beau & utile, & je vous suis obligé de ce que vous me communiquez de vos notices & conjectures. Quant au fragment qui doit être de l'an 971. où il est dit : *Neque hoc monasterium in summi Dei honorem, in utilitatem & emolumentum* pauperum nobilium, *eorumque tantummodo filiorum educationem fundatum atque erectum, unquam destruatur &c.* Je le tiens pour supposé, & inventé par des Moines postérieurs, étant entiérement éloigné du stile qui étoit en usage du tems des *Ottons*, où *Nobiles* signifioit tout autre chose, & *pauperes nobiles* auroit été une espèce de contradiction : il est sûr aussi, que jamais aucun monastére n'a été affecté aux seuls gentilshommes, ou à l'éducation de leurs fils. C'étoit une chose bien contraire à l'humilité, dont les plus grands Seigneurs faisoient profession en ce tems-là, quand ils entroient dans les monastéres. Et quoique la confirmation du Duc *Bernard* de l'an 1434. semble autoriser cette piéce, il est aisé de croire, que les Chanceliers ou Notaires de ce Prince n'étoient pas des grands critiques. Je donne plus de créance à ce que vous avez trouvé dans un vieux papier sous ces termes : *Bernhardus, Ducis Hermanni filius, in confirmatione quadam privilegii Sancti Michaelis speciali : Si quis autem MSS. & præsentium hæredum meorum nacummelius hujus dati violator existere præsumserit aut aliquid omnino abstulerit, sit anathema a Domino nostro JESU CHRISTO, &c.* Car cela se raporte mieux au stile de ce tems-là. Je crois d'avoir deviné ce que veulent dire les mots obscurs qui y sont : *MSS.* est *meus*, & *nacummelius* est *nacumelinus* en Saxon, *id est*, *Nachkom*, ce qui est la traduction du Latin *successor*, qui doit être mis à la place ; de sorte qu'il faut lire : *Si quis autem meus & præsentium hæredum meorum successor, &c.*

II. Je viens à vôtre conjecture, qu'*Otton* le Grand, Duc de Saxe, grand-pére d'*Otton* le Grand, ou le premier Empereur de ce nom, pourroit être fondateur de ce Monastére ; parce qu'il subsistoit déja en 956. suivant un diplome original d'*Otton I.* Empereur de cette année, que vous avez vu, où il y a : *Noverint omnes fideles . . . qualiter nos per interventum* Hermanni *Marchionis theloneum ad Luniburc, ad monasterium* Sti. Michaelis *sub honore constructum in proprium donamus*. Or, vous posez pour certain, qu'*Hermann*, fils de *Billing*, n'a été alors que simple officier

officier de l'Empereur. Mais c'eſt en quoi je ſuis d'une autre opinion, & je crois que ce Prince étoit héréditairement Seigneur allodial ou propriétaire du pays des environs. Et outre ce qu'on lui attribuë de la fondation ou donation de ce Monaſtére, je le juge de ce que l'Empereur en 970. a donné une partie de l'héritage de *Wicmann*, fils du frére du Duc, au même monaſtére de Lunebourg; comme j'ai trouvé dans une ancienne Chronique Latine non encore imprimée, dont l'Auteur a été du douziéme ſiécle. *Tradidit* (*Imperator*) *monaſterio*, *quod* Hermannus *Dux in Luneburch conſtruxerat*. Il ſemble qu'en effet c'étoit le Duc comme héritier qui le donnoit, & que l'Empereur le confirmoit ſeulement. Car j'ai remarqué dans les vieux titres, que les Empereurs en confirmant les donations d'autrui ſe portoient ſouvent pour donateurs, pour avoir plus de part au mérite ſpirituel, & à la recompenſe de DIEU, qu'ils s'en attendoient; peut-être auſſi que l'Empereur ſe l'attribuoit *titulo confiſcationis*; & que pour trouver un milieu, qui pût contenter le Duc, il donna une bonne partie au monaſtére du même Duc; les choſes étant concertées ainſi entre eux. Je ſuis encore perſuadé, que ce *Marchio Hermannus*, dont parle vôtre diplome, n'eſt autre que nôtre Duc *Herman*: Le lieu & la matiére le confirment, & il ne ſe trouve point d'autre *Hermannus Marchio* alors. Lorſque *Witikind* lib. 2. dit, qu'*Otton I.* devenu Roi, *novus Rex novum militiæ Principem fecit* Hermannum, Wicmanni *fratrem*; je crois que *militiæ princeps* n'eſt autre choſe que *Marchio*, qui commandoit les troupes des frontiéres *contra Normannos vel Danos & Wilzos*. On ne ſait pas bien préciſément quand il a été fait Duc. Peut-être qu'il en étoit de lui, comme de *Théodoric* ſous le même *Otton I.* qui eſt appellé tantôt *Marchio*, tantôt Duc, de ſorte qu'il ſemble, que du tems de vôtre diplome le ſtile de la cour ne le reconnoiſſoit encore que pour *Marchio*, quoique ſon autorité fût déja ducale. Mais tous conſpirent à dire, qu'il a été Duc enfin dans les formes avant que de mourir. C'eſt ce que confirme auſſi cette ſolemnelle reception, que lui fit l'Archevêque de Magdebourg, qu'on trouva même mauvaiſe comme exceſſive.

III. Vôtre lettre pour Monſieur d'*Alvenſleben* lui a été envoyée par la poſte, & j'y ai ajouté un mot moi-même. Vous aurez vû, Monſieur, les vers Latins aſſez jolis de Monſieur *Abercrômby*, Ecoſſois, ſur le droit de Madame l'Electrice établi en Angleterre, imprimés dans les extraits qui ſe publient ici tous les mois. On y ajoute une inſcription Latine fort jolie; ſi vous en ſavez l'auteur, Monſieur, je vous ſupplie de me l'indiquer. Le traité des Alliés avec Dannemarc, ſi on le ratifie comme j'eſpère, nous tire une épine aſſez fâcheuſe. Il eſt à ſouhaiter, que tous les autres Princes croient enfin, où ils en feront bientôt avec la France. Mais il ſemble que Savoye, Portugal, & beaucoup d'autres penſent à toute autre choſe, & il faut les abandonner à leur mauvais deſtin. Comme M. *Bentheim* aura reçu celle que j'ai pris la liberté de vous adreſſer,

adresser, il ne sera plus en peine de mon silence. Je vous supplie, Monsieur, de faire tenir la ci-jointe à Monsieur *de Greiffencranz*, & je suis avec zéle, &c. *Le* 15. *Juillet* 1701.

LETTRE III.

De la fondation du Monastére de Lunebourg.

J'Ai reçu une lettre de Monsieur d'*Alvensleben*, qui me marque d'avoir reçû la vôtre, & peut-être avez-vous déja sa réponse. J'ajoute à ma précédente ce qui suit : outre ce qui est dit dans la Notice de la fondation de quelques monastéres publiée par *Maderus in Antiquitatibus Brunsvicensibus*, qu'*Otton* Duc de Saxe doit avoir fondé le monastére de Lunebourg à la sollicitation de *Wicbert* Evêque de Verden. Je trouve ces mots dans *Cornerus* : *Iste* Hermannus *Dux secundum* Helmondum (je ne le trouve pas dans nôtre *Helmoldus*) *dicitur fundasse Monasterium in honore sancti* Michaelis *in castro montis Luneburgensis*, *& bonis magnis ipsum dotasse*, *quamvis quidam fundationem ejus attribuant* Wicberto, *episcopo primo Verdensi*, *& quidam aliis Principibus*. Il est vrai cependant que dans une ancienne Chronique Latine de Verden, on parle de quelques autres dispositions de ce *Wicbertus*, sans dire un mot du monastére de Lunebourg, dont la fondation est attribuée au Duc *Hermann* dans la même Chronique sous son frére *Amelungus*. Cependant, pour ne point méprifer entiérement les passages qui parlent du Duc *Otton* & de l'Evêque *Wicbert*, (quoique ces passages soient des postérieurs) je croirois qu'il y a eu une Eglise ou Chapelle ancienne, qui peut avoir été la fondation d'*Otton* ou de *Wicbert*, ou plutôt fondée par les propriétaires du lieu, mais confirmée par le Duc *Otton*, & consacrée par l'Evêque *Wicbert*. Car c'étoit assez l'usage que les Supérieurs se faisoient honneur des fondations de leurs inférieurs ; & que depuis le Duc *Herman*, Seigneur propriétaire, en a fait un monastére. Car on trouve encore, que bien souvent les monastéres ont été précédés par des Eglises ou Chapelles du même lieu. Je suis &c. *Hanover* 19. *Juillet* 1701.



LET-

LETTRE

POUR SOUTENIR LA VERITÉ DE L'ELECTION DE L'EMPEREUR FREDERIC, ENTRE WENCESLAS ET SIGISMOND (d).

JE n'ai point douté que Mr. *De Larroque*, étant aussi savant qu'il l'est, pourroit citer beaucoup d'auteurs qui sont passés immédiatement de *Wenceslas* à *Rupert*, & de *Rupert* à *Sigismond*, & je crois qu'il les a eu en vue comme ses garans, lorsqu'il a repris Mr. *Varillas*; mais s'il s'étoit souvenu alors qu'il y en a de considérables qui sont encore mention de *Frideric*, & de *Jodoce*, je crois qu'il ne lui auroit pas reproché d'avoir tiré de sa tête les deux ou trois Empereurs, qu'il met entre *Wenceslas* & *Sigismond* fréres. Car dans une question de cette nature, les garans dont Mr. *Varillas* ne manquoit pas de son coté, le mettoient à couvert.

Quant à *Jodoce* ou *Josque*, *Naucler* & le *Chronicon Belgicum* mettent son élection, mais *Naucler* avant *Rupert*, & le *Chronicon* après, ce qui paroit plus raisonnable, & plus suivi. *Naucler* rapporte qu'ayant été élu sans le savoir, *Wenceslas* lui-même à qui il rendoit visite, le lui apprit, & lui déclara, qu'il en étoit content, mais qu'il mourut six mois après. Il paroit plus probable néanmoins qu'il fut élu après *Rupert*. Cependant on peut juger par cet échantillon du peu d'exactitude des historiens du 15e. siecle, & du peu de fonds qu'on peut faire sur leur silence, puisque leurs assertions mêmes sur une matiére si publique, sont si peu certaines.

Les narrations de l'élection de *Frideric* s'accordent mieux: Il y a dans ce pays-ci plusieurs livres écrits à la main qui en parlent positivement; mais je ne me veux servir que des témoignages connus partout, & j'alléguerai seulement des manuscrits, qui mettent plus correctement des vieux vers rapportés par *Cuspinian*. On a donc des manuscrits du tems de l'Empereur *Sigismond*, qui contiennent certains méchans vers latins en forme d'Epitaphe, que quelque Poëte contemporain a faits sur la mort de *Frideric*; Les voici.

(d) Cette piéce n'a jamais paru: Elle nous a été communiquée par Mr. *Gobet*.

Regula non frita, nequam Moguntia drita
Germine Pilati, nunc denuò vivificati.
Sicut dùm vixit, iterum Christum crucifixit,
Namque Ducem stravit Fridericum qui quasi David
Brunswic protexit, gentemque suam benè rexit:
Transtulit ad Christum Respublica creditur istum,
Pro qua perrexis Francfort, heu tunc sibi texis
Proditio vestem, quæ mortem postea testem
Nequiter inflixit, propè Frizlar vulnera fixit.
Heu, heu, heu mille: miles validissimus ille
Sternitur ipse fugâ, qui sæpius ardua juga
Belli contrivit, spes est quod in æthere vivit.
Hic jacet in crypta de quo sunt talia scripta:
In Pentecostes Professo sæva per hostes
Ingerit hic mors se, post M. monos & quatuor C.

Dans l'édition de *Cuspinian* il y a *mortis testem*, au lieu de *mortem testem*, qui est mieux. Item il y a *Respublica dicitur*, mais *Respublica creditur* est encore mieux, comme je dirai tantot. Enfin au lieu des deux derniers vers, *Cuspinian* met ceux-ci.

Fre, *fremit in mundo*, de *deprimit alta profundo*,
Ri *rigidum flectit*, Cus *cuspis mucroque plectit.*
Vivat ut in Cælis Dux inclytus ille fidelis;
Optet ei quisquis qui scriptis condolet istis.

Dans ces vers il faut considérer principalement, qu'on y met deux fois *Christum*, oint du Seigneur, ou Roi, c'est-à-dire destiné à être oint ou couronné, & cela est exprimé par ce vers:

Transtulit ad Christum *Respublica creditur istum*:

c'est-à-dire, il fut élu, en sorte qu'on croyoit qu'il seroit bien-tôt oint ou couronné; & on compare Mayence à *Pilate* qui avoit crucifié le Christ, *iterum Christum crucifixit*. Ce *creditur* à mon avis ne doit pas être expliqué, comme s'il vouloit dire: On croit qu'il a été élu, quoique cette explication même nous pourroit suffire: Neanmoins le Poëte écrivant dans ce tems-là même (comme marquent ces mots *Germine Pilati* nunc *denuò vivificati*, aussi-bien que les plaintes & les autres expressions) il semble, qu'il ne mettroit pas douteusement un fait aussi notoire qu'une élection; il paroit plus probable que, *transtulit Respublica*, marque positivement l'élection, & que *creditur* se rapporte au mot *Christum*, & marque qu'on espéroit, qu'il seroit oint ou couronné. *Elegit seu* transtulit *cùm Respublica ad* Christum ut creditur, *seu ad coronationem quæ ipsi ut creditur obventura erat.*

Il y a une vieille chronique imprimée à Mayence l'an 1492. qui dit positivement que l'élection tomba sur *Frideric*: *So was de kore gefallen op Herto-*

Hertogen Friderick to Bronswig unde Lunenborg, mais que les machinations de l'Archevêque de Mayence empêchérent que l'affaire n'eût son plein effet. Cette chronique a été rimprimée long-tems après l'an 1588. avec quelques additions, corrections & changemens du style, où l'on a mis que l'election a été faite le jour de St. Urbain.

Il semble que *Gobelin dans son cosmodrome c.* 70. disant, *cùm electionis hujusmodi negotium, pro tunc non plenum sortiretur effectum*, a voulu insinuer cette election de *Frideric*, dont il ne pouvoit pas ignorer la brigue, quoiqu'il ne l'ait pas voulu expliquer particulierement, parce qu'elle n'avoit point eu son plein effet. Il ne faut pas s'étonner aussi que parlant par après de la mort de *Frideric*, il l'appelle *Dux* seulement, car encore l'épitaphe qui insinue son élection, ne l'appelle que Duc, puisqu'en ce tems-là on ne se servoit pas du titre de Roi élu, & on ne prenoit le nom Royal, qu'après le couronnement, & c'est la raison du silence de plusieurs auteurs.

Cuspinian qui a écrit du tems de *Maximilien I.* parle fort amplement & fort positivement de l'élection de *Frideric*, & en a eu sans doute des bons garans. C'est le meilleur auteur de son tems, surtout pour l'histoire de nos Empereurs : Il a été employé dans des Ambassades, & étant fort avant dans les bonnes graces de *Maximilien I.* il avoit accès aux Archives & Bibliothéques : Et il est d'autant plus croiable, qu'il n'avoit aucune relation avec la maison de Brunsvic, & demeuroit loin de ce pays.

Onuphre, auteur fort exact, qui écrivoit en Italie, & qui étoit destiné à l'ouvrage que *Baronius* entreprit par après, met *Frideric* au nombre des Empereurs. Mais à l'égard du tems, tant lui, qui n'avoit pas vu nos auteurs, que *Gerard Mercator* (qui l'a suivi ici dans sa chronologie) se trompent, en croyant que *Wenceslas* n'ayant été déposé que le 20. d'Aoust, *Frideric* avoit été élu en Septembre, & mis à mort incontinent après, & puis *Rupert* élu; j'en dirai davantage tantot.

La Chronique de *Carion* augmentée par *Melanchton* & par *Peucer*, dit: *Electores Mense Maio anni* 1400. *deliberato Consilio rebus communibus præfecerant Fridericum Brunsvicensem.*

Pigna dans son histoire d'Este dit: *Poiche quell' Arcivescovo (di Mogonza) non poté impedire che non fosse Ré de Romani, tentò di vietare che non venisse alla corona, ne potendo farlo per ragione, ne per viva forza, pensò di ucciderlo improvisamente in luogo insidiato.* Il est vrai que l'Archevêque s'est purgé par serment de cette imputation vraie ou fausse.

Bunting qui a vécu dans ce pays-ci, & a vu des manuscrits, a fait une chronique allemande imprimée en 1584. & une Chronologie latine publiée l'an 1590; dans l'une & l'autre il met l'élection de *Frideric*; voici ses paroles latines. *Anno Domini* 1400. *die Urbani* 23. *die Maii contra Wencesllaum declaratus est Francofurti Rex Romanorum Fridericus Dux*

 Brunsvi-

Brunsvicensis, qui paulò post pridiè Pentecostes die S. Bonifacii 5. Jan. juxtà Frislariam confossus est.

Depuis *Cuspinian* & *Bunting* (qui avoient puisé dans les sources presque tous les bons auteurs, & qui se piquoient d'exactitude,) ont parlé de l'élection de *Frideric*, comme *Vignier*, *Calvisius*, *Janus Gruterus*, sous le nom de *Gualterius* &c. *Mercator* & *Lambecius* l'appellent *Frideric IV.* & le passage de *Lambecius* mérite d'être lu. Et un Pére Jésuite qui a fait réimprimer à Lyon en 1587. la Somme d'Antonin, a mis dans ses remarques, que cet Archevêque avoit omis *Frideric*, parce qu'il n'avoit point eu le premier couronnement.

J'ai deja remarqué que c'est là la raison du silence des auteurs. De plus, il faut considerer, qu'un grand nombre de témoins qui ne disent rien, ne vaut pas un seul qui parle positivement, & avec connoissance de cause. On auroit pu citer contre nous des légions d'auteurs, car tous ceux desquels le dernier *Frideric* (Pére de *Maximilien*) est appellé le troisiéme de ce nom, pouvoient être mis en ligne de compte. Mais on voit que Mr. *De Larroque* a bien jugé que cette foule d'écrivains qui s'entresuivent, & qui suivent l'opinion commune, sur-tout, lorsqu'ils ne font qu'une omission, ne sauroit tenir contre un petit nombre de savans, ou même contre un seul tel que *Cuspinian*, qui feroit une découverte peu connue des auteurs communs. Cependant le nombre de ceux qui mettent *Frideric* n'est pas petit: Et on peut dire qu'aujourd'hui c'est l'opinion commune. Il y aura plus d'auteurs modernes (qui ont eu occasion de s'étendre sur les circonstances de ce tems) dont *Frideric* sera mis, que dont il sera omis; ce qui est l'ordinaire des découvertes: Quand elles sont connues, les savans ne manquent pas de les recevoir, & elles deviennent communes à leur tour. Le tems dont il s'agit ne nous fournit guéres de bon historien Allemand, qui parle d'une maniére bien circonstanciée de cette affaire, & dont le silence pourroit passer pour une preuve de fausseté. Les bons auteurs ont presque cessé avec *Frideric II.*

Le silence de beaucoup d'autres postérieurs vient apparemment, selon la remarque du glossateur d'*Antonin*, de ce que *Frideric* n'est jamais venu au couronnement & à la possession, & n'a point exercé la puissance imperiale. On n'étoit pas fort ponctuel en ce tems en matiére de cérémonies. Ceux qui avoient des prétentions n'en chargeoient point leurs titres: Et on n'appelloit pas Empereurs ceux qui n'avoient pas été couronnés à Rome, mais Rois seulement, & peut-être qu'on n'appelloit pas même Rois ceux qui n'avoient pas été couronnés, au moins en Allemagne. De sorte que ceux qui ne prenoient pas garde au droit que l'élection donne, ne donnoient le nom de Rois ou d'Empereurs, qu'à ceux qui avoient été installés par l'onction: Car on ne se servoit pas alors du titre d'Empereur élu, ou de Roi élu, qui a commencé avec

avec *Maximilien I.* Mais depuis, les bons auteurs, comme *Cuspinian*, *Chytraus*, *Onuphrius*, *Vignier*, *Lambecius*, & autres savans qui ont trouvé des preuves de l'élection de *Frideric*, ont corrigé l'omission des auteurs antérieurs, négligens, ou peu informés du fait & du droit.

Il y a encore des omissions semblables dans le Catalogue des Empereurs: Il est sûr, que *Henri* fils de l'Empereur *Frideric II.* a été effectivement Roi, ou Empereur désigné, & il y a des diplomes de lui en cette qualité. Cependant il n'est nommé presque nulle part dans les Catalogues de nos Empereurs ou Rois qui se trouvent chez les auteurs; Et *Henri* de Luxembourg est appellé le VII. quoiqu'il soit le huitiéme, ou peut-être le neuviéme de ce nom. *Lambecius* a fait voir que *Frideric* d'Autriche, élu contre *Louis* de Baviére, ne doit pas être omis, & qu'il n'est pas vrai qu'il ait renoncé à l'Empire pour sortir de prison, puisqu'on a trouvé le traité entre les deux Rois, où ils s'accordent de régner ensemble.

Ceux qui disent que les Electeurs ont déposé *Wenceslas*, & élu *Rupert*, ne disent pas que ces choses se soient faites en même tems. Si *Frideric* a été élu, *Wenceslas* aura sans doute été déposé par cela même, sans qu'il y ait lieu de craindre une nullité. Contentons nous du fait de l'élection sans disputer du droit; surtout dans un tems où l'on étoit bien éloigné des régularités modernes, & où les choses se faisoient fort tumultuairement: Et *Cuspinian* a fort bien remarqué que même la bulle d'or n'étoit pas encore assez établie dans l'usage. Il y a cependant apparence qu'après la mort de *Frideric* on aura repeté cette déclaration contre *Wenceslas*, avec la même ou plus de solennité, d'autant que plusieurs tenoient encore pour ce Prince déposé; & comme cette derniére declaration ou déposition (faite *in Oberlohnstein* au rapport de *Tritheme* dans sa chronique de *Sponheim* citée par Mr. *De Larroque* & rapportée amplement dans la collection des historiens d'Allemagne donnée par *Urtisius*) a eu véritablement tout le succès qu'elle devoit, il ne faut pas s'étonner, si elle seule a été mentionnée par ceux qui ne songeoient qu'à l'élection de *Rupert*; quoique sans doute l'assemblée de Francfort tenue exprès pour cela, ait deja déclaré qu'on ne devoit plus reconnoitre *Wenceslas*; aussi semble-t-il que par cette Diete de l'Empire, le Collége Electoral fut autorisé à passer outre: Car autrement on n'accorde pas aux Electeurs seuls le pouvoir de déposer un Empereur; & si la déposition solennelle, en forme d'acte juridique, étoit nécessaire, il suffisoit qu'elle précédat la solennité de la coronation, ce qui auroit été observé apparemment encore avant celle de *Frideric*, s'il avoit vécu. Ainsi cette difficulté du droit s'évanouit entiérement.

Il n'y a donc que le passage de *Cranzius* qui nous soit contraire. On reconnoit que cet auteur a vu ou lu quelque chose de l'élection de *Frideric*, & l'éloge d'*imperio dignissimus*, n'est pas mis à la volée; mais

il n'a pas déferé aux auteurs qu'il a vus, finon peut-être juftement à quelqu'un qui fe trompoit le plus, mais qui donnoit dans fon humeur; car ayant d'ailleurs coutume de rapporter les chofes fort amplement, & même les différentes opinions; il femble que c'eft ici par caprice ou paffion, qu'il a omis ce qui s'etoit paffe pour *Frideric*, qu'il ne pouvoit ignorer entiérement; & nous avons d'ailleurs des preuves, qu'il n'etoit guéres affectionné à la maifon de Brunfvic, & qu'il a fupprimé par exemple la qualite de Duc de Saxe, qu'*Albert de Stade* (qu'il copie) donne à *Henri* Comte Palatin frere de l'Empereur *Othon IV.*, contrefaifant l'ignorant, comme s'il ne comprenoit pas, qui pouvoit être ce *Henricus Dux*. D'ailleurs la narration de *Cranzius* eft manifeftement fauffe en ce qui nous eft contraire. Tous les auteurs difent que *Frideric* a été tué au retour avant l'election de *Rupert*; & *Cranzius* veut que cela foit arrive lorfqu'il venoit de faluer ce *Rupert* elu. Cependant *Frideric* a eté tue le 5. de Juin, & *Rupert* a ete elu au mois de Septembre, ou à la fin d'Aouft. De plus on fait que *Frideric* elu retourna de l'affemblee de Francfort en compagnie de *Rudolphe* Electeur de Saxe, qui fut pris quand *Frideric* fut tue; & *Sigifmond* Prince d'Anhalt n'échappa qu'avec peine. Or Mr. *De Larroque* reconnoit, fuivant *Tritheme*, que cet Electeur n'a pas affifté à l'Election de *Rupert*, & toutes les circonftances font voir que *Cranzius* s'eloigne entiérement de la verité.

Je ne vois pas pourquoi Mr. *De Larroque* dit, qu'en ce tems l'Empire n'étoit guéres donné au mérite. *Charles IV.*, *Rupert*, & *Sigifmond* n'en manquérent point, & *Frideric* avoit encore, auffi-bien que les autres, la puiffance & l'éclat. Il avoit Brunfvic & Lunebourg enfemble en vertu de la primogeniture, ayant réuni les terres de deux branches; il avoit remporté plufieurs victoires infignes qui rendoient fon nom fameux, & on cherchoit un Prince de fa force, pour relever l'honneur de l'Empire, comme il avoit relevé fa maifon; & *Rupert* Comte Palatin, dont on ne connoiffoit guéres d'exploits, ne lui étoit pas comparable; auffi n'a-t-on prefque parlé de lui qu'après la mort de *Frideric*; & on ne trouve pas qu'ils ayent été competiteurs, comme il femble que Mr. *De Larroque* l'a pris, en comptant contre *Frideric* le nombre des voix qui ont été pour *Rupert*; au lieu, que s'il en manquoit à *Frideric*, elles pourroient avoir été pour *Jofque*, (mais fans effet alors) s'il eft vrai que les Archevêques de Mayence & de Cologne avoient de l'inclination pour lui felon quelques auteurs. Car quant à *Rupert*, des auteurs difent qu'il refufa l'Empire au commencement, jugeant peutêtre que *Frideric* y étoit plus propre, & que ce ne fut qu'après la mort de *Frideric*, que les Electeurs l'elurent à Bappard, où pourtant ceux de Saxe & de Brandebourg manquérent.

Je ne fais ce que Mr. *De Larroque* entend par la matricule de l'Empire, où il doute que le nom de *Frideric* fe trouve: Car ce que nous appel-

appellons *Matriculam Imperii*, est la liste des Etats, avec la quotepart d'un chacun : s'il y avoit une liste authentique des Empereurs (comme étoient les fastes des Consuls Romains, & les diptyches des Evêques) son silence seroit de grand poids, mais nous n'en connoissons point.

Mr. *De Larroque* jugera donc bien, après le témoignage positif de tant de bons auteurs, accompagné de beaucoup de particularités, qu'il faut qu'il se soit fait quelque élection de *Frideric*, dont nous ne savons pas bien toutes les circonstances aujourd'hui : On reconnoit seulement que l'Archevêque de Mayence s'y est opposé, ou occultement ou ouvertement, & que mal satisfait de l'élection, il ne l'avoit pas peut-être publiée ou signifiée dans les formes ordinaires, ou rompu l'assemblée pour empêcher qu'on vint à un accord unanime : Cependant *Frideric* avec son parti, jugeant suffisant ce qui avoit été fait, se mettoit en devoir de prendre possession, & les historiens disent qu'il retournoit chez lui, pour préparer toutes choses au couronnement. Cet accompagnement de *Frideric* par un Electeur, & par des Princes dont le chemin n'étoit pas le même que le sien, fait connoître qu'ils lui faisoient cortége. Car ceux de la Saxe supérieure, qui venoient de Francfort & passoient à Frizlar, se détournoient de leurs terres.

Enfin Mr. *De Larroque* est trop judicieux & trop raisonnable pour demander des démonstrations historiques dans une question de fait, passée dans un tems dont l'histoire est entiérement brouillée, & destituee de bons auteurs. Le témoignage des vers de ce tems, des anciennes chroniques manuscrites & imprimées, & des auteurs aussi accrédités que *Cuspinian*, qui n'en a pas été éloigné d'un siécle entier, peut suffire. Et pour vouloir ravir à ce Prince & à sa maison l'honneur que les meilleurs écrivains lui accordent, il faudroit des preuves positives bien fortes, afin qu'il ne paroisse pas qu'on leur fait une injure. Je ne crois pas que notre savant adversaire s'obstine à soutenir une assertion si peu plausible, puis qu'il lui suffit d'avoir fait voir, qu'il avoit suivi de son coté de bons auteurs. Sa réponse seule pouvoit faire connoître qu'il y est fort versé, & qu'il est capable de soutenir spécieusement jusqu'aux paradoxes. Mais on est déja si persuadé generalement de son mérite, que ce que je croyois devoir remarquer, pour des raisons qu'il ne desapprouvera pas, ne sauroit lui faire tort &c.

EPISTO-

EPISTOLA
AD D. TENZELIUM,
IN QUA CONTRA PFANNERUM DEFENDITUR FŒDUS INTER CAROLUM REGEM GALLIÆ ET DUCES SAXONIÆ FREDERICUM ATQUE GUILLELMUM AN. 1444. INITUM.

Ex Act. Erud. Germ. P. XXIII. n. IV.

Multum ipſe mihi negotii faceſſerem fruſtra, ſi litigandum eſſet, cum Viris doctis, quibus circa edita a me diplomata ſcrupuli naſcuntur. Facile mihi eſt liberare fidem meam, ſufficitque ex codice magnæ auctoritatis productum eſſe diploma, quod impugnatur, nec quicquam ultra a me exigi poteſt. Itaque niſi a doctiſſimo *Pfannero* venerit objectio, quem ex merito ſemper exiſtimavi, fortaſſe ne verbum ultro adderem. Et fateor dubitaſſe me, reponerem aliquid, quod non tranquillo animo, ſed commotiorem ſcripſiſſe, niſi falleretur ipſe, literæ indicarent. Nam quod mireris, ira, & dolore ſtimulatum ait, quod fœdus fratrum Ducum Saxoniæ cum *Carolo VII.* Rege Galliarum a me editum diligentiam in Archivis luſtrandis ſuam fugiſſet. Dolor itaque mentem præcipitavit, & quamquam deſerbuiſſe affectus dicat, cognitis (quæ putat) inſtrumenti vitiis, reliquiæ tamen bilis ſuperſunt in literis, & niſi ſpes reprehendendi ſolatio fuiſſet, manſerat dolor. Sed quo obſecro jure iraſcendi? Quiſquam ne ita bene rationes archivarias ſubduxit, ut nihil elaboretur, & quod ad Dominos ſuos pertineret. Sæpe noſtris aliunde ſubmittuntur, quæ domi non comparent. Dedi ego non nulla circa res Anglicanas, quæ nec chartophylacium in turri Londinenſi regium, nec inſtructiſſimæ Anglorum bibliothecæ norunt, eoque nomine nihil Pfannerianæ epiſtolæ ſimile, (quæ neſcio quid habet acerbi ſaporis) ſed gratias mihi promitto, quales egêre dudum, qui ex electorali archivo Berolinenſi mihi velut in redhoſtimentum complures tabulas ſanè præclaras, poſt editum volumen meum ſubmiſere. Tale quid a celeberrimo *Pfannero* ſperabam, & ne nunc quidem deſpero, ubi vir optimus me paulo rectius norit. Sed videamus interim, quæ objiciat leviora profectò, quàm ab ejus aſſeveratione expectaſſem. Itaque non ſuaſerim, ut ait, contendere Sacramento, nihil in iis, quas reprehendit, tabulis eſſe genuini, niſi de ſua credulitate juret, quæ cuique libera eſt.

Quatuor

Quatuor ſunt quæ notat; Primò Marchionibus Miſniæ, Ducibus Saxoniæ titulum Burggraviorum Altenburgenſium inſolitum eſſe; Secundò, Saxonibus cum Gallis nihil fuiſſe negotii, tabulas autem quaſi inter vicinos ſcriptas, qui contiguas ædes habitarent; & tertiò, inquit, quis iſte Cambellanus, & Conſiliarius Regis, *Jo. de Feneſtrangis*, cui ne a Saxonibus moleſtia fieret, Gallus proſpexit? poſtremò putat temporum ſtatui fœdus non convenire.

Non difficilis, opinor, ad omnia reſponſio eſt. Primò agnoſcit ipſe Gallus (nam Rex loquitur) labi ſe facilè potuiſſe rerum Saxonicarum ignorantia, & credibile eſt, non Saxonem aliquem legatum adfuiſſe, ſed alium quemdam Saxonibus amicum intervenîſſe apud Regem. Quanquam contingat aliquando Principes uti titulis inſolitis. Extant *Ottonum* ſingulares tabulæ, quibus ſe vocant Reges Francorum, & Longobardorum, immò Saxonum. Fuit Dux Brunſvicenſis, qui ſe principem Palatinatus Saxoniæ ſubinde ſcripſit. Itaque fieri poteſt, ut aliquando Duces Saxoniæ ſeſe Burggravios, & Altenburgenſes nominaverint, etſi fortè nihil tale extet hodie in ipſorum ſcriniis. Ad ſecundum multo facilior reſponſio eſt Gallos, & Saxones toto Orbe diverſos non eſſe, & licet contigui non ſint, poſſe tamen alterum cum alterius amicis, aut hoſtibus negotium habere: Sæpe etiam abundare tabulas fœderum, & ultra quàm neceſſe eſt, providere, & non rarò formulas ex aliis pactionibus in eas transferri quæ ſcribuntur, ſive ex more & ſtylo, ſive magis benevolentiæ teſtandæ cauſa, & honoris gratia, quàm uſus. Et facilè crediderim ſimul fœdus cum *Sigiſmundo* Auſtriaco viciniore Gallis pepegiſſe Regem, atque hoc conciliante Saxones in eaſdem leges tractos. Et jam tum novum non erat Principes Germaniæ Gallis, vel Anglis auxiliis eſſe: poterant Saxones, quod Bohemi fecerant jam ſeculo ante tertio. *Feneſtrangiorum* familia non ita ignota eſt, ac doctiſſimo *Pfannero* videtur. Notavi jam *Carolo V.* apud Gallos regnante *Borcardum*, vel *Brochardum de Feneſtrangis*, vel *Feneſtrangiis* (nam variatur) Equitem Lotharingum primarium magno loco apud Regem fuiſſe, & cum eo negotia feciſſe. *Joannem de Feneſtrangis* liberum fortaſſis ſub imperio Germanico terrarum Dominum honoris cauſa fœderi incluſum putem, cujus credo Proxeneta fuit, quanquam nec ratio alia defuit. Quidni enim Saxonici auxilia in Alſatiam, aut vicinam ei Lotharingiam venire poſſent? Quartò, tantum abeſt fœdus abhorrere a conditione temporum, ut potiùs egregiè conveniat cum facie rerum, quam hiſtoria nobis oſtendit: ſcilicet Rex Galliæ in *Renati* Lotharingi (ſe Regem ferentis) gratiam eo anno 1494. Metenſes obſidebat, unde literæ Regis Nameſii datæ: filium Delphinum, Imperatoris, & *Sigiſmundi* Auſtriaci voluntate in Alſatiam, & Suntgoviam miſerat contra Helvetios, & Baſileenſes, diſturbandique Concilii gratia. Germania ſcilicet in partes ſciſſa erat, aliis Pontifici Romano, aliis Concilio Baſileenſi magis addictis. Schiſmatis

 finiendi

finiendi rationes quærebantur, annitentibus Imperatore, & *Sigismundo* Austriaco, cui multa cum Rege necessitudo, & cum Helvetiis Concilii propugnatoribus simultates; Ita quoque opinor visum Duces Saxoniæ utiliter adjungi, & *Sigismundi* mentio est in tabulis. Eodem anno induciæ inter Anglos, & Gallos pactæ, in annos quinque, consentientibus rursus Fabulis nostris, quæ faciunt spem pacis. Denique nihil sic video, quod non ad decus, dignitatemque Saxonum pertineat, nihil quod non gratias pro editione mereatur, nihil quod refutari intereat a *Pfannero*, nihil quod fixisse Gallum operæ pretium esset. Itaque suppositionem illis hoc loco improperanti meritò opponas *Cassianum* illud: cui bono? Si tales nobis gratias referunt, quos beneficio distinctos crederes, quid facient, quibus ingrata eduntur? Egregione ad Rempublicam laborem ne mœrendam incitamento? nos aliter longè animati sumus si nobis V. C. præstat, qualia Saxonibus ego, poterit non simplices gratias expectare. Tantum interest, cui benefacias, aut potiùs, quis sit beneficii interpres.

Processit deinde etiam ad operis inscriptionem reprehendendam, neque hic paulo minùs rem suam agat. Inscriptio fateor, a me est, & si quid in ea peccatum est, peccatum est meum. Sed poteram tamen permissa cuique judicandi libertate naturali, silentio transire, censuram paulo affirmatiorem, quàm solet inter χάριστως præsertim in ipso notitia aditu. Nationis literatæ vitium, quo sibi molesti, aliis contempti fiunt, emendare nostri similium est, agamus potiùs inter nos moderatè, suaviter, & si placet, amicè, ego si alia haberem contra ipsum, non reprehenderem decretoriè, sed proponerem dubitanter, & quasi quasi gaudens refutari. Et sciat Vir doctissimus, quantum displicet illi inscriptio, tantum aliis probari. Vir non minùs egregius, idemque in re tabularia versatissimus scripsit, non potuisse dari operi titulum significatiorem, & ut ait, magis specificum. Tantum homines judiciis variamus, sed videamus quid culpet, egoque tot annos pene ab adolescentia cum summorum administrorum applausu in jure gentium colligendo versatus, nunc age a Cl. *Pfannero* discam, quid jus gentium sit, nam & discendo senescere nos debere dicebat ille, nihil est quod faciam libentius, aut crebrius, suetus semper ultra tendere meditando. Peccatum in eo dicit, quod in Codice juris gentium diplomatico inserantur pactiones inter duos, pluresve ejusdem gentis: Hæc qui ad jus gentium referat, novi juris se conditorem ferre. Si peccatum tam grande, scilicet faterer, veniam facilè sperarem ab hoste erudito. Immo vellem sæpe hic peccari, neque ullorum magis mihi superfluæ videntur censuræ, quàm qui egregia alieno loco ab auctore data queruntur: veluti si quis piscatum invitatus, etiam carnes in prandio apponi indignaretur. Si mihi in mentem veniret addere tomis sequentibus magnorum Episcopatuum, nobiliumve quarundam Abbatiarum fundationes. Imperatorum, Regum, aliorumque virorum magnorum

gnorum epiſtolas, cognata juri gentium habentes, ego mihi titulo libri manus ligatas non putarem, ſcilicet digna hæc viſa, quæ non perirent, & per occaſionem adjecta, quando nondum quiſquam inter eruditos finium regundorum manus publico ſuffragio ſuſcepit, nec tam grave eſt librorum quàm agrorum terminos movere; præſertim cùm de collectione agitur, ubi (ut in digreſſionibus) materiarum explicatio interturbatur, & quæ cuique diſplicent, impunè tranſiliuntur. Sed nunc quidem non admodum opus habeo hac defenſione. Tela prævisa facilius vitantur, & huic certè objectioni dudum ipſe occurri in præfatione, jus gentium non verſari inter plures gentes, ſi id plerumque fiat, & a potiſſimo ſumta denominatio ſit: Sed ſufficit inter eos eſſe, qui perſonam juris gentium habeant, id eſt qui partem capiunt de ſumma poteſtate. Ita fiet, ut populorum etiam leges fundamentales huc referam, nec jura in Regno ſuccedendi è potius excluſit, nec alius quiſquam omiſit, niſi qui mutilare hanc doctrinam voluiſſet nobili parte. Nec refert hoc loco, an illi, qui fortè de ſceptro contendunt, ex eadem ſint natione, an diverſarum gentium, aucta enim, vel imminuta regnandi jura non in uno populo, ſed latè fusè per plures gentes conſuetudine; ego ad jus gentium refero. Addit, plura dici poſſe, immò debere, ſi contentioſitas abſit: Audiam libenter, & grato animo accipiam, ut docear; ſed ea deprecor, in quibus tempus ſine profectu teratur, quæ neutrum decens. Ego potius ab inſigni viro auxilia locupletandi operis mei expecto, nec tantùm publicè profiteor beneficium, ſed & fortaſſe privatim in viam, per quæ virum egregium non pœniteat publicæ rei, aut mihi profuiſſe.



DE NUMMIS
GRATIANI AUGG. AUG.
CUM
GLORIA NOVI SÆCULI.
DISSERTATIO.

I. *Instituti ratio.* II. & III. *De diversis nummis* Gratiani. IV. *Seculum novum non cadit in annos* Gratiani. V. *De condenda historiarum scientia.* VI. & VII. *De Inscriptionum, nummorum, diplomatum & codicum auctoritate.* VIII. *De notione seculi.* IX. & X. *De ludis Philipporum secularibus.* XI. *De omissis ludis secularibus.* XII. *Novum seculum non semper annum novi centenarii primum denotat.* XIII. *De nummis a* Valentio *descriptis, in quorum aversa parte,* seculum novum *extat.* XIV. *Quid sit* gloria novi seculi *in nummo Gratiani?* XV. XVI. & XVII. *De interpretatione verborum* D. N. Gratianus Augg. Aug. XVIII. *De loco officinæ, in quo nummi percussi sunt.* XIX. *Suam de nummis* Gratiani *sententiam exponit.*

I. Novum Seculum inivimus, quod Prutenici Regni erectione, velut singulari charactere, primo statim mense fata signarunt, durabili sanè ornamento futuri temporis, non ut aliis prospera pace belloque gesta, transitorio, aut homines magis quàm res novante. Itaque non absurdè veteris, sed raræ tamen nummorum Epigraphes, in mentem viris doctis venit: GLORIA NOVI SECULI, qua solus, quod constet, usus est aliquoties *Gratianus* Augustus; etsi alio, ut adparet, sensu verborum & minùs concinno, quàm quo nos usurpamus. Neque enim, si ad Chronologiam exigas, ullius sub ipso seculi initium adparet. Itaque nihil ultra voluisse credibile est, quàm felicem temporum reparationem. Quia tamen nuper vir egregiè doctus in Gallia iisdem verbis, incrementa Domus Borboniæ celebrans, in alia omnia ivit, &

& ex nummo historiam receptam in dubium vocavit, tamquam alius quærendus esset *Gratianus*, quàm qui hactenus legitur, Dissertatione in eam rem conscripta, cujus summam novum Dombense Diarium Eruditorum exhibuit; ideo rem breviter, qua licet, discutere placet.

II. Auctor ergo, cujus nomen, etsi insigni doctrina & dogmate singulari agnosci posse videatur, proditum non est; duos *Gratiani* nummos adfert, qui magnis in historia dubitationibus materiam præbeant & studiosorum hominum curam mereantur. In priore hæc inscriptio dicitur esse iconis: D. N. GRATIANUS. AUG. G. AUG. in aversa parte conspicitur figura stantis & armati, qui dextra tenet labarum, in quo Christi monogramma, læva scutum; circumscriptio est: GLORIA NOVI SECULI. Infra modò TCON, modò CONT. Tales nummos extare in thesauro Regis Christianissimi, in Collegio Jesuitarum Parisino, in museo *Fulcaldi* apud Cadomum Neustriæ Provinciæ publicæ rei inspectoris, quem eruditæ curiositatis virum esse accepimus. His dissertationis auctori memoratis adjicio, similes nummos extare in Gazophylacio Regis Prussorum, describente Cl. *Begero*, & in Schwartzburgico vix Regiis secundo, quod Celsissimus Comes collegit, qui Arnstadii Thuringorum aulæ sedem habet; unde trium diversorum nonnihil typos mihi misit V. Cl. *Andr. Morellus*, qui inter eruditionis nummariæ principes meritò habetur. Unum etiam reperi in Museo egregio Rmi. & Amplissimi Viri *Gerardi Molani*, Abbatis Luccensis. Præterea passim similes video ab Auctoribus describi. Tales *Velserus* Augustæ Vindelicorum repertos ait; & *Tristanus* quoque & in Constantinopoli Christiana *Ducangius* & in Selectis suis *Oiselius* exhibent.

III. Alterius nummi, quem adfert Clariss. Dissertator eadem icon & inscriptio, sed in tergo GLORIA ROMANORUM figuraque militis captivum sternentis, & præterea litteræ ita disseminatæ F E L / R T E quod Auctori videtur esse Felicium Reparatio Temporum, vel, ut malim, Felix: ita enim disertè legitur in nummis *Constantii* adhuc Cæsaris cum eadem figura militis & captivi, & in nummis *Constantis* Augusti ejus fratris, cum Phœnice. Hunc nummum, quem alibi memoratum non invenio, extare, ait noster in Collegio eodem Parisino.

IV. Utrumque Auctor doctissimus indubitatæ quidem genuitatis esse adseverat, sed in *Gratianum*, qualis nobis ex Historiarum Scriptoribus cognitus est, non quadrare. *Gloriam novi seculi* significare Principem, qui primo seculi anno decus quæsierit sibi & Romanæ rei, & verba iconis eum ostendere, quem Generum *Augustus* aliquis ob insignem victoriam ab Imperii Romani hostibus reportatam legerit. Id enim in altero nummo indicare captivum & gloriam Romanorum. Porrò nihil horum *Gratiano Valentiniani* filio accommodari posse, puerum enim

nullo triumphi merito Auguſtum appellatum a patre; & quamvis *Conſtantii* filiam poſthumam in matrimonio habuerit, conſentaneum tamen eſſe, ut ſe potiùs Filium, quod majus eſt, in nummis ferret, quàm Generum *Auguſti* præſertim dudum extincti, quindecimo circiter ante matrimonium anno. Sed nec Seculi novi initium aliquod cadere in annos *Gratiani*, nam annum 1101. Urbis conditæ, qui ſit 348. æræ Chriſtianæ, penè vigeſimum eſſe ante *Gratianum* Auguſtum & ſeptimum vel octavum ante natum, ſcilicet ſi hiſtoricos ſequamur (id enim tanquam ſibi cavens addit): Et annum æræ Chriſtianæ quadringenteſimum primum, qui ſeculi quinti initium facit, ferè decimum ſeptimum eſſe ab eo, quem hiſtorici noſtri *Gratiano* emortualem adſcribunt: Præterea ſi ad æram Chriſtianam reſpiceretur, conſequuturum eſſe, ut per Galliam, totumque Occidentem in uſu hæc fuerit centum & viginti circiter annis ante inventorem *Dionyſium* Exiguum, qui Romæ eam excogitaſſe communi opinione habeatur; nam *Gratiani* nummos præter unicum *Siſciæ* cuſum, quæ nunc eſt Siſſek Croatiæ, omnes ex Gallicis officinis prodiiſſe; & nominatim illos ab auctore productos, ubi TCON & CONT ſignificent: *Tributum civitatum omnium Narbonenſium.*

V. Hæc adparet proficiſci ex paradoxis ſuſpicionibus Viri de re litteraria meritiſſimi, cujus ideò nomini parcendum cenſemus, quum ſciamus, eas a multis in peſſimam partem accipi; quaſi pleroſque veteres, certè profanos ſcriptores νοθείας reos faciat & inaudita cenſura Senatu litterario movere velle videatur, malo ad ſacros etiam auctores perventuro in pari, ut adverſarii putant, cauſſa. Mihi verò in melius omnia, qua licet, trahenti audacior dubitatio, vel, quod malim, dubitandi ſimulatio, tamquam jactum in medium eridos pomum, non tantùm excuſabilis, ſed etiam utilis videtur, ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Poterit enim excitare viros doctrina & judicio præditos ad condendam, quæ nondum extat, Hiſtoriæ ſcientiam, quam ita accipio, ut ipſa ejus principia muniantur demonſtrationibus, quas fert natura rei, quales vulgo moralis certitudinis eſſe dicuntur: oſtendendo ex iis, quæ nunc extant, ea quæ olim extitere: ſive ipſa ſuperſint monumenta vetuſtatis, ut ſaxa & metalla verbis figuriſve inſcripta, ſigilla item, membranæ, chartæ coævæ rebus geſtis; ſive ſint per imitationem repetitam ad nos delata, ut in Codicibus ſæpè tranſcriptis, in ſcripturis, quas adpellant tranſſumtas, in linguarum denique & narrationum per manus traditarum propagatione contingit; ubi veritatis notas & gradus fidei hiſtoricæ definire magna mea opinione pars Artis Criticæ foret.

VI. Non autem veterum nummis tantùm, ſed & Inſcriptionibus auctoritas ſumma eſt: & utrius auxilii major eſſet uſus, aliquando amico certamine inter ſe contendebant inſignes & noſtro tempore principes in utroque genere Viri *Ezechiel Spanhemius* & *Marquardus Gudius*; Quæ occaſio

occasio librum de usu & præstantia Numismatum peperit, quo *Spanhemius* sibi immortalitatem peperit, & cui debet hæc doctrina, quod nunc tantopere floret. Ex his duumviris ille pari doctrinæ & dexteritatis laude florens post multa sæpe in republica bene gesta, nunc quoque a Rege suo ex Legatione Gallica ad Regem Magnæ Britanniæ missus, in mediis negotiis Grotiano exemplo de litteris melioribus bene mereri pergit. Hic Ducis Holsatiæ, deinde Daniæ quoque Regis Consiliarius ac legatus nimia edendi mora, magna parte gloriæ se magno fructu seculum privavit. Etsi bona parte conservatas, tandem aliquando prodituras speremus posthumas ejus curas in antiquas inscriptiones, quas non tantùm coram singulari spectantis diligentia emendatas, sed & acerrimi ingenii vi & ditissimæ eruditionis præsidiis illustratas publico usui parabat. Sed ut revertar ad propositum, vix Nummi Inscriptionibus aut inscriptiones Nummis palmam præripuerint. Major est Numismatum multitudo, contra inscriptio una sæpe plus multis nummis habet, quum integra in iis fœdera & chronicos canones perscriptos extare constet. Utrumque tamen genus utilitate Scripturæ & Codicum vincitur, quibus plena artium præcepta & Historiarum amplissima spatia comprehendi possunt, dum saxis & metallis non nisi fragmenta ægrè coagmentanda neque corpori componendo suffectura continentur. Itaque optarim non tantùm diplomatum, sed & codicum fulciri fidem: & ut in re diplomatica versati sunt eminentes doctrina Viri *Joannes Mabillonius*, & qui nonnihil præiverant *Henschenius* ac *Papebrochius*; ita Historiam dari Criticam uberrimam Manuscriptorum Codicum & deductorum ex illis editorum typis auctorum, prout quisque aut prodiit ab exemplaribus, aut est auctus emendatusve. Sunt enim, quæ paucis codicibus, sunt, quæ non nisi uni debentur. Certè seculo XII. confictos non esse, qui habentur veteres, innumeris quidem argumentis evinci potest, neque ea res nostræ hic est disputationis; non indignum tamen memoratu puto in Augusta Bibliotheca Guelferbytana extare magnum numerum Codicum, quos a Cœnobii Weissenburgensis Abbate eodemque Episcopo Spirensi redemtos *Johannes Philippus*, Moguntinus Elector, doctrina & sapientia insignis, donaverat *Henrico Julio Blumio*, Hanoverano, Consiliario primum suo intimo, deinde in Bohemico Adpellationum Tribunali Cæsareo; unde Serenissimus Dux *Antonius Ulricus* Augustæ Bibliothecæ suæ quæsivit. Plerique scripti sunt temporibus Carolingiorum, & ne dubites, extat in uno Catalogus ipse antiquus Bibliothecæ Monasterii, addito nomine Abbatis, uti hi ipsi bona ex parte recensentur, qui nuper Guelferbytum fuere translati: quorum asserta antiquitate simul & alii multi per ipsos extra controversiam ponuntur. Sed non est, quod ei rei nunc immoremur, præstat dubitationi occurrere doctissimi viri.

VII.

VII. Equidem verum semper vero consonat, & pauculas difficultates aliquando ex errore monetariorum aut sculptorum natas consentienti tot codicum fidei nemo prudens prætulerit. Itaque auctoritate aliquot numismatum oppugnare, quæ magno consensu ex Fastis & *Ammiano* & *Ambrosio* & *Hieronymo* & *Marcellino* Comite, *Idacio*, *Prospero*, *Zosimo*, *Socrate*, *Sozomeno*, *Theodoreto*, ipsisque Constitutionum Imperatoriarum Codicibus, Theodosiano & Justinianeo, eruuntur, novumque Principem creare aut veterem movere loco, nescio an cadere serio in quemquam possit. Nec verò ad correctionem aut lapsum monetarii confugere necesse est, quum interpretatio dudum sit in promptu, quæ Historiæ receptæ satis consentit.

VIII. Primum autem admitti neque potest, neque debet, quod adsumitur novi seculi gloriam in nummis *Gratiani* necessariò sic accipiendam, ut non nisi in primum seculi seu centenariæ periodi annum cadere secundùm celebrem aliquam Epocham possit. Seculum videtur origine sua series, genusve esse, sed maximè animantium, in quibus sequela naturalis, id est generatio est. Unde secula ferarum *Lucretius* dixit. Et muliebre patrio de semine seclum, i. e. sexus idem. Deinde crediderim paulatim non ampliùs viventia, sed vitas significasse. Seculum enim naturale vita hominis longissima, ut explicat *Censorinus* bonus auctor libro de die natali; Civile velut per aversionem, ut loquuntur JCti, certo numero annorum definiebatur. Uti naturalis pubertas generandi facultate, civilis in masculo quatuordecim, in fœmina duodecim annis lege circumscribitur. Itaque veterum sententia fuit, qua die urbes atque civitates constituerentur, de his, qui ea die nati essent, illum qui diutissimè vixisset; die mortis suæ primi seculi modulum finire, ex quo nova deinde similis computatio esset instituenda; sed quia hæc intervalla plerumque ignorarentur, portenta missa divinitus admonere. Quod commentum esse puto eorum, qui rationem primæ ludorum secularium institutionis reddere volebant, quæ contigisse plerisque videtur *P. Valerio Poblicola* & *T. Lucretio* Coss. anno circiter 245. ab urbe condita. Nam pestilentia, quæ urbem depopulabatur, hanc novam religionem injecerat, ut *Valerius Maximus* habet l. 2. c. 4. & *Zosimus* lib. 1. *Varro*que apud *Censorinum* addit, quum multa portenta fierent, & murus ac turris, quæ est inter portam Collinam & Esquilinam, de cœlo essent tacta, & ideò Decemviri libros Sibyllinos adiissent, renunciasse, uti Diti patri & Proserpinæ ludi in Campo Martio fierent & hostiæ furvæ immolarentur, idque centesimo quoque anno fieret. Hæc *Varro*. Tamquam Dii per hæc portenta indicarent, alterum seculum Romanæ urbis (id est, alteram viam longissimam) hoc anno exire. Equidem placuit, ut postea haberetur ratio civilis intervalli centenarii loco naturalis. Itaque *Valerius Antias* & *Lucius Piso* annalium scriptor

&

& *Festus Pompeius*, & *Terentius Varro* Seculum hoc ſpatio clauſere, ſed non ea conſtans ſententia fuit. Equidem non ineptè quidam ſentiunt ſecundos ludos ſeculares celebratos fuiſſe anno U. C. 305. centeſimo anno poſt conditum a *Servio Tullio* luſtrum: tertios anno U. C. 505. aut circiter. Nam unum ſeculum intercidiſſe notat etiam *Auguſtinus* de Civit. Dei lib. 3. c. 8. & *Cenſorinus* ludos tertios refert ad *Claudium Pulchrum* & L. *Junium Pullum* Coſſ. Quartos *Antias*, *Varro*, *Livius* apud *Cenſorinum* adſcribunt anno U. C. 605. L. *Marcio* & *M. Manilio* Coſſ. etſi alii diſſentiant. Sed poſtea quum jam præteriiſſet annus 705. *Auguſtus* Cæſar ludos prætermiſſos revocavit fide habita Quindecimviris, qui quum ſeculum id eſt vitam 110. annis circumſcribi dicerent, computo quodam ſuo novo effecerant, ut annus Urbis Conditæ 737. ſecularis crederetur. Itaque *Onuphrius Panvinius* potiùs Quindecimvirorum auctoritatem & edicta *Auguſti*, quam ſcriptores ſibi ſequendos putans vult primos ludos ſeculares anno Urbis Conditæ 297. ſecundos anno 407. tertios anno 517. quartos anno 627. quintos anno 736. (ſed qui ex *Varronis* calculo ferè eſſet 737.) *Octaviani Auguſti* auctoritate editos centeſimo decimo non finito, ut ante fiebat, ſed inchoante. Unde *Horatio* in Carmine ſeculari tunc ſcripto ſeculum eſt:

Ortus undenos decies per annos
Orbis.

vel ex Sibyllinis, quæ creduntur, Carminibus apud *Phlegontem Trallianum* de mirabilibus & longævis, ac *Zoſimum*:

Ἀλλ' ὁπότ' ἂν μήκιςος ἴῃ χρόνος ἀνθρώποισι
Ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων.
Bis quinque ac denis revolutis protinus annis
Quæ ſunt humanæ longiſſima tempora vitæ.

Etſi quidam carmina Sibyllina a Quindecimviris corrupta ſuſpicentur, centum ac decem annis loco centum annorum poſitis. Non autem ab ipſis prorſus conficta fuiſſe colligo, tum quod Codices vetuſtate penè corruptos tranſcribi curaſſe *Auguſtus* memoriæ proditur a *Dione*, tum quod Carmen, de quo hic agitur, ſic definit:

Ταῦτά τοι ἐν φρεσὶν ᾗσιν ἀεὶ μεμνημένος εἶναι,
Καί σοι πᾶσα χθὼν Ἰταλή, καὶ πᾶσα Λατίνη
Αἰὲν ὑπὸ σκήπτροισιν ὑπαυχένιον, ζυγὸν ἕξει.

Omnia, quæ memori ſemper tu condito mente,
Sic omnis Italûm tellus, omniſque Latina
Perpetuo ſubmiſſa jugo tua ſceptra timebit.

Ex quibus conjicio ſcripta hæc Sibyllina Carmina quum nondum Ro-

mani *Philippum* & *Antiochum* viciffent, alioqui ipfis, credo, carminum auctor potiùs Orbis quàm Italiæ Imperium perpetuum fpopondiffet; neque illa aut Judæis aut Judaizantibus effe tribuenda, ut alia, quæ *Ifaacus Voffius* ad hujufmodi auctores refert, res ipfa clamat. Interea agnofcendum eft, quidquid demum Quindecimviri judicaverint, centenarium quafi facrum habitum. Itaque *Plato* volebat animas centum annis expiari; *Jupiter* apud *Homerum* legitur centum fimbriis circumveftitus; Gigantes ejus hoftes centimani, quæque alia *Julianus* collegit in Epift. ad *Serapionem*. Unde Hecatombe quoque, etfi quidam non a centum victimis, fed a centum urbibus Peloponnefi dictum hoc facrificium velint. Nam & de *Pythagoræ* Hecatombe (quam diis obtuliffe dicitur, reperto Theoremate, quod bafin trianguli lateribus æquipotentem docet,) fcrupulus mihi injectus eft, quod alias proditum legi, quum facrificandi neceffitas ipfi impofita effet, neque animal occidere vellet, bovem ex argilla fecisse. Verùm hæc fufficere poffunt, ut intelligatur feculi adpellationem non neceffariò centum annis definiri. Nam difcutere omnia & litem inter *Onuphrium* cum XVviris fentientem, ceterofque fcriptores judicio fecare, non eft noftrum, fed neque idem intervallum poft *Auguftum* Cæfarem fervatum eft. Sanè quum ludos feculares fub Imperatoribus nummi indicent, certiores funt anni, quibus editi fuere. Et poterit confuli *Occo*, quem fupplevit *Biragus*. In Augufti nummis, ubi ludi feculares memorantur, diverfæ occurrunt figuræ, modò muliebris fpecies cum petafo & caduceo alatis, modò, ut in nummo Illuftriffimi *Daviæ*, qui nunc apud Cæfarem Legationem Pontificis nomine obit, & his aliifque ftudiis egregius eft, falius facerdos ftans, dextra ancile, finiftra caduceum tenens; an quòd temporis fugacitas caduceo oftenditur, an quòd *Mercurii* virga orcum placat? Nam *Plutoni* primum facra ludis fecularibus facta fuerant. *Claudius* Cæfar optimum putavit ludos feculares inpofterum adligari centefimo cuique urbis anno, & ab octingentefimo, qui in ipfius tempora inciderat, cœpit. Sed ita fucceffloribus fuis novam variandi occafionem dedit. *Domitianus* nulla ratione habita Claudianorum ad *Augufti* ludos refpexit, etfi ne fic quidem centenario vel centum & decem annorum ftato intervallo adcuratè fervato. Ludos enim ipfe fecit anno U. C. 841. Cujus rei rationem *Tacitus* fcripfit proditam a fe, in libris, quibus res *Domitiani* compofuit, quum ipfe Quindecimvir interfuiffet. Sed illi libri periere. *Antoninum Pium* fententiam *Claudii* rurfus fequutum ftatuit *Taffinus* lib. de anno feculari, obfervans ex *Aurelio Victore Andreæ Schotti* nongentefimum urbis annum ab eo magnificè celebratum. Sed quum nummi fcriptorefque fileant, neque ipfe *Aurelius Victor* ludos feculares nominet, crediderim ego *Antoninum Pium*, modeftum principem, mediam viam ingreffum, & neque turbare legem D. *Augufti*,

gusti, quam *Domitianus* revocaverat, neque expectationi populi deesse voluisse. Itaque inter cetera magnificentiæ documenta ludos fuisse, sed non illo ritu, qui secularibus debebatur; a populo tamen eo nomine adpellatos, atque illuc prorsus referendam (si genuina est) Inscriptionem, quam ut in agro Casinate repertam habet *Herwartus*, Bavariæ Cancellarius, Vir doctissimus in Chronologia sua. Ibi enim legitur *Sextus* quidam *Vitellius*, qui vixerit annos 98. diesque præterea exegerit 18. natus anno, quo septimi seculares ludi celebrati sunt, extinctus, quo octavi. Quod ut explicetur, octavi non possunt haberi Severiani, qui 116. annis distant a Domitianeis. Credibile est ergo, Antoninianos fuisse intellectos, sed pro sextis, nempe Claudianis, septimos fuisse dictos, ignorantia ejus, qui inscriptionem fecit, & parum historiæ curiosus, eos qui seculo circiter atavos antecederent, septimos credidit. Porrò seculares celebritates aliqua ratione ultra annum, productas credibile est, ut adeo & qui annum nonagesimum nonum ætatis ingressus erat, utriusque seculi celebritati interesse potuerit. Ex his intelligi arbitror, Antoninianos ambiguos esse & magis opinione hominum & externa pompa, quàm interiore ceremonia seculares videri. At indubitati sunt sub *Severo* Cæsare ludi seculares, nummisque & scriptoribus memorantur. Etsi autem plusquàm centum & sedecim annis distarent a Domitianeis, *Herodianus* tamen inde ait abfuisse trium intervallo ætatum, id est, generationum, seu seculo; nam γενεὰν *Herodotus* facit seculi trientem lib. 2. Frequens ludorum secularium mentio est in nummis *Severi*, *Caracallæ*, *Getæ*. Celebrati sunt anno U. C. 957. *Fabio Cilone* & *Annio Libone* Coss. qui fuit Christi 204. Porrò *Augustus* suos ediderat anno U. C. 737. a quibus annus 757. bis abest annis centum & decem. Unde manifestum est, *Severum* Quindecimvirorum sententiam & edicta accuratè servasse, neglecta *Domitiani* exorbitatione.

IX. Sed mox *Philippi* duo exemplum *Claudii* & *Antonini Pii* magis probantes, vel potius intervalli majoris memoriam non immeritò celebraturi, millenario anno Urbis ludos seculares fecere. Unde in nummis IMP. M. JUL. PHILIPPUS AUG. MILLIARIUM SÆCULUM circum columnam, in qua COS. III. item COS. III. in Corona SÆCULARES AUGG. item Cippus, in quo COS. III. Alibi Lupa cum Romulo & Remo, capra Amalthea, Hippopotamus, cervus stans longævitate celebris, Hyæna, vel Panthera aut Leo gradiens, Ibex vel Alce, Elephas cum puero rectore, credo, quòd ea animalia in spectaculis exhiberentur. Virgo globum manu ferens cum insidente phœnice SÆCULUM NOVUM cum templo sex, octo vel decem columnarum, in cujus medio sedens figura Dei. Alicubi & templum quatuor columnarum, in quo arca, circum quam quinque figuræ sacrificantes, vel apud Ill. Virum *Ez. Spanhemium* septem figuræ ante aram. Luc

 autem

autem facti sunt decem, ipsis nummis distinguentibus, credo pro numero seculorum peractorum. Itaque magnam anni partem occupasse arbitror, & simul in annum millenarium seu ultimum seculi praecedentis & primum novi incidisse, ita ut annus ejusdem Consulatus & secularis esset & seculi novi partem faceret. Nam ex *Varronis* calculo annum Urbis conditae inchoabat 21. die Aprilis. Quamquam multa hic discutienda essent, si locus & tempus paterentur.

X. Plerique ludos Philipporum seculares fuisse penultimos arbitrantur, uti postremos fuisse constat, quos *Honorius* fecit; sed *Onuphrius*, lib. de ludis secularibus, scribit visum sibi Venetiis nummum, ubi GALLIENUS. AUG. & in aversa parte SÆCULARES. AUG. cum figura cervi. Mirum (si genuinus fuit) rem historicis praeteritam, nisi huc referenda Decennia; quae nova specie pomparum, novo ludorum genere celebrata *Trebellius Pollio* narrat, quos potuit ipse vanissimus Princeps, nescio quo computandi momento, interpretari seculares, licet in annum U. C. 1016. incidissent, qui est Christi 263.

XI. *Zosimus* memorat, *Constantino* & *Licinio* III. Coss. populum ludos seculares frustra expectasse, quod tunc inde a Severianis praeteriissent anni centum & decem. Et quum centesimus post millesimum Urbis annus advenisset *Rufino* & *Eusebio*, & post *Philippo* & *Salea* Coss. *Aurelius Victor*, qui tunc vixit, queritur, nullis eum solemnibus frequentatum excessisse, adeo, inquit, indies cura minima (an? minuitur) Romanae Urbis. Tandem *Honorius* anno U. C. 1157. Christi 404 ducentis annis a Severianis, ludos seculares qualescunque fieri permisit, quod laudavit *Claudianus* in de sexto Consulatu *Honorii*, at *Prudentius* contra *Symmachum* scribens culpavit. Isque horum ludorum finis fuit, Urbe ipsa non multo post capta, ac postremò ab Imperatoribus prorsus deserta.

XII. Ex his intelligitur, non posse stare Viri docti sententiam, cujus Dissertatio nobis hujus disquisitionis occasionem praebuit, qui seculum annis centum unicè adstrinxit, quum Quindecimviri & qui eos sunt sequuti, quos inter est *Onuphrius*, magis centum & decem probarint, ac ne hi quidem numeri accuratè semper sint observati. Nunc ostendemus, nec novum seculum semper ita acceptum, ut adligaretur ad annum novi centenarii primum, ejusque non alios quàm ipsos nummos testes inducemus; quorum aliqui sub *Deciis* & paulo post percussi sunt. Hos omnes Dissertator eruditus anno U. C. 1001. cusos sese ostensurum promittit; quod tamen, quomodo stare possit, non video. Nam etsi quis contendat, *Philippos* fuisse trucidatos illo ipso anno 1001. quo novum seculum in nummis ostendunt, & eo ipso adhuc anno *Decium* factum Imperatorem ejusque conjugem Etruscillam (in cujus nummo itidem novi seculi mentio est) Augustam, certè effici non potest,

vel

vel *Gallus* & *Volusianus* eodem ipso anno auspicati principatum dicantur, quorum tamen nummi novum seculum itidem habent; quam *Decium* ultra biennium regnasse constet. Sanè post duos *Philippos* postremum Consules *Fulvius Æmilianus*, & *Vettius Aquilinus* Consulatum inivere, postea *Decius* & *Gratus*, inde *Decius* & *Q. Etruscus* Cæsar ejus filius. *Decio* autem sub exitum anni occiso tum demum *Gallus* cum filio *Volusiano* successit in imperio & consulatu.

XIII. Sed ad hos ipsos nummos veniamus, ex quibus duo describuntur a *Joanne Vaillantio*, egregio nostri temporis numismatographo. In uno est C. VALENS. HOSTIL. MES. QUINTUS CÆSAR (qui unus ex *Decii* filiis fuit) in altero HERENNIA ETRUSCILLA AUG. In utriusque aversa parte: SÆCULUM NOVUM: & figura Dei sedentis in templo, quod octo Columnæ sustentant. Hanc fuisse uxorem *Decii* non videtur dubitandum, nam & nummus repertus, cujus eadem facies *Decium* & *Herenniam Etruscillam* Augustam præferebat. Equidem *Onuphrius* alium protulit, in quo ab una parte *Hostilius* Etruscus Augustus, ab altera *Herennia Etruscilla*. Itaque *Hostilium Decii* generum putat, *Etruscillam* filiam; sed unde & *Hostilio* nomen Etrusci, si extraneus fuit? Alii malunt *Hostilium* filium *Decii* cum sorore in nummo intelligi: sed quid si occiso patre & Augusti nomen gesserit & matrem in eodem nummo honorarit. *Zosimus* sanè alterum ex *Decii* filiis patri superstitem vult, & a *Treboniano* Gallo adoptatum, qui quum *Volusianum* filium Augustum faceret, potuit & nurus fratrem ferre, si rectè conjiciunt, qui filiam *Decii Volusiano* nuptam credunt. Denique tres Galli nummos exhibet *Biragus*, ubi seculi novi mentio, inscriptos: IMP. C. C. VIB. TREBONIANUS GALLUS. In altera parte est SÆCULUM NOVUM, figura, quæ ante, nisi quod templum modò sex, modò octo columnis sustinetur. Unus est in museo Ill. *Daviæ*, alium exhibet *Vaillantius*, tertium in museo habebat *Biragus* ipse; quemadmodum & idem habebat nummum ejusdem figuræ sub epigrapha novi seculi; sed ubi iconi adscriptum: IMP. C. C. VIB. VOLUSIANUS AUG. Ex quibus omnibus adparet, Imperatores aliquot annis, primum novi millenarii annum sequentibus, adhuc novum seculum celebrasse.

XIV. Quid sit GLORIA NOVI SÆCULI in nummo *Gratiani* (neque enim uspiam legitur) variant interpretes. Dissertator noster sententiam satis dixit: nescio quem *Gratianum* Augustum voluisse primum novi cujusdam seculi annum insigniri metallo ad posteritatem: Sed tamen neque *Gratianum* suum, neque Epocham seculi satis designat, saltem in Excerptis suæ dissertationis, quæ extare permisit. Sed quum *Gratianum* diversum ab eo fateatur, quem hactenus novit litteratus orbis, ipse satis in se ipsum dixisse videri potest. *Tristanus* & *Begerus* viri

docti Labari argumento, quod Christi nomen contractis litteris signat, Gloriam novi seculi *Gratiano* intellectum, putant esse Christianam religionem jam sine controversia triumphantem. Quod uti præfractè rejicere non ausim, ita optarem tamen, peculiari aliquo argumento ex gestis sub *Gratiano* rebus adjuvari. Labarum certè iisdem litteris inscriptum passim aliis triumphis, aliis caussis adhiberi constat. Ut in *Valentiniani*, *Valentis*, *Maximi* nummis, quos exhibet ipse Cl. *Begerus*, ut alios taceam, ubi legitur, Restitutio Reipublicæ; Gloria Romanorum; Victoria Augg. aliaque id genus. Neque verò admodum necesse est proprietatem verborum rigidius exigere; præsertim a *Gratiani* ævo. Potest Gloria novi seculi esse nova & melior facies rerum ex insigni aliquo eventu vel parta vel sperata. Passim seculum pro tempore aut temporis habitu accipi constat. Ut quum genium seculi dicimus; cum *Tacito* corrumpere & corrumpi seculum vocatur, quod hodie dicunt *la mode*. Et sæculum aureum legitur in *Hadriani* nummo, ubi figura stolata stans in circulo sinistra globum fert, cui aquila insistit vel phœnix. An quisquam ibi centenariam periodum quæret? Quid seculum frugiferum, vel fœcundum? quod toties legitur in nummis, veluti *Commodi*, *Pertinacis*, *Albini*, *Posthumi*; ut annonæ proventus & rerum vitæ necessariarum abundantia memoraretur. Hæc de seculo aut novo seculo, ex nummis utcunque libata, sufficere hoc loco possunt, plura dabunt, qui argumentum professa diligentia tractavere, ut *Taffinus* olim in libro de anno seculari edito, qui Ludos seculares post *Onuphrium* digessit & multi nuper, qui quæstionem de vero seculi nostri initio tamquam gravem exagitavere.

XV. Nunc tollendus est scrupulus alter, quem Nummi nostri erudito Dissertatori injecere, is est in ipsa iconis *Gratiani* inscriptione, quam ita habere diximus: D. N. GRATIANUS. AUGG. AUG. Dissertator ita legit: AUG. G. AUG. Sed punctum inter AUG & G nusquam reperisse memini; vereorque, ut in iis extet nummis, quos ipse vidit. Etsi alicubi apud Auctores intervallum aliquod interjectum a Chalcographo favere tantulum videatur. Ipse ita explicat, ut *Gratianus* dicatur Augusti Gener Augustus, ut *Tiberius* Divi Augusti Filius Augustus. Et quia alicubi in altera facie Gloria Romanorum legitur, figuraque adjecta est militis captivum trahentis, concludit, paulo promtius opinor, quàm res feret, *Gratianum* illum, quisquis est, filiam Augusti & nomen victoria parta meruisse. Ego quidem fateor passim negligi distinctiones & puncta, sed faciliùs suppleremus hoc loco, si alias gener aliquis Augusti haberetur in nummis. Neque ideo tamen esset nobis a cognito hactenus *Gratiano* recedendum. Nam si extaret distinctio, vel si gener disertè diceretur, verisimillimum foret dicere *Gratianum* ducta filia *Constantii* posthuma *Flavia Maxima Constantia* generum

rum defuncti licet Augusti sese in nummo libenter tulisse, quod gloriosum duceret Constantianæ familiæ per matrimonium innecti. Nam ut *Ammianus Marcellinus* ait lib. 21. cap. 15. *Constantius Faustinam* uxorem prægnantem reliquerat, unde edita est posthuma ejusque nomine (*Constantia*) adpellata, quum adolevisset matrimonii jure copulata est *Gratiano*. Ex eodem discimus (l. 26. c. 7. & 9.) *Procopium*, qui contra *Valentinianum* & *Valentem* purpuram sumserat, filiam *Constantii* infantem cum *Faustina* matre per Asiam circumduxisse, ut homines sibi conciliaret. Oppresso *Procopio*, puella deinde *Gratiano* desponsata est, ad quem quum nuptura duceretur, pene a Quadis intercepta est, ut idem narrat lib. 29. c. 6. Quod factum anno æræ Christianæ 374. Ad eum ergo vel proximum aliquem annum referendus esset *Gratianus* Augusti gener Augustus, si hunc sensum nummo daremus. Nec qualiscunque tunc materia defuit gloriæ Romanorum; nam præterquam quod non statim par verbis res quærenda est ex nummis adulatoribus, quàm victorias, quum pacem ubique, quum restitutionem orbis crepant, quum ex musca elephantum faciunt; constatque interdum in augurium futuræ victoriæ nummos cusos: sanè tunc præter Quados etiam Sarmatos victos repressosque ibidem memorat *Ammianus Marcellinus*, quo narrante Dux Mœsiæ *Theodosius* junior prima etiam tunc lanugine juvenis, princeps postea perspectissimus, Sarmatas liberos ad discretionem servorum rebellium adpellatos, collimitia Romana invadentes, oppressit & veniam petere coegit; eo maximè timore perculsos, quòd ad tutelam Illyrici, Gallicani militis validum accesserat robur. Nempe quia (ut ex eodem scriptore constat libro sequente c. 4.) cum *Macriano* Alemannorum Rege pacem pepigerat *Valentinianus*, *Gratiani* juvenis pater. De Scythis liberis & servis nota est *Herodoti* narratio, & vestigia discriminis nunc quoque in nominibus locorum extare, notavit quum legatione pro Batavis apud Moscos fungeretur Vir Amplissimus *Nicolaus Witsen*, ut ex ipsius litteris didici; qui non contentus multam lucem rebus Scythicis adtulisse, edita charta Geographica insigni, qua quidquid Tanain & Seres interjacet, mirificè illustratur, librum nos etiam plura declaraturum sperare jubet.

XVI. Sed quia Generum Augusti Augustum in nummis legi insolens, nec distinctione uspiam juvatur lectio, non ausim fidere huic interpretationi etsi non omnino ineptæ. Sunt ergo, ut celeberrimus *Morellus* significavit (quamvis ipse non probet) qui volunt AUGG. AUG. significare Augustos & Augustum, Augustos scilicet binos seniores, *Valentinianum* & *Valentem* fratres, cum *Gratiano* juvene principe; vel extincto *Valentiniano* patre *Valentem Gratianum*que cum puero *Valentiniano*; vel denique *Gratianum* & *Valentinianum* fratres, cum *Theodosio* post *Valentem* extinctum in societatem purpuræ ob virtutem & res

res bene gestas adscito. Sed hæc interpretatio, quî consistere cum ceteris verbis possit non video. Substituto enim interpretamine pro compendio verborum, prodiret dominus noster *Gratianus* Augusti & Augustus, quod ineptum est. Secus foret, si legeretur Concordia Augg. Aug. vel simile quiddam; tum enim intelligere liceret concordiam Augustorum Augustique. Itaque una superest tolerabilior interpretatio, etsi nec ipsa incommodis careat, ut sensus sit: Dominus noster *Gratianus* Augustorum Augustus; quod præter *Biragum* probat etiam ipse *Andreas Morellus*, nummariæ eruditionis promus condus, cui satis vitæ viriumque precabitur, quisquis hæc studia amat, ut maximum opus regioque favore dignum cogendæ in unum omnis antiquæ nummorum gazæ, quod adgressus est, multumque promovit, feliciter absolvat. Nempe cùm *Valente* extincto *Theodosium* Augustum *Gratianus* adpellasset, ut haberet, quem opponeret Gothis, quorum immensa multitudo cis Istrum recepta a *Valente*, jam Romanum imperium ultimo discrimini admoverat; tunc erat sanè *Gratianus* caput Augustorum, nempe *Valentiniani* fratris adhuc pueri & *Theodosii*, quem fecerat ipse. Et quum nummi nostri omnes Constantinopoli sint cusi, saltem si credimus receptæ explicationi verborum TCON vel CON, fieri potest, ut *Theodosius* ipse suam in auctorem supremæ fortunæ suæ observantiam inaudito uidem antea, non prorsus absurdo tamen elogio Augustorum Augusti orbi testatam facere sua gratitudine dignum putarit. Id enim penè malim, quàm jussu *Gratiani* nummos signatos, superbissimo (ut *Biragus* agnoscit) titulo sumto, & quem certè nec *Diocletianus* admiserat, qui se dominum & Deum ferebat, senior Augustus, pater atque auctor tot Augustorum. *Gratianum* autem ingenio fuisse moderato ac minimè superbo ex æqualium scriptorum testimonio constat. *Ammiano* dicitur, præclaræ indolis adolescens, facundus & moderatus & bellicosus & clemens ad æmulationem lectorum progrediens principum. Unum in eo culpat, quod seria jocis sæpe posthaberet, qua deinde negligentia *Maximum* in perniciem suam armavit. *Ambrosius* Orat. in ob. Valent. pietatem ejus extollit jam defuncti, quum minor adulationis suspicio. Sed nihil etiam prohibet rei monetariæ curatores inconsultis principibus nummis inscripsisse, quidquid visum erat.

XVII. Obiter hic notasse operæ pretium erit ternos simul cum *Gratiano* vixisse *Valentinianos*, patrem, fratrem & consobrinum, *Valentis* filium: solum autem fratrem in numerum Augustorum hoc loco venire posse, si *Gratianum* Augustorum Augustum interpretemur. De patre res per se constat. Hoc enim vivo, etsi Augustus jam *Gratianus*, tamen minor patre Augusto fuit. Extincto seniore *Valentiniano* junior subrogatus est ejus filius studio militum. *Gratianus* absens, ut moderato ingenio erat, probavit factum, & fratrem puerum pia cura educavit, cujus *Ammia-*

num

num teſtem habemus. Porrò is, cùm patre amiſſo Auguſtus factus eſt, quadrimus erat (ita *Ammianus* & *Victor*); vel, ſi *Zoſimum* ſequamur, vix quinquennis. Contigit autem *Valentiniani* ſenioris mors anno Chriſti 375. Quomodo ergo *Themiſtius* in Oratione XI. ad *Valentinianum* juniorem paulo ante tyranni *Procopii* exitum natum ſcripſit, qui contigit anno Chr. 366. quo anno natum dixere *Idatius* in Faſtis & Chronicon Alexandrinum? Et quomodo anno 369. Conſules, *Valentinianus* & *Victor*, (qui *Sextus Aurelius* Hiſtoricus) memorantur in Faſtis? *Onuphrius* quum intelligeret, hunc annum non quadrare in *Valentinianum*, *Gratiani* filium, ex antiquo lapide introduxit quemdam *Julium Felicem Valentinianum*; ſed non legerat ſcilicet eam quam citavimus *Themiſtii* Orationem, qua ille ipſe junior *Valentinianus* Conſul *Victore* collega ſcribitur. Itaque *Hadriano Valeſio* adſentior, qui ſtatuit, *Valentinianum* anno 366. natum, anno 369. Conſulem, non *Valentiniani* ſenioris, ſed *Valentis* filium fuiſſe; cui adeo non mirum Orationem ipſis Calendis Januariis dixiſſe *Themiſtium*, Conſtantinopoli Conſulatum ineunti, quorum nihil in *Gratiani* fratrem cadit, qui poſtea conſul anno 376. non Conſul iterum dictus eſt, ſed tunc primum fuit. *Valenti* autem filium fuiſſe, ex Hiſtoria etiam Eccleſiaſtica diſcimus. Narrant enim Cæſareæ in Cappadocia agentem, quum Epiſcopum loci *Baſilium* Magnum in exilium pellere vellet, filio in febrem incidente, ſuſtinuiſſe decretum & ad viri ſancti preces confugiſſe, ſed fruſtra, quòd ab Arianis ſe disjungere nollet. Hæc *Gregorius Nazianzenus* Orat. de laudibus *Baſilii* & *Socrates* libr. 4. c. 21. & *Theodoretus* l. 6. c. 19. Nam quod *Socrates* puerum Galaten dictum ſcribit, nihil prohibet *Valentiniani* nomen potius fuiſſe, tamquam conveniens Romano principi & familiæ, quam ornare debebat. Quamquam nihil aliud quàm Conſul fuit. Nam non multo poſt morte præreptum ipſa rerum ſeries probat. Sed ad nummos noſtros revertamur.

XVIII. Diſſentit de loco officinæ, in quo nummi percuſſi, doctiſſimus Diſſertator. Nam pro certo habet, (ut ſupra tetigimus) omnes nummos *Gratiani* (exceptis, qui Siſciæ) in Gallia eſſe percuſſos: quod miror: ſunt enim in quibus MD. OB. vel MD. OBS. id eſt, Mediolani, & ANT. A. id eſt, Antiochiæ, extantes apud *Occonem*; & AQPS, vel SMAQ, id eſt, Aquileiæ percuſſ. aut ſign. mon. Aquilei. apud *Ducangium*, quæ Cl. Diſſertatoris adtentionem effugiſſe oportet. Unde ipſi TCON vel ut alicubi legit CONT (pro quo ego tamen potius CON* videre mihi viſus ſum) eſt Tributum Civitatum omnium Narbonenſium. Hanc interpretationem non facilè adſenſum inventuram puto apud eruditos. Nam præterquàm quòd planè nova eſt & paradoxa, nullo alio argumento juvatur, quàm quod quadrant initiales litteræ, quo ſolo ſi nitare, quodvis facile ex quovis facias. *Carolus Ducangius* vir eruditus indiculum dedit notarum, quæ in Imperatorum Chriſtianorum nummis leguntur, cum interpretatione brevi. Ibi TCON ipſi idem eſt, quod PCON. vel PCONST.

PCONST. percussa Constantinopoli. Uti TAR. pro PAR. vel PARL. vel SAR. SARL. percussa vel signata Arelate, & TT. pro PT. percussa Treviris, vel pro ST vel STR & SM TR. Signata moneta Treviris. Alii malunt T ut A (nam & ACON legunt) notam monetarii esse. Sanè CON nuspiam in nummis ante Byzantium in Constantinopolin mutatam occurrit. Habetur quoque COM & CONOB & KONOB & COMOB, id est Constantinopoli obsign. vel Const. Mon. obsign. Habetur & CONS & CONST & CONSP. CONA & CONT & CONE, ut AROB, Arelate obsign. & AQS Aquileiæ sign. & PAQ percussa Aquileiæ & ASIS vel ATREU id est Siciæ, Treviris, ubi A nota monetarii fortè aut monetariæ officinæ, quæ & per OF. II, OF. III. in nostris ipsis nummis distinguuntur, aut ut ANTA, vel ANTB, ANTT, Antiochiæ A, B, vel D, ut paulo antè Constantinopoli. Est tamen cur agnoscam, quosdam nummos, ubi CON. legitur, revera Constantinopoli cusos non fuisse, quales, quos in Thesauro Brandenburgico exhibet Cl. *Begerus*, ut *Prisci Attali* & *Jovini* Tyrannorum sub *Honorio*, quorum illum *Alaricus*, Rex Gothorum, hic se Augustum fecit, ambo mox capti & *Honorio* oblati. In amborum nummis CONOB, ut in *Johannis* numismate COMOB, qui se *Honorii* successorem fecerat, qui omnes Orientis Imperatoribus adversarii. Cl. *Begeri* conjectura est, aliam intelligendam Occidentis urbem, cui initiales litteræ CO. sed nuspiam talis comparet, præsertim ubi signati nummi; & initiales aliquando sunt non CO tantùm, sed & CON. Quid ergo, si dicamus adfectasse hos Principes vel Tyrannos Constantinopolitanæ officinæ speciem, sive spe adprobandi sese Orientis principibus, vel populis certe ea spe lactandis? Idemque suspicor de *Momuli* aut *Momylli Augustuli* nummis, ubi plerumque CON. OB. De nummis verò Regum Francorum, qui *Justiniano* erant fœderati, ambigo, ubi aut quorum jussu percussos dicam, nam & ibi CONOB. Nemo autem sibi, credo, persuaserit, civitates omnes Narbonenses in *Attali* aut *Johannis* aut *Augustuli* nummis locum habere posse. Et quum jam omnem Galliam Wisigothi aut Franci aut Burgundiones tenerent; non ideo minus CON. & CONOB vel COMOB legitur in Constantinopolitanorum Imperatorum nummis, etiam *Tiberii*, *Mauritii*, *Phocæ*, *Heraclii*. Sic in nummis *Constantis* Augusti, *Heraclio* juniore Augusto nati, adparet jam CONOB, jam ROM, jam RAV seu Ravenna.

XIX. Ceterum, omnibus inspectis, fateor, me adhuc ambigere, quid sibi velit AUGG. AUG. Inclinarem in Augustorum Augustum, eo quem dixi sensu, quum scil. *Gratianus* caput Augustorum fratri *Valentiniano* puero *Theodosium* Augustum Sirmii adjecisset: nisi obstaret duplex nummus apud *Occonem Biragi*, ubi D. N. GRATIANUS AUGG. AUG. & ab altera parte VOT. X. MULT. XX.

ANT.

{ANT. A. S. M. K. Ex quibus adparet, alterum Antiochiæ percussum, alterum Karthagine, an Kyzici? ut sensus sit: Sacra Moneta vel Signata Moneta KART vel KYZ. Sanè KA aut KE Carthaginem non raiò designare censetur in nummis. Porrò annus nummi fuerit *Gratiani* decimus: votis dennalibus solutis & in aliud decennium nuncupatis. Sed eo tempore vivente adhuc *Valente* seniore Augusto incredibile est Antiochiæ, in ipso Oriente, ubi ipse *Valens* rerum potiebatur atque etiam tunc degebat, pudendum ipsi nummum fuisse cusum, quo se *Gratiano* summissum profiteretur. Nec facilè sibi persuadeat quisquam vivo patruo etiam in Occidente tam insolentis superbiæ titulum *Gratiano* adscriptum. Quod si ergo nullus error in descriptione nummi, neque diversæ facies inter se copulatæ sunt, renunciandum puto Augustorum Augusto, & vel confugiendum ad Augusti Generum Augustum (nam tunc jam *Constantii* filia erat *Gratiano* nupta) vel, si Augustos & Augustum interpretamur: Augustos quidem *Valentem* & *Gratianum*; Augustum verò *Valentinianum* puerum, *Gratiani* fratrem; agnoscendum est, ineptè loquutos monetæ curatores; vel denique fatendum, subesse aliquid nobis non intellectum. Unde tamen nemo jure colligat, nescio quem *Gratianum* antea inauditum esse nobis admittendum. Nam, ut alias interpretationes non repetam, *Gratianum* extincti dudum Augusti generum se in nummo dicere, dissentiente licet Clmo. Dissertatore, credibilius facit partum ipsi ea cum Constantiniana domo adfinitate decus, ut supra jam adnotatum est. Itaque neque quod dicamus deest, & licet deesset, ignorantiam nostram in re tantula, & erroribus monetariorum illo præsertim ævo tam obnoxia, salvæ receptæ Historiæ auctoritate, profiteri nobis fas utique foret. Sed si qua olim in Numismatibus Prussiæ Regum aut Brandenburgicorum Principum Gloriam novi seculi legere debet posteritas, & (quod ego quidem suaserim) talibus verbis hodie *Friderici* inclyti Regis nummi quidam signentur, non est, cur aut in caussa inscriptionis aut in tempore obscuritatem aliquam futurorum Criticorum controversiis obnoxiam vereamur. Adeo novi regni tam singulare initium ipso temporis charactere memorabile, in omne ævum, qua fas erit mortalibus, duratura Historiarum monumenta transmittent.

FRAGMENTU MEPISTOLÆ AD CUPERUM,

DE NUMMO THEOPHANIS.

IGnotus mihi fuit, quem laudas, *Anselmus Bandurius*, apparet tamen ex consilio, & apparatu præstantem esse virum. Memorabilis admodum est nummus tuus cum inscript. θεοφαν - αυγου; si haberet eum *Harduinus*,

duinus, proclamaret, nullius fidei esse Historicos veteres Byzantinos, qui talem imperatorem ignorent, nummis servatum. Venit aliquid in mentem, cui fidere quidem non omninò ausim; judicio tamen tuo quicquid id est subjicio. Suspicio nimirum incidit, posse nummum esse *Theophaniæ* cujusdam, vel *Theophanonis* Augustæ. Sanè *Romanus* junior uxorem habuit dictam prius *Anastasiam*, sed post matrimonium *Theophanonis* nomine honoratam. *Romano* hoc defuncto *Cedrenus* ait, Imperium ad *Basilium*, & *Constantinum* filios tunc juniores ætate, & *Theophanonem* viduam rediisse, quæ mox *Nicephoro Phocæ* nupsit; priùs tamen per V. menses rebus præfuit, eoque tempore, fortasse nomen suum nummis inscribi jussit. Sanè Imperatores Græci eo sæpè cultu in nummis spectantur, qui parùm a fœminis discernat, præsertim si barbâ carent, quæ si abest a figurâ nummi tui, conjectura mea firmabitur, sin adsit, evertetur. Hujus autem Augustæ, & Romani junioris filiam itidem *Theophanonem Nicephorus Vitricus* in *Ottonis II.* Augusti matrimonium dedit, quam scriptores nostri illorum temporum *Theophanum* appellant.



EPISTOLÆ DUÆ
AD OTTONEM SPERLINGIUM
S. Reg. Maj. Dan. a Consiliis, & scribendâ historiâ.

Ex Kortholti collectione.

EPISTOLA I.

I. *De Septentrionis monumentis.* II. *Scandinavia antiqua.* III. *De Adamo Bremensi*, Ditmaro, *& anonymo de* THURINGIÆ PRINCIPIBUS.

I. Litteris tuis responsum debeo dudùm. Dilatum est, quia parabam simul disputatiunculæ nostræ continuationem. Sed eâ utcumque conceptâ, deinde perdita inter schedas, ægrè adduci potui, ut actum agerem. Septentrionis monumenta severiore criticâ indigent, antequàm iis vel in temporibus scriptori vicinioribus, nedum in remotis fidem habeamus. Plerumque diversorum tradita parum cohærent inter se. Ut somnia ægrorum intelligunt, qui *Saxonem* aliosque conciliare volunt. Scriptores, & Codices satis recentes sunt. Narrationibus de Asis, & similibus, vix quidquam tribuere audeo. Runographema nescio an ullum

lum compertæ ultra Carolinum ævum antiquitatis. Ubique cruces, quas frustra interpretando amoliare.

II. Scandinaviæ antiquos incolas Finnolappos fuisse, his ad interiora pulsis littora marginesque a Germanis colonis occupatas ostendit situs locorum usúsque migrationum. At postea colonias ex septentrione in Germaniam rediisse, non ideo nego. Hæc omnibus expensis consequutus mihi videor; nec tamen aliorum judiciis intercedo. Pro tuis eruditissimis dissertationibus gratias agere memini.

III. Aiunt *Adamum* Bremensem multo tibi esse edito meliorem. Ego *Ditmarum* nactus sum non tantùm emendatiorem, sed & ampliorem. Anonymum, quem de Thuringiæ Principibus edidit *Pistorius*, altero tanto auctiorem habeo. Multos alios medii ævi ex Codicibus meliores reddidi. Itaque justum volumen Scriptorum restitutorum molior, cujus ornamentum insigne foret *Adamus* tuus. Sed credo eum ipse mavoles edere, atque illustrare notis. Supersunt mihi & planè inediti, qui aliud volumen implere possint. Et in utramque curam DEO volente incumbam. Te hortor magnopere, ut tot præclara opera, quæ affecta habes paulatim publico dones. Vale & fave. *Dabam Berolini 27. Januar. 1703.*

EPISTOLA II.

I. *De scriptoribus rerum Brunsvicensium*, II. *MSC. Gudianis*, & III. *de* Spanhemii & Morelli *de re numismatica commentariis.*

I. Diu est quod in aere tuo sum, ob egregia munera, quæ publico data ad me peculiari liberalitate pervenire voluisti. Utinam non tantùm agere gratias, ut feci sæpe, sed & referre pro dignitate possem. Est mihi sub prælo volumen in folio Scriptorum Historiæ Brunsvicensium inservientium, partim ineditorum, partim ex Codicibus meliorum, partim in paucorum manibus versantium. Erit in eo & *Ditmarus*, ut olim significare memini, multis lacunis, iisque interdum non unius paginæ, suppletis restitutus. Edetur & nunc primum vita *Theodorici*, Metensis Episcopi, cujus mater fuit ex stirpe Wittekindea, soror matris *Ottonis M.* ipsius. Inerunt etiam huic volumini *Gervasii* Tilberiensis in *Ottonem IV.* ex Brunsvicensi stirpe Imperatorem scripta, Otia imperialia, quorum non nisi particulam dedit *Maderus*. Multas habet miras fabulas. Sed in iis tamen multa docet, & faciem studiorum sui temporis velut in speculo exhibet. Optem, ut *Adamum* Bremensem cum notis & vitam *Crantzii* & alia multa edas, quibus historiam septentrionis, imò omnem aliam eruditionem illustrare potes.

II. Miror, potentissimum Regem vestrum Gudiana MSc. e manibus dimisisse. Thesaurum continent rei literariæ non spernendum, quemadmodum tu omnium optimè nosti. Sed talia sæpe non satis innotescunt

 magnis

magnis Principibus, adeoque non pro merito æstimantur, aut curantur.

III. Amplissimus vir *Ezechiel Spanhemius* mihi destinavit exemplum Tomi I. de usu Numismatum operis. Spero & alterum expeditum iri hac hyeme, qua adhuc in Anglia hærebit, deposita licet legati persona. Utinam sub oculis ejus prodire possit editio magni operis Morelliani, ne tantùm inter XII. stet Cæsares, sed cætera etiam ex viri schedis, ectypisque posthumis adjiciantur; quod si procurabit celsissimus Comes *Schwartzburgius* immortali beneficio sibi rem literariam obstringet. Quod superest, vale, & fave. *Dabam Hanoveræ* 4. *Octobr.* 1706.

LETTRE A M. GREIFFENCRANZ,

Envoyé du Prince d'Ostfrise à Vienne.

Tirée de l'Otium Hanoveranum.

J'Ai trouvé à Wolfenbuttel le livre de Monsieur *le Laboureur* du voyage de la Reine *Marie* de Pologne, Princesse de Mantouë, où il est parlé de la *Généalogie des Malespines*. Je voudrois qu'on pût pousser quelque savant Professeur de quelque Université à travailler au redressement & supplément du grand ouvrage d'*Henninges*; mais il faudroit que les Princes l'encourageassent, & j'y songe effectivement pour Helmstat.

Quand j'étois à Wolfenbuttel il y a quelques jours, il passa un personnage, qu'on disoit venir de Dusseldorp, qui eut audience de Monseigneur le Duc *Antoine* plus d'une fois, & qui alla plus avant vers Hambourg. On avoit jugé à ses maniéres, que c'étoit un religieux, & on étoit allé s'imaginer, qu'il pourroit bien avoir dessein d'aller jusqu'en Dannemarc, pour travailler à gagner entiérement l'esprit de la Princesse Royale en matiére de Religion. Je ne sais combien on a avancé de choses là-dessus. Pour moi j'avouë que, mettant même la religion à part, j'ai quelque honte de voir que nôtre parti soit si peu scrupuleux en ces matiéres, & qu'on ne fasse point de difficulté de faire changer des Princesses, sans que le contraire se fasse de l'autre côté.

J'aurois déja donné le second tome de mon *Codex Diplomaticus*, si je n'attendois des piéces que le grand Duc & Monsieur le Comte d'Oxenstiern, prémier Ministre de Suède, m'ont fait promettre. Monsieur *de Danckelman* m'en a fait envoyer plus de trente, tirées des Archives Electorales. J'ai sur-tout plusieurs traités & négotiations du siécle passé & du nôtre, entre la France & les Turcs, qui ne sont pas encore imprimées, mais comme je n'en ai que jusqu'à *Louis XIII.* je souhaiterois d'en pouvoir obtenir, qui regardent le Roi d'à présent. Comme la Cour Impé-

Impériale est la plus intéressée à les sçavoir, il me semble, qu'on les devroit attendre de Vienne. Car comme je suis delicat à ne mettre que des notices bien averées, & que je le dois être pour maintenir mon crédit, je ne puis point me servir de plusieurs choses qui courent dans le monde. D'ailleurs j'ai quelque honte que travaillant dans l'Empire, & principalement pour l'Empire, je n'aie rien obtenu pour mon dessein de la Cour Impériale. Effectivement j'ose dire, qu'il n'y a peut-être point de livre depuis longtems, qui contienne tant de pieces autentiques, propres à établir ou conserver les droits & pretentions de l'Empire. Feu Mr. *Conringius* a amassé ce qu'il a pû d'auteurs assez connus & imprimés. Mais les documens, que j'ai eu le bonheur de detenir, lui manquoient, aussi-bien que d'autres notices etrangeres. Par exemple, personne n'avoit vû en public ce *Protocolle de la vérification des limites entre l'Empire & la France* vers la source de la Meuse, entre *Albert* l'Empereur, & le Roi *Philippe le bel*, qui y étoient venus en personne; ni le véritable *formulaire de la Translation du Dauphiné en la Maison de France*, qui reserve expressement les droits de l'Empire; ni le *contract fait entre la France & l'Archevêque de Lyon*, qui fait connoitre que la France n'y devoit avoir qu'un simple droit de protection, & plusieurs autres pieces, comme entre autres touchant la *Provence*, qui font connoitre clairement le droit de l'Empire sur tous ces pays au delà du Rhône, que le vulgaire y appelle encore *parte del Imperio*; sans parler du *Duché de Bar*, contesté depuis long tems entre l'Empire & la France, & sans parler encore des piéces singuliéres que j'ai donnees, & que je puis donner encore à l'égard du droit de l'Empereur en Italie. Mais je ne doute point que la Cour Impériale ne pût fournir bien des choses importantes, quand même elles seroient de moindre antiquite. Par exemple, je voudrois avoir *le diplome de Charles quint, par lequel il établit un Duc de Florence*, & ce que *Maximilian II.* accorda au grand Duc. Car *c'est un abus de s'imaginer que ce qui n'est pas feodal, est independant de l'Empire.* J'ai obtenu des choses curieuses des *papiers du feu Cardinal de Granvelle*, grand Ministre de *Charles V.* & de *Philippe II.* & il y auroit moyen d'en avoir encore bien d'autres, sur-tout si je faisois quelque dépense pour cela, qui seroit peu de chose pour l'importance de la matiere, mais un peu trop excessive pour la simple curiosité d'un particulier. Ces papiers sont entre les mains de quelques particuliers François, c'est pourquoi je suis obligé de les manier avec adresse, afin que la chose n'éclate point. Mais mon Code diplomatique me fournit un beau prétexte de recherches, dont la Cour Impériale se pourroit servir, si on le jugeoit à propos. Il faut loüer le soin des François à ne rien negliger en ces matiéres, pas même ce qui paroit suranne. Vous sçavez, Monsieur, ce que Messieurs *du Puy* freres ont publié pour servir à eclaircir les droits, ou prétentions de la France. Et encore présentement la Cour de France fait amasser

amasser des notices de tous côtés, témoin les prétenduës réunions. Derniérement Mr. *Schilter*, Syndic de Strasbourg, ayant demandé quelque chose au Pére *Mabillon*, un des plus savans hommes du monde en matiére de diplomes, & ce Pére lui ayant dit, que je pourrois le satisfaire, on m'écrit là-dessus, & par là j'ai appris que ce Pére a été derniérement à Strasbourg, ce qui me fait juger, que la Cour de France l'y aura fait aller, sous prétexte d'Histoire & de curiosité, pour voir ce qu'il y a encore de consequence dans les Archives de Strasbourg, avant qu'on rende cette ville. On voit par là combien les François prennent garde à tout. Peut-être seroit-il à propos de rapporter toutes ces choses à Mr. le Comte *de Kinski*. Son Excellence manie le timon des affaires de l'Empereur, & sa grande pénétration, qui va au fond des choses, le fera juger, s'il seroit à propos de faire des reflexions sur cette matiere des droits de l'Empire au dedans & au dehors, que je trouve peu cultivée, & qui meriteroit pourtant que des personnes intelligentes s'y appliquassent exprès. Sur quoi je pourrois donner bien des remarques, (il seroit peut-être à propos que dans les nouveaux traités de paix on fit glisser un jour quelques mots, qui conservassent les anciens droits de l'Empire, en disant, que les vieilles prétentions de part & d'autre seront vuidées par les voyes amiables, ou de la justice). J'espère qu'après les fondemens merveilleux jettés par le grand *Léopold* pour le rétablissement de la gloire de l'Empire, le Roi bâtira un jour là-dessus, & relévera un bâtiment, qui étoit allé en décadence. Et je crois qu'il fera mentir la *prophétie*, qui vouloit que *Charles V.* seroit *le dernier des Couronnés en Italie*, parce que la Galerie tomba à Bologne, quand il l'eut passée. *Le 29. Janvier 1697.*

LETTRE A MONSIEUR PINSON,

Tirée de l'Otium Hanoveranum.

IL est juste de procurer à Monsieur l'Abbé *Baudrand* les notices qu'il désire, & je le ferai volontiers autant que je pourrai. Il seroit difficile de marquer les limites des diocéses, à moins qu'on n'ait les diplomes des fondations, où ils ont coutume d'être exprimés. Les pays de la Maison de Brunsvic ont été sous divers diocéses, comme sous Mayence, Minde, Hildesheim, Halberstatt, Breme, Verden, & autres. Et il faudroit une recherche expresse pour les démêler, ce qui demanderoit du tems. J'ai appris qu'une partie de la ville d'Hanover étoit du diocése de Hildesheim, & une autre partie de celui de Minde. Et quant au temporel des Evêchés, les limites en sont le plus souvent litigieuses, &

& même la Maison de Brunsvic y est interessée à l'égard de quelques-unes. Ainsi lorsque Mr. *Cantelli* à Modene, connu par son application à la Geographie, mais mort depuis peu, me demandoit des notices sur le territoire de Hildesheim, je lui repondis, que j'aimerois mieux lui en procurer des Abyssins par Mr. *Ludolf*, & de la Tartarie par Mr. *Witsen*.


Il y a encor des Chanoines des Eglises Cathedrales, dont les Evechés ont eté secularisés. Les Saints, dont ces Cathédrales ont pris leur nom, ne m'ont pas eté aisés à trouver; excepté l'Eglise de Mersebourg, qui est de St. *Laurent*, l'Empereur *Otton* ayant donné la bataille aux Hongrois le jour de sa fete, & ayant fait vœu de bâtir une Eglise à ce Saint s'il la gagnoit, comme *Paulus Langius* le rapporte dans sa Chronique. La fondation de l'Eglise de *Meissen* de l'an 968. a ete inserée dans les annotations de *Meibomius* ad *Widichindum Corbeiensem*; J'y trouve ces paroles; *Insuper tota utilitate & omnibus rebus, quibus mortales utuntur diversis modis, decimationes, quas Deo cuncta gubernanti debent, ad Misnensem Ecclesiam primo Deo, deinde S. Joanni Evangelistæ beatoque Donato Matri Dei* (je crois qu'il faut lire *martyri Dei*, car ni la connexion ni la place ne paroissent point convenir à la Sainte Vierge) *universa dubietate procul remota persolvant* J'ai eu de la peine à trouver, à qui étoit dediée l'Eglise Cathedrale de Naumbourg, & quoique j'eusse soupçonné, que c'etoit aux deux Apôtres *St. Pierre* & *St. Paul*, à cause de la foire assez fameuse qui est fixée au jour de leur fête, je n'osois pourtant point l'assurer. Mais enfin j'ai trouvé dans la Chronique de *la Porte* de *Pertuchius*, que l'Abbé *de la Porte* juroit fidelite aux Saints Apôtres *Pierre* & *Paul*, & à l'Evêque de Naumbourg. Je n'ai rien pû trouver encor des noms des Eglises Cathedrales de Brandebourg, Havelberg, & Lebus, de sorte qu'il faudroit avoir recours aux Archives pour les apprendre. 1697.

EXTRAIT D'UNE LETTRE
A MONSIEUR SPANHEIM;
Du Mercure des Egyptiens.

Tirée de l'Otium Hanoveranum.

QUant à cette question, si c'est *Moyse* ou *Joseph*, qui doivent être entendus par le *Mercure des Egyptiens*, j'ai souvent crû qu'on est un peu trop liberal à tirer les fables des anciens de la Sainte Ecriture. Quoique Monsieur *d'Avranches* ait employé une grande érudition dans

ce qu'il dit sur ce sujet dans sa *Démonstration Evangelique*, il me paroît néanmoins, que la broderie vaut mieux que l'étoffe, & que la solidité manque bien souvent à ces jolies divinations. Peut-être que l'*Hermes* des Egyptiens est plus ancien que *Joseph* & que *Moyse*, puisque ce grand Législateur étoit instruit dans les sciences des Egyptiens, dont l'invention est attribuée à *Hermes*. Ces hypotheses de quelques auteurs Chrêtiens, qui tirent toute la mythologie payenne de la religion des Juifs, comme si les autres peuples ne pouvoient pas avoir inventé leurs superstitions eux-mêmes, me paroissent semblables à celles des Chymistes, & derniérement de Mr. *Tollius*, qui trouvent la pierre philosophale dans la Sainte Ecriture, aussi bien que dans les métamorphoses d'*Ovide*. Nous apprendrons par vôtre *Callimachus*, ce qu'on doit juger de l'origine de la mythologie ancienne. Il y a de l'apparence que des histoires y sont cachées. Ce seroit quelque chose de beau, si on les pouvoit developper. On dit que Mr. l'*Evêque de St. Asaph* y travaille aussi, & qu'on a vû de lui un échantillon de Chronologie qu'il en tire. Par ce moyen on pourroit déterrer ce qu'il y a de plus ancien dans l'histoire.



HISTOIRE



HISTOIRE
DE
BALAAM, *OU* BILÉAM.

LES Israélites sortis d'Egypte sous la conduite de *Moyse* vinrent aux confins des Edomites, & leur demandérent passage, pour entrer dans la Terre de promission. Mais les Edomites le refusérent & leur opposérent de si grandes forces, que *Moyse* jugea à propos de faire le tour de leur Pays. Ce tour fut long, mais il servit à rendre le Peuple plus aguerri & plus hardi. Car en passant ils renversérent quelques petits Rois, comme ceux de Harad, de Hesbon & de Basan. Voyez Nomb. Chap. XXI.

Après cela ils arrivérent aux frontiéres des Moabites. *Balac*, Roi des Moabites, en fut allarmé, aussi-bien que les Seigneurs voisins des Madianites. Et cela les porta à envoyer chercher *Balaam*, ou *Bileam*, fameux Devin de ce tems-là, qui demeuroit dans les Montagnes Orientales d'Aram, Chap. XXII. v. 5. & XXIII. v. 7. ce que quelques-uns prennent pour l'Arménie. Il devoit venir voir le Peuple d'Israël des hauteurs de Moab, pour le maudire, & chanter des chansons ou priéres d'imprécation, capables selon l'opinion de ce tems-là de rendre tout un Peuple malheureux. *Bileam* accoutumé à se régler sur les Songes, pria les Messagers d'attendre ce que la nuit lui réveleroit; & son songe fut tel, qu'il crut que Dieu lui defendoit de faire ce qu'on demandoit. Les Messagers étant retournés chez eux, *Balac* envoya de plus grands Seigneurs, pour le presser avec plus d'instance. *Bileam* prit encore conseil de la nuit, & Dieu lui dit, qu'il pouvoit aller; mais qu'il se devoit donner de garde, de ne rien faire que ce qui lui seroit ordonné. C'est-à-dire, il eut un songe, qu'il interpreta dans ce sens, suivant les régles de son art. Ainsi il partit le lendemain avec les Seigneurs Moabites. Mais il eut une autre vision en chemin, qui lui fut un présage de tout ce qui devoit arriver. Ce fut la vision de l'avanture & du dialogue de son Anesse avec un Ange ou Messager de Dieu.

Il est vraisemblable, que cette vision étoit aussi un songe. Car le chemin étoit sans doute de quelques journées. Ainsi *Bileam* étant au

gîte songea la nuit (comme il est naturel) qu'il étoit en chemin sur son Anesse, & qu'elle faisoit difficulté d'avancer, & ce qui suit. Car le jour il voyageoit en compagnie des Seigneurs Moabites, mais dans cette vision il n'eut avec lui que son Anesse & ses deux Valets. Aussi continua-t-il le chemin avec les Moabites après la vision; & cette différence insinue, que le chemin qu'il fit seul, n'étoit qu'en idée. Le Texte ne dit rien qui n'admette cette interprétation, & la circonstance que je viens de marquer, la favorise. Il est encore bon de considérer, que Dieu lui avoit permis d'aller, Chap. XXII. v. 20.; & cependant il est dit un peu après, vers. 22. que Dieu étoit en colére contre lui. C'est que *Bileam* n'avoit pas les intentions tout-à-fait droites, & étoit tenté de complaire à *Balac*, qui lui faisoit de grandes promesses. C'est pourquoi dans cette perpléxité d'esprit, mêlée de mauvaise conscience, cette nouvelle vision menaçante d'un Ange, ou Messager du Seigneur, tenant une épée nue pour le tuer, lui survint; & en effet cette vision fut un présage de tout ce qui lui arriva. Et il semble, que c'est pour cela que *Moyse* l'a fait enregistrer & conserver.

Il paroit, que dans cette vision allégorique *l'Anesse* représente *Bileam* lui-même, qui est poussé par *Balac*, comme l'Anesse étoit poussée par son Maître pour avancer. L'Anesse étoit comme le Prophéte. Car elle voyoit l'Ange du Seigneur contraire à ce qu'on demandoit: & celui qui la poussoit ne le voyoit pas; en quoi il représente le Roi *Balac*, qui ne connoissoit pas le dessein & la volonté de Dieu. L'Anesse, voyant l'obstacle, faisoit des efforts comme le Prophête, pour ne rien faire contre l'ordre de Dieu, & elle étoit maltraitée & menacée par son Maître, comme le Prophête fut grondé & menacé par le Roi des Moabites, Chap. XXIII. Les détours de l'Anesse pour sortir du chemin, crainte de l'épée de l'Ange, marquoient, que le Prophéte, craignant la défense de Dieu, feroit ce que *Balac* ne demandoit pas, & beniroit au lieu de maudire. Et quand l'Anesse, pour éviter l'Ange, pressa le pié de son Maître contre le côté du chemin étroit, cela marquoit, que le Prophête, ne pouvant plus éviter de dire nettement sa pensée au Roi au troisiéme Sacrifice, qu'on ne passoit guère, pour ne pas trop presser la Divinité, chagrina extrêmement ce Prince, & s'en attira la colére. Mais enfin l'Anesse parla, & les yeux de son Maître furent ouverts pour voir l'Ange: ce qui signifie, que le Prophête parla enfin nettement au Roi, & lui décilla les yeux, pour lui faire entendre, que les imprécations étoient inutiles, & que Dieu benissoit le Peuple qu'il vouloit faire maudire; Chap. XXIV. Cependant la colére du Seigneur contre *Bileam*, & la menace de l'Ange, qui portoit l'épée nue dans ce songe prophétique, eut aussi son effet dans la vérité des événemens. L'Ange veut dire un Messager de Dieu; & ce Messager, portant l'épée, signifioit *Phinées*, fils du Grand Sacrificateur Israelite, qui

qui fit mourir *Bileam*, Chap. XXXI. v. 8. Car ce Prophête ou Devin, ne le fut pas aſſez cette fois, & crut avoir ſatisfait à l'ordre de Dieu, en changeant les malédictions en bénédictions ſolemnelles; mais il crut en même tems, que pour gagner les préſens & les bonnes graces du Roi, il lui étoit permis de quitter un peu le perſonnage de Prophête, qui parloit au nom du Seigneur, de prendre celui d'homme ordinaire, & de donner des conſeils au Roi en homme d'eſprit, qui furent pernicieux pour les Iſraelites, & les auroient ruïnés, ſi *Moyſe*, pouſſé par un Eſprit ſupérieur & divin, n'y avoit mis ordre, conformément à la volonté de Dieu.

Le conſeil que *Bileam* donna à *Balac* avant que de partir, & ce qu'il lui avoit fait eſpérer, Chap. XXIV. fut, comme l'on connoît par le Chap. XXXI. v. 16. de faire une grande Fête à l'honneur de Belphégor Dieu des Madianites, d'y inviter les Iſraelites qui demeuroient dans le voiſinage, de les careſſer, de leur faire bonne chére, & de les ſéduire par le moyen des jolies filles qui y paroîtroient. Voyez Chap. XXV. *Balac* & *Bileam* crurent, que ces péchés & cette idolatrie ſerviroient à éloigner les Iſraélites de leur propre Dieu, qui les protégeoit, & à les aſſujettir aux Dieux de leurs ennemis. Car c'étoit la coutume des Gentils de croire, qu'il y avoit un contraſte entre les Dieux des Nations, comme il y en avoit entre les Nations mêmes. Outre que cela gagnoit une partie des Iſraélites & les diviſoit entre eux, & encore amolliſſoit par la volupté le courage des hommes endurcis par leurs marches pénibles dans le Deſert & par les combats contre d'autres Peuples.

Mais *Moyſe* voyant où alloit ce deſordre, fit prendre pluſieurs des principaux qui s'étoient abandonnes; ce qu'il fit pour expier le Peuple. Il ordonna en même tems aux Juges, Chap. XXV. v. 5. de faire tuer les coupables. Et *Phinées* auſſi, qui étoit petit-fils d'*Aaron*, & fils du Grand-Sacrificateur *Eléazar*, jeune homme courageux, connoiſſant l'intention de ſon grand Oncle, & ému d'un zéle digne de ſa naiſſance & de ſa qualité Sacerdotale héréditaire, voyant qu'un des plus grands Seigneurs Iſraélites, Chef de la Tribu de *Siméon*, nommé *Zimri*, fils de *Salu*, alloit rendre viſite à une Princeſſe des Madianites, nommée *Cosbi*, fille du Prince *Tſur*, le ſuivit, & les trouvant couchés enſemble, les perça tous deux d'une maniére qui marquoit leur crime.

Enfin, beaucoup d'Iſraélites périrent dans ce tumulte, & la colére de Dieu contre ſon Peuple fut appaiſée par cette purification, verſ. 11. Mais il falloit auſſi faire ſentir ſa colére aux Madianites, auteurs du mal, verſ. 17. 18.; ce qui arriva quelque tems après, Chap. XXXI. quand *Moyſe*, prenant ſon tems pour ſurprendre les ennemis, envoya douze mille bons Soldats dans leur Pays, ſous la conduite de ce même *Phinées*. Cette Armée ruina cinq Princes Madianites, & on tua ce même

 Bileam,

Bileam, qui apparemment avoit été attiré de nouveau dans le Pays par les présens & les honneurs de *Balac* & des Princes de Madian, satisfaits du succès des conseils de cet habile Devin, qui avoient couté si cher au Peuple d'Israel; mais qui couterent la vie à celui qui les avoit donnés, & s'étoit opposé en cela à ce que lui-même avoit cru conforme à l'intention de Dieu.

Il paroit que *Moyse*, grand Homme d'Etat, & grand Prophête en même tems, a considéré *Bileam* comme un concurrent & un antagoniste fameux, & l'a jugé digne d'en transmettre la destinée à la posterité; au lieu qu'il n'a point daigné nommer *Jambre* & *Jamne*, Devins ou Mages Egyptiens, dont le nom a été conservé par d'autres & connu en quelque façon des Grecs, comme on le voit par un passage de *Pline*.


Il y a un bel endroit dans la derniere prophétie de *Bileam*, à la fin, qui pourroit faire croire qu'il avoit été poussé quelquefois par l'Esprit de Dieu. C'est qu'il paroit avoir predit la venue d'*Aléxandre* le Grand dans l'Orient, & le renversement de l'Empire, qui etoit possédé auparavant par les Assyriens & par les Perses. Car il dit, (supposé que ce soit lui qui ait parlé) qu'un jour des Vaisseaux viendroient de Chittim, c'est-à-dire de la Grece, & non pas d'Italie, comme quelques-uns l'ont pris en l'appliquant aux Romains; & que ces nouveaux venus detruiroient l'Assur & l'Heber. Car Assur signifie les Assyriens, & Héber plusieurs Peuples voisins. C'est pourquoi dans la Genèse, Chap. X. v. 21. *Sem* est appellé le pére de tous les fils d'*Héber*. Car pour marquer, que c'est d'*Aléxandre* dont on veut parler, on ajoute, que le Chef de ceux de Chittim, après avoir bouleversé l'Orient, périra bien-tôt lui-même.

OBSERVATIO
DE SUPERSTITIONIBUS QUIBUSDAM SLAVORUM.

Ex Tom. 3. Collectionis Kortholti.

Ritus Sarmatici in Slavis medii ævi superantes, velut imaginem præbent veteris Germanorum vivendi rationis, prorsus quemadmodum in Abassenis nostri temporis, antiquam quinti a Christo sæculi Ecclesiam, velut in speculo intuemur. Nam Slavi seriùs ad Christum conversi diù antiquissimos mores retinuêre. In *Ottonis Babenbergensis*, qui Pomeranos ad Christiana sacra traduxit, vita, a *Sifrido* expeditionis comite

comite conscripta, L. 2. c. 32. duas superstitiones observare licet, quibus paria a *Tacito* in Germanis notata, illustrantur. Scilicet *equorum auguria*, & *lignorum sortes*. Habebant Pomerani caballum miræ magnitudinis, & pinguem, nigri coloris, & acrem valdè. Iste toto anno vacabat, & tantæ fuit sanctitatis, ut nullum dignaretur sessorem, habuitque unum de quatuor sacerdotibus templorum custodem diligentissimum. Quando ergo itinere terrestri contra hostes, aut prædatum ire cogitabant, eventum rei hoc modo per illum solebant discere. Hastæ novem disponebantur humi, spatio unius cubiti disjunctæ. Strato ergo caballo, atque frænato, sacerdos, ad quem illius pertinebat custodia, tentum fræno, per jacentes hastas in transversum ducebat, ter atque reducebat. Quod si pedibus inoffensis, hastisque indisturbatis equus transibat, signum habuere prosperitatis, & securi pergebant. Hoc ergo genus sortium aliasque *ligneas calculationes* in quibus navalis pugnæ, vel prædæ considerabant auguria, quamvis multum frementibus aliquibus, tandem Dei auxilio penitus abrasit (*Otto*) ipsumque profani vaticinii caballum, ne simplicibus esset offensionis laqueus, in aliam terram vendi præcepit, asserens, hunc magis quadrigis quàm prophetiis idoneum. Capite sequenti notat auctor abdicatam *conjugum pluralitatem*. Eâ in re scilicet Sarmatæ a Germanis differebant.



VITA



VITA ET OBITUS VIRI CELEBERRIMI,

JACOBI BERNOULLI,

Utriusque Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis & Berolinensis Socii, & in Inclyta Basileensium Academia Matheseos Professoris Clarissimi.

Ex Actis Eruditorum ann. 1706.

PRæmatura mors Viri Excellentissimi, *Jacobi Bernoulli*, non tantum Academiæ patriæ, verum & universæ Reipublicæ Literariæ gravissimam attulit jacturam. Ea accidit die 16. Augusti anni superioris 1705, paulo post horam quintam matutinam, anno ætatis quinquagesimo primo. Clarissimus hic Vir, oriundus majoribus, tempore Ducis *Albani* ob religionem orthodoxam patria Antwerpia pulsis, in lucem est editus anno vergente 1654. d. 27. Decembris, patre Viro Amplissimo *Nicolao Bernoulli*, Fori Judicialis, & Cameræ rationum in Republica Basileensi Assessore integerrimo, octogesimoque ætatis anno etiam per Dei gratiam superstite. Excusso pulvere Gymnasii, Philosophiæ in Scholis usitatæ principia hausit ex institutione Celeberrimi Viri *Joh. Jac. Hoffmanni*, SS. Th. D. & Historiarum in Academia patria Professoris, impetratisque in ea consuetis gradibus animum ad studium sacrum appulit, magis tamen ex instigatione paterna, quàm proprio instinctu. Interea dum juveniles anni calerent, Poësin quoque Latinam, Gallicam, Germanicam excoluit, multaque non infestivè lusit, & linguis pariter sedulò operam dedit. Scientias Mathematicas ab ineunte ætate mirè deperiit, dum adhuc puer ex inspectione figurarum Geometricarum secretum quoddam oblectamentum capiebat, ut natus ad studium hoc, non factus videretur. Αὐτοδίδακτος in illo fuit, nullius unquam vivi Præceptoris opera usus, quin & librorum penè omnium subsidio destitutus. Si quem sors objecerat, hunc furtim evolvebat, hancque ob causam ultra communis Arithmeticæ, Geometriæ, Astronomiæ praxin non penetravit, nescius ante peregrinationem Literariam, quiddam longè præstantius haberi. In prima nihilominùs adolescentia penetrans ejus ingenium eluxit in celebri problemate Chronologico, de inveniendo anno Periodi Julianæ, ex

ex datis tribus Cyclis, Solis, Lunæ, & Indictionum; quod occasione propositionis secundæ partis primæ Deliciarum Mathematicarum *Schwenteri*, ante decimum octavum ætatis annum, proprio Marte solutum dedit, nesciens eo tempore, ejusdem Problematis solutionem à *P. Billy* Jesuita, celebri Mathematico, tamquam insigne artis specimen, in Diario Parisiensi jam antea publicatam extare. Peregrinationem suam iniit Noster A. 1676, & Genevæ *Estheram Elisabetham a Waldkirch*, a secundo a nativitate mense cœcam, scribere docuit; Burdigalæ verò Tabulas Gnomonicas universales (nondum quidem editas) condidit. Peragrata Gallia domum redux A. 1680, suasu amicorum, *R. P. Malebranchii* celeberrimum opus de Inquirenda Veritate, & *Cartesii* Philosophica primum cœpit evolvere, hujusque philosophandi modum potiùs, quàm principia approbavit, & postquam illucescentis Cometæ occasione, ingenii quemdam lusum de futura ejus apparitione, vernacula lingua edidisset, secundo Rheno Belgium petiit. Hic sanioris Philosophiæ, & demonstrationum mathematicarum dulcedine primùm inescatus, Elementa Euclidea docuit priùs, quàm didicerat, additaque Geometriæ Cartesianæ repetitis aliquoties conatibus penetrare cœpit, mox etiam *Conamen suum de Motu Cometarum* in Latinum transtulit, ac multo quàm prius auctius edidit, Tractatumque suum egregium *de Gravitate Ætheris* conscripsit. Hinc perlustrata Flandria, Brabantiaque, Caletum usque pergens, in Angliam trajecit, ubi salutatis Illustri *Boylio*, aliisque Celeberrimis Viris, Congregationi hebdomadariæ Academicorum augendis, majoremque ad perfectionem perducendis scientiis institutæ, semel interfuit; dein mari Hamburgum vectus, per Germaniam recto tramite patriam repetiit, & paulo post, brevi excursu, Helvetiæ Cantones invisit. Patriæ redditus A. 1682. eo studia sua impendit, ut publico prodesset; quem in finem per aliquot æstates Collegium quoddam experimentale Physico-Mechanicum aperuit, eoque primus rerum harum pulcherrimarum in Academia Basileensi auctor, & evulgator extitit. Profecturus postea Heidelbergam, ubi vicaria ejus in docenda Mathesi desiderabatur opera, domi retentus est per subsequens matrimonium, quod A. 1684. contraxit cum *Stupanorum* Medicorum suo tempore non incelebrium nepte, & pronepte, e qua geminæ prolis masculæ, & fœmininæ parens factus. Tum verò Mathematica denuò seriò tractare instituit, præcipuosque Autores, & suo usui legere, & inter legendum aliis explicare cœpit, unaque docendo, & meditando sic profecit ipse, ut interioris Geometriæ adyta non tantùm brevi recluderet, ac præstantissima tum Veterum, tum Recentiorum inventa, sibi plana perspectaque redderet, verum etiam propriis inventis scientiam quotidie magis magisque locupletaret, ac perficeret. Mortuo postea Celeberrimo *Petro Megerlino*, J. U. D. & Mathem. apud Basil. Pro-

Professore, ejus in locum unanimi Procerum calculo suffectus est A. 1687. d. 15. Febr. Spartam sic nactus genio suo, & studiis convenientem, magno eam cum applausu, & honore exornavit, omnibusque deinceps Academicis dignitatibus, atque inter eas Rectoratu Universitatis semel, & Philosophici Ordinis Decanatu ter, pari cum successu, & dexteritate, omniumque applausu functus est. In sua statione operam suam studiosæ juventuti ita commodavit, ut nulli eam expetenti denegarit, quamdiu corporis id vires permiserunt; hinc plures exteri tanti viri fama allecti Basileam advolarunt, docta ejus institutione fruituri. Mira in docendo pollebat facilitate, suaque dexteritate difficillima quæque Auditoribus suis ita propinare novit, ut planè nescirent, ludone, an somno ea arcana didicissent. Academicis quoque debemus exercitiis egregium ejus tractatum *de Seriebus infinitis*, in quo abdita nobis pandit Geometriæ mysteria. Indies sic novis inventis augere perrexit Geometriam, eaque cùm in Actis Eruditorum Lipsiensibus, ut nemo non deprehendet, qui vel indices Tomorum Mathematicos inspicere sustinebit, tum in aliis Eruditorum Diariis cum publico communicavit; quibus ita se exteris commendavit, ut A. 1699. non tantùm Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiis, & A. 1701. Berolini, utriusque noviter tum instauratæ, præter omnem spem suam, & expectationem, cum Ingeniosissimo Fratre *Joanne Bernoullio*, in Groningensi hactenus, nunc in Basileensi Academia Professore Mathematum celeberrimo, fuerit adscriptus, verùm etiam tum natalium splendore, tum eminentiorum munerum dignitate Nobilissimi Viri, Illustrissimus Dominus, *Rogerus Brulartus*, Marchio de *Puyzieulx*, & *Silleri* &c. &c. magni Galliarum Regis ad Helveticam Gentem Legatus Excellentissimus, & Illustrissimus Dominus *Guilielmus Franciscus de l'Hospital*, Eques, Marchio *S. Memii*, & *Montelerii*, Comes *Antremontii*, Dominus in *Ouques*, *la Chaise* & *le Beau* &c. &c. dum viveret, excellentissimus Geometra, benevolentia sua insigni eum dignati sint. Cum celebratissimis pariter in Republica Literaria Viris, inter quos brevitati studentes hic loci tantùm nominabimus Illustrissimum Dn. *Leibnitium*, Serenissimi Electoris Brunsvicensis Consiliarium Status, & Societatis Berolinensis Præsidem, & Parisiensis, ac Londinensis Socium, Dn. *Christophorum Pfautzium*, in Academia Lipsiensi Matheseos Professorem famigeratissimum, Dn. *Nicolaum Fatium Duillerium*, Regiæ Londinensis Societatis Sodalem dignissimum, arctam amicitiam coluit, crebris ab iis exhilaratus literis. Verùm enim verò aliis inserviendo, se ipsum consumsit; Nam continuis suis meditationibus, totque insomnibus noctibus, quibus reconditioris Geometriæ recessus perscrutando, publico prodesse studuit, corporis contra vires ita debilitavit, ut varii, periculosique morbi, cum quibus conflictatus est, insequuti sint. Podagræ enim, a qua a multo jam

jam tempore vexabatur, febris tandem acceſſit hectica, cum præcedente tuſſi perquam violenta, quæ cùm in dies magis magiſque augeretur, nullam ipſi reconvaleſcendi ſpem reliquit; unde omnibus in domo ſua diſpoſitis, mortis meditationi ſe totum tradidit, ſicque decimo ſexto, ut dictum, Auguſti die ærumnoſam hanc vitam cum meliore commutavit. Paucis ante poſtremum diebus, amicos rogavit, ut *Spiralem Logarithmicam* circulo inſcriptam cum epigrapha, *eadem mutata reſurgo*, ſepulchri ſui ſaxo inſculpi curarent, ad inſignes proprietates, quas primus deprehendit, alludens, cùm ea ſe non ſolùm ſui evolutione generet, ſed etiam ſui ipſius cauſtica exiſtat, *ſeque adeo ipſam poſt varias mutationes* de novo *producat*; hacque in re Celeberrimus noſter defunctus *Archimedis* exemplum imitari voluit, qui inſigne ſuum inventum, de proportione ſphæræ ad circumſcriptum cylindrum, tumulo ſuo inſcribi juſſit. Inventa ejus plurima, & pulcherrima, quæ in Actis Eruditorum, & alibi extant, non recenſemus: addere contenti, cùm magnum ſæculi noſtri inventum, *Analyſis infiniteſimalis Leibnitiana* prodiiſſet, Noſtrum de uſu ejus, atque applicatione præſertim ad Phyſico-mechanica, ex facili exemplo ab Autore exhibito (demonſtratione ſcilicet Curvæ Iſochronæ) novam ſubitò lucèm hauſiſſe, & in eum *calculum* Analyticum excolendum (quem *Differentialem*, eique reciprocum *ſummatorium*, vel *integralem* vocant) magno ſtudio, & ſucceſſu incubuiſſe, eximiis Problematibus ſolutis; ut inter maximos tanti inventi propagatores jure meritoque haberi poſſit, *Leibnitius*que defuncti Amici, & ſemper lugendi memoriæ hoc diſtichon conſecrarit.

Infinita tibi Terris Lux fulſit in ipſis,
Bernoulli, & quiſquam te ſupereſſe neget?



 LETTRE

LETTRE DE MR. LEIBNIZ,

A D. JEAN MABILLON,

Sur le Marquis AZO.

Tirée des Oeuvres posthumes de Mabillon in 4°. 3 tom.

J'Ai appris de Mr. *Brosseau* la bonté que vous avez eue, mon Révérend Pére, de nous faire copier un Manuscrit d'une Chronique de Saxe, que Mr. d'*Alvensleben*, quand il étoit à Paris avec les deux plus jeunes de nos Princes, nous avoit fait espérer de votre part.

Je vous en remercie très-humblement & souhaiterois de trouver quelque occasion pour vous témoigner ma reconnoissance. On n'abusera pas du pouvoir qu'il semble que vous nous donnez sur cet ouvrage, & on n'en usera que suivant vôtre avis.

Il y a déja quelques années que je me suis apperçu de vos bontés, lorsque vous avez pensé à nous obliger en faveur de Mr. le Résident *Brosseau*, à l'égard de certaines recherches touchant un Marquis *Azo* de l'onziéme siécle.

J'ai appris depuis que ce jeune Prince, qui épousa l'héritiére des *Guelfes*, a eu en même tems un Marquisat en Lombardie & en Ligurie, ou celui de Genes & de Milan, comme le disent positivement des Diplomes & des Auteurs contemporains; & qu'Este & le pays à l'entour de Rovigo étoit de son héritage ou alleu, & que *Cunegonde* son épouse avoit été enterrée à la Vangadizza sur l'Adige, où j'ai été moi-même. L'épitaphe de cette Princesse dit positivement qu'il étoit le plus puissant Prince d'Italie de son tems, *Magnus qui Marchio fulget*; item, *Populis locupletior ullus haud viget*. Il est sûr que la Maison de *Brunsvic* descend en ligne droite masculine de son fils *Guelfe* Duc de Baviére: mais j'ai maintenant aussi la vérification de la descendance de la Maison d'*Este* de ce même Prince; de sorte que la connexion de ces deux Maisons, dont Mr. *Justel* & d'autres doutoient avec quelque raison à cause des assertions peu justes du *Pigna*, est maintenant établie par des lumiéres que j'ai trouvées à Modène & ailleurs.

Quand j'étois au Monastère de la Vangadizza, j'appris que *S. Thiebaut*, dont Votre Révérence parle dans son excellent voyage d'Italie p. 207, y est enterré. C'est une chose étrange que nous ne pouvons pas

pas encore déterrer l'origine de ce Marquis *Azo*, qui étoit un ſi grand Prince. *Sigonius* lui donne pour pére un Marquis *Hugues*, mais qu'il comprend avec un autre. J'ai appris que *Sigonius* peut avoir puiſé ce qu'il en dit dans une Chronique de *Leon* Evêque de Come, qui parle de l'expédition de *S. Henri* contre *Ardouin*, & de quelques Marquis d'Italie nommés *Ugo*, *Opiſo*, &c. que l'Empereur prit ou deſtitua, mais dont une partie fut rétablie. Je n'ai pas vû cette Chronique.

Mr. *Bély* rapporte un extrait d'une Pancarte de Saint Martin de Tours, où il eſt fait mention de quelques Marquis d'Italie de ce tems, dont les noms ſont croire de la connexion avec le nôtre. Il en parle à l'occaſion d'un Marquis *Hugues*, que d'autres Princes Italiens avoient envoyé en France pour porter le Roi *Robert* à accepter la Couronne d'Italie pour ſon fils. Si quelqu'un nous pouvoit aider en cette recherche, on lui en auroit une obligation réelle. Il ſemble qu'on devroit trouver quelques traces de l'origine d'un Prince ſi puiſſant.

Je communiquai à Mr. *Meibom* ce que vous aviez remarqué touchant *Hugues de St. Victor*, & il y a repondu dans un petit diſcours inſeré dans les Tomes qu'il a publiés il y a quelques années pour ſoutenir le ſentiment de ſon aïeul, qui eſt que cet Auteur célébre étoit Saxon.

Les ouvrages inſignes dont vous avez enrichi & enrichiſſez encore le Public, rendent vôtre temps extrêmement précieux ; ce qui me fait finir en vous aſſurant que je ſuis &c. *De Hanover le* 21. *Decembre* 1691.

FINIS PART. II. VOL. IV.

GOTHOFREDI GUILIELMI


LEIBNITII

OPERUM

TOMI QUARTI PARS TERTIA,

CONTINENS

OPUSCULA AD JURISPRUDENTIAM PERTINENTIA.



JOANNIS BAPTISTÆ
BON

In Regio Athenæo Taurinensi Jurisconsultorum Collegio adscripti, & Jurisprudentiæ studiis in Regia Academia Præfecti,

AD PARTEM JURISPRUDENTIÆ G. G. LEIBNITII

PRÆFATIO.



XIMIUS Legislator vix ullus esse potest, quin sit idem summus Philosophus, neque enim legislatio perfecta instituì, aliter potest, nisi hominis natura, indoles, animi motus penitus introspiciantur; qua in re sublimioris Philosophiæ pars posita est. Non defuerunt, qui naturalem scientiam cum politicis egregiè conjunxere: *Platonem* certè & *Aristotelem* ea fuisse naturalium cognitionum supellectile instructos, quæ illis temporibus suppeteret fatentur omnes; quantum verò excelluerint in tradenda ratione reipublicæ administrandæ ostendunt libri *de Republica Platonis*, & *politicorum Aristotelis*. Non existimarem scientiam rerum naturalium consociari tam facilè cum jurisprudentia posse, quàm cum politices studio; usu enim compertum est progressu temporis in societatibus civilibus adeo excrescere leges, magistratuum definitiones,

Hac ratione Vir iste summus, dum mentem hominis illustrat philosophicas scientias augendo novis notionibus, societatis commoda studet amplificare, commodiorem viam sternendo, qua lites terminentur faciliùs; etsi verò tam variis distentus negotiis ea non potuerit perficere, quæ sibi circa jurisprudentiam proposuerat, quæ tamen reliquit adeo eximia sunt, ut aliis aut eundem laborem tentantibus, aut in universo Jurisprudentiæ curriculo multum prodesse possint.

Dolendum erat quòd egregia tanti viri opera hucusque aut laterent occulta in aliquibus Bibliothecis, aut nonnisi dispersa in scriptis exiguæ molis invenirentur, præsertim ea, quæ cùm idem argumentum pertractent, nisi ob oculos omnia simul habeantur, integrum *Leibnitii* systema exhibere non possunt: Multi celeberrimi scriptores se omnia *Leibnitii* opera evulgaturos non semel polliciti sunt, sed nescio quo fato, hucusque res ad exitum non fuerat perducta. Multum certè de universa re literaria benemeritus est Vir Clarissimus *Ludovicus Dutens*, Angliæ Ablegatus ad Regem Sardiniæ, dum rem ab aliis toties promissam ac desertam & adgressus est, & perfecit feliciter: Nec sumptibus nec diligentiæ pepercit, ut undequaque conquirerentur *Leibnitii* opera etiam inedita, ut ederentur emendata, atque ordine apto disposita, ut eximiis præfationibus, quas ipse in omnes philosophiæ partes, & Mathesim elaboravit, acta prodirent. Consilio Viri Clarissimi in me suscepi, ut præfationem conscriberem in eam partem, quæ de jurisprudentia agit: constitueram etiam notas aliquas ad eandem adjicere, sed mutavi consilium, quod deprehenderim ex Scriptoribus vitæ *Leibnitii*, & ex *Struvii* bibliotheca multas in Germania evulgatas dissertationes fuisse, quibus oppugnantur, vel defenduntur Auctoris nostri cogitationes, quas in notis conscribendis discuti necesse fuisset, sed temporis angustiæ tantam moram non patiebantur, quanta necessaria fuisset, ut scripta hæc in Germania conquirerentur, & ad me pervenirent. Quum eum potissimum observassem fuisse *Leibnitio* scopum in iis, quæ reliquit de Romana jurisprudentia, ut eam a confusione in quam inciderat liberaret, operæ pretium esse duxi in ea præfatione, quæ ejus operibus præmittenda erat præcipuas causas expendere, ob quas Romana jurisprudentia in multis simplicem adeo formam habuerit, quare ratione ab ea deflectens eo confusionis vitio, temporis lapsu, cæperit laborare; hæc enim proderunt ad magis magisque patefaciendum *Leibnitii* consilium. Nonnulla postea adjiciam, quibus ad *Leibnitii* opera majori cum fructu evolvenda facilior via sternatur.

Homines eo consilio in unum vires suas contulere societatem inter se constituendo, ut vitæ commodis securiùs ac pleniùs fruerentur. Hæc commoda contra exteros bello defendunt, inter se legibus & judiciis regunt. Læderetur securitas hæc non solùm si tenues societatis vires non sufficerent ad injurias exterorum propulsandas, sed etiam si interni regiminis minùs apta ordinatio domesticis perturbationibus locum præberet.

Nasci internæ hæ perturbationes debent non tunc tantùm cùm communis administrationis forma ad majus societatis bonum non dirigitur, sed & quum licet forma regiminis perfecta sit, leges tamen quæ privata civium negotia regunt sunt ita confusæ, ut judicia fieri arbitraria necesse sit.

Ut unusquisque tutus esset in vita, existimatione & proprietate rerum suarum, non sufficiebat Magistratuum & Judiciorum institutio. Magistratuum definitiones cùm respiciant negotia particularia & præterita, illis fuissent suspecta, inter quos jus reddendum erat. Prima verò juris naturæ præcepta evidentia quidem per se sunt, sed cùm ad facta particularia applicantur, sæpe nimis vaga & incerta fiunt. Æquitas enim illa naturalis, quæ adeo commendatur, pendet à tot diversis rationibus quas personæ inter se habent, aut cum societate, diversa adeo forma solet se offerre hominum menti, ut præsidium, quod capi inde poterat, non fuisset satis ad dirigenda Magistratuum judicia, & cives securos reddendos in justum suorum possessione. Lex itaque erat necessaria, quæ cùm futura respiciat, civibus suspecta non est, & naturalem rationem ita potest determinare, ut judicia certiora reddantur.

Si quot negotia erant, quæ certa aliqua regula indigebant ut ab ea judicia dirigerentur, totidem fuissent latæ leges, nimia earum multitudo gravia incommoda peperisset: Leges latæ ad actus hominum dirigendos, quæ ipsis notæ esse non possunt, redduntur eisdem captiosæ; & perturbatio illa, quæ ex nimia multitudine legum debebat nasci, illud arbitrium induxisset in judiciis quod inopia legum parere solet.

Romani, ut hæc incommoda vitarent, eam inivere rationem, in qua ipsorum legislationis præcipuum decus positum est. Principia aliqua induxere, contractuum & ultimarum voluntatum determinavere naturam, quasdam leges universales ob peculiaria negotia statuere: Hæc tria simul conjuncta systema illud Romanarum legum præcipuè constituunt, in quo tanta simplicitas elucet cum majestate conjuncta, ut Romani cæteras nationes longo post se intervallo reliquerint.

Quæ ars vel scientia multis indiget notionibus, eam summa laborare confusione necesse est, nisi istæ notiones ad certas classes revocatæ sub quibusdam principiis comprehendantur. Hæc principia eo magis erant in jurisprudentia necessaria, quòd non agebatur solùm de redigendis in artem quæ nota erant, sed & de dubiis casibus determinandis, qui possent contingere; Romani, ut id assequerentur, quædam proposuere principia ex jure naturæ derivata; quum hæc nondum sufficerent, alia positiva excogitarunt. Hæc principia ita erant comparata, ut jus æquum in pluribus casibus cognitis continerent. Lex ad ea principia accedens, eademque generatim confirmans efficiebat, ut ad dirimendos dubios, & non prævisos extendi deberent. Hac ratione multa negotia & actus, qui sine lege vagari videbantur, ad certas regulas revocata sunt, a quibus penderent. Multa ex illis principiis, quæ obvia unicuique videntur, quæ

quæ non fuit necessaria sollertia ut eruerentur, eaque induerentur forma quam habent? Naturam hominum considerare, eorum perfectionem, rationem quam inter se habent, cum rebus, cum societate, natas inde obligationes in proprias tribuere classes, ex illis quæ hominis perfectionem magis augerent abstrahendo universalia principia colligere; ea ita determinare ut in judiciis majorem, quo fieri posset, certitudinem haberent, & in negotiis particularibus summam conservarent æquitatem: Hæc sunt, quæ debebant præstari, & præstita reverà à Romanis fuere.

Multæ sunt regulæ juris positivi, quæ merâ videntur niti juris subtilitate, quæ tamen mirum est quantùm prosint ad lites tollendas & simpliciorem reddendam juris nostri scientiam. Ad jus positivum pertinent principia hujusmodi: Actum nullum convalescere per se non posse: Contractus eo modo dissolvi quo fuere constituti: Cùm principalis causa non consistit, plerumque ne ea quidem consistere, quæ sequuntur; si hæc principia tollas, quot in judiciis non nascentur controversiæ circa actuum validitatem ortæ ex præsumptis & ambiguis voluntatis conjecturis? Regula, quòd nemo possit cum duobus testamentis decedere, quàm non erat opportuna ad eas resecandas lites, quæ inter plures nasci debuissent, qui de eadem successione plurimas testatoris ejusdem dispositiones attulissent in medium? eoque magis sollertiam Romanorum probo, quòd in principiis positivis formandis ad ea plerumque (1) respexerint, quæ ut plurimum diligentes homines agerent, aut ad quæ verosimiliter cogitare deberent, unde fiebat, ut conqueri cives non possent suam per ea simplicitatem circumveniri.

Non minori providentia natura contractuum, & ultimarum voluntatum definita est. Constituta societate videbantur cives habere debuisse in judiciis actionem ad ea omnia, ad quæ persequenda extra societatem jus belli habituri fuissent: Non placuit Romanis tam generalem regulam probare (2), eo magis quod dubium esse poterat aliquibus in casibus an jus belli competeret; voluerunt ipsi nullam nasci actionem in perso-

 nam,

(1) Jureconsulti cùm Stoicorum sectæ addicti essent, derivarunt in jurisprudentiam multa hujus sectæ principia, nonnulla ex istis accommodata erant, & naturæ rerum, & usibus societatis, alia cùm consisterent in mera subtilitate, proderant quidem ad reddendum magis certum jus ipsum, sed non habebant tantam æquitatem, atque utilitatem, quantam prima: Qua in re Philosophia Stoicorum mihi videtur illud præstitisse in jurisprudentia Romana, quod *Aristotelis* dogmata a Scholasticis adaptata in Theologia, & nonnullis aliis disciplinis, eo solùm discrimine, quòd Stoicorum principia ita occuparunt jurisprudentiam, ut pars ejus evaserit: dogmata verò *Aristotelis* extrinseca disciplinis illis semper fuere, quas pervaserant scholasticorum industria.]

(2) Non dubito quin, dum obligationes efficaces reddidere actionem ipsis tribuendo, respexerint etiam ad eam firmitatem, quam jam habebant jure naturæ; tamen Magistratibus, atque interpretibus magis certam regulam statuere voluerunt, legis nempe confirmationem, unde quisque faciliùs cognoscere posset, quandonam obligatio juris præsidio destitueretur.

nam, nisi ex contractibus & injuriis (3): determinarunt quinam essent isti contractus, atque hæ injuriæ, ex quibus actio produceretur: eandem jurisprudentiam in juribus realibus introduxere. Non enim existimarunt liberæ contrahentium voluntati committendum, ut sibi jura, quæ vellent, in rebus constituerent; sed ea ad quatuor tantùm revocarunt species, dominium nempe, possessionem, servitutem, & pignus: En quæ litium seges, quot obscuritates fuerint inde sublatæ: jam enim inde constabat sine effectu remanere omnes illas obligationes, quæ in sola natura hominis haberent fundamentum, nec essent facto nostro acquisitæ aut confirmatæ (4), rursus cùm multiplices esse possent conventiones & injuriæ, inde expeditum erat quænam in judiciis effectu carere deberent, nam inutiles censebantur, quæcunque non erant comprehensæ in earum numero, quæ fuerant a lege probatæ; Ulterius in hac re progressi sunt: Determinarunt ipsorum jurium & contractuum naturam, a quibus deberet actio proficisci; hinc quæstiones illæ tollebantur, quibus locum facere poterat dubia contrahentium voluntas. Nunquam enim a contractus natura recessum existimabatur, nisi expresse id actum fuisset; erant quidem contractus bonæ fidei, in quibus benignior interpretatio, judici permittebatur, sed in natura istorum usu fori firmata jam erat comprehensum, quousque progredi hæc benigna interpretatio posset. In contractibus pretium ne in tertii quidem arbitrium collatum antiqui probabant; generalis dotis promissio ab extraneo facta nullius erat momenti. Stipulatio fundi, domus in genere, facta corruebat, etsi in proprio patrimonio fundos, aut domus promissor habuisset, quia limites istarum rerum nimis vagi erant; Adeò propositum illud infixum erat animis Romanorum, nihil permittendum, unde arbitraria jurisprudentia evaderet, aut minus certa, ut potius viribus destitui permiserint ipsam obligationem animo deliberato contractam: En quæ inde harmonia, quam bene composita exurgeret dispositio; certa erant jura & obligationes, quas licebat acquirere, non minus quàm earum natura, & modi quibus contrahi, quibus dissolvi debebant, una regula comprehendebat res & personas capaces earum suscipiendarum, paucæ exceptiones casus prohibitos indicantes regulam magis firmabant.

Tot conceptiones, ac formulæ verborum quibus Romani negotia quædam obstricta voluere, summam plerumque habebant utilitatem, nam voluntas hominum quibusdam illigata formulis clarior esse debebat, & con-

(3) Nomine contractuum, & maleficiorum seu injuriarum intelligo etiam quasi contractus & quasi maleficia.

(4) Nonnulla etiam jura ex ipsa natura quæsita actionem habebant, sed Romani eam actionem lege aut consuetudine inductam in corpore juris comprehendi expresse curarunt, argumentum hujus rei habemus in dotis constitutione favore filiæ a patre facienda, siquidem ante legem Juliam & Papiam, aut ut alii volunt, ante *Severum* & *Antoninum*, eam constituere non cogebatur, etiamsi naturali obligatione ad id esset adstrictus.

contrahentes ipsi, qui de eadem formula concipienda cogitare debebant, magis consulte accedebant ad obligationes contrahendas.

Eandem Romanorum sollertiam intueor in legibus condendis ob peculiaria negotia quàm in principiis juris & natura contractuum stabilienda. Quoties leges duodecim tabularum perpendo, observo simplices illas fuisse, breves, non numero multas, adeo ut à pueris solerent memoriæ mandari. In istis nulla unquam affertur ratio, ne interpretes eadem utentes judicium sibi in legem assumerent, eamque quibus vellent limitibus coarctarent. Non sine consilio cautum erat ne circa personas, aut res singulares, conderentur, ne aut nimis crescerent numero, aut in suspicionem studii partium adducerentur.

In responsis Jureconsultorum eam video interpretandi rationem plerumque receptam, quæ aptissima erat illi Romanarum legum genio servando, quem indixerunt primi ejus juris conditores. Nunquam legem novam extendunt, quando nova lege cessante se offert antiqua, cui derogatum non constat; etsi durum ipsis videatur, quod vel in lege est expressum, vel ex justâ ejus interpretatione descendit, non tamen ab eo sibi discedendum putant, ne propriam rationem ipsi præferant legi. Quando agitur de interpretanda voluntate testatorum aut contrahentium, nunquam è casu expresso ad omissum argumentantur, nisi vel urgentissima ratio id suadeat, vel lege expressa destituantur: Hinc cernimus quantum curæ ipsis fuerit ea omnia à jurisprudentia amovere, quibus fieret, ut incerta interpretatio certis regulis præferretur, aut aliquid ipsis legibus detraheretur.

Optandum esset ut publica lege a Romanis firmatæ fuissent illæ interpretationis regulæ, quas plerumque Jureconsulti sequuti sunt; tunc enim non emersissent tot Jureconsultorum sectæ in Romana Republica, & simplicior eorum jurisprudentia fortè fuisset servata: Equidem illis temporibus non erat expectandum ut gradus probabilitatis definirentur, quos habent singulæ conjecturæ, ex quo perfecta legum interpretandarum ratio pependisset, quando ne ætate quidem nostra qua tot felices facti sunt in philosophia progressus, id potuit adhuc præstari; verùm tamen, etsi in illis interpretandi regulis multa adhuc potuissent desiderari, multis certè incommodis earum ope prospectum fuisset.

Non possumus inficiari in fragmentis Romanorum Jureconsultorum multa inveniri, in quibus nova lex potius cernitur, quàm antiquæ legis interpretatio, sed hoc ipsi Romanæ Reipublicæ formæ tribuendum est. Patricii munus respondendi de jure veluti proprium patrimonium (5) possidebant,

(5) *Tiberium Coruncanum* primum è plebe Pontificem creatum fuisse diximus ex epit. Liv. lib. XVIII. hunc artem juris civilis scientiarum antea latentem primum evulgasse *Pomponius* testatur lib. 2. de orig. Jur. §. 35. ex hoc tempore plebei sibi scientiam juris comparare cœperunt.

fidebant, qua ratione fibi magis obnoxiam plebem reddebant. Difficile autem erat ut officii proprii jura quanto magis fieri poffet extendere non curarent, maximè quando ferventibus odiis inter plebejos & patricios expedire iftis videbatur propriam augeri jurifdictionem. Quum plebs, reclamantibus licet patriciis, fibi vindicaffet poteftatem legum ferendarum, nec patricios probabile eft vacuam occafionem dimittere voluiffe ut novas & ipfi leges conderent fine interventu plebis: Hæc occafio fe ipfis offerebat in difputationibus fori, ubi fub fpecie interpretandæ legis antiquæ novas revera ferebant leges, eò autem faciliores in hoc fortaffe fuere. Quod incommodum, nec fatis tutum aliquando videri poterat ob jura quædam in negotiis civilibus inducenda, populum univerfum in comitia convocare. Hinc patet quantum interfit diftinguere ea jurecon-fultorum refponfa, in quibus tanquam philofophi legum fenfus inveftigabant ab aliis, in quibus uti legiflatores nova jura condere ftudebant.

Ex illis quæ dicta funt fatis apparet, quonam Confilio Romani fuas leges condiderint. Aliquorum principiorum determinatio, natura contractuum, jurium, & ultimarum voluntatum, leges aliquæ univerfales fiftema illud fimplex conftituebant, ex quo innumerabilium cafuum particularium definitio pendebat; Hinc fæpe evenit, ut pofita natura contractus, & quibufdam principiis arcto quodam vinculo, & ferie neceffaria argumentationis è confequentia ad confequentiam ita progrediamur, ut miremur eos cafus certa regula definiri, qui ab initio per fe confiderati nulla lege adftringi videbantur; In omnibus, quæ ad Romanam Legiflationem pertinebant, fumma cernebatur confenfio; forma eadem, quæ in privatis, in publicis etiam negotiis expediendis obfervabatur: Quòd fi omnes illi, qui juri Romano conftituendo manum admovere, idem confilium femper fuiffent fequuti, quod juris ejufdem primi inftitutores manifeftarunt, jus Romanum, eò perfectionis perductum fuiffet, quo pervenire ea poffunt, quæ temporis progreffu femper aliqua indigent emendatione, fin minùs in œconomia univerfali faltem in rebus ipfis particularibus; fed vix eft, ut in eo opere, quod nonnifi longa temporum ferie perfici poteft, omnes qui in eodem conftituendo occupantur, eandem mentem, folertiamve habeant, vèl non multa extrinfecus accidant, quæ aliquam propofiti mutationem non expofcant.

Is tria, ut mihi quidem videtur, fibi debet præcipue ob oculos ponere, cui Legiflationis inftituendæ cura incumbit. Legis ipfius æquitatem ratione perfonarum vel negotiorum feorfim fumtorum, ad quæ lex dirigitur; Legis ipfius confenfionem cum publica utilitate, & cum cæteris legibus ejufdem Societatis; univerfæ demum Legiflationis fimplicitatem.

Cùm unufquifque debeat fuæ, & aliorum confulere perfectioni, inde nafcuntur quædam obligationes & jura, quæ noftram, & aliarum perfonarum refpiciunt perfectionem. Lex omnis, quæ hæc jura tollit, vel impedit has obligationes, dura dicitur earum perfonarum, & negotiorum

refpectu,

respectu, ad quæ dirigitur, & iniqua erit, nisi quantum damni alteri affert ob ejus jura violata, tanto magis perficiat ipsam Societatem, ob majora commoda, quibus eam cumulat; unde & in eos, quibus dura lex videbatur tanquam Societatis ejusdem membra, legis ipsius commodum refluit. Hinc cautio in eo maximè adhibenda est, ut singula commoda & incommoda, quæ hinc inde nasci possunt, æqua lance librentur, ut constare possit, in quonam publica utilitas posita sit.

Publica utilitas ea est, quæ maximè movet Legislatorem, quia hæc magis universalis est: quum leges inter se unum corpus constituant, eundemque finem habeant, publicam nempe felicitatem, summa inter eas consensio esse debet, ne earum effectus mutua collisione impediatur in grave civitatis detrimentum.

Demum legum simplicitas maximè est necessaria, ne & leges ignotæ civibus ipsis sint fraudi, & in judiciis perturbationem afferentes eadem reddant arbitraria. Simplicitas hæc labefactatur cùm nimiis exceptionibus inductis incerta redduntur ipsa principia, cum certa forma à lege datur pluribus negotiis, & juribus quàm Societatis utilitas exigat, quando jure antiquo in multam molem excrescente ferè in totum abrogato ejus tamen sedulò edifcendi necessitas adhuc manet, aut quia quædam nondum sunt omnino immutata, aut quia novo juri intelligendo lucem affert, quando nimis multæ feruntur leges, aut non compendiaria via res determinantur, sed per multas ambages.

Difficiliter evenit, ut duræ sint leges illæ, quæ circa privata civium negotia conduntur, nisi major quædam ratio id suadeat, nam legum asperitas statim in oculos incidit, Societas autem suorum membrorum perfectionem curæ habet, nisi aliud major ejusdem Societatis felicitas exigat: faciliùs evenit, ut lex sit communi utilitati contraria. Etenim quæ hanc utilitatem augent vel lædunt ex caussis, & relationibus pendent adeo remotis atque subtilibus, ut mentis aciem sæpe fugiant, & legislatoris solertiam fallant, sed tandem damno ex experientia comperto leges hæ corriguntur. In eo & facilis lapsus esse potest, & diuturnius incommodum, quod leges publicæ utiles vel non statuantur vel statuantur impares fini assequendo. Quam in hac re habuerint Romanæ leges præstantiam non est hic differendi locus; jam alii hanc provinciam occuparunt.

Inter gravia Legislationis incommoda illud recenseri meritò debet, quod ab ejus nascitur confusione, cui difficilius etiam remedium afferri potest; Quæcumque enim lex per se consideretur quandam videtur æquitatem continere, modò nititur præsumpta quadam contrahentium voluntate, modò antiquum rigorem temperat; nulla lex per se confusionem afferre videtur in præcedenti legum serie, non magis quàm numeri in antecedenti serie numerorum. Interim lapsu temporis infinitæ emergunt exceptiones, quæ a nulla regula pendent, dubia principia

fiunt, crescunt obligationes, & negotia, quibus certa forma data a lege est: Ipsa principia dubia reddita, ob nimis multiplicatas exceptiones, cùm non ampliùs prosint ad dubios casus finiendos, efficiunt ut novæ leges sint necessariæ: Tandem res eo devenit, ut si leges singulæ perpendantur, vix in illis possit inveniri quod reprehendas; si totam inspicias Legislationem, tanta occurret perturbatio, ut jurisprudentiam pene arbitrariam factam esse persentias.

Quando lex privatæ eorum, ad quos dirigitur, utilitati prospicit, publicam ipsam utilitatem servat, & auget, simplicitati juris non officit, omnium meritò perfectissima debet haberi: Si hæc omnia obtineri non possint, res est explorata debere privatam utilitatem publicæ cedere. Principia generalia, & leges universales, cùm particularibus casibus applicantur, aliquando quidpiam continere possunt, quod asperius sit; sæpe prodiere rescripta, usus fori introducti sunt, excogitatæ cautiones, ut in illis casibus æquius jus introduceretur; non abnuo id utiliter fieri posse, dummodo prudenter fiat, ita videlicet ut dubia & incerta ea principia non fiant, quorum utilitas jam cognita est; ut leges universales non enerventur eas eludendi via patefacta; ut nimiæ exceptiones non crescant à nullâ regula pendentes; secus potius aliquid duri in peculiaribus casibus ferendum est, & præstat leges aliquas, etsi quandoque duriusculas habere, quàm nullas, aut nimis incertas. Hoc potissimum fundamento nitebatur tota legum Romanarum digestio, in qua vel ipsa quorumdam contractuum determinatio, quibus solis actio tribueretur, cùm efficeret ut multæ naturales obligationes sine effectu manerent, res dura illis videri debebat, quibus jura ex ipsa naturæ lege quæsita subvertebantur; neque tamen id visum iniquum fuit, propterea quòd id à majore Societatis ipsius utilitate reposcebatur. Si lubet ea omnia confirmare, in quibus particularis agnoscitur æquitas, tota Romanarum legum œconomia subvertitur: jam perdent principia officium suum: prodibit congeries determinationum singularium, quarum nec una ab alia pendebit, nec singulæ sub certis regulis comprehendentur. Mihi videtur in civilibus legibus idem contingere, quod in naturalibus. Leges illæ universales, quibus corpora inter se agunt, & ex quibus exsistit adeo perfecta mundi fabrica, quot incommoda aliquando non afferunt? nata proinde eadem ex causa, unde harmonia universi orbis efficitur. Non satis justè in civili corpore plus perfectionis exigeremus, quàm in naturali contineatur. In ipsa Societate debebant universales leges proponi, & generalia principia, quibus civilia negotia regerentur; quod si nonnullis in c sibus ea aliqua incommoda afferre contingat, toleranda sunt ob præstantiora commoda, quæ præseferunt, potiùs quàm leges ipsæ, atque principia subvertantur.

Apud Romanos non in omnibus eâdem semper curâ simplicitas juris servata fuit. Multa in ipsâ regiminis formâ latebant, ob quæ illa simplicitas

plicitas non parum turbari progressu temporis debebat. Plebs obtentâ potestate ferendarum legum, quibus omnes obstringerentur, leges frequentiores condere cœpit ob privata sui commoda, instigantibus Tribunis. Hinc non solùm in publicam administrationem, sed & in ipsam civilem jurisprudentiam incommoda profluxerunt. Patricii officio respondendi de jure ad se tracto ingentem numerum excogitavere formularum ob actus maximè in judicio expediendos, ut plebs hisce subtilitatibus implicata magis obnoxia patriciis redderetur, quorum indigebat officio, ut se tot ambagibus expediret, & revera constat istas formularum conceptiones oculis plebejorum subductas, uti arcanum quoddam, patricios custodivisse, quas cum summa eorum indignatione *Flavius* scriba (6) evulgavit ann. U. C. 449.

Potestas ferendarum legum, quæ tota in populo olim residebat, plebi deinde communicata, in patricios etiam manavit, qui per disputationes fori sub specie interpretandæ legis antiquæ novas revera leges condebant (7); demum eandem potestatem sibi prætores usurparunt, ut edicendo jus constituerent. Divisa inter tot Legislatione, quibus sæpe aut diversa aut contraria mens erat, non poterant non nasci multæ leges aliquando non necessariæ, aut abrogationes saltem incommodæ. Prætoriam hanc in antiquo jure abrogando licentiam multum Romani juris præstantiæ offecisse viri eruditi fatentur. Multæ latæ ab ipsis leges fuere ad humanitatem compositæ; sed in multis, aut sine caussa recessum est ab antiquo jure, aut non illa simplici, expeditaque via, qua oportebat. Sæpe intercessit auctoritas Tribunorum plebis, ut in officio prætores continerentur, aliquando lata sunt saluberrima edicta ad eos coercendos; Hac arte multis incommodis occursum est; sed multa in jurisprudentia mansere ex ea licentia profecta. Antiqui juris rigorem emendare prætores volebant, sed non audebant id apertè tentare; nam manifestam legum civilium abrogationem nec plebs, nec patricii tulissent, inde fiebat, ut illas inirent vias, ex quibus nasci ambages in jurisprudentia

(6) Rem narrat *Livius* Lib. IX. cap. 34. *Cicero* pro Muræna. Fraudes quæ hac occasione à Pontificibus juris istius custodibus committebantur, describuntur a *Marcellino* Lib. XXVI. cap. 1. & a *Censorino* de die nat. cap. 10. ut jus amissum recuperarent Patricii novas cuderunt formulas notis exaratas, ne ad plebis notitiam ita facilè pervenire possent, sed *Sextus Ælius* anno urbis conditæ 552. eas iterum vulgavit. L. 2. de Orig. Jur. §. 38.

(7) *Cicero*, in oratione pro *Muræna*, Jureconsultos in hoc reprehendit, quod eorum interpretationibus sæpe corrupta jurisprudentia fuerit. Lubet hic *Ciceronis* verba subjicere. „ Nam cùm permulta præclarè „ legibus essent constituta, ea jureconsul„ torum ingenii pleraque corrupta ac de„ pravata sunt. Mulieres omnes propter „ infirmitatem consilii majores in tutorum „ potestate esse voluerunt: hi iuvenerunt „ genera tutorum, quæ potestate mulierum „ continerentur, sacra interire illi nolue„ runt: horum ingenio senes ad coemptio„ nes faciendas interimendorum sacrorum „ causa, reperti sunt, in omni denique „ jure civili æquitatem reliquerunt, verba „ ipsa tenuerunt.

dentia debebant. Quicunque non audet palam & recta via illuc proficisci, quo cupit, necesse est, ut ab ea deflectens latibula quærat, & se anfractibus circumvolvat. Prætor iniquum existimabat emancipatos excludi à paterna hæreditate, eisdem patris bona concessit, atque eos non hæredes, quod civile jus solum poterat, sed appellavit possessores bonorum. Hac ratione, ut leges in specie servarentur, quæ potuissent abrogari, enervabantur principia, quæ servari necesse erat; ut principia intacta viderentur relicta, fictiones inductæ sunt, quibus jurisprudentia obscurior effecta est; quæ inde in Romanis legibus natæ fuerint ambages, satis colligitur ex Jureconsultorum (8) responsis ad prætoriam bonorum possessionem pertinentibus, si debuissent illi jus hoc emendare, quibus apertè id agere licebat, pristino jure succedendi emancipatis restituto, quemadmodum in adoptivis liberis *Justinianus* constituit, immutata fuisset antiqua jurisprudentia quin redderetur obscurior.

Postquam Romanæ reipublicæ administrationem Cæsares occuparunt, de antiqua jurisprudentia simul cum forma regiminis mutanda cogitarunt. Parentum, & Dominorum immensa in filios, & servos auctoritas, non minùs quàm prætoris majestas Monarchico regimini non conveniebant. Aliæ leges odiosæ erant, quia Imperatorum rationibus adversabantur, aliæ quia pristinam libertatem populo revocabant in mentem. *Augustus* ad se traxit jus creandi Jureconsultos, ut istorum opera, quos sibi hac ratione reddebat obnoxios, illæ leges clam everterentur, quas palam abrogare opportunum non ducebat; ut sui voti compos fieret, & sibi Jureconsultos conciliare studuit dignitatibus, ac honoribus eos cumulando, & judicibus præcepit, ne ab istorum responsis in judicando recederent. Abrogationes legum, quæ hac via atque hoc proposito tentabantur, non poterant antiquæ respondere simplicitati: nam, ut plebi tegeretur consilium susceptum de immutanda antiqua reipublicæ forma, quærenda latibula erant in jure novo inducendo, quibus obscurior jurisprudentia reddebatur. Neque abs re *Thomasius* conjicit illud in jure novo condendo *Augusto* consilium fuisse, ut plebem ita litibus implicaret, ne de mutando regimine consilia inire posset.

Sub *Augusto* codicillorum usus probatus fuit ob peregrinationes longas, in quibus non facile testamentum condi, præscripto testium numero deficiente, potuisset. Non quæro, an ad antiquum jus mutandum sufficeret hac causa; maximè cùm incommodis peregrinationum opportuno tem-

(8) Per hoc edictum subtilia multa & obscura in jus Romanum inducta sunt & multa principia subversa; testamentum ruptum per bonorum possessionem valere adhuc ex parte poterat, institutione corruente, quibusdam personis adhuc debebantur legata, cùm placuerit rescisso testamento Patris, pupillares tabulas adhuc valere & legata ex eo præstari, quæ inde ambages non sunt ortæ circa augmentum Legatorum & Falcidiæ detractionem, ut leges quas de hac re habemus inter difficiliores meritò recenseantur.

tempore occurri possit; an deberet hæc juris immutatio in universum fieri, cùm incommoda ipsa, ob quæ nova lex ferebatur, nonnisi quorumdam essent & locorum, & temporum. Illud scio usu codicillorum introducto regulæ illius utilitatem sublatam fuisse, ne quis cum duobus Testamentis decedere posset; Nam cùm quis posset relinquere Testamentum & Codicillos etiam plures, hinc oriebantur frequentes illæ quæstiones, quibus non esset locus, si tota voluntas uno in Testamento contineretur. Ab initio leve videtur vulnus juri antiquo per has constitutiones inflictum, sed semel probato a lege aliquo negotio, eidem mox propria natura tribuitur, discrimina certa, quædam formulæ usu fori adscribuntur, prodeunt jureconsultorum responsa nascentes inde quæstiones dirimentia; hac ratione tituli crescunt in corpore juris, ne dicam, libri, & seges litium in foro. Non persequor alia exempla, quorum non desunt post Imperatorum ætatem, ne limites præfationis egrediar.

Nihil adjicio de Justinianeis novellis: redundant istæ inutilibus verbis, prolixæ sunt ad satietatem; sæpe præfatio & rationes inter se pugnant, aut pugnant cum decisione: sæpe jus antiquum in istis abrogatum cernitur, quod constat non satis *Triboniano* fuisse perspectum: præsumpta quædam voluntas, aut levior ratio humanitatis sæpe ei satis est, ut exceptiones in illis casibus inducat, qui sub antiqua lege commodè comprehendebantur.

Progressu temporis Jureconsultorum responsa, quæ in immensam penè molem excreverant, leges ac rescripta Imperatorum à *Theodosio* maximè usque ad *Justinianum*, quarum sæpe, aut dubia receptio erat, aut abrogatio incerta, summam in foro incertitudinem afferebant. *Justinianus*, ut hanc tolleret, *Triboniano* jussit Jureconsultorum fragmenta, & Imperatorum constitutiones apto ordine digestas in codices separatos conferri. Ex hoc tempore Romanum jus, quod antea adeo ingens erat & indeterminatum, his abrogatis, quæ extra designatos codices reperiebantur, & limites quosdam accepit, & magis certum evasit. Sed si multis incommodis *Justiniani* auctoritate allatum remedium est, ex *Triboniani* nescio incuriâ dicam, an præcipitantiâ, alia incommoda emersere. In his Codicibus concinnandis ordo parum aptus servatus est, sæpe ita trunca & mutila relata sunt Jureconsultorum fragmenta, ut de eorum sensu constare non possit. *Justinianus* novis codicibus confectis, quidquid extra illud erat vi legis privavit ut jus simplicius esset; posteri undequaque fragmenta antiqua avidè collegere, ut per illa lux aliqua adferretur juri Justinianeo nimis obscuro. Ob has vicissitudines jus Romanum, etsi plura antiquæ Majestatis retinuerit, multos tamen contraxisse nævos, multumque recessisse ab ea simplicitate, quam sibi proposuerant primi ejusdem institutores, res explorata est; sufficit titulum de regulis juris examinare, & commentarios Interpretum in eas scriptos, ut de hac re judicare possimus, inde enim constabit quot tenebræ ei rei offusæ fuerint,

riint, in qua major erat perſpicuitas neceſſaria. Hinc eſt, ut tam diverſa ſæpè fiant de jure Romano virorum etiam eruditorum judicia; alii majeſtatem eam contemplantes quæ in pluribus Jureconſultorum fragmentis adhuc conſpicitur, cernentes in illis ſummam principiorum connexionem cum conſequentiis, miris eam laudibus efferunt; alii ad ea vitia reſpicientes, quæ in Romanam juriſprudentiam irrepſere ita ferente temporum conditione, longè aliter ſentiunt.

Quodnam fuerit juris Juſtinianei fatum in Oriente, & Occidente viri eruditi oſtenderunt peculiaribus diſſertationibus: In Oriente ob frequentes conſtitutiones Succeſſorum *Juſtiniani*, & novos confectos codices memoria legum Juſtinianearum non parum obſcurata eſt: In Occidente verò jus Juſtinianeum aut non potuit recipi ob invaſionem Barbarorum, aut ubi receptum eſt, cœpit paulatim obliterari: Romanæ tamen leges, eæque maximè, quæ continebantur in Codice *Theodoſii* migrantes in Codices Barbarorum non deſiere Occidentalibus nationibus utiles eſſe.

Tandem populis è barbarie emergentibus ſcientiæ excoli, rudi licet Minerva cœperunt; pandectis repertis jus Romanum in Scholis explicare Interpretes adgreſſi ſunt; aliæ enim leges Scholaſticis diſputationibus parum erant accommodatæ. Auditores frequenti numero Bononiam accedentes juris civilis diſcendi causâ, principum conſilia & ſubſellia fori occupaverunt, ubi jus Romanum aut introduxere, aut introduci ſuaſere. Legum municipalium defectus maximè in dubiis caſibus decidendis, virorum Eccleſiaſticorum ſtudium in leges Romanas, quarum retinuerant uſum, Imperii Romani nomen in Germania redivivum, ipſum jus canonicum a Pontificibus juris peritis, aut opera Jureconſultorum, ex Romani juris principiis conditum, effecere, ut jus Romanum è ſcholis in forum faciliùs migraret.

Quod ſi Romani juris receptio multum Societati profuit maximè ob præſidia in forum allata ad civilium cauſarum definitionem; non ideo tamen ſuis incommodis caruit. Quando jus Romanum probatum fuit utebantur civitates legibus municipalibus, quæ cùm eſſent conſtitutæ ſine ulla ad leges Romanas ratione, unum corpus cum ipſis formare non poterant: Hinc duæ emerſere Legiſlationis partes, quæ inter ſe ſatis aptè non cohærebant. Sunt in Romana Juriſprudentia univerſalia principia in naturali æquitate fundata, ad quæ municipalibus legibus deficientibus tutò confugere licebat, ſed id nondum ſat erat ad inducendum aptum conſenſum inter utramque legiſlationem, neceſſe fuiſſet, ut ſingulæ partes, hoc eſt leges omnes non expreſſe abrogatæ inter ſe cohærerent, quod fieri non poterat, quia in novi juris conſtitutione Romanum jus non fuerat præ oculis habitum. Ex iis, aliiſque ſupra memoratis cauſis nata eſt in foro ſumma confuſio. Quum Romanas leges Pragmatici non ſatis haberent perſpectas, ad particularem illam æquitatem confugiebant quæ ſolet adeo eſſe incerta. Ut incertam hanc æquitatem determinarent Docto-

Doctorum opiniones in subsidium vocabant. Hinc illa fluxit libido auctoritates Interpretum & Doctorum cumulandi, quorum, qui majorem numerum pro se haberet, causa superior evadebat; quum plures leges reperirentur in Romano jure, quæ cum aliis legibus non satis viderentur convenire, nec tamen de eorum abrogatione constaret, sibi jus sumebant pronunciandi eas esse abrogatas, plaudentes sibi eorum exemplo Jureconsultorum, qui aut temporibus liberæ Reipublicæ ferendæ legis aliquando sibi vindicabant arbitrium, aut sub Cæsaribus, istorum consilio & jussione, responsis suis studebant jus antiquum evertere.

In conspectu tot abusuum multi in forenses clamavere tanquam juris Romani corruptores, de eorum incuria summopere conquerentes; non possumus dissimulare sæpè jus Romanum ab istis pessimè habitum fuisse, sed mala adeo frequentia in sola eorum negligentia non poterant fundamentum habere. In ipsa Legislatione latebat vitium.

Multi ad ea vitia attendentes, quæ paulatim in Romanam jurisprudentiam irrepsere, & ad ambages in foro introductas, judicarunt utilius futurum, si antiquorum populorum more viveretur, apud quos sola auctoritas judicis ratione compendiaria totam dirimit controversiam; sed isti non satis advertunt, nec quid intersit inter agrestes populos, quibus cùm pauca sint satis, etiam paucæ leges sufficiunt; & cultiores nationes, quibus sicut multa vitæ commoda, ita & plures leges sunt necessariæ; nec quid intersit inter tyrannicam dominationem, in qua privata utilitas nihili penditur, nec refert qua ratione lis finiatur, modo finiatur citò, & regimen sapienter institutum, in quo securitas civium in rebus, vita & existimatione præcipuum constituit ejusdem regiminis finem. Alii juris Romani vitia amplificare, alii extenuare studuerunt; sed raró via commonstrata est, qua eadem tolli aut imminui possent.

Pauci rem hanc æstimarunt tam penso consilio quàm *Leibnitius*. Is apprimè perspexit quantum dignitatis ac soliditatis inesset in plerisque Jureconsultorum fragmentis, non enim dubitavit asserere nihil se reperisse, quod tam accederet ad Mathematicam certitudinem, quàm plura eorundem responsa. Circa antinomias juris nostri, in quibus adeo sibi plaudunt Romani juris censores, paulo aliter sensit, quàm soleant multi; præcipuas enim antinomias cum principali solutione quibusdam pagellis posse comprehendi existimavit; (9) sed neque dissimulavit vitia, quæ revera in Romano jure deprehenduntur. Constitit tamen in illis potissimum

(9) Rectè hac in re *Leibnitius* sentiebat; Antinomiæ juris nostri auctæ sunt Interpretum aliquorum libidine, maximè postquàm usus apud Scholasticos invaluit, ut nulla plenè discussa quæstio intelligeretur, si multis objectionibus & solutionibus non esset stipata. Propositiones sæpe a legibus eliciuntur aut nimis universales, aut minùs adæquatæ, deinde opponuntur contrariæ leges, quæ non tam pugnant cum fragmentis juris, quàm cum opinione Interpretis. Multa Antinomiam pariunt cum historia

mum recensendis, quæ profecta erant ex *Triboniani* incuria, istis enim ipse uti privatus Interpres occurrere & poterat, & optabat, nonnulla tantùm ex illis indicavit, quæ ipsi juri intrinseca erant, nec poterant, nisi publica auctoritate emendari. Non satis esse putavit *Leibnitius*, si nævos quosdam Romani juris palam faceret; investigavit præterea qua ratione possent eliminari a Romana Jurisprudentia. Vix annum 22. agebat cùm methodum novam proposuit juxta quam tradi jurisprudentia posset; in exiguæ molis libello adolescens adhuc *Leibnitius* multo majora ac præstantiora complexus est, quàm integris voluminibus circa juris nostri dialecticam præstiterint viri, qui in studio Jurisprudentiæ consenuerant; majora adgressus erat in ratione corporis Juris reconcinnandi, in quo id sibi proposuerat quod nescio an ab alio unquam fuisset eo tempore tentatum, ut nempe jus Romanum ab ea liberaret confusione, in quam inciderat ob *Triboniani* incuriam, eam methodum tradens quæ ad id obtinendum aptissima esset.

Quàm utilia sint præcepta, quæ vir summus proposuit, ut Jurisprudentiam redderet commodiorem in Scholis & in Foro, dignosci clariùs non poterit, quàm exhibita brevi summa, & universali œconomia præcipuorum ejus operum, atque id eo lubentiùs suscipio quod ad ea evolvenda inde magis expedita via reddatur, nec omittam præcipua quædam notare quæ in iisdem operibus animadverti, ita tamen ut non egrediantur limites præfationis. Ac primo quidem videamus quid *Leibnitius* præstiterit in methodo discendæ docendæque Jurisprudentiæ. Omitto præclara illa quæ observat circa rationem studiorum in genere, qua in re & summum acumen ostendit dum scientiarum omnium connexionem paucis exhibet, & judicium eximium dum utiles regulas indicat quibus facilius & tutius earum cognitio comparari possit, me confero ad partem specialem quæ de jurisprudentia agit.

Exemplo Theologiæ jurisprudentia dividitur in Didacticam elementa continentem, Historicam, Exegeticam, interpretationem Legum, & Polemicam controversiarum casus comprehendentem §. 2. & 3. Rectè a Theologia ad Jurisprudentiam petitur divisio, mira enim est istarum disciplinarum consensio, utraque eodem pene modo, ratione, & auctoritate nititur,

historia potiùs, quàm cum legibus, quod tunc contingit cùm *Tribonianus* diversam sententiam Jureconsultis affingit ab ea quam fovebant, id enim *Justinianus* permisit *Triboniano*, spondens se omnia confirmaturum, quæ fuissent in compilatione comprehensa. Demum loca aliqua non tam contraria sunt, quàm obscura, aut quia mores antiqui non satis perspecti sunt, aut quia cùm de re eadem agatur a diversis Jureconsultis, diverso aliquando proposito; aliquando incidenter, inde sæpe fit ut diversa forma res eadem exhiberi videatur, re tamen attentè considerata obscuritas evanescit. Si hæc omnia seponamus, fatebimur rectè existimasse *Leibnitium*, cùm antinomias præcipuas juris nostri nonnullis pagellis comprehendi unà cum solutione posse censuit.

nititur, ſæpe docti viri unius præſidii ad aliam illuſtrandam ſunt uſi: Etiam ipſa Eccleſia ſuos habet Magiſtratus, Eccleſiaſticas nempe perſonas, habet excommunicationem quæ inſtar banni eſt, habet Scripturam ſacram quæ eundem tenet locum, quem leges in Republica §. 4. & 5. Juriſprudentia Didactica elementa continet, elementa autem diſponi debent non methodo alphabetica, ſed accurata & ſolida per quam juvetur memoria: Utilis hac in re eſſe poteſt uſus tabularum, quarum ope uno intuitu tota ſcientiæ Geographia, ut ita loquar, luſtretur, quarum tamen auctores ut plurimum rem coanguſtarunt magis quàm comprehenderunt, ſæpe etiam inutilibus diviſionibus obſcurarunt §. 6. 7. Jureconſulti veteres in artem redigere juriſprudentiam curarunt, ſed ipſorum methodum ex fragmentis quæ ſuperſunt diſcerptis aſſequi non poſſumus. *Tribonianus* in inſtitutionibus tradidit diviſionem in perſonas, res & actiones, in digeſtis meras ſolaſque actiones recenſuit ordine edicti perpetui §. 8. Jureconſulti medii ævi non alium ordinem ſervandum exiſtimarunt quàm Juſtinianeum, idem etiam *Mejerus* ſenſit, etiamſi iſtius ordinis agnoverit vitia. *Leibnitius* in methodo Juſtinianea reprehendit 1°. diviſionem ipſam in perſonas, res & actiones (10). 2°. diverſitatem ordinis inter Codicem, Digeſta & Inſtitutiones. 3°. omiſſionem jurium quorundam §. 10. *Antonius Matthæus* non ſatis rectè exiſtimat dum antiquum ordinem improbat, nec novum aliquem induci debere judicat §. 12. Varii varias inivere vias ut jus in artem redige-

rent,

(10) *Leibnitius* reprehendit diviſionem in perſonas, res & actiones, 1°. quia cùm actiones deſcendant ex jure perſonarum & jure rerum, partitionem a rebus & a perſonis diſtinctam non poterant conſtituere, qua in re rectè mihi videtur ſentire: 2°. Diviſionem improbat inter res & perſonas, quia res & perſona quid facti eſt, poteſtas verò & obligatio juris, partitio autem juriſprudentiæ ex eo ſumi debebat quod juris eſſet, mihi contra videtur hæc diviſio non a facto, ſed a jure petita eſſe. Inter perſonas & perſonas quæ continentur in primo partitionis membro, jura illa & obligationes intercedunt ex quibus naſcitur juriſdictio aut poteſtas juriſdictionis ſimilis, nam Pater, Dominus, Tutor poteſtatem habent in filium, ſervum & pupillum: Hinc ego cenſerem quæ de Magiſtratibus & eorum officio traduntur ad claſſem perſonarum poſſe revocari, quemadmodum faciunt juris Canonici Interpretes, qui ſub titulo perſonarum totam comprehendunt Eccleſiaſticam Hierarchiam: In ſecundo verò partitionis membro, hoc eſt in claſſe rerum, continetur & vinculum illud reale quo res nobis obſtricta eſt, & obligatio qua perſona adſtringitur ad aliquid dandum vel faciendum; ſed obligatio ſimplex, quæ meram tribuit facultatem aliquid extorquendi a debitore, non poteſtatem aliquam juriſdictionis ſimilem concedit: At verò diviſio inter obligationes & jura ſimplicia, & illa quæ talem tribuunt poteſtatem cui ſubjectio reſpondeat, non videtur a facto ſed a jure petita. Quod verò ait *Leibnitius*, filios & ſervos tanquam res Romano jure haberi, id verum eſt quoad aliquos effectus, & fictione quadam, quæ præterea enervata fuit recentiorum Imperatorum conſtitutionibus antiquam poteſtatem imminuentibus. Hoc poſito corruunt nonnulla alia quæ in eodem paragrapho *Leibnitius* objicit.

rent, qui tamen rem assequuti nondum videntur §. 13. Cùm suam methodum *Leibnitius* deducat ex natura jurium & obligationum, in primis explicat naturam justi & injusti, jurium, obligationum, & dominii. Jurisprudentia est scientia actionum quatenus justæ, & injustæ sunt; justum atque injustum est quidquid publicè utile ac damnosum est, publicè, id est primùm mundo seu ejus rectori Deo, deinde generi humano, denique reipublicæ, unde nascitur jurisprudentia divina, humana, civilis. De propria utilitate agere non jurisprudentiæ, sed politicæ proprium est §. 14. Justitia vel injustitia actionis oritur ex qualitate personæ agentis in ordine ad actionem ex actionibus præcedentibus orta, quæ dicitur qualitas moralis: Qualitas realis in ordine ad actionem duplex est, potentia agendi, & necessitas agendi, potentia moralis dicitur jus, necessitas moralis, obligatio §. 15. Jura & obligationes acquiruntur rebus & personis, personam autem intelligimus non solùm naturalem uti homo, sed etiam civilem uti collegium. Jura & obligationes vel diriguntur in corpus nostrum, vel in rem, vel in personam tertii; jus in corpus nostrum dicitur libertas, jus verò in rem facultas, quæ si afficiat materiam appellatur dominium directum, si formam dominium utile, si partes formæ seu qualitates servitus erit vel aliud jus reale: jus demum in personam potestas vocatur. Vinculum illud quo quis adstringitur ne alterius libertatem, facultatem, potestatem impediat, dicitur obligatio, quæ modò positiva est, modò privativa; quodsi hæc obligatio impediatur ab aliquo, inde emerget injuria: Objectum autem juris nostri est quidquid nostra interest.

Novam methodum ordinandæ jurisprudentiæ *Leibnitius* proponit in §. 18, 19, 20, 21. Existimat jurisprudentiam in tot debere dividi partes, quot existunt causæ, quæ jura & obligationes producunt, causas verò jurium & obligationum sequentes recenset: 1°. Naturam, quæ libertatem tribuit & facultatem agendi in res nullius, 2°. Successionem, per quam defuncti jura in hæredes transferuntur, 3°. Possessionem, 4°. Conventionem, 5°. Injuriam. Negari non potest methodum hanc, & adæquatam esse quia omnes juris partes complectitur, & philosophicam quia eruta est ex natura jurium & obligationum, sed fortasse parum commoda videri potest in ordinanda Jurisprudentia (11). Absolutis quæ ad methodum pertinent revertitur *Leibnitius* ad jurisprudentiæ

(11) Jureconsulti non solent in abstracto, & ex professo disputare de libertate hominis, de ejus facultate agendi in res nullius: Hæc principia vel supponunt, vel incidenter attingunt quando de occupatione, de possessione, de injuriis agunt quibus facultas hominis læditur, ac proinde primum membrum partitionis, hoc est natura, prodesse magis poterit Interpreti qui in jureconsultorum responsis latentia præcepta colligere abstrahendo velit, quàm ei qui fragmenta Jureconsultorum integrum sensum

tiæ elementa, jam dixerat hæc constare ex definitionibus, quibus respondet titulus de verborum significatione & præceptis, quo pertinet titulus de regulis juris §. 6. In definitionibus debent declarari termini usitatiores, eorum explicatio & divisio, omissis curiositatibus philologicis, item significatio famosior, & æquivocationes insigniores, non verò illæ quæ obviæ sunt §. 23. Materia præceptorum sunt ea quæ in legibus expresse extant, nec sunt controversa, omissis incertis abrogatis, notoriis, pertinentibus ad historiam & philologiam §. 24. Præcepta alia sunt universalia §. 25, alia intermedia ad certas materias restricta v. g. ad judicia, alia specialissima, quæ ut plurimum in solemnitatibus consistunt, sæpe artem ope unius vel alterius præcepti totus titulus absolvi potest §. 26. Universalis præcepti exemplum hoc esse potest. Nemini invito jus suum auferri potest. Quæ verò tradi solent uti exceptiones allatæ regulæ revera non sunt exceptiones. Ut regula utilis sit, nul-

sensum retinentia in Codice velit ordinare. Progrediamur ad alia partitionis membra. *Leibnitius* conventionis nomine intelligit non solùm specialem, sed etiam generalem, nam & illa jura quæ per legem adquiruntur ad conventionem refert, ob id, quod lex in pacto sociali fundamentum habet: Hoc posito testamentaria successio referri etiam ad conventionem debebit, quia proficiscitur vel ex voluntate hominum res dividentium vel a lege: juxta plurium sententiam idem de possessione dicendum esset, quia a communione rerum discessum est communi quadam voluntate saltem præsumpta: unde natum est jus occupandi immobilium rerum possessionem, inde autem eveniret, ut tota ferè jurisprudentia ad conventionem revocaretur. Rectè *Leibnitius* censet partitionem Jurisprudentiæ a jure sumendam esse non a facto, sed jurium & obligationum diversitas non est solùm existimanda a diversa ipsarum origine, quam a diversis legibus quæ latæ circa eas sunt, & a diversa earum natura; Sæpe autem contingere potest ut jura quæ eandem originem & causam habent multum sint inter se dissimilia ut proinde in diversas classes tribui debeant, aut ut debeant conjungi quæ diversam originem habent, quia alia multa similia & communia habere possunt: Hinc fit ut partitio *Leibnitii* quamquam ex causis jurium & obligationum derivata, parum tamen commoda videri debeat, quia per eam multa dividerentur quæ ob quandam communionem quam inter se habent mutuam sibi lucem afferre possunt, & multa dissimilia conjungeretur. Ita e. g. modi acquirendi dominia rerum deberent conjungi in jurisprudentia tradenda, cùm tamen alii a jure gentium vel a natura ipsa proficiscantur, alii a lege, juxta *Leibnitii* methodum separari deberent: Pleraque jura quæ a lege inducuntur connexionem summam habent cum juribus per possessionem, per successionem quæsitis, a quibus propterea in tradenda Jurisprudentia divelli non debent. Per injurias læduntur jura primitiva quæ homini quæsita sunt a natura, a lege, a possessione, a conventione, unde fit ut quo in loco agitur de juribus primitivis, & de injuriis eadem violantibus sæpe agendum sit, quia mutuam sibi afferunt lucem, præcipuè si agatur civiliter tantum, non criminaliter. In effectibus juris maximum discrimen est inter ea jura quæ in rem sunt & illa quæ sunt in personam, rursus inter illa quæ sunt simplicia & illa quæ potestatem aliquam tribuunt in aliam personam, quæ omnia in methodo Justinianea separata sunt, in methodo vera *Leibnitii* certam sedem non habent, sed permixtim tradenda forent. Hæc omnia probant *Leibnitii* partitionem universalem Jurisprudentiæ pluribus incommodis laborare.

las habere exceptiones debet, nec in jure nostro desunt hujusmodi regulæ, quod enim uti exceptio traditur aut ellipsis est aut pleonasmus alicujus vocabuli. Optandum autem esset ut Brocardica reformarentur, iisdem ad universalitatem revocatis, rejectis cæteris quæ revocari non possunt. Exempla præceptorum subalternorum mox expendentur. In præceptis idem servandus est ordo qui in definitionibus, in definitionibus idem qui in partitione universali, nec recedendum ab hoc ordine est in disponendis titulis ac subtitulis. Cernimus quàm bene ordinata inde emergat methodus in qua ab universalibus ad specialia per gradus semper progressio fit, ex hoc multa debent commoda nasci: Ex generalibus regulis discentur speciales, & ex generis differentia sumetur differentia specierum, hac ratione juvabitur memoria ob naturalem connexionem rerum, & tollentur frequentes repetitiones §. 26, & 10. Optandum etiam foret ut decisis multis casibus controversis Didactica pars augeretur §. 22.

Gradum faciens *Leibnitius* ad Historiam, eam dividit in internam quæ populorum leges, & externam quæ complectitur res ab illis gestas; recenset Scriptores qui nobis servarunt leges diversorum populorum §. 29. Loquuturus de historia externa Romani populi Romanum Imperium dividit in diversas epochas, nempe ab Urbe condita usque ad *Augustum* §. 31. ab *Augusto* usque ad *Constantinum* §. 32. a *Constantino* usque ad *Justinianum* §. 33. a *Justiniano* usque ad captam Contantinopolim §. 34. Historici compilatores legum, earum illustratores juxta diversas epochas in citatis paragraphis accuratè recensentur. Non omisit *Leibnitius* Ecclesiasticam Historiam utpoteque jus Canonicum illustrat. Historia autem Ecclesiastica vel totalis est vel partialis, totalis vel fusa vel compendiosa §. 35. Partialis dividitur in historiam rituum, Martyrum Patrum §. 36. Dogmatum, Conciliorum, Hæreseôn §. 37; atque regiminis Ecclesiastici, quæ ultima in alias minores partes rursus tribuitur §. 38. atque in citatis paragraphis historici memorantur unamquamque partem explanantes. Quoniam verò nec jus feudale historia medii ævi carere potest, nec jus publicum historia recentiorum temporum in paragrapho 39, & 40. proponuntur historici medii ævi qui res omnium ferè Europæ populorum literis consignarunt. Demum historicam partem *Leibnitius* absolvit commendando ut historia Irenica conscribatur à primis schismatis initiis usque ad nostra tempora: suadet evolvi Scriptores qui concordiam moliti sunt ut distinctis controversiis a Dogmatibus animus tolerantior evadat.

Historicam partem emersus exegeticam *Leibnitius* adgreditur, quæ consistit in interpretandis libris authenticis. Duæ sunt species Interpretationis, una ex textu, quæ ex variis textibus colligitur, non tamen eo ordine locatis quo in Codice continentur, alia ad textum, quæ accommodatur

modatur textibus ipsis, quemadmodum in Codicibus Romani juris illigati sunt: ad primam Interpretationis speciem pertinet philologia juris, ad secundam juris commentarii §. 42. Philologia juris nihil aliud est nisi aliarum disciplinarum applicatio ad Jurisprudentiam, quænam sint illæ disciplinæ, quarum usus utilis est in Jurisprudentia expenditur in paragrapho 43. A Grammatica initio facto tria eidem tribuuntur quæ in jurisprudentiæ studiis proficua esse possunt; 1°. Concordantiæ juridicæ, seu verborum Indices in quibus observentur loca legum insigniora, usus vocis singularior, ejus significatio, derivatio, apposita epitheta, opposita, constructio; 2°. Lexica juridica, in quibus præterea explicentur quæcunque in jure occurrunt ad aliquam vocem pertinentia, etsi vox illa non nominetur, & colligantur Homonymiæ ex variis legum locis. Potiùs autem expediret vetera Lexica augeri, quàm nova confici: utile etiam esset si ex libris Interpretum Lexica fierent quorum ope faciliùs assequi eorum sensus posset §. 44, & 45. 3°. Grammaticæ tribuitur Ortographia Legalis atque studium antiquarum notarum §. 46. in quo paragrapho auctores designantur qui de Legali Ortographia & de notis scripserunt. Agens *Leibnitius* de Rhetorica recenset illos qui disseruerunt de Legum Tropis, adagiis, poesi Jureconsultorum, & formulis orationis istorum §. 47. Nonnulla rursus auctor attingit pertinentia ad Didacticam & historiam legalem; In didactica laudat reperta Memnonica per versus vel per picturas quibus memoria juvetur; suadet confici novum corpus juris in quo adjiciantur notæ quædam, ex quibus constet quid in eo necessarium sit, quid utile, quid possit transiri. In historia verò legali multum commendat & *Labitti* laborem in uniendis fragmentis quæ pertinebant ad eundem. Jureconsultum, & Catalogum Legum abrogatarum *Bigonii*, ex quo deprehenditur quænam illæ sint quæ in usu esse desierunt §. 48, 49. Quinam scripserit de Medicina, de Geometria forensi, de Ethicopolitica Jureconsultorum apparet ex paragrapho 50. Ad Legum interpretationem maximè pertinet solutio Antinomiarum; ubicunque autem in corpore juris manet vestigium juris antiqui, ibi Antinomia agnoscenda est; iisdem porrò modis solvi possunt quibus identitas aut diversitas probatur. Postquam *Leibnitius* recensuit quinam explicuerint Antinomias Legum, brevem earum fieri recensionem desiderat adjuncta præcipua solutione §. 52. Juxta *Leibnitii* sententiam interpretatio legum dividitur in simultaneam, unius nempe legis cum alia, & solitariam cujuslibet videlicet legis per se; ad simultaneam Interpretationem pertinet series titulorum & legum, summa legum ipsarum, & paratitla. Series titulorum disci commodè potest ex tabulis *Johannis Ottonis Taboris*. Series Legum in digestis & decreto ad tabulas reduci potest, non in codice & decretalibus, in quibus non rerum ut in primis, sed temporum servatur ordo. Summa Legum alia est universalis,

quæ fit ad omnes ſimul libros Juris §. 54., alia particularis quæ vel eſt ſingulorum librorum juris vel ſingulorum tantùm titulorum §. 55. 56. Ex citatis paragraphis conſtat quinam ſcripſerint ſummas legum ſive univerſales, ſive particulares. Ut verò palam fieret qua ratione titulorum ſumma confici deberet *Leibnitius* contrahit ex libris digeſtorum titulum de Procuratoribus §. 57. ex codice titulum de caducis tollendis §. 58. & novellam tertiam de Monachis §. 59. In paragrapho 60. paratitla definiuntur hoc pacto, ut ſint ſyſtemata legum ad eandem materiam pertinentium ex variis titulis contractarum. Sunt autem paratitla aut univerſalia quæ ex toto corpore juris fiunt aut particularia quæ efformantur ex ſingulis juris codicibus v. gr. digeſtis aut Codice. Quinam paratitla compoſuerint ſive univerſalia ſive particularia diſcitur ex paragrapho ante citato. Videamus nunc quid de interpretatione ſolitaria textus, *Leibnitius* cenſuerit. Primo enumerat illos qui in Inſtitutionibus, Digeſtis & Codice interpretandis magis excelluerunt §. 61. 62. eodemque in loco plurimum laudat *Gothofredi* notas circa quas nonnulla utilia ſuadet atque deſiderat opus aliquod condi in quo leges numeratæ contineantur, hoc eſt notentur ſinguli Scriptores qui legem aliquam vel titulum illuſtrarunt. Interpretatio ſolitaria dividitur in realem & textualem; realis illa eſt per quam eliciuntur certæ propoſitiones a lege adductis, hinc inde probationibus & objectionibus §. 63; textualis ea eſt quæ fit ad legis verba, ac ſubdividitur in totalem quæ agit de partitione legis, de ejus connexione cum aliis legibus, de Auctore, hiſtoria, inſcriptione ejuſdem §. 64. & partialem ad ſingulas legis partes conſiſtentem in textu conſtituendo & conſtituto explicando. Hac occaſione *Leibnitius* loquitur de verſionibus Romanarum legum tum Latinis tum Græcis, ſuadetque ut Germanica aliqua legum iſtarum verſio fiat. Demum interpretatio per linguam quamlibet dividitur in Analyſim & Paraphraſim de quibus agitur in paragraphis 66, 67, 68, 69, ubi & optimæ traduntur interpretationis regulæ, quæ ad proprias claſſes accuratè revocantur.

Supererat ultima juriſprudentiæ pars, hoc eſt Polemica, de qua quid ſentiat *Leibnitius* aperit in ſequentibus paragraphis. Definitio controverſiarum a quibuſdam debet principiis pendere: duo autem ſunt principia decidendi, ratio ex jure naturæ, & ſimilitudo ex jure civili certo: deficiente lege expreſſa confugiendum eſt ad jus naturæ, non ad ſimiles caſus, quia jus naturæ immutabile eſt, ſimilitudo autem caſuum incerta. Tunc Interpreti licet ad caſus ſimiles recurrere, vel quando lex in univerſum hanc ſuam mentem declaravit, quod in jure Saxonico obtinet, vel quando id expreſſit in ſpeciali caſu, quemadmodum contingit in civili jure Romano, quo ſpectato leges de maſculis loquentes ad Fœminas protrahuntur, vel demum quando hanc eſſe Legiſlatoris mentem

mentem ex eo constat, quòd ratio illa quæ ad legem ferendam eundem movit eadem obtineat in aliis casibus, hæc autem legis ratio pendet ab illa politicæ parte quæ dicitur Nomothesis §. 71. & 72. de Nomothesi nonnulla *Leibnitius* notat in paragrapho 76. Quænam fuerint circa juris naturæ principia sententia antiquorum & recentium philosophorum apparet ex paragrapho 71. & 72, eas omnes conciliat *Leibnitius* tres distinguendo juris naturalis gradus, nempe jus strictum, æquitatem, & pietatem §. 73. 74. 75. Hæc juris naturæ principia clariùs habentur exposita in præfatione ad Codicem juris gentium diplomatici. Explicatis decidendi principiis transit *Leibnitius* ad collectiones decisionum. Collectiones aliæ sunt breves, aliæ diffusæ. Collectio brevis ita fieri debet, ut in eam referantur solùm controversiæ dubiæ hodiernæ, rariores, §. 70. Decisiones eodem ordine disponendæ sunt ac elementa, ac probationes non aliundè peti debent quàm ex elementis & legibus §. 78. Narrat *Leibnitius* quomodo collectiones breves factæ sint, quot inutilia in eas fuerint congesta, auctores recenset istarum collectionum, præ cæteris autem commendat *Strauchium*, *Ludwellum*, & *Treutlerum*. Auctores diffusarum collectionum enumerantur in paragrapho 81. In istis autem illud maximè commendandum est quòd Orbem juridicum novis casibus quotidie locupletent, quod non agunt Theorici. Abusus tamen in hac materia frequens est, quod unus alium frequenter exscribat, cùm deceret potius supplementa addi; quòd certissima principia fuse probentur, dubiæ verò & controversæ quæstiones sine probatione relinquantur; quæ omnia vitia evitarentur, si collectores decisionum sibi imitandos proponerent & antiquos Jureconsultos & eximium Codicem *Antonii Fabri* §. 82. Demum *Leibnitius* proponit methodum qua repertoria juris & novæ pandectæ confici possint, qua ratione ingens istud & utilissimum opus perfici possit, quis sit ejus finis, causa efficiens, materia fuse agit a paragrapho 88. usque ad paragraphum 91; tandem a paragrapho 91. usque ad finem Tironem instituit in studio jurisprudentiæ, proponens libros quibus uti debeat, & quo ordine uti. *Leibnitii* consilium in Tirone instituendo uno intuitu deprehenditur ex tabella temporis computationem præseferente in fine operis. In hoc opere ubique *Leibnitius* commonstrat utiles regulas, nova præclaraque consilia pandit: mirum est quantam eum habuisse librorum notitiam ex volumine hoc exiguo deprehendatur; quàm justa & adæquata judicia multorum Scriptorum proferat. Non eum deterruit aut nimia Scholasticorum quorumdam subtilitas, aut incondita multorum Pragmaticorum barbaries, quo minus eorum volumina assiduè perscrutans & indicaret utilia & vitia detegeret: sedulò examinat quid isti præstiterint, quid præstare ulterius potuissent, quid adhuc desideretur ut jurisprudentia majora incrementa accipiat. Inter desiderata repotit

ponit historiam juris Romani in qua recenseatur quid sub quolibet Consule, Prætore, Imperatore fuerit constitutum, institutiones universales in quibus jus omne & antiquum & recens in brevem summam reducatur. Theatrum legale in quo omnium gentium placita & consuetudines contineantur, reformationem tractatus tractatuum, compendium *Mascardi* & *Menochii* de præsumptionibus in quo regulæ ab istis auctoribus traditæ & pauciores & simpliciores reddantur; ut cætera mittam quæ in Catalogo desideratorum in fine operis exhibentur. Opus hoc vix prodiit, summo fuit ubique plausu exceptum: *Voldenbergius* celebris in Academia Altorfii juris antecessor tanti illud faciebat ut auctor fuerit *Zinzerlingio* novæ editioni parandæ, quod tamen ob istius mortem caruit effectu.

Inter plura tamen quæ summam habent in hoc opere utilitatem, & commendanda meritò sunt, non desunt nonnulla de quibus non erit inutile Lectorem monere. In paragrapho tertio hujus operis *Leibnitius* statuit exegeticam non esse partem sed requisitum jurisprudentiæ; at cùm exegesis consistat in dubio legum sensu eruendo quo utendum sit in definiendis controversiis pars potiùs quàm requisitum Jurisprudentiæ. An omnino methodus Justinianea respui debeat, an nova a *Leibnitio* tradita nullum incommodum habeat, vide notam (10). Reprehendit *Leibnitius Vulteium*, quòd obligationem referat ad jura personarum tamquam quid contradistinctum a jure rerum, quia in jure rerum, ut ipse ait, intercedit personæ possidentis obligatio. Mihi videtur in jure rerum nullam esse veram obligationem personæ inhærentem, qui enim rem alienam possidet strictè jure civili ad ejus restitutionem non est obligatus, sed solùm ad id, ut Dominum rem suam vindicantem non impediat, quæ obligatio cùm in omnibus hominibus resideat, tum potissimum in eo, qui sua detentione afferre impedimentum videtur vero Domino, quæ obligatio non impediendi, nec potest dici verè personæ inhærere, (12) sed potius rei occasione personæ extrinsecus accedere, idque ex eo probatur, quòd omni liberetur actione, si rem absque dolo malo desierit possidere, quod alienum est a natura veræ obligationis. In paragrapho 16. *Leibnitius* constituit res esse subjectum jurium & obligationum, id ego admitto, quando constat de lege aut consuetudine hanc exceptionem aliquo in casu inducente; Cæterum generalis regula non potest constitui jura, & obligationes

(12) In actione in rem nullam Romanos agnovisse veram personæ obligationem constat ex ipsa formula vindicationis, in qua consultò omittitur mentio ejus qui possidet rem quæ petitur: formula hæc est: *Hunc hominem ex jure Quiritium meum esse ajo ejusque vindicias mihi dari postulo.*

gationes acquiri rebus ipsis posse: (13) Jus enim est facultas agendi, obligatio agendi necessitas; res autem nec necessitatem, nec facultatem agendi habere possunt. In eodem paragrapho statuitur Deum non esse subjectum alicujus obligationis, (14) ab hac sententia recessit deinde *Leibnitius*, ut constat ex ejus monitis ad *Puffendorfium*, ubi defendit jus naturæ non omnino Deo arbitrarium fuisse, sed debuisse ejus essentiæ respondere, quo posito in Deo quædam obligationes saltem hypotheticæ admittendæ sunt. Dominii explicatio tradita in paragrapho 16. ut videlicet directum sit in rei materiam, utile, seu jus utendi fruendi in formam, cætera jura in partes formæ, videtur potius petita a peripatetica subtilitate, quam a natura & effectibus dominii, (15) nec satis accuratè

(13) Exceptionem habemus in servitutibus rusticorum prædiorum: nam cùm ista aliquando indigerent quadam utilitate, quæ a vicinis prædiis derivanda erat, nec satis esset prospectum per obligationem personalem, quia hæc transitura quidem erat in hæredes, sed non in singulares acquisitores prædiorum, lex permisit jura quædam istis adquiri, ut hac ratione transmitti possent in eorum adquisitores. Jus quidem adquiritur gratiâ dominorum fundi præsentium & futurorum, sed adnexio juris fit ipsi fundo legis civilis auctoritate. Hac in re agnoscendum est jus singulare, quod deficiente lege, vel consuetudine ad alios casus non rectè extenderetur: nec enim quæcunque utilitas acquiri prædiis titulo servitutis potest, sed illa tantùm quam leges probarunt subjectum esse servitutum posse. vid. leg. 1. & 2. de servit. rust. præd. *Leibnitius* nonnulla affert exempla ut jurium acquirendorum res esse capaces ostendat. Asserit si legatum equo relinquatur, eidem adquiri transiturum in ejus emptores: Servum qui Romano jure uti res habetur capacem obligationum esse: Legatum officio rectè relinqui Hæc exempla meo judicio non satis probant res indistinctè natura sua capaces esse jurium & obligationum. Legatum equo relictum statim ad Dominum pertineret, tamquam ejus contemplatione scriptum, nec transiret in emptores equi. Obligatio non adquiritur servo, sed ejus Domino; deinde servus non absolutè & simpliciter uti res habetur, sed quoad aliquos tantùm civiles effectus. Quòd si aliquid legetur officio, valet legatum, quia qui societatem regit officium constituendo, illud capax efficit jurium & obligationum acquirendarum.

(14) Illæ obligationes quæ libera voluntate contrahuntur cadere in Deum non possunt, quia hæc originem & causam habent in mutua hominum indigentia, cui necesse erat ut prospiceretur, nec prospici nisi per pacta non poterat, pacta autem fuissent inutilia nisi peperissent obligationem, ex quo fit, ut cùm Deus summè perfectus sit, & nullius indigens, subjectum esse non possit istarum obligationum. Aliquando in vetere testamento occurrit species quædam conventionum initarum inter Deum & homines, quæ appellantur pacta, quia quæ in Deo inveniuntur similitudinem aliquam habentia cum actibus hominum, humano more exprimi solent; revera tamen ibi nulla a Deo cum hominibus obligatio suscipitur, nec aliud agit Deus, nisi suam declarare voluntatem, quæ deficere non potest, quia id esset contrarium summæ ejus perfectioni. At longè res diversa est in illis obligationibus quæ in Dei ipsius essentia fundamentum habere possunt.

(15) Improprie dominium directum dicitur in materiam. Cùm leges in corporibus nihil aliud considerent nisi utilitatem, quæ ex istis percipi potest, complexus omnium utilitatum civilium & naturalium quæ sperari ex re aliqua possunt rectè appellabitur dominium plenum, divisio verò istarum utilitatum aliquando duas dominii minùs pleni species constituit, e. gr. directum & utile, aliquando dominio apud unum remanente commoda in ea re alterius favore

ratè eodem in loco dominium utile promiscuè accipitur cum jure utendi fruendi, nam hæc duo Romanæ leges separaverunt, imò non agnoverunt usumfructum uti veram dominii speciem. Neque ego probarem jus detinendi, & usucapiendi conditionem esse jus aliquod reale, quemadmodum in citato paragrapho *Leibnitius* existimat; ille enim qui rem usucapit jus habet ne a pacifica ejusdem possessione ab extraneis turbetur, at in rem ipsam jus nullum retinet; actio autem in rem, publiciana dicta, quæ usucapienti datur, quando nondum perfecta usucapione rem fortuito casu amisit, cùm subsidiaria sit, & prætorio privilegio inducta, probat potiùs usucapiendi conditionem non esse jus aliquod reale; Facultas verò detinendi, non nascitur ex jure aliquo in rem, sed ex obligatione personali, qua ille qui cum alio contrahit se eidem obligat ut patiatur rem apud eum manere per aliquod tempus, quemadmodum in locatione contingit. In paragrapho 18. *Leibnitius* asserit naturam causam esse libertatis, ergo non poterat deinde in eodem paragrapho causam libertatis ejusdem constituere possessionem, eo magis quod possessio concomitatur potius libertatem quàm sit ejusdem causa: in fine ejusdem paragraphi opinatur quasi contractus inter realia jura connumerandos esse, quod vix admitto, nam si expressa voluntas in contractibus personalem producit obligationem, idem præsumpta efficiet in quasi contractibus. In paragrapho 20. validitatem testamentorum ex eo repetit *Leibnitius*, quòd anima sit immortalis, & descendentes ideo succedere existimat ab intestato, quia eorum anima orta est per traducem ab anima parentis: longè autem diversa ratione (16) explicanda est origo successionis testamentariæ & intestatæ

vore constituta abeunt in aliam peculiarem juris speciem, e. gr. servitutem, pignus &c. Hæc omnia etsi negari non possit in ipsa natura magnum habere fundamentum, determinationem tamen a lege civili accipiunt: Leges autem videntur directè dominii nomine illud intellexisse, quod continet jura magis permanentia, quæ etsi præsenti tempore modicam & pœne nullam afferant utilitatem, tractu tamen temporis reliqua jura trahere ad se possunt.

(16) Testamentaria successio originem & causam habet in ipso jure gentium, videtur enim ea fuisse voluntas hominum communes res dividentium ut Domino omnis utilitas concederetur ex re ipsa, vel occasione rei proficiscens, quæ & ipsi Domino prodesset, & aliis non noceret, jus verò de re sua disponendi, nec aliis nocet, qui idem jus habituri sunt in re propria, & utile Domino est, qui hac ratione & filios in officio continet, & de amicis benemeretur: nec illud objici potest per testamentum dominium transferri post Domini mortem, eo videlicet tempore, quo ille qui dominium transfert illud amplius non retinet, quod videtur contradictionem involvere: nam primò reapse dominium transferri potest ultimo vitæ momento, cujus incertitudo jure civili Romanorum spectato obstabat ne tunc temporis deferretur successio, at nullum hujusmodi afferre impedimentum videtur, si jus gentium solum spectetur: secundò disponere de rebus nostris dum vivi sumus, ut dispositio post mortem vires incipiat habere, contrarium etiam erat regulis juris Romani, quamobrem necesse fuit fictionem induci ut primum momentum mortis vitæ tribueretur, sed a principiis juris gentium neque illud videtur alienum, non enim alicui legi fraudem facit, qui disponit de re sua eo tempore

intestatæ. Quod in paragrapho 25. *Leibnitius* ait frustraneas esse regulas exceptiones habentes, admitti non potest, nisi hæ sint nimis frequentes aut tales unde regula ipsa incerta reddatur, secus de regulis juris nostri actum esset quarum multæ hac formula concipiuntur *plerumque* (17). In paragrapho 26. regula hæc a *Leibnitio* proponitur. *Ille non est in jus vocandus cui reverentia debetur*, quæ tamen non adeo latè patere potest, vera est hæc regula in Patrono, & Parente, in quibus præter reverentiæ ratio-

pore quo Dominus est, ut dispositio effectum habeat illo tempore quo Dominium ab eo abscedet. Demum etsi ratio illa afferre aliquod impedimentum potuisset testamentariæ successioni, tamen censendum est communem dividentium voluntatem insuper habuisse illud impedimentum, quod non habebat fundamentum in hominum utilitate, quinimo eidem utilitati contrarium erat. In hac re illud observandum est, quædam jura fuisse a dominio proficiscentia adeo hominibus necessaria, ut illis uti statim debuerint dominio acquisito, alia verò non statim ab hominibus exercita fuisse, quia eorum utilitatem non illico sensere; probabile est in hanc secundam classem referri debere testamenti factionem. Ab initio rudes & agrestes homines vitam venando transigentes, cùm vix pauca magis necessaria possiderent, verosimile est passos fuisse ea post mortem a filiis occupari, at deinde auctis unà cum vitæ commodis eorum etiam juribus, ad tollendas controversias quæ nasci inter filios potuissent facile est ut bona primum dividere inter filios cœperint, deinde rem eo protractam, ut non solùm inæquales inter eos divisiones fierent, sed & bona extraneis ipsis relinquerentur, qua ratione necessitatibus prodeuntibus homines jura illa exercuere, quæ in vi potestateque dominii adquisiti jam comprehendebantur. Successionis ab intestato originem & causam ita existimo posse explicari. Pater filium generando verè & propriè se obligat ad ejus conservationem, ac proinde etiam ad alimenta eidem in testamento relinquenda, ubi alimentis indigeat, ut verò reliqua bona filiis concedat, tenetur solùm obligatione minùs perfecta, quam *Grotius* aptitudinem vocat, *Leibnitius* æquitatem. Hæc obligatio minùs perfecta ex eo nascitur quòd pater præcipua quadam ratione obstringitur ad filii perfectionem augendam, cessare autem vel in totum vel pro parte potest, ubi elidatur a causa graviore. Si pater relictis filio alimentis reliqua conferat in extraneum, frustra conquereretur filius, nam obligatio minùs perfecta nec extra societatem jus belli tribuit, nec in societate actionem; at obligatio illa quæ ad evertendum judicium Patris eidem contrarium non sufficiebat, Patre suam voluntatem non manifestante, executionem habere debebat, maximè cùm hæc obligatio Patris in filium magis certa & determinata sit, quàm soleant esse cæteræ imperfectæ obligationes, & ipsius universalis hominum societatis videbatur interesse hanc obligationem confirmari, ad tollendas controversias, quæ natæ fuissent, si post domini mortem bona in commune rediissent. In agnatis multæ ex istis rationibus cessabant, nec solum sanguinis vinculum generationis facto non confirmatum sufficere videbatur ad obligationem producendam: tamen exemplo descendentium jus idem deinde ad cognatos extensum est, suffragante maximè præsumpta quadam ipsius defuncti voluntate.

(17) Non omnino rejiciendæ regulæ sunt quæ nonnullas exceptiones habeant; nam primo aliquæ exceptiones deducuntur ex natura & ratione regulæ ipsius, quæ proinde eandem incertam non reddunt, aliquando exceptiones tales sunt ut ad eas admittendas aut lex specialis sit necessaria, aut expressa contrahentium voluntas, quæ cùm in facto consistant, nec præsumantur nisi probentur, per regulam semper tranquillatur Interpretis animus qui scit eidem se posse tuto adhærere, donec factum illud non adferatur in medium à quo exceptio pendet.

rationem lex expressa concurrit, falsa in aliis personis in quibus lex expressa deficit: quemadmodum enim lex fuit necessaria ut privilegium hoc induceretur in Patrono & Parente, ita & necessaria est ut extendatur ad alias personas. De superioribus, Tritavo dubitatum fuit an eodem gauderent privilegio; in eo posita erat dubitandi ratio, quòd lex de parente & Patrono erat concepta, Tritavo autem superiores majores potiùs, quàm parentes dicebantur, nec illos in privilegio comprehendi existimatum est nisi quia possunt etiam appellari parentes l. 4. §. 1. de in jus vocando, adeò verum est solam reverentiæ causam sine lege expressa huic privilegio largiendo non fuisse visam sufficientem. Regula in eodem paragrapho proposita pertinens ad quæstiones habendas in criminali causa resolvitur in has duas propositiones. Prima hæc est. In criminali causa torqueri illi non possunt, contra quos non ea urgent argumenta, quæ si causa esset civilis condemnationi locum facerent. Hæc regula juri Romano non est conformis, nam in lege ultima Dig. de quæstionibus, & in l. 8. codice eodem, probabilia tantùm ac verosimilia requiruntur argumenta ut quæstio haberi possit, quænam autem sint hæc argumenta probabilia Judicis arbitrio relinquendum est, quia non reperimus id à lege fuisse definitum; non ergo potest regulâ statui, conjecturas has graves adeo esse debere, ut in causa civili locum facere condemnationi possent, tantò magis quod indicia criminum ut plurimum diversæ soleant esse naturæ à probationibus, quibus plerumque in civilibus judiciis utendum est. Secunda propositio quæ eruitur ex regula a *Leibnitio* tradita hæc est. Ille contra quem talia urgent argumenta quæ locum facerent condemnationi si causa esset civilis, si causa sit criminalis, condemnari nondùm potest, nisi prius torqueatur; regula hæc recepta quidem est usu multarum regionum, juri tamen Romano non est conformis; tortura enim remedium est extraordinarium cui locus non fit nisi cùm desint claræ probationes, frustra autem in l. 16. codice de pœnis, aut quæstio aut probationes requirerentur si utræque semper essent necessariæ. *Leibnitius* in paragrapho 55. tradit *Lancelloti* institutiones publica auctoritate post mortem auctoris donatas fuisse, quod falsum est, accessere quidem corpori canonico, non tamen eis vis legum tributa est. In paragrapho 71. *Leibnitius* nimis videtur coarctare fines argumentationis illius quæ dicitur petita a similitudine casuum; existimat siquidem potius confugiendum esse ad jus naturæ quàm ad similes casus; similes casus attendi tunc solum debere, quando aut lex id expressit, aut eadem subest ratio legis, rationem verò legis collocat in ea causa quæ ad eam ferendam Legislatorem movit. Ego in hac re ita sentio, quòd si agatur de lege lata contra jus commune nullam esse extensionem admittendam nequidem si eadem vigeret ratio, nam cessante lege expressa se offert jus commune cui cùm non constet derogatum, nulla ratio afferri potest cur servari non debeat: quando verò non agatur de lege contra jus commune in qua nihil in-

ductum

ductum extraordinarii appareat, non video cur extensio admitti non debeat, ubi similis casus sit, etiamsi non constet de ea causa quæ Legislatorem movit ad legem ferendam; neque enim ratio alia tutior inveniri potest decidendi controversias quàm si regula illa utamur quâ usos & Legislatores & Jureconsultos constat: hoc autem in casu nec utimur solùm similitudine casuum nec jure naturali dumtaxat, sed utriusque fit consociatio: naturalis ratio nobis indicat an Legislator ferendo legem nihil aliud egerit quàm jus naturale nimis vagum determinare, illud applicando usibus societatis eodem modo quo fieri expediebat, an ea in lege recessum sit a jure communi & ab ordinariis regulis; prima autem in specie in controversia decidenda attendetur similitudo casus, in altera verò jus naturale. In paragrapho 75. *Leibnitius* postquàm distinxit jus naturæ in tres gradus, nempe jus strictum, ex quo in societate actio, extra societatem jus belli nascitur; æquitatem, ex qua proficiscitur obligatio minùs perfecta omni actione aut belli jure destituta sive in societate, sive extra societatem; & pietatem, quæ nihil aliud est nisi Dei voluntas æquitatem, & strictum jus confirmans, postquàm, inquam, tres hos gradus distinxit, obligationem abstinendi a bello quando lædens per arbitros offert damni restitutionem æquitati solùm adscribit, mihi contrà videtur hæc obligatio ad strictum jus pertinere; bellum enim utpote societatem destruens effici justum non potest nisi agatur de rei aut personæ nostræ conservatione, statim ac autem incolumitas personæ in tuto est ac præstatio ejus quod interest ob damnum allatum offertur, ita jus belli cessare videtur ob cessantem causam, ut qui illud movet non solùm contra æquitatem, sed & contra jus strictum agat; quid enim interest an nulla ab initio belli causa fuerit, an quæ aderat deinde cessaverit: damnum quod societati affertur illato bello tantum est, ut obligatio quæ nascitur ad illud declinandum nunquam videri imperfecta possit. Hæc pauca monenda censui quæ dum *Leibnitii* methodum percurrerem, menti se objecerunt, non quasi in virum summum agere censorem vellem, sed ut ex eo quod reverâ sentirem nihil dissimularem lectori. Cæterùm nemo non videt, illa quæ notavi quàm sint exigua respectu ad totalia quæ occurrunt in Leibnitiana methodo summopere utilia; etenim pertinent potiùs ad nonnulla incidentia operis, potius quàm ad ejusdem systema & præclara illa monita, quibus juris studium reddere commodius curavit.

Vix methodus *Leibnitii* de disponenda jurisprudentia in lucem prodierat cùm corporis juris reconcinnandi rationem Moguntiæ evulgavit. Expensis vitiis omnibus quæ Tribonianeo operi objiciuntur in eo sibi censuit consistendum ut illud ab omni confusione liberaret. Confusionem *Leibnitius* triplicem observat, operum, materiarum & legum. Operum confusio in eo consistit, quòd jus Romanum in diversis Codicibus comprehendatur, quòd ordo unius Codicis diversus sit ab ordine Codicis alterius: huic incommodo obviam eundum est sublata operum varietate; quæ in Co-

 dice,

dice, novellis, institutionibus, digestis continentur in uno opere concludenda sunt; in referendis legibus ad easdem materias spectantibus, diversæ mutationes juris accuratè separandæ sunt, temporis ordine servato; potiùs autem quæ in institutionibus continentur accommodanda sunt ordini digestorum quàm vice versa §. 36. *Leibnitius* gradum faciens ad confusionem quæ occurrit in materia, hanc dividit in generalem, subalternam, & specialem. Generalis materia illa est in quam totum jus dividitur. Tribonianei ordinis perturbatio clarè conspicitur ex duobus schematibus calci dissertationis adjectis, nova autem divisio a *Leibnitio* proposita ad novem sequentes partes revocatur. Prima est generalia juris & actionum; secunda personæ; tertia judicia; quarta jura realia; quinta contractus; sexta successiones; septima crimina; octava jus publicum; nona jus sacrum. Fatendum est divisionem hanc longè altera commodiorem esse quam in methodo discendæ jurisprudentiæ proposuit. Materiæ subalternæ sunt quæ mediæ existunt inter generales & speciales, v. gr. in materia personarum generali subalternæ sunt materiæ potestatis patriæ, servorum, libertorum. Materiæ speciales sunt tituli qui in specialiores non diducuntur, quibus æquiparantur paragraphi Institutionum & capitula novellarum, quia sæpe uni paragrapho institutionum respondet integer titulus digestorum. In materia subalterna & speciali retinendus plerumque est ordo *Triboniani*, non mutata nec conceptione titulorum nec eorum serie. Confusio legum consistit partim in dispersione, partim in perturbatione, dispersæ leges sunt quæ non continentur in propriis titulis, perturbatio nascitur, quando sunt quidem in proprio titulo, sed non collocatæ ordine naturali. Methodus disponendi leges in eodem titulo exhibetur in paragrapho 68, & 70. Regulæ quæ à *Leibnitio* traduntur in hoc opere aptæ sunt ad omnem tollendam confusionem. Existimat omnes libros Romani juris in unam consonantiam debere jungi sublato discrimine inter Digesta, Codicem, Novellas & Institutiones; incipiendum a generalioribus, deinde progrediendum ad subalterna & specialia; retinendum ordinem juris antiqui ubi retineri potest; leges vel paragraphos ad eundem titulum spectantes in unum colligendos esse, eosdem disponendo secundùm ordinem naturalem circumstantiarum; legem quæ posset referri ad plures titulos ponendam esse sub eo à quo pendet ratio decisionis ejusdem legis, ipsa adhuc citata in aliis titulis per verba initialia. Demùm *Leibnitius* promittit probas securitatis ex qua constaret nullam legem vel paragraphum in corpore juris reconcinnando omissum fuisse. Antequàm verò integræ leges excuderentur præmittenda erat repræsentatio ipsius corporis juris reconcinnati quæ in eo differre ab ipso corpore debebat, quod in corpore integræ leges in repræsentatione earum tantùm summa comprehendenda erat. Præter legum summa in ipsa repræsentatione *Leibnitius* promittit summarium cujusque tituli, in quo materia ejusdem tituli revocaretur ad pauca & universalia principia, præcipuæ determi-

terminationes juris positivi traderentur, & exhiberetur scopus tituli ipsius, ejus connexio cum aliis titulis, & continuatio ejusdem qualis in ordine vulgari *Triboniani* habetur; neque in ipso tituli summario *Leibnitius* omittendas censebat definitiones & solutiones præcipuarum antinomiarum. Plura non persequor quia exiguum hoc opus jam contractissimum est & uno ictu oculi statim systema *Leibnitii* patet.

Non defuerunt qui parum probarunt methodum a *Leibnitio* propositam. Anno 1669. ut colligo ex *Leibnitii* vita (18) contra eandem methodum dissertatio prodiit (19). Illud primum auctor dissertationis reprehendit, quòd methodus pandectarum præferatur methodo institutionum. Non possum inficiari ordinem universalem institutionum commodiorem esse ordine pandectarum; in digestis servatur ordo actionum, in institutionibus divisio traditur in personas, res & actiones, docendæ jurisprudentiæ magis accommodata: mihi tamen videtur non jure hac in re *Leibnitium* reprehendi, ipse enim quidquid utile in institutionibus erat retinuit in sua partitione, etenim sequentes partitiones in institutionibus etiam continentur, nempe personæ, jura realia, contractus, successiones, actiones, delicta, reliquas partitiones quæ deerant in institutionibus, supplevit ex digestis: In eo institutiones præferendæ pandectis sunt, quod in illis de eodem partitionis membro eodem in loco agitur, in digestis verò diversis in locis, prout actionum diversitas expostulare videbatur; hac autem in re *Leibnitius* profitetur se recessisse ab ordine digestorum, statuens de eadem materie agere eodem in loco se velle: quo ad ordinem verò materiarum subalternarum & specialium, judicavit adhærendum esse potiùs pandectis quàm institutionibus; non quòd existimaret illum meliorem quem *Tribonianus* sequutus in pandectis est, de hoc enim judicium suum aperuit, sed quia magnum accommodari parvo non potest sine magna sui divulsione, quod vitandum erat, quia cùm non ageretur de abrogando antiquo Codice, ejus methodus retineri debebat, quanto magis fieri poterat. In eo auctor laudatæ dissertationis magis rectè *Leibnitium* corrigit, quod tractatio juris publici præcedere debeat jus privatum, quod ego probo, non tam ob majorem publici juris præstantiam, sed quia tituli de justitia & jure, de legibus earumque interpretatione, de Magistratibus, summam lucem afferre possunt in discendis cæteris jurisprudentiæ partibus. Duo alia quæ *Leibnitio* objiciuntur, omnes nempe Europæ populos non uti iisdem legibus, ac proinde inutile esse reconcinnare corpus juris universale earum gratiâ; deinde *Leibnitium* in 22. ætatis suæ anno constitutum non potuisse compertas habere leges & mores omnium populorum ut indè posset judicare quid in corpore juris admittendum,

(18) *Vie de M. Leibniz par Mr. le Chevalier de Jaucourt*, qui est à la tête du 1er. volume.

(19) *Ratio corporis juris reconcinnandi ad obrussam exacta, auctore Veridico a Justiniano anno 1669. in 12.*

tendum; quid excludendum esset : quod ultimum urget laudatus auctor vitæ Leibnitianæ, hæc inquam duo statim corruunt intellecto *Leibnitii* proposito. Consilium ipsius non aliud erat nisi jus Romanum à confusione liberare ; utile ergo hoc opus omnibus illis fuisset, apud quos Romanum jus erat in usu ; neque sibi proposuerat *Leibnitius* leges abrogatas usu populorum excludere a Codice suo reconcinnando, quemadmodum profitetur in paragrapho 9 ; Nec ergo necessarium erat ut perficeret quod adgressus erat perspectas habere leges omnium populorum.

Extractum ex Epistola *Leibnitii* ad Amicum de nævis & emendatione Jurisprudentiæ Romanæ haberi potest tanquam appendix operis antecedentis : nullibi fusius exponit Romanæ Jurisprudentiæ vitia quàm hoc in loco, sollerter detegit ubinam consistant abusus præcipui qui circa causarum processum contingere solent, eximium proponit consilium revocandi ad unam tabulam regulas omnes universales ex quarum combinatione decidi omnes quæstiones possint. Demum breviter rursus perstrinxit rationem supra expositam corporis juris reconcinnandi. In hac epistola ita *Leibnitius* loquitur de hoc suo proposito reconcinnandi corporis juris, ut ea quæ ad ejus repræsentationem pertinent jam ferè absoluta fuisse videantur, quæ tamen deinde lucem non aspexerunt. Nescio an hæc scripta inter opera ejus inedita reperta Hannoveræ fuerint, quo casu sperari posset ea fore locum habitura in nova editione quæ fit *Leibnitii* operum antea nondum editorum.

Ad reformationem jurisprudentiæ referri etiam possunt, quæ *Leibnitius Blumio* indicavit circa rationem conscribendi historiam Juris Canonici ; optimè autem advertit, quantò utilius esset historiam legum habere in Canonico jure quàm in Civili, quia nunc quoque stant illæ respublicæ quæ erant tunc, cùm intererat Pontificum hâc vel illâ ratione rescripta condi. Huc autem exit *Leibnitii* consilium duas esse debere partes historiæ Canonici juris : Isagogicam nempe, quæ exponat qua occasione quæque volumina juris edita sint ; & Intimam, in qua disquiratur qua occasione singula fuerint constituta.

Consultus etiam *Leibnitius* ab *Henrico Ernesto Kestnero* de Germanicæ Jurisprudentiæ reformatione, eidem mentem suam aperit in brevi Epistola ad eum scripta, in qua post enumerata gravia incommoda quibus Germanica Jurisprudentia laborat, ea remedia proponit quæ in aliis operibus jam indicaverat. In hac autem epistola notari meretur elegans definitio judiciarii processus hoc pacto tradita, ut sit quædam Logicæ Artis accommodatio ad causas mixta cum cogendi potestate.

Non in eo solum *Leibnitius* constitit ut Romanæ Jurisprudentiæ studia perficeret, ad aliorum etiam populorum instituta convertit animum, atque in illustrando jure Gentium non mediocrem operam posuit. Industriæ illius quam collocavit in hoc studio, præclarum reliquit specimen in codice quem edidit juris Gentium diplomatici, ubi actorum tabulas maximi

maximi momenti, & antea plerumque ignotas publici juris fecit. Quoniam verò non desunt frequentia operis istius exemplaria, nec quidquam proprii in eo *Leibnitius* habet præter præfationes præfixas duobus ejusdem Codicis partibus, istas tantum inseri in Collectionem Operum *Leibnitii* visum est opportunum. Tot autem præclara ad jus naturæ & gentium spectantia in istis continentur, ut *Heineccius* (20) post *Grotii*, *Puffendorfii*, *Hobbii* opera celeberrima has consuli a scientiæ istius cultoribus suadeat. Probat ab initio *Leibnitius* quàm sit incerta historia futura si non superstruatur publicis documentis, quàm utile sit præ oculis habere conventiones, fœdera, pacis instrumenta, ex quibus apparere solet quinam fuerit bellorum eventus & nova sæpe rerum facies emergit, ad eam deinde descendens utilitatem quam disciplinæ plures capere possunt ex documentis in propriam collectionem relatis demonstrat exemplis adductis, quomodo per ea illustrentur politicæ artes §. 5. Geographia §. 7. Heraldica §. 8. Genealogiæ §. 9. Glossaria Mixo-Barbari sermonis. Nonnulla attingit *Leibnitius* de Imperatoris potestate in Ecclesiam & Christianos omnes, de auctoritate Summi Pontificis in omnes Ecclesias, cujus decretis plura olim inducta inter Christianos fuere ad jus Gentium pertinentia; quæ omnia eorum diplomatum præsidio confirmat quæ intulit in propriam collectionem; ostendit præterea quomodo ex iisdem diplomatibus manifesta fiant antiqua Imperii jura in plures provincias §. 16, & qua ratione per ea clariori in luce collocetur celeberrima quæstio de origine Electorum, cujus prima lineamenta petenda existimat a *Friderici primi* temporibus, formam verò a temporibus *Friderici secundi.* Illud in operibus *Leibnitii* contingit peculiare, ut sæpe sub paucis verbis ingeniosa systemata & profundæ lateant meditationes, quæ latiùs explicatæ scientiarum progressus multum possunt prodesse. Idque in hac præfatione deprehendimus, siquidem in paragrapho 11, 12, 13, & 14. ingeniosè ac solidè ex pœnu suo systema universum juris naturæ & gentium explicat, quod jam proposuerat in Methodo discendæ docendæque jurisprudentiæ, de quo nihil ultra dicam, quia egregiè in epitomen contractum habetur in fine vitæ Leibnitianæ conscriptæ a Clarissimo *Brucker*: In ipso præfationis initio referens *Hobbii* systema, qui sentit ante Societatem constitutam hominem in statu belli esse, uno verbo velut aliud agens præcipua ejus argumenta solvit, asserens id verum esse si referatur ad prudentiam cavendi, non ad jus nocendi: In paragrapho 2. aptè eleganterque distinguit inter historiam publicam & arcanam, expendens utriusque leges; nec minus concinna est ejus distinctio inter causas justificas, quæ justum aliquid ostendunt, & suasorias quæ suadent aliquid fieri, quas secundas subdividit in causas utilitatis, & affectus. Quæ

(20) Heineccius *in prolegomenis ad prælectiones academicas in* Sam. Puffendorfium.

ſecundæ Codicis parti præmiſſa præfatio eſt non continet notiones tanti momenti, quamquam & ipſa magnam præſeferat utilitatem. Ab initio *Leibnitius* eos omnes laudat à quibus acta publica accepit inſerenda in ſuam collectionem; tum nonnulla ſolvit quæ fuerant objecta contra primam præfationem; demum aliqua animadvertit circa quædam acta quæ in ſecundâ operis parte inſeruit.

Nationes omnes præter jus illud gentium, quod commune omnibus eſt, habent præterea jus quoddam publicum proprium uniuſcujuſque: hoc autem conſiſtit in collectione illarum legum quæ publicum ipſarum ſtatum reſpiciunt. Simplex ſolet eſſe hoc jus publicum, ubi ſimplex eſt regiminis forma, in Germania verò debebat eo magis eſſe perplexum & ingens, quod compoſita ſit & irregularis forma Germanici Imperii conſtans ex pluribus principibus, liberis Civitatibus diſpari nexu cum Imperio unitis, qui omnes diverſas repræſentant perſonas, & in Comitiis ubi ferunt ſuffragia, & in Provinciis ubi Suprematum exercent. Satis non fuit *Leibnitio* lucem attuliſſe & juri Romano & juri Gentium univerſali, jus etiam publicum Germanicum adgreſſus eſt illuſtrare in libro cui titulus *Cæſarini Furſteneri de jure Suprematûs ac Legationis Principum Germaniæ*, de quo breviter nonnulla delibabimus.

Quæſtio orta erat in Noviomagenſi conventu, an principibus Germaniæ poteſtas foret concedenda mittendi Legatos cum jure repræſentationis, Gallis intercedentibus huic prærogativæ principum Germanorum. *Leibnitius* principum cauſam ſuſcipit in libro ſupra memorato. Initio exponit, & ſtatum quæſtionis, & ejuſdem cauſam, deinde Legatos diſtinguit inter illos qui primi ordinis ſunt vulgo *Ambaſſadeurs* quibus conceditur jus repræſentandi Dominum ſuum, & inter illos ſecundi ordinis ablegatos dictos, qui deſtituti jure repræſentationis Legati retinent dignitatem. Nomen *Plenipotentiarii* juxta *Leibnitii* ſententiam non dignitatis amplioris, ſed majoris poteſtatis indicium eſt. Agentes qui carent & jure repræſentandi, & dignitate Legati, quia literas credentiales nullas habent, inter Miniſtros publicos non referuntur, etiamſi res proprii Principis gerendi facultatem habeant. Inviolabilitas Legatorum & eorum familiarium repetenda eſt à jure Gentium, inde autem *Leibnitius* occaſionem arripit ut factum Reginæ *Chriſtinæ* excuſet, quæ in Galliæ Regno Comitem *Monaldeſchium* familiarem ſuum obtruncari juſſit, perinde acſi, cùm Legati jus retineant puniendi proprios familiares, eadem facultas non foret deneganda Reginæ, quæ Regno depoſito per alienas regiones peregrinabatur. (21) In capite 7. & 8. *Leibnitius* oſtendit in quo conſiſtat jus repræſentationis, intra quos limites debeat coerceri,

(21) Legati non poſſunt eo in loco ubi morantur extremo ſupplicio afficere famì iarem in ipſos aut ipſorum dominos deliquentem, pœnæ enim, maximè capitales, ſumi non poſſunt, niſi publicè, & publica præcedente cauſæ cognitione, quod in alie-

na

ceri, ac rectè judicat nunquam eo porrigi posse, ut principibus illis officiat in quorum territorio Legati degunt. Germaniæ Principes jus habere mittendi Legatos cum jure repræsentationis ex eo primo probatur quod Suprematum habeant, jus verò mittendi Legatos ipsi Suprematui cohæreat. *Leibnitius* à simplicioribus incipiens in primis definit quid sit Civitas, ditio, territorium, ut sibi viam sternat ad naturam Suprematus explicandam. Civitas est cœtus hominum satis magnus ad spem defensionis mutuæ contra vim magnam, qualis metui solet animo cohabitandi, certa quadam rerum communium administratione intus constituta. Ditio est quidam terræ habitatæ tractus communi utens administratione; major ditio Regio vocatur, quæ si alterius ditionis majoris pars sit Provincia dicitur. Territorium significat universitatem jurium, quæ in portionem terræ habitatæ competere potest. Superioritas Territorii consistit in summo subditos coercendi jure, seu in potestate coercendi ditionem armata manu, quin aliquid referat quod jura cætera desint, quæ, si nihil expressum sit, continentur in ipsa Territorii superioritate, & accessorium sunt amplioris ipsius potestatis consistentis in coercenda ditione armata manu, at expressa voluntate transferri in alium possunt, salva remanente substantia territorialis superioritatis (22). Suprematus nihil aliud est nisi territorii superioritas ita extensa per ampliores

no territorio exequi non potest, ubi legatus publicam quidem repræsentat personam si dignitatem spectemus, privatam verò si consideremus jurisdictionem, potius verò ad proprium dominum remittere familiarem Legatus deberet; non ergo Legatorum exemplum aliquid prodest ad excusandum factum Reginæ *Christinæ*. Adde familiares, Legatorum inviolabiles censeri, quia cùm istorum opera aliquando utendum sit in illis quæ ad legationem spectant, res non caruisset suspicione si obnoxii fuissent potestati Societatis illius in qua morantur, hæc autem ratio cessat in familiaribus illius qui Regno abdicato per alienas regiones peregrinatur, sanctitas enim personæ quæ sola immunem eum efficit qui aliquando supremam potestatem exercuit, quid personale est, quod familiaribus non communicatur.

(22) Jus coercendi ditionem armata manu non videtur sufficere ad constituendam territorii superioritatem. Jura omnia quæ in aliquod territorium exerceri possunt ob populorum felicitatem dividenda sunt in jus ferendi Leges, & jus exequendi quod rursus duplex est. Vel enim pertinet ad ea quæ juris Gentium sunt, uti jura belli, pacis, legationum, & alia similia; vel ad ea quæ a lege statuuntur, qualis est potestas judiciorum civilium ac criminalium: Hoc posito quum ille qui jus habet coercendi ditionem armata manu, neque omnia adhuc obtineat, quæ ad executionem eorum, quæ à jure gentium sunt, pertinent, non poterit dici habere territorii superioritatem. Reponit *Leibnitius*, ille qui armata manu ditionem coercet, omnia alia facilè obtinebit, si velit, ac proinde superioritatem territorii habere censetur: at contrarium contingere aliquando potest; quid enim si forma regiminis ita sit comparata, ut qui jus armorum habet, possit ea in exteros ducere, possit intus executionem legum curare, sed nihil tentare ulterius; optimè animadvertit *Leibnitius* jus armorum pendere a Civium voluntate vires suas conferentium, at quum cives non ignorent apud alium ferendæ legis potestatem esse, & ipsum jus armorum suis limitibus coerceri, evenire posset ut ulteriora tentanti ipsorum civium deessent vires; quodsi publici regiminis forma ita sit constituta, ut qui

pliores ditiones, ut qui hac prædictus est, & educere exercitum possit, & aliquid momenti habeat ad rerum summam in Europa cap. 10. & 12. Post demonstratam Suprematus naturam illud probandum suscipit *Leibnitius* Germaniæ Principes Suprematum habere in propriis ditionibus, id primò evincit ex publica voce, & ex ipsa origine Germaniæ Ducum, quibus Principes successerunt. Quoniam plerique Germanici juris Scriptores opinantur Duces Germaniæ ab initio fuisse Provinciarum Gubernatores, commissam sibi à Regibus & Imperatoribus exercentes jurisdictionem, summo eruditionis apparatu istorum opinionem confutat à cap. 14. usque ad 19. contendens in ipsa origine Germaniæ Duces supremam habuisse jurisdictionem in populos, deinde à Francis victos in istorum fidem & clientelam fuisse receptos, salvo remanente in ipsis Ducibus Suprematus jure (23). Expensa origine Germaniæ Principum, examinat *Leibnitius* quam potestatem explicent sive in proprios subditos cap.

qui coercet ditionem armata manu, cætera quandocunque ad se trahere queat, apud hunc invenietur superioritas territorii quæ in facto, non quæ in jure consistit, etenim majores vires non sufficiunt ad jus alteri tribuendum. Hinc corruit aliud *Leibnitii* assertum, in jure coercendi ditionem armata manu contineri cætera, quæ in alium collata non sunt: potius ego censerem jura expresse alteri non tradita remanere apud eum qui ferendæ legis potestatem habet, hoc enim jus minus limitatum videtur, quàm aliud positum in coercenda ditione armata manu. In hac re ego sic existimo superioritatem territorialem plenam exurgere ex jurium omnium complexu, quæ in aliquod territorium exerceri civium felicitas exposcat, adeo ut jura etiam minora considerari debeant uti partes minus principales superioritatis territorii, non verò uti accessorium tantùm; quod si jura aliqua detrahantur ab ipso universali complexu, superioritas Territorii minùs plena erit, sed non ob id deficiet, dummodò duo adhuc concurrant, primò ut aggregatum jurium præstantiorum apud eum remaneat, cui territorii superioritatem adscribimus, secus enim existimabitur potius inter plures divisa, ad eam verò constituendam duo saltem necessaria videntur, potestas nempe ferendi leges, & exequendi ea quæ ad jus gentium spectant; 2°. Necessarium est ut qui illa exercet jura, ea exerceat cum quadam independentia, etenim si ille qui fruitur aliqua jurisdictione indefinitè subjiciatur alteri, in illis omnibus quæ iste expedire judicet ob publicam utilitatem, qui inferiorem jurisdictionem habet, non considerabitur uti persona juris gentium, quod necessarium est in eo qui territorii superioritate gaudet, sed potiùs uti Magistratus, sin verò subsit quidem alteri, sed superioris potestas lege fundamentali ita restricta sit ut inferior in sua manu & arbitrio adhuc habeat præcipua ex illis, quæ ad populi felicitatem curandam sunt necessaria, cùm hoc in casu verè uti persona juris gentium habeatur, qui hanc potestatem exercet, rectè existimabitur habere Territorii superioritatem quamquam minùs plenam.

(23) Quam haberent antiquitùs potestatem Germaniæ Duces colligitur ex *Julio Cæsare* & *Tacito* in libro de moribus Germanorum: videlicet exercitibus tantùm præerant, nec magnam in milites auctoritatem habebant, nam nequidem coercere eos poterant, nisi jubentibus Sacerdotibus. Postquàm victi à Romanis fuere Romanorum Magistratuum auctoritati paruerant, qui Magistratus appellabantur Duces. Quando Gothi occuparant Italiam, ad aliquas provincias regendas Ducum ministerio etiam usi sunt, quos Magistratus fuisse colligimus ex formula Ducatus a *Cassiodoro* relata lib. 7. Var. cap. 7. Initio Regni Longobardici

cap. 19., sive extra territorium; cùm verò dubium esse posset an belli pacisque jus totum in comitiis resideret, in cap. 20. 21. & 22. exemplis allatis ostendit, non solùm apud comitia, sed & apud singulos principes jus belli & pacis mansisse, etiam post *Caroli IV.* tempora, idque confirmari contendit ex instrumento Westphalicæ pacis, dummodò tamen contra Imperii jura nihil principes agant; Neque *Leibnitius*, ut dignitatem Germaniæ Principum extollat, omittit in medium afferre, & jus Fraternitatis, quod commune ipsis est cum aliis Regibus, & eximios honoris titulos eisdem concessos, & frequentia matrimonia contracta cum Regum & Imperatorum familiis, & privilegia alia nonnulla cap. 23. usque ad 26; in capite verò 26. & 27. argumenta expendit a *Bodino* allata contra Suprematum Principum Germaniæ: Galli jus Legationis

gobardici Duces in Italia ex istorum gente constituti, tanquam Provinciarum Gubernatores, & Ministri ipsius Regis habebantur, quemadmodum ex *Paulo Diacono* constat lib. 2. cap. 4. In legibus populorum Germanorum ab *Heineccio* collectis, Duces populorum istorum, velut Rectores Provinciarum repræsentantur. In legibus Bajuariorum habetur integer titulus de Ducibus inscriptus, in quo præscribuntur leges ab ipsis servandæ. Visigotorum lege licebat Ducem suspectum dicere & adire Episcopum Lex Visig. cap. 23. Lex Rotaris pœnam contra Ducem præscribit, qui cum vexaret qui in exercitu erat, quæ omnia ei convenire non possunt qui supremam haberet potestatem. *Alteserra* fusè probat in libro de Ducibus Francorum, istos Francorum Regum ministros extitisse, nec verosimile est diversam fuisse conditionem Germanorum Ducum qui suberant Francis, tanto magis quod cùm plures Germanorum populos constet à Francis plenè subactos fuisse, non est probabile rursus a sua potestate abdicare eosdem voluisse, translatione in Duces facta, cum Ducum ipsorum Ministerio eos regere possent. Ita verò rem contigisse historia Francorum ostendit, in qua frequentissimè occurrunt exauctorationes Ducum à Regibus factæ; & de ipso Bavariæ Duce constat à *Carolo Magno* à Provinciæ suæ administratione depositum fuisse, quemadmodum tradit *Eginhartus* in *Caroli* vita. His Ducibus magna credebatur auctoritas ut feroces populos quibus præerant coercere possent, cùm verò publici regiminis forma non ita esset constituta ut Duces tanta auctoritate pollentes in officio possent contineri, hinc isti fulti populorum sibi subditorum ferocia in libertatem sæpe proclamabat, & bella contra Reges ipsos gerebant. Vestigia maximæ illius potestatis, quæ Ducibus committebatur, ita ferentibus illorum temporum circumstantiis, bella quæ ab ipsis gerebantur contra vicinos populos permittentibus Regibus, aut contra ipsos Reges ubi ab ipsis deficiebant, exhibere nobis videntur imaginem supremæ potestatis in Ducibus residentis, at si res examinetur non tam ex extraordinariis quibusdam factis quibus locum dabat malè ordinata publici regiminis forma, sed ex ipsis eorum populorum legibus, potius Magistratus eos fuisse existimabimus, longè tamen majori potestate præditos, quàm habere soleant istis temporibus Magistratus & Gubernatores Provinciarum. Imminutis temporis lapsu Germanorum Imperatorum viribus ob continua bella, Duces firmarunt magis magisque propriam auctoritatem, quam ferè independenter exercere cœperunt, illis maximè temporibus, quibus aut vacabat Imperium aut Imperatores in minori ætate erant constituti, ex quo Anarchia illa orta est quæ per plura secula viguit continuò dissentibus inter se Ducibus & Imperatoribus, quousque sub *Carolo IV.* meliorem formam res acceperunt.

Germaniæ Principum ob eam potiſſimum rationem revocabant in dubium quod liberi cenſeri illi non debeant, ſed ſint Imperii ſubditi. Jam hoc argumentum *Leibnitius* præoccupaverat in cap. 11. ubi contendit Germanici Imperii vinculum in unione conſiſtere plurium Provinciarum, quæ Suprematui non obſit, diſtinguit autem hac in re inter confœderationem & unionem: Confœderatio juxtà ejus ſententiam ſolis verbis initur, & ſi opus eſt junguntur vires: ad unionem opus eſt ut certa quædam adminiſtratio conſtituatur cum aliqua auctoritate in membra, quæ tamen unio ſuprematum & libertatem Provinciarum non tollit, quia ipſæ retinent adhuc jus belli, pacis, & fœderum (24), & revera proſequitur *Leibnitius*, & nunc Electores Imperio ſubſunt, & olim potentiſſimi Principes eidem obnoxii fuere, quin tamen amiſerint Suprematum cap. 27. Adſtringuntur quidem aliqua obligatione erga Imperium, ſed hæc contracta eſt non tam ratione perſonæ (25) quàm ratione territorii, nec Principes tenentur ſervitia Imperio præſtare per ſe ſed poſſunt per alios. Exempla aliqua extant eorum Principum qui fuere capite damnati ab Imperatoribus, ſed id jure factum non eſt, nec convenit cum

(24) Uniones eo conſilio fiunt ut Provinciæ quæ ſeparatæ impares eſſent ad ſe tuendum contra exteros, collectis viribus ſe defendant faciliùs, communi adminiſtratione ob id conſtituta, ut defenſio promptior ſit & efficacior, ex quo fit ut ea quæ ad rationes domeſticas Provinciarum ſpectant a communi adminiſtratione non debeant pendere, ſed in poteſtate uniuſcujuſque Provinciæ remaneant: Hoc poſito Germanicum Imperium non poterit unio appellari, quia poteſtas ferendi leges de negotiis civilibus, concedendi privilegia, exemptiones, cognoſcendi de cauſis civilibus per appellationem devolutis, tuendi ſubditos contra Principum gravamina ſpectat ad comitia Imperii Germanici, quæ omnia nec ad jus belli & pacis, nec ad vinculum commune fovendum, ſed ad domeſticas Provinciarum rationes ſpectant. Aliud præterea ex ſupradictis colligo, in unione nempe perfecta jus belli & pacis Provinciis ſeparatis ademptum cenſeri debere, etenim unione conſtituta ipſa communis adminiſtratio in ſe ſuſcipit onus defendendi ſingulas Provincias, & Provinciæ ſingulæ contuliſſe cenſentur in communem adminiſtrationem ea omnia jura, quæ ad id neceſſaria eſſent, tanto magis quod bellum ab unaquaque Provincia ſuſceptum ſemper damnum afferre ipſi unioni poſſit, etiamſi nihil aliud metui poſſet, quàm ne unius Provinciæ vires debilitarentur. Tamen in omnibus unionibus quæ in Europa ſunt, jus belli remanet etiam apud Provincias aut Principes eandem unionem componentes, modò amplioribus limitibus circumſcriptum, modò anguſtioribus.

(25) Evenire poteſt ut dominus nullam retineat in Vaſſallum juriſdictionem, quia unà cum re feudali omnem in eum juriſdictionem transtulerit, illa autem quibus Vaſſallus adhuc adſtrictus erga Dominum remanere debet, poſſunt pendere a ſimplici obligatione, quæ ſit omni juriſdictione deſtituta; ſecus res ſe habet in unione, in qua cùm juriſdictio quædam transferatur in communem adminiſtrationem, ſubjectio naſci in illis debet qui eidem ſubſunt, quæ ſubjectio etſi Suprematum non ſubvertat, illud tamen imminuit, & reddit minus plenum, nec refert quod obligatio contracta ſit ratione territorii, nam obligatio quæ occaſione rei ſuſcipitur verè afficit ipſam perſonam, quando naſcitur ex contractu vel quaſi contractu, non ex ſimplici rei alienæ detentione; veram autem ſubjectionem producere poteſt hæc obligatio,

cum moribus nostrorum temporum, & quamquam leges permittant eos proscribi & statibus spoliari, cùm tamen sententia nequeat executionem habere nisi bello illato, nullum inde accipit detrimentum ipsorum Suprematus, quia tunc Germani Principes ejusdem remanent conditionis ac alii Principes omnes qui solo jure gentium reguntur cap. 28. 29. 30. adde cap. 41. Ut clarius *Leibnitius* probet obligationes susceptas a Principibus Germaniæ erga Imperium eorum Suprematui non nocere, ita argumentatur. Summus Pontifex olim jurisdictionem exercebat in omnes Europæ Principes, etiam in temporalibus, aut jure Feudorum ei acquisitorum, aut ob potestatem quandam indirectam in temporalia, quam nasci existimabant ex spirituali potestate cap. 31. Imperator non solùm majorem quandam dignitatem habet præ cæteris Europæ Principibus, sed & jurisdictionem aliquam in ipsos retinet, & quia advocatus est Ecclesiæ Romanæ, & quia jura quædam adhuc servat in Romanam Urbem, unde oritur regimen in omnia qua Catholicus Orbis patet, nec desunt casus in quibus jurisdictionem quandam exercuit in Principes, liberos ab omni nexu Imperii Germanici: quod si hæ obligationes, quibus omnes Europæ Principes erga Romanum Pontificem olim obstringebantur & nunc adhuc obstringuntur erga Imperatorem, non nocent Suprematui eorum, nec ergo Suprematui Principum Germaniæ officient obligationes quibus erga Germanicum Imperium tenentur cap. 32. & 33. (26). Mira est hac in re *Leibnitii* solertia, qui imminuta Imperatorum Jurisdictione in Germaniæ Principes, eandem deinde auget in cæteras

tio, si sit cum jurisdictione conjuncta, utrum verò servitia quædam per se præstare Principes debeant, an possint per alium ea præstare, id ad modum obligationis potiùs spectat quàm ad naturam obligationis ipsius. Non potest ergo negari Principum personas revera subjici Imperio Germanico, eo magis quod ipsius Imperii vinculum excedat fines simplicis unionis. Illud solum pro Principibus potest adferri; primò hanc subjectionem non esse indefinitam, sed coerceri limitibus quibusdam; secundò ob imminutas Imperii vires, Principum verò auctam potentiam, cùm sæpe comitiorum decreta paratam executionem non possint habere, inde contingit ut ea subjectio juris potiùs censeatur quàm facti. Hinc rectè *Mozambanus* existimabat irregularem esse Imperii Germanici formam.

(26) Hoc *Leibnitii* argumentum satis firmum non videtur: etenim Imperator jurisdictionem in Principes habet Feudi Jure, quando de illis Feudis agitur quibus jurisdictio adnexa est; habet præterea jurisdictionem, uti caput Germanicæ Reipublicæ, in Principes illos qui eidem Reipublicæ subsunt, cæterorum verò respectu majorem quidem obtinet dignitatem, nullam verò jurisdictionem. Advocatia Ecclesiæ Romanæ jus protectionis ei tribuit in proprio territorio, quod cæteri etiam Principes habent in suis ditionibus. extra proprium verò territorium in eo supponit obligationem defendendi præcipuo quodam jure Romanam Ecclesiam viribus & consilio, nullam verò ei elargitur jurisdictionem in exteros populos Romanæ Ecclesiæ addictos. An Imperator jus quoddam adhuc retineat in Romanam Urbem, scio in controversiam adduci a juris Germanici Scriptoribus, non obstante Pontificia præscriptione, & cessione jurium omnium in eam competentium facta a *Carolo IV.* sed difficile fuerit probare jus in universum Orbem

cæteras Europæ nationes, quadam hac ratione inducta compensatione, atque inde præterea argumentum eruit quo Principum Germaniæ Suprematum confirmet. Postquàm *Leibnitius* in cap. 35. & 36. ostendit non esse liberum cui velimus & quos velimus honores alteri concedere, sed moribus jure gentium receptis adhærendum esse, transit ad Electores, & Principes Italiæ, quibus cùm jus legationis non denegetur, inde argumentum capit, ut idem concedi debere concludat Principibus Germaniæ, quia eundem Suprematum omnes habent cap. 36. & 37. Quum obvia in Electoribus responsio esset, majorem istos in Imperio dignitatem ac jurisdictionem habere quàm Principes, hoc argumentum præoccupat in sequentibus capitibus; præcipua hæc Electoribus tribuuntur supra Germaniæ Principes à plerisque juris publici Germanici Scriptoribus, ut Imperatorem eligant, atque eidem leges præscribant in Imperii administratione servandas, ut de gravioribus rebus quæ moram non ferunt cum Imperatore statuant, & cum eodem interpretentur leges in comitiis latas. Pleraque ex istis juribus aut Electoribus negat *Leibnitius*, aut in dubium revocat, aut imminuere satagit. Contendit Electores habere jus eligendi Imperatorem ex delegatione tacita Statuum Imperii cap. 1., potestatem condendi capitulationes, quibus limites ponuntur Imperatoris potestati pertinere ad omnes Status Imperii; jus hoc fuisse occupatum ab Electoribus in electione *Caroli V.* nec diu ab eisdem fuisse pacificè possessum reclamantibus cæteris Imperii ordinibus, ac demum convulsum fuisse in instrumento pacis Westphalicæ, in quo adjecta clausula fuit condendæ capitulationis perpetuæ cum consensu Statuum Imperii:

Orbem Catholicum adhærere temporali dominio Urbis Romanæ. Illud certum est jure originario jurisdictionem in populos non adquiri nisi consensu & bello, nec extraordinaria quædam facta, quibus aliqui Principes, ob causas peculiares, duxerint ab Imperatore petere confirmationem quorundam actuum, tribuere huic potuisse perpetuam jurisdictionem in eosdem Principes, tanto minùs in cæteros. Quod verò creati fuerint aliquando Duces exercituum Christianorum contra Infideles, probat quid expediat fieri aliquibus in casibus, ubi urgeant necessitates, sed non concludit universalem quandam jurisdictionem in omnes Christianos penes Imperatorem esse. Quod verò pertinet ad Romanum Pontificem observo, nonnunquam Principes in tabulis fœderum & aliis publicis conventionibus se eidem ita submisisse, ut Pontifici liceret & Censuris & Regni privatione eos adigere ad fidem servandam; id verò pro ea solùm re eoque negotio jurisdictionem Pontifici tribuebat. Equidem sæpe eandem potestatem sibi vindicarunt jure quodam ordinario, quod ajebant descendere ex spirituali potestate secum trahente temporalem, ubi defendendæ spirituali necessaria esset; sed cùm scriptores qui jus illud Romani Pontificis evertere adgressi sunt eo potissimum sint usi argumento, quod inde enervaretur suprema Principum potestas, & præterea jus quod comitia Germanica in Principes exercuere longè diversæ naturæ sit, inde capi argumentum non poterat ad defendendum eorum Principum Suprematum. Hæc eo solùm consilio dixi, ut ostenderem *Leibnitii* argumentum parum probare, quamquam Suprematus Principum Germaniæ aliis probationibus satis claré fuerit demonstratus.

perii: In rebus gravioribus Electores habere jus non ſtatuendi, ſed præconſultandi unà cum Imperatore, atque ipſam legum interpretationem etiam comitiis reſervandam, ubi omnium Imperii Statuum conſenſus juxta præſcriptum Inſtrumenti pacis adhibeatur.

Maximam Electorum prærogativam in eo Scriptores juris publici Germanici collocant, quod cùm in comitiis tria ſint Collegia, Electorum nempe, Principum, & Civitatum liberarum, duorum autem conſenſu ex parte Statuum res finita cenſeatur, quibus ſi deinde accedat Imperatoris auctoritas, determinatio vim legis accipiat, inde fit ut eo major ſit Electorum prærogativa, quo numerus ſuffragium ferentium in hoc Collegio minor eſt reſpectu ad alia Collegia Principum & Civitatum liberarum. Hanc etiam Electorum prærogativam imminuere conatur *Leibnitius*, nam primò dubium eſſe ait an duo Collegia ſufficiant tertio non accedente, ut ex parte Statuum res finita cenſeatur, quia Civitates acceperunt votum efficax per Inſtrumentum pacis Weſtphalicæ, nec efficax omninò cenſeri poſſet ſi duorum Collegiorum conſenſus ſufficeret (27) nam cùm Electores, & Principes primum ſuum ſuffragium ferant, contingeret ſæpe ut res finita eſſet iſtorum conſenſu antequam urbium liberarum explorata voluntas foret; dubium etiam eſſe cenſet *Leibnitius* an major pars votorum debeat conſiderari reſpectu ad collegia, quorum unumquodque unum tantùm votum conſtituat, an major numerus debeat viritim conſiderari nullo habito reſpectu ad Collegia, quod ſi eſſet, evaneſceret Electorum prærogativa. Agnoſcit quidem *Leibnitius* vota debere numerari, non ponderari, aſſerit tamen Principes non tam capite cenſendos eſſe, quam auctoritate, quia ſæpe major unius auctoritas alios ad ſe trahit; atque ubi etiam per Collegia vota enumerarentur, quorum ſingula unum tantùm ſuffragium conſtituerent, tamen in eo adhuc parem agnoſcit cauſam Electorum cum Principibus, quod multa ſint quæ unanimem ſingulorum conſenſum expoſcunt, qua in re hanc regulam proponit; quæ ad jus gentium pertinent & reſpiciunt ipſum Provinciarum vinculum inter ſe, ac ſolent bello & fœderibus tranſigi apud liberos populos, ea in Germania ſubjici comitiis definienda majori ſuf-

(27) *Vitriarius* lib. 4. tit. 1. §. 70. *Lampadius* part. 3. cap. 8. §. 12. *Conringius* de Republica Romano-Germanica part. 3. cap. 8. §. 7. uti rem certam tradunt & extra omnem dubitationem poſitam, ſufficere conſenſum duorum Collegiorum, tertio inſuper habito ut ex parte Statuum res finita cenſeatur, nec dubitant aſſerere civitatum votum efficax non cenſeri, niſi aut in illis caſibus, in quibus unanimis conſenſus eſt neceſſarius, aut quando Electores & Principes diſſentiunt, iiſdem verò conſentientibus diſſenſum Civitatum illud ſolum efficere poſſe, ut ejus intuitu Imperator fortaſſe Statuum determinationem non ſit confirmaturus; Et reverà quorsùm adeò conqueſtæ eſſent Civitates inefficax earum votum eſſe ubi non admitterentur ad rem & correlationem cum aliis Collegiis, ſi etiam deſtitutæ hoc jure, diſſentiendo determinationem Statuum reddere irritam potuiſſent.

fragantium numero, cætera quæ pertinent ad domesticam administrationem uniuscujusque Provinciæ illis relinquenda esse qui Suprematum illarum habent, aut si ad comitia deferantur unanimem consensum desiderari (28) cap. 40. 41. vide cap. 1. Cæteras Electorum prærogativas persequitur *Leibnitius*, exponens, quomodò ab initio pares cum Principibus honores habentes, eosdem sibi temporis lapsu augeri obtinuerint, qua ratione Regibus dicantur æquari, & quomodo Oligarchiam sub *Ferdinando II.* affectantes coerciti eorum conatus fuerint in pace Westphalicâ, mentione facta in Instrumento pacis capitulationis perpetuæ condendæ cum consensu Statuum Imperii: quamquam in Westphalica pace Principum prærogativis egregiè fuerit prospectum. Tamen ex illis quæ acta eo tempore sunt occurrebant nonnulla, quæ Principum juri mittendi Legatos nocere videbantur, nempe Missi ab Electoribus ad congressus Westphalicos habiti fuere uti legati primi ordinis & Excellentiæ titulum obtinuere. Missi verò a principibus uti deputati tantùm: verùm rem optimè *Leibnitius* explicat, ostendens Principes considerasse ab ipsis missos non uti legatos, ad exteros, sed uti deputatos ad Imperii conventum, quorum hoc respectu major erat dignitas, quàm legatorum ipsorum, quia apud deputatos suprema ipsa potestas leges ferendi residet, cap. 45. 46. & 47, nec majores quæsivisse honorum titulos, quia nolebant mutari formam solitam in comitiis servari.

Absoluta disputatione circa Electorum prærogativas, *Leibnitius* ad Italiæ Principes gradum facit, quibus à Gallis ac plerisque aliis populis majores semper honores habiti fuere, quàm Principibus Germaniæ. Recensitis illis prærogativis, quæ Italis Principibus conceduntur cap. 50. Eadem vult tribui germanis debere, quia Itali Imperio etiam subsunt, nec libertatis titulum ostendere possunt, cùm venditio libertatis ipsis facta a *Rodulpho* probari non possit: enumerantur Italiæ Principes, in quos Imperium jurisdictionem retinet cap. 51. 52. Nec referre censet quod aliquas ditiones Itali pleno jure possideant, quia id exiguum est; quod autem non soleant comitiis interesse, inde potiùs deteriorem fieri eorum existimat conditionem qui Imperio subsunt quin jure suffragii in comitiis gaudeant; jam diu autem omne jus ferendi suffragia ab Italis in Germanos fuisse (29), translatum probat Germanorum Scriptorum testimonio. Demum *Leibnitius* ad aliud confugit probationis genus, exemplis ostendens

(28) Si consulamus *Goldasti* collectionem, constabit multas esse comitiorum leges ad domesticam Provinciarum administrationem spectantes, nec constat in illis constituendis unanimem fuisse necessarium consensum, vel ipsa devolutio civilium causarum quæ fit ad suprema Imperii Tribunalia probat apud Comitia potestatem ferendi leges circa civilia negotia, ea verò quæ ad corpus aliquod pertinent, pluralitate votorum definienda sunt, nisi expressa demonstretur contraria fundamentalis lex Regni.

(29) Nemo non agnoscit longè diversam esse conditionem Principum Italiæ a Principibus Germaniæ, sive antiqua, sive recentiora tempora spectentur. Regno Italiæ

dens jam diu Germaniæ Principes in possessione esse mittendi Legatos cum jure repræsentationis. Ac primo hanc possessionis probationem non censet necessariam esse, quia jus Legationis Suprematui cohæret, & inter ea recensetur quæ facultatis sunt nec amittuntur etiamsi non possideantur, quemadmodum dominus soli retinet jus ædificandi, etsi nunquam in solo ædificaverit (30). Quòd si verò ad possessionem confugiendum sit,

F 2 existi-

liæ in *Ottones* translato non debuit Italia censeri acquisita ipsi Germaniæ, nam & comitia Italici Regni non desierunt celebrari cum interventu Italorum procerum. Stirpe *Ottonum* extincta ad Italos plena libertas rediit; vix autem ad Italiæ Regnum *Henricus II.* erectus fuit, urbes Italiæ majori libertate frui cœperunt, (*Muratorius* Annal. ad ann. 1004.) sub *Henrico V.* reipublicæ formam assumpserunt; (*Murat.* ad ann. 1107.) In Constantiensi verò pace ea jura ipsis confirmata fuere, in quorum possessione se jam ab immemorabili tempore esse contendebant. *Conringius* ipse in dissertatione de Urbibus Germanicis fatetur Civitates Italiæ jus suffragii longè anteà habuisse, quàm Germanicæ eodem fruerentur jure, Principes autem in jura Civitatum successerunt. Quod si Italia idem jus lapsu temporis amisit, id factum ex eo est, quòd cùm in majorem libertatem semper proclamaverit, ad quam obtinendam multum conferebat Imperatorum absentia, parum debebat esse sollicita de celebratione comitiorum antiquorum, per quæ pristinum Imperii vinculum potuisset confirmari. Quòd si præsentem Italiæ statum consideremus longè majori libertate gaudere ejus provincias constabit quàm Germanicas. Germanicum corpus constituit rempublicam cui subsunt singuli Imperii Status, in comitiis feruntur leges non solùm ob vinculum commune servandum, sed & ob civilia negotia, ordinaria tributa solvuntur ob communium tribunalium sustentationem, atque ipsos Principes ob gravamina in subditos illata mulctatos fuisse Provinciarum amissione constat: è contrario Italiæ Principes suas ipsi soli administrant Provincias, nulla ordinaria tributa solvunt; equidem jura quædam extra ordinem in eos exercita fuisse apparet ex historiâ, sed & id remotum est à nostris temporibus, & rarò contigit, & eo tempore potissimùm præstitum est quo armata manu imminebant Italiæ, quamquam negari non possit in multas Italiæ ditiones jura aliqua Imperio adhuc manere. Quod traditur de venditione libertatis Civitatum Italiæ a *Rodulpho* facta nec negari omninò potest, nec debet ità extendi quemadmodum multi existimarunt. Vid. *Conring.* de fin. Imp. Ger.

(30) Hæc duo distingui debent, facultas mittendi Legatos & facultas mittendi illos cum jure repræsentationis. Simplices Legatos mittere quicunque potest qui in aliquem populum potestatem habet, nec civis est alterius reipublicæ; cùm enim iste habere possit publica negotia in sua potestate posita, tractanda cum exteris, meritò conquereretur jus gentium violari, si legati a se missi ad ea gerenda non reciperentur: hinc fit ut non solùm qui Suprematum, sed & qui habent territorii superioritatem, hoc jure debeant gaudere. Paulò aliter judicandum est de jure repræsentationis. Jus hoc receptum est libera populorum voluntate, res enim inter istos commodè geri sine eo jure potuissent; nec gens ulla cogi poterat ut in territorio suo exterorum gratia illud concederet, quod a publica utilitate non exposcebatur: Quoniam ergo agitur de facultate introducta jure gentium voluntario, si quæratur quibus concedi debeat, videndum in primis est quænam in hac re fuerit voluntas populorum, sicut enim potuissent jus hoc elargiri cuicumque habenti territorii superioritatem, ita & illud tanquam majus quoddam, & præclarius honoris insigne considerantes, potuissent non cuicunque Suprematum habenti reservari, sed illis tantùm, qui jure Suprematûs gaudentes majori quadam prærogativa fulgerent: de hac verò voluntate constare maximè potest ex rerum gestarum historia; quod si ex illis quæ gesta sunt de hac voluntate non constet, rectè videtur posse constitui jus repræsentationis

existimat possessionem unius Principis prodesse alteri Principi posse (31). Exempla allata a *Leibnitio* desumuntur ex Ducibus Lotharingiæ quorum jus legationis agnitum a *Leopoldo* fuit (cap. 57.) ex Archiducibus Austriæ (cap. 58.) à Landgrafio Hassiæ, & Duce Wurtembergii, aliisque Germaniæ Principibus qua ratione librum de Suprematu absolvit.

Inter multa quæ in hoc libro discutiuntur magno eruditionis apparatu & ingeniose, nonnulla occurrunt quæ non ita facilè probari possunt, quorum aliqua quæ ad operis systema proximius pertinebant notanda censui; non dubito quin & ipse *Leibnitius* argumenta quædam quæ profert minus firma judicaverit, sed in hoc opere etiam ipse id debuit præstare, quod ferè omnes causarum Patroni, qui solidis argumentis discussis leviora etiam non solent omittere.

Nonnulla alia *Leibnitii* scripta habemus in quibus quæstiones aliquas ad jus naturæ & Gentium spectantes solidè discutit. In Epistola ad *Kestnerum* multa egregiè observat de viribus pacti sine causa initi, de præscriptione jure gentium spectato, de successione Juris Hassiaci in Ducatum Brabantiæ. Scio non defuisse, quibus *Leibnitii* judicium de *Puffendorfii* scriptis parum probatum fuit, eousque ut eum accusaverint invidia actum tanti viri famam obscurare voluisse. Non existimo ego verosimile *Leibnitium Puffendorfii* gloriæ æmulum aliquid detrahere eidem voluisse, cùm in cæteros eximios ævi sui scriptores nunquam eo animo fuisse constet, fortasse non existimavit multa ad jus naturæ spectantia adeo profundè discussa in ejus libris, quemadmodum discuti posse profundo *Leibnitii* ingenio videbatur, & *Puffendorfii* Sectatores ab eo præstitum fuisse censebant. Illud quod affirmare possumus, hoc est, in illis quæstionibus in quibus *Leibnitius Puffendorfium* reprehendit in monitis ad eundem, rectè videri eum reprehendisse. Aliqua adhuc superessent *Leibnitii* scripta, nempe dissertationes de conditionibus; de casibus perplexis in jure; Quæstiones philosoph. ex jure collectæ; Specimen dissertationum politicarum pro eligendo Rege Polonorum; sed scripta hæc ad Clarissimum Editorem nondum pervenerant quando ab eodem Angliam discessuro ad Typographum *Leibnitii* opera mittenda fuerunt. Hæc pauca censui præmittenda *Leibnitii* Editioni ad partem Jurisprudentiæ.

sentationis non debere denegari ei qui Suprematum habeat, non tam quia cohæreat ejus naturæ quemadmodum jus ædificandi cohæret dominio fundi, sed ex præsumpta gentium voluntate qui jus hoc induxere.

(31) Possessio unius aut plurium Principum prodesse aliis Principibus posset in petitorio judicio at non in possessorio; possessio enim cùm quid facti sit non egreditur personam, nisi agatur de iis qui rem communem pro indiviso possident, ut in servitutibus contingit communi prædio inhærentibus, vel quando lex expressa id cavit; Principes autem proprium Suprematum singuli possident ab alterius Principis Suprematum distinctum.

SPECI-



SPECIMEN DIFFICULTATIS IN JURE,

ſeu Diſſertatio

DE CASIBUS PERPLEXIS,

AUTHORE

GOD. GUILL. LEIBNITIO.

Juxta exemplar Francofurti ann. 1672. *editum.*

§. I.

De caſibus perplexis commentaturi breviter, videamus: tum *quis caſus perplexus ſit*, tum poſito, quòd datus caſus ſit perplexus, *quid de eo ſtatuendum.* Illic natura, cauſa, ſubjecta, notio & vis termini; hic accidentia, effectus, prædicata, uſus denique in ipſis rerum argumentis conſiſtens explicatur. Et quemadmodum in pleriſque materiis ſeparata *facti* & *juris* tractatio eſt, *Conr. Lagus* Meth. Jur. p. 1. c. 1. n. 1. *Joh. Althus.* Dicæol. lib. 1. c. 1. n. 4. ita hic illud plus *facti*, hoc plus *juris* habere crediderim.

II. Porrò ipſa *Caſus perplexi* notio ex duobus componitur, *Caſu* & *Perplexitate. Caſus* vocem apud Mechanicos natam vicini Geometræ primi adhibuerunt in rem ſuam, quibus πτῶσις eſt ipſa figura, (ſeu linearum, ſuperficierum, corporum ad ſe invicem poſitus,) de qua deinde ζήτημα, nimirum quantitas, ratio, analogia, uti apud JCtos *jus* de *facto*) demonſtratur. Unde problemata eorum πολύπτωτα ſimilia ſunt controverſiis JCtorum diſtinctione expediendis, & impoſſibilia caſibus perplexis, in quibus pro ſolutione eſt advertere & demonſtrare impoſſibilitatem, quod Algebra præſtat. Manavit inde vox ad Medicos, & Theologos Moraliſtas quoque, qui propterea & *Caſuiſtarum* titulum aſcivere *Speidel.* Spec. lit. C. n. 27. A quibus omnibus abſtrahendo, *caſus* in genere eſt antecedens propoſitionis hypotheticæ, applicando verò ad Juriſpru-

risprudentiam, tale antecedens dicitur *factum*, consequens *jus*; & *casus* definietur factum in ordine ad jus.

III. Hoc sensu Casus jam tum *veteribus JCtis* usurpatur in l. 37. D. de Leg. l. 19. pr. de Jurisd. l. 28. f. de noxal. act. l. 12. §. 4. ad exhib. & bis in l. 122. de V. S. dicitur & Species l. 16. 17. de Jurisd. l. 5. §. 3. ad L. Aquil. l. 5. §. pen. l. 15. P. V. l. 4. de Ventr. insp. l. 5. §. 7. l. 39. §. 2. de admin. tut. l. 2. de reb. eor. qui sub tut. Et *factum*, quod præter loca infinita probat illa formula: *ex facto quæsitum est*, tot Legibus initialis.

IV. A *Casu* ad PERPLEXITATEM. *Perplexum*, (græcè ἄπορον exitum non habens) l. 88. D. ad L. Falc. Latinis eleganter *cæcum*, quasi oculis impervium. *Virgil.* lib. 5. *Æn. Parietibus textum cæcis iter.* & lib. 6. *Clausi tenebris & carcere cæco.* hinc & Medicis *intestinum cæcum*; *Perplexum*, inquam, dicitur à *perplectendo vom durcheinander wickeln*, *plecto* verò frequentativum à *plico* (ut à jacio jacto) quod ipsum à græco πλέκω idem significante fluxit. *Perplexitas* autem propriè dicitur de *plicabilibus*, quales sunt res flexiles simul & tenaces, & proprium ejus subjectum: *Nodus*. Inter Nodos Gordius inprimis celebris est, & extat elegans Apologus *Joh. Valentini Andreæ* Mythol. Christ. Manip. 1. Apol. 48. de Nodo ferreis filis constricto quem construxerit *Machiavellus* & Principem nominaverit; fuisse eum aculeis plenissimum nec nisi Chirothecis tractabilem. Hunc cùm *Fr. Vieta*, summus in Gallis Mathematicus, (cui hodierna Analysis, quam vocant *Speciosam*, fundamenta maximè debet) sua Analyseos arte frustrà tentâsset, ad extremum versa in iram diligentiâ, malleo aggressum, dissilientibus variè scintillis parum à summo periculo affuisse. Cujus fabulæ partem evolvit V. Cl. Dn. *Jac. Thomasius* in program. Lipsiensi aliquo de Machiavellismo Anno 1662.

V. A corporalibus ad incorporalia frequenti Metaphora translata voce, *Nodus* pro omni *intricato* sumitur, *Cic.* VIII. Fam. 11. *incideramus in difficilem nodum*: *perplexum* pro omni *dubio circulari* (uti tales quæstiones vocat *Accursius* in l. *Claudius Felix.* 16. qui pot. in pign. in quibus res ad nodi similitudinem in se ita redeunt, & gyros faciunt, ut quodlibet quasi filum separatim sumendo exitus appareat, at non nunc, cùm sibi invicem implicantur, quas solvere *Berlich.* part. 1. concl. 49. n. 6. eleganter appellat: *quadrare circulum*) hinc à *dubio* latè dicto differt ut species à genere. *Dubium* enim à *duobus* dictum est, quoties quærimus simul & nescimus, quid *è duobus* sit eligendum, sed in *perplexo pars invenit utraque causas*, easque solidas, in *dubio* strictè dicto, neutra. Est autem ut dubium ita & perplexum vel *mentale* tantùm, seu quoad nos; vel *reale* etiam seu à parte rei, in iis nempe ubi veritas rei à voluntate humana pendet, ut in Legibus positivis, in quibus perplexitas realis facilè contingit, quia Legislatores homines utique sunt,

sunt, & statuunt ea, quæ se invicem in casu concurrentiæ, qui tamen rarò contingit, indirectè impediunt, quæ vera & unica causa est realis in Jure perplexitatis, de qua etiam nos dicemus. *Casum* igitur (*propriè*) PERPLEXUM definio (*eum, qui realiter in jure dubius est* ob) copulationem contingentem plurium in facto eum effectum juris habentium, qui nunc mutuo concursu impeditur. In *Antinomia* autem ipsarum immediatè legum pugna est, quanquam & *perplexitas* Antinomia quædam indirecta dici potest. Cæterum exemplis mox omnia erunt clariora.

VI. Vidimus quid *casus perplexi* sint, circumspiciamus *Alexandri* gladium quem nimis ex vero dixeris: DECISIONEM, seu quid propositio tali casu sit statuendum. Scilicet: *duro nodo durus cuneus!* Cæterum alii putant (1) *nihil* statuendum §. 7. alii *aliquid*: ALIQVID ex *facto* vel *jure*: EX FACTO, quod suadebit vel (2) *fors* §. 8. vel *judicis arbitrium*. JUDICIS ARBITRIUM vel (3) *liberum* §. 9. vel (4) *regulatum* §. 10. quanquam regulæ illæ non tam juris sunt, quàm commoditatis, humanitatis, æquitatis, &c. EX JURE mero (5) nos §. 11. 12. seqq. rem decidendam arbitramur, cribratis opinionibus extremam quasi graviorem & fundo residentem eligentes. Nam sententias de industria sic disposuimus, ut gradibus speratæ certitudinis crescant. Et si ex jure decidi res *potest*, sequitur quod decidi etiam ex eo *debeat*, quia ad subsidiaria remedia non nisi cùm necesse est, confugiendum.

VII. *Nihil* igitur *statuendum*, sed judicem pronunciare debere *sibi non liquere*, in causa certi possessorii censent *Jac. de Aretio* in l. un. n. 11. C. uti poss. *Specul.* in tit. de petit. & possess. §. 1. n. 32. v. & nota. idem obiter *Bald.* in l. 3. C. de sent. & interloc. omn. jud. *Imola* in c. licet causam n. 24. de Prob. Et in casu quo judicis conscientia ab actis & probatis diffidet, neque secundùm acta judicandum (quod tamen volebat *Johannes Glossator*, & *Cujac.* XII. obs. 1. & est communis) neque secundùm conscientiam, (ut volebant *Covarruv.* II. Resol. 1. *Fr. Balduin.* pr. I. de Off. Jud. *Hottoman.* III. quæst. 20.) sed supersedendum arbitrantur *Alciat.* in c. 1. n. 91. de Off. Ordin. *Donell.* 26. com. 1. *Coras.* miscell. IV. 20. n. 11. Ita Areopagitæ causam *Protagoræ* & *Evathli*, de qua *infra* §. 16. in longissimum diem distulere; & iidem in causa mulieris, quæ virum & filium interemit, quòd ab his optimæ indolis juvenem, quem ex priore viro enixa erat, occisum comperisset, à *Dolabella* Proconsule Asiæ ad se rejecta, accusatorem & ream post 100. annos redire jusserunt *Valer. Max.* VIII. 1. sect. 3. num. 2. *Gell.* XII. 7. Simile *Orestis* facinus; is matrem *Clytemnestram* adulterio, & patris sui *Agamemnonis* cæde pollutam filius trucidavit, & furiis conscientiæ agitatus ad extremum sistit se Areopagitarum Judicio. Ibi agitatâ re, par calculorum nigrorum alborumque numerus evasit: sed Minerva præses judicii animadversâ re album adjecit de suo. Ita *Orestes* absolvitur, & furiæ quievêre.

vêre. Unde proverbium : *Minervæ Calculus* (cujus rationem hanc in Chil. 3. cent. 4. n. 53. *Erasmus* non penetravit) qua fabula signari volunt, in dubio reum absolvendum. Unde ad §. 12. casus hic potius referendus est, sed similitudine exempli maluimus hîc præoccupare. Simillimus quoque casus, quem *Valerius Maxim.* refert d. l. n. 1. quædam matrem fusti interfecerat, dolore liberorum commota ab aviâ filiæ infensa necatorum, parricidiumque ulta parricidio. Qua de re M. *Popilius Lænas*, Prætor, nihil pronunciavit. *L. Fimbria* judex electus de sponsione, quam quis cum adversario fecerat, quòd esset vir bonus, judicare noluit, ne vel probatum Virum fama spoliaret, vel juraret, virum bonum esse, cùm ea res innumerabilibus laudibus contineatur. *Valer. Max.* VII. 2. sect. 1. n. 4. Cùm vir integræ existimationis ageret contra hominem improbum ex mutui capite, sed probationibus deficeretur; *Gellius*, judex lectus, pronunciare noluit, juravitque sibi non liquere, *Gell.* XIV, 2. idque licuisse judicibus ostendit l. 13. §. 4. de recept. qui arb. l. 36. de re jud. Sed hodiè fieri debere negat *Treutler*. 12. 17. & de ordinariis magistratibus, quibus necessitas juris reddendi imposita est, consentit *Bachov.* ad d. l. quò pertinet eorum sententia, qui statuunt judicem inferiorem referre dubia ad superiorem debere. Qualibus consultationibus constat totus liber ultimus Epistolarum *Plinii*, add. l. 6. §. 2. D. de off. Proconf. & Leg. l. 14. verb. consules nos. de off. præsid. Et si hodiéque reducatur, minimè tantùm Juris controversi fore ait solidissimus *Nicol. Vigelius* Meth. Jur. controv. procem. seu Rat. Legendi fol. 2. Et faciendum quasi jure devolutionis, (uti cùm intra trimestre inferior ordinarius non prævidet devolvitur in præbendis jus eligendi ad proximum superiorem c. 41. de Elect.) ut non pronunciante inferiore pronunciet superior: Idque in beneficialibus in specie approbat *Geminian.* in c. eum qui: de eo qui mitt. in possess. col. pen. v. quid si *Fr. de Marchis* p. 1. qu. 1149. n. 3. *Joh. Igneus* in l. 3. §. si cùm omnes 4. n. 37. & 38. D. de SCt. Silan. Sed hoc remedium bonum quidem, nihil tamen facit ad hanc rem, quia non quærimus à quo, sed quid in proposito casu vel ab ipso demum Principe sit judicandum.

VIII. *Sorte rem dirimendam*, dicit Gl. in c. non exemplo 26. q. 5. c. licet causam 9. de Prob. ad v. uti possidetis. *Felin.* ibid. n. 48. *Berojus* n. 59. *Decius* n. 28. per l. 14. D. de Judic. l. ult. pr. C. com. de Leg. sed ad l. 14. ℞. eam non ad merita causæ sed ordinationem processus pertinere: ad l. ult. ℞. ibi non casum controversum sorte decidi, sed modum finiendæ optionis præscribi. Nec obstat, quod ita Deo res commissa intelligatur, cujus judicium justissimum est. Nam hoc est quasi tentatio Dei, uti in purgationibus vulgaribus c. fin. de purg. vulg. neque enim hîc extraordinarium auxilium Deus ea in re promisit. Cæterum *Bartolus* in concursu perplexo creditorum, non quidem modum pro-

pronunciandi judici, cautelam tamen partibus hanc tradit: si hypothecarius unus possessionem habens rem vendat, neque rem concurrentes cæteros vindicare posse, quia bona fide & justo titulo emerit tertius, arg. l. 12. §. Papinianus respondit 5. D. qui pot. in pign. neque pecuniam petere, quia venditor suum recepit. Sed hoc *Bartoli* consilium refutant *H. Pistor.* l. 3. q. 20. num. 20. *Berlich.* p. 1. concl. 49. n. 24. certè & rem videntur vindicare posse, actione hypothecaria, (quia in d. §. 3. alius casus est, ubi primus possessionem habens, quia indubiè primus est, vendit & residuum ultra suum creditum restituit secundo) & condicere à venditore, quod plus accepit (arg. *Carpz.* p. 1. c. 25. d. 180. quod priores hypothecarii solutum posterioribus jure repetere possint) ultra suam ratam, quia pares sunt.

IX. *Liberum judicis arbitrium* admittunt, qui introducunt *casus pro amico*, seu tam dubios, ut liceat in iis alterutri parti gratificari. Quod putat *Igneus* d. l. n. 40. *Joh. Bapt. Asin.* in l. ult. D. de religios. & sumt. fun. *Tiraquell.* tr. de Jur. Primog. q. 17. opin. 2. n. 5. *Claud. Marmer.* in l. naturaliter §. nihil commune. n. 92. D. de acquir. poss. *Fr. de Marchis* l. c. q. 1148. n. 1. (qui dicit in talib. optimum esse Judicem habere amicum & favorabilem). *Matth. de Afflict.* decis. 385. & 422. num. 15. *Bachov.* ad Tr. p. 1. disp. 1. th. 1. lit. B. Amicitiæ causa posse judicem mitigare pœnam putat *Tiraquell.* tr. de pœn. tempor. caus. 16. & *Joh. Althus.* in Dicæol. lib. 1. c. 99. n. 66. *Theophrastus* quoque, & *Gellius I*, 3. in amici causa capitis famæ, aut summæ fortunarum, licere declinare de via, utque magna æris lamina parvâ argenti pretiosior sit, ita magnæ necessitatis causa honestatem parumper relinqui posse. Sed *casus pro amico* refutant *Bald.* consil. 420. col. 2. v. sed si pari modo. *Navarr.* in cap. si quis autem n. 130. de pœnitent. dist. 7. *Menoch.* remed. ret. in poss. 3. num. 767. seqq. *Thesaur.* decis. 89. & 206. (qui casus pro amico appellat pro diabolo) *Nic. Vigel.* Meth. jur. controv. proœm. n. 20. *Treutler.* p. 1. disp. 1. th. 1. lit. b. *Besold.* in Delibat. jurid. ad l. 10. D. de Just. & Jur. *Valent.* Arithmæus peric. 1. disp. 1. th. 4. Et certè liberum arbitrium judici non competit, nisi *concessum* expressè probet, *ab habente*, (ex quibus verbis illud *concessum* videatur latè explicat *Menoch.* arbitr. jud. lib. 1. q. 7. & 8.) *Habet* autem liberum arbitrium ne Princeps quidem in foro interno, & si fortasse in externo quoad validitatem rei judicatæ.

X. *Regularum Judicis arbitrium*, ubi res ex jure decidi non potest, regulas sequitur charitatis, æquitatis, humanitatis, commoditatis, utilitatis, &c. nempe Judicem debere pro indigentiore judicare, putat *Johannes Leib tr. vom Vorgang der Gläubiger.* pag. 69. pro meliore *Gellius* XIV. 2. l. c. pro sententia humaniore l. 11. §. fin. D. de reb. dub. l. 56. de R. J. pro favorabiliore c. odia 15. de R. J. in 6. pro libertate l. 24. pr. de manumiss. l. 20. de R. Jur. pro dote l. 85. pr. de R. J. pro matrimonio

c. licet ex quadam 47. in fin. de Testib. Pro eo potius qui damnum vitat, quàm lucrum captat l. 33. 41. de R. J. Quidam putant posse partes in casu dubio compelli ad Transactionem, ita *Zasius* ad l. 2. §. ex his n. 12. D. de V. O. *Treutler.* l. c. quod rectè refutat *Bachov.* ibid. cùm ne validum quidem futurum sit, quod coactum est. add. Novell. 124. c. 4. Illud *M. Salvii Othonis* imitentur qui volunt, velle debent, qui per facultates possunt, id est Principes; hic Judex datus, rem controversam ab uno ligantium emit, alteri donavit, factoque hoc privato futuro splendori prælusit. vid. *Fulgos.* in Memorabil. lib. 8. c. 2. n. 2.

XI. Nos speramus ex mero jure decidi omnes casus posse, *Gloss. Landrecht.* l. 33. n. 2. (*wenn es ist kein Sache, do thu das Recht zu, als die Ertzney zu der Seuche*, Id est nullam esse causam, cui jure occurri non possit, uti nullus sit morbus qui omnem prorsus medicinam respuat) & *Treutler.* d. l. Dissentit *Bachovius*, quia Legum positivarum interpretatio admodum sit incerta, & ob opinionum, communium sæpe communes, pelagus dubium sæpe sit quæ opinio magis sit usu recepta. Sed quia Leges positivæ civili ratione nituntur jus naturæ & gentium velut in modum exceptionis determinante, ac specialius restringente; hinc jus istud naturæ & gentium in proposito aliquo casu tamdiu obtinebit, donec contrarium lege, quasi pacto universali populi (nam etiam quod Princeps leges ferre possit, ex populi in eum consensu descendit) introductum probetur. Quod si jam interpretatio incerta est, adhibendæ regulæ interpretandi rationis naturalis, & etsi pro utraque parte æquales regulæ & præsumtiones militent, judicandum contra eum, qui se in Lege aliqua positiva, quam tamen introductam satis probare non potest, fundat. Ita patet omnia ex mero jure naturæ & gentium in effectu semper decidi, quibus nihil incertum esse, ipse *Bachovius* fatebitur. Hoc igitur supposito talia decidi jure posse ruunt opiniones præcedentes omnes, quia existente primario cessat subsidiarium l. 1. §. 3. de dol. mal.

XII. Sed distinctione rem expedimus: in CASU PERPLEXO vel est *dispositio*, vel *concursus*. DISPOSITIO PERPLEXA est, quando intelligi potest, quis actor, quis reus; & quæstio est utrum actori jus competat, isque (vel ii, si plures actores sunt) fundat se in aliquo perplexo actu, qui actus, quia voluntarius est, & disponit aliquid circa rem disponentis vocatur à me *dispositio*: igitur hoc casu ab uno tantùm latere, actoris nempe, seu potiùs allegantis (nam & reus in exceptione perplexa se fundare potest, & tum pro actore habendus est) existit perplexitas. Unde facilè colligitur nostra REGULA. I. DISPOSITIO PERPLEXA INVALIDA EST, ET QUI SE SUPER EA FUNDAT, NIL OBTINET. adde l. 188. de R. J. l. 14. C. de fid. instrum. quò pertinet regula: in dubio reum absolvendum l. 41. l. 125. D. de R. J. l. 4. C. de Edend. *Rutg. Rulant.* de Com-

Commissar. p. 1. lib. 2. c. 19. n. 13. Quod fit in effectu nihil pronunciando v. supr. §. 7. Fit autem Dispositio perplexa variis modis in primis ob adjectionem aliquam, v. g. Conditionem, quæ conditionato vel *incompatibilis* §. 13. est, vel *identica* §. 14. item ob *plures personas*, sibi invicem obstantes, nam qui in dispositione perplexa se fundat, vel *simplex* est d. §. 13. & 14. seqq. vel duplex hinc dispositio circularis §. 17.

XIII. Incompatibilis Conditio est, cùm contrarium contrarii conditio est vel *directè*, v. g. *si hæres non eris*, *hæres esto*, ubi quis sibi substituitur l. 9. §. fin. D. de V. P. S. qui erat Casus I. vel *indirectè*, v. g. II. Testator, qui jam tum dodrantem legatis exhausit, *Titio* ita 100. legat, *si Legi Falcidiæ in suo testamento locus non sit*, quæ conditio cum legato tali propter ipsius testatoris factum incompatibilis; & hic brevissimè sensus est obscuræ legis 88. D. ad L. Falc. quam quasi in Syllogismos redegit Dn. *Rebhan.* in Hodeg. Jur. p. 294.

XIV. Identica Conditio etiam est vel *directa*, vel *indirecta*. Directam exprimit illud Germanorum. III. *warte biss du gebest*, id est: *gebe erst, wenn du schon gebest.* Indirectæ exempla sunt: IV. *si socius bonorum meorum manseris* l. 4. de Cond. Inst. V. *Si servum hæreditarium manumiseris* d. l. 4. §. 4. l. 20. eod. quæ omnia te hæredem jure stricto jam esse supponunt, hæres esto. Item VI. *si petiero, dare spondes?* cùm ante impletam Conditionem petere non possim, & impleatur, ea demum petendo, nisi vocem petendi benignius explices, nunquam poterit impleri l. 48. de V. O.

XV. Similis farinæ est VII. *Stichus liber, & postea, vel si liber erit, hæres esto.* Quæ institutio & libertatis datio stricto jure perplexa est, sed favore libertatis illud *postea* detrahitur l. 9. §. 14. l. 51. D. de H. I. Perplexitatem fortasse non quivis animadvertet, ergo ostendamus. Voluere nempe JCti veteres servum hæredem institutum prius hæredem esse intelligi, & in personam testatoris transire, deinde videri à seipso accipere libertatem. l. 6. §. 4. D. d. t. l. 2. §. 3. de stat. Lib. quia servus est necessarius hæres, nullus autem liber & extraneus necessarius hæres est, si igitur prius liber fieret, esset in ejus potestate, an velit hæres esse, quare ne hoc sit in ejus potestate expectet prius dum possit hæres esse. Unde cum Jure libertas suspendatur ex hæreditate, si contra voluntate Testatoris hæreditas suspendatur ex libertate, erit manifesta perplexitas. Huc pertinet l. 21. §. 1. junct. l. 22. D. eod. ubi dicitur: *servo libertas purè, hæreditas sub Conditione dari potest, ut tamen utrumque ex conditione pendeat.* Quomodo igitur & quare inquies utrumque, ex conditione pendet? ℞. quia in libertatibus legatis, dies demum cedit ab aditâ hæreditate, unde, quia pendente institutione hæredis scripti hæreditas adiri non potest, hinc mirum non est, libertatem etiam purè datam, suspendendam esse, dum conditio extiterit institutionis, per l. un. §. 6. Cod. de Cod. toll. quòd si eadem deficiat, perinde erit ac si libertas sine hæreditate data fuisset,

h. e. ſecundum diſtinctionem, virum in hac alius ſit ſcriptus hæres; qui hæreditatem adeat vel non, ac priore pridem caſu competat, poſteriore verò extinguatur d. l. un.

XVI. Ex hoc capite vulgò VIII. perplexam faciunt controverſiam Rhetoris à diſcipulo certam ſummam ſtipulantis, tum dandam, cùm diſcipulus primam cauſam obtinuiſſet. Diſcipulus moram in orandis cauſis facit, Rhetor igitur agit ipſe contra eum hoc modo: Hac, inquit, cauſa, ſeu vinces, ex pacto mihi tenebere; ſeu vinceris, ex re judicata: Cui diſcipulus contra, hac, inquit, cauſa, ſeu vincam, nihil tibi ex re judicata debebo; ſeu vincar, nihil ex pacto. Præceptorem *Protagoram*, diſcipulum *Evathlum*, Judices Areopagitas faciunt *Gellius* V. 10. *Apulei.* III. Florid. At in *Prolegomenis Rhetoricorum Hermogenis* ille *Corax*, hic *Tiſias* dicitur, *Hieronem* verò Judicem acclamaſſe dubium ſententiæ: Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Certè *Quintilianus* tam *Coraca* & *Tiſiam* Siculos, quàm *Protagoram* & *Evathlum*, de præceptis Rhetoricæ ſcripſiſſe refert, Inſt. or. III, 1. Controverſiam illam ſoli, quod ſciam, decidere conati ſunt *Laur. Vall.* lib. 3. Dialect. & *Joh. Caramuel à Lobkowiz* IX. Metalog. fol. 444. uterque pro præceptore ex principiis æquitatis magis quàm juris. Et *Caramuelis* ſententiam ex profeſſo expendimus *in Specimine noſtro Quæſtionum Philoſophicarum ex jure collectarum*, q. 12. Noſtra eſt, hunc caſum immerito referri inter perplexos. Nam Reſpublica in qua agitatur hæc quæſtio, plus tempore petentem vel amiſſione litis punit, ut olim Romani §. ſi quis agens 33. I. de Act. *Paul.* ſent. lib. 1. t. 10. de plus petendo, & lib. 2. t. 2. de pignoribus §. compenſatio. (vel aliis pœnis uti Conſtitutio *Zenonis* & *Juſtiniani* in l. 1. 2. C. de plus petit.) vel denique ex Jure gentium amiſſione inſtantiæ, uti hodiè moris eſt; illo caſu victus eſt *Protagoras*, hoc vicit. Nam *Protagoras* cùm petat à Diſcipulo ſalarium antequàm dies ceſſerit ac venerit, conditioque fuerit adimpleta (conditio enim ſalarii eſt: victoria primæ cauſæ,) haud dubiè plus tempore petiiſſe videbitur. Igitur cadet cauſa in hac inſtantia prima vice, eoque ipſo implebitur conditio ſalarii, quia eo ipſo *Evathlus* primam cauſam obtinuit. Igitur jam verè competit *Protagoræ* actio contra *Evathlum*, nulla amplius exceptione infirmabilis, ne rei judicatæ quidem, quia *Evathlus* ob exceptionem non peremtoriam, ſed dilatoriam non à lite ſed inſtantia eſt abſolutus. Ita æquitas & jus ſtrictum conjungentur, cùm in dubio cauſa Magiſtri favorabilior eſſe debeat.

XVII. Videamus nunc quando duo pluresve in perplexa diſpoſitione ſe fundant, ipſi incerti, quis eorum jus habeat contra tertium; hi ſe mutuò perimunt, ut ex fratribus Cadmæis unus *cominus enſe ferit*, *jaculo cadit eminus ipſe*; Quo pertinet IX. caſus legis 15. & 16. D. de Stat. Hom. Areſcuſa ſi tres pepererit teſtamento juſſa eſt libera eſſe. *Parit primò unum* (vel duos) qui haud dubiè ſervus naſcitur, quippe ex ſerva, conditione nondum impletâ; *deinde tres* (vel duos) ex quibus ultimus erit liber,

liber, quippe tribus (uno separatim, duobus cum ultimo) natis conditio impleta est. At *quid si non appareat, quis ultimus fuerit?* cùm non appareat, quis quem vincat, nec per rationem juris liberi omnes esse possint, *mutuò sibi impedient libertatem.* Favore tamen libertatis l. 16. C. de fid. lib. in casu non absimili determinat omnes liberos fore.

XVIII. Pertinent huc quoque DISPOSITIONES CIRCULARES eæque vel Incompatibiles, vel Identicæ. *Incompatibilis* species est X. l. 9. D. de V. O. à *Caio duo stipulantur*: *Titius, si Sejo non dederis, mihi dare spondes? Seius: si Titio non dederis, mihi dare spondes? Spondeo.* Quo casu non dubito strictò jure neutrum petere posse. Sed in d. l. 9. contrarium respondetur, quia benignius explicatur eorum sententia, quasi voluerint tantùm se duos reos credendi constituere, in quibus alias ipso jure sic comparatum est, ut si uni detur, expiret erga alterum obligatio. XI. *Identicæ* species est: *si Titius hæres erit, Sejus hæres esto; Si Sejus hæres erit, Titius hæres esto*, qualis institutio invalida est l. 16. de Cond. Inst.

XIX. Post *Dispositiones perplexas* sequitur CONCURSUS PERPLEXUS, in quo, contrà quàm in *dispositione*, non intelligi potest, quis actor, quis reus; nec quæstio est, utrum alicui jus competat, sed posito omnibus competere, quis alteri sit præferendus, in quæstionibus ordinis seu prioritatis. Talis perplexitas est ad minimum inter tria, si nempe A præcedat τὸ B. B præcedat τὸ C. & nihilominus, quod totam rem perplexam & circularem efficit in eâdem serie, ex alio principio, C. præcedat τὸ A. Sunt autem in omni concursu perplexo consideranda 4. (1) *Casus*, id est enumeratio concurrentium, v. g. A. B. C. (2) *Fundamenta Locationis*, seu positiones, quæ ad minimum sunt, tres, sic: *Positio* 1. A præcedit B. *Positio* 2. B. præcedit C. *Positio* 3. C. præcedit A. (3) *Schema perplexitatis* est vel immobile, vel mobile, *Immobile enumerando tres Vias*:

Via (I.) A per pos. 1. B. per pos. 2. C.
contra pos. 3.

Via (II.) B. per 2. C. per 3. A.
contra 1.

Via (III.) C. per 3. A. per 1. B.
contra 2.

Schema Mobile, in quo uno omnes viæ repræsentantur, quia triangulum circulo inscriptum mobile supponitur, & modò hoc, modò illud loco primo, medio, ultimo applicari, & quid emergat observari potest. Fundo autem immobili inscripta sunt loca, quia Locus immobilis esse debet; trianulo mobili in cuspide, personæ; quia de iis variæ sententiæ, & ordines & viæ sunt. Semper tamen A immediatum manet τῷ B, B.

B, B. τῷ C, C. τῷ A. Inter locum autem I & II, item II & III semper obtinet τὸ Per, inter locum III & I. τὸ CONTRA, quia cùm cætera pulchrè procedunt, semper quod in ultimo loco ponitur expostulat, & dicit hoc fieri contra aliquam positionum, & vult ipsi primo præponi.



XX. Perplexitas autem horum casuum populariter facillimè ostendi potest, quòd ibi rerum concurrentium nullum poni possit loco I. nullum loco III. seu ultimo, quia quolibet assumto aliquod datur prius & posterius. Id quod inter res finitas evenire non potest, nisi in situ in se redeunte, seu circulari. Sed est contra naturam ordinis, in quo necessariò prius & posterius datur. In Circulo autem principium & finis est θέσει tantùm.

tantùm non natura, cùm tamen in jure nihil ex mero arbitrio præponi vel postponi debeat. Aliud est, quando res ipsa certum principium inchoandi vel finiendi suppeditat. Ibi enim ista perplexitas cessat. Quale est v. g. si persona A, sciens personam B. se posteriorem, esse priorem persona C. nihilominus cum persona C. paciscatur, quod ea posterior esse velit, eo ipse fiet posterior persona B, ex ipso enim pacto personæ A, priori juri derogante, habemus incipiendi fundamentum. Unde Creditor hypothecarius in pignus tertii creditoris consentiens, etiam secundo posterior fit, & transit in tertii locum, ut habet Dn. *Carpzovius* piæ memoriæ, fax illustris Saxonici juris paucis ab hinc mensibus Lipsiæ cum summo omnium dolore extincta, ad p. 1. const. Elect. 28. d. 131. cujus ego Viri authoritate tanto libentius utor, quanto & praxi propior est, & plus habet in foro Saxonico Electorali autoritatis. Similiter si Princeps A rejecerit post C. rejecisse etiam intelligetur post B. per c. authoritate Martini 7. de concess. præb. in 6. Nam voluntas subditi in voluntate Principis continetur, *Th. Hobbes* Elementis de Cive c. 5. n. 67. Et similiter datur in hoc principium numerandi, perinde ac si ipse subditus sit pactus esset. Aliud est, si Princeps alia verborum parte nihilominus B postposuerit τῷ A, tunc enim manebit perplexitas. Præterea comparando *positiones*, si una pugnantium alterâ fortior est, v. g. una ex jure speciali, altera ex communi descendit, una alteram vincit, & victa non adesse intelligitur, cessatque perplexitas.

XXI. Ut autem in proximis casibus resolutio, ita in aliis ORIGO PERPLEXITATIS est à celeberrima regula: *si vinco vincentem te, multo magis vinco te ipsum*, per l. de accessionibus 14. §. etsi mihi pignori. 3. D. de diversf. & temp. præscript. seu, ut ego enunciare malo: *Prior priore est prior, posteriore.* Quæ ex intima Philosophia fluxit, & longè altiùs abstrahi potest, nam & causa causæ est causa causati, & genus generis est genus speciei, & requisitum requisiti est requisitum requirentis, & conditio conditionis est conditio conditionati, & simile simili est simile simulacro, & subjectum subjecti est subjectum prædicati, & pars partis est pars totius. Quæ omnes regulæ etiam inverti possunt, sic v. g. Totum totius est totum partis, prædicatum prædicati est prædicatum subjecti. Quales regulas omnes cum *Everbardo* in Locis Legalibus appellare possis: *argumentum à primo ad ultimum.* Putet igitur aliquis generaliter sic dici posse; *Si est* A. *ad* B, *ut* B. *ad* C, *similiter erit* A *ad* C. Quod verum est tùm in actibus, tùm in relationibus. In actibus indeterminatis, & generalibus nec cum speciali qualitate, quam fortè efficiunt sumtis, v. g. in genere physicè loquendo verum est: impellens impellentis, esse impellens impulsi, per longam consequentiam, nec semper sensibilem, tamen modi cessant, nam v. g. etsi ego lapidem fortiter impulero, non tamen semper lapis rem, evanescente ob spatium impetu. Tales actus speciales sunt: amare, societatem contrahere, manumittere, locare, mandare. Unde amicus

amicus amici meus amicus non statim est *Gl. in d. l. 14. lit. p. ad v. debet.* Socius socii meus socius non est l. 19. 20. pro soc. l. 47. §. 1. de R. J. neque libertus liberti mei meus libertus est l. 105. de V. S. si ego tibi mandavero, tu alii, non videtur meo jussu factum per l. 6. D. quod vi aut clam. Neque coloni mei aut inquilini colonus inquilinusve, meus colonus aut inquilinus est, quod & velle videtur tametsi subobscurè, l. 20. D. de vi & vi armata, nisi dicas d. l. fin. sc. 20. ff. unde vi. nisi dicas, eam hoc velle, quod propter dejectionem etiam secundi inquilini vel secundi Coloni domino detur interdictum unde vi, maximè juncta l. 30. §. fin. ff. de acquir. poss. Et hæc de actibus. Relationes similiter sunt vel indeterminatæ, vel determinatæ seu quantitatem continentes. In his non procedit catena hæc, seu Sorites, v. g. duplum dupli non est duplum simpli, sed quadruplum. Quo pertinet in relatione situs quantitas distantiæ, seu gradus, v. g. Proximus proximo non est proximus primo, & pater patris non est pater filii, sed avus; & avus avi non est avus nepotis, sed abavus. Quia termini: Proximus, pater, avus, indistantiam vel distantiæ quantitatem continent. Si verò loco patris, avi, filii sumamus terminum indeterminatum parentis & liberorum (quia & avus est parens, & nepotes sunt liberi) procedit: Parens parentis est parens liberorum: Similiter, si loco proximi & primi dicamus prior & posterior, emerget verissimum hoc: posterior posteriore est, posterior priore, vel contra: *Prior priore est prior posteriore*, scilicet *in eadem serie.* Sic accepta regula est illimitabilis, & contrarium implicat contradictionem.

XXII. Doctorum verò ingenium miratus sum, qui axioma hoc, quod sic enunciant: *Si vinco vincentem Te &c.* quoties favet adorant; quoties adversum est, elevant; cùm verò dotem cæteris præferri debere argumentantur, hac regula planè abutuntur. Nam incipiunt in ratiocinando ubi volunt, ab eo nempe, quem prælatum mallent, quasi nihil intersit, sed hoc ipsum in his gyris multum refert. Uti in puerorum dinumerationibus circularibus, quibus experiuntur per ambages, quis denique supersit; & includo regio, *im Königs-spiel*, multum interest, quæ manus primum substernatur. Et in talibus eventus etiam calculo prænosci potest *Schwenter.* delic. Mathem. p. 1. prop. 47. Quo pertinet elegans *Josephi* in specu demersi historia, nam cùm socii convenissent, ut sorte ducti semper duo se mutuò confoderent, ipse rem sic ordinavit, ut ad extremum cum imbecilli Judæo superesset, cui facilè quietem persuasit, uti ipse refert Bell. Jud. VI. 71. 72. & Egesipp. III. 18. Apud eundem *Schwenterum*, insignem quondam Academiæ Noricæ Mathematicum, p. 1. pr. 46. d. l. refertur simile quid de *R. Aben Esra.* Rectè igitur in illos, qui in his perplexis pro lubitu incipiunt, torqueri potest illud *Diogenis*, nisi fallor; nam cùm Sophista objiceret: ego sum homo, quod ego sum, tu non es, tu igitur non es homo; Bene habet, inquit, si à me inceperis, & in te desieris.

XXIII. Quo-

XXIII. Quoties igitur ipsis ab alia parte hoc objicitur (v. g. cùm ipsi argumentantur : Dos posterior præcedit hypothecam tacitam anteriorem, ista expressam intermediam, E. & dos hanc, & objicitur : imò verò incipite ab hypotheca expressa, hoc modo : Hypotheca expressa intermedia præcedit dotem posteriorem, Dos tacitam anteriorem, E. & illa hanc ; vel sic : Hypotheca anterior tacita præcedit intermediam expressam, hæc Dotem posteriorem, E. & illa hanc) statim regerent : istam regulam *si vinco &c.* in posterioribus duabus viis fallere. Cur igitur non similiter (in via prima) cùm doti favetis, fallit ? Propterea, inquient, quia in dubio pro dote pronunciandum l. 85. pr. de R. J. Sed favores tales tum demum adhiberi debent, cùm decisio aliter haberi non potest, quod contingit aliquando in dubiis facti, & de iis intelligenda d. l. 85. non in dubiis juris, qui semper tandem accuratè decidi possunt, supra §. 11. Quare accuratè sic dicendum : in talibus casibus regula : *si vinco vincentem te &c.* non fallit ; quia nullus alterum vincit in effectu, mutua victoria propriè non victoria, sed paritus appellatur. Cùm igitur vincant singula & vincantur à singulis per latus singulorum, omnia erunt paria. Conceditur igitur regula, consequentia seu major : Si *vinco vincentem te vinco te ipsum* ; negatur applicatio, & antecedens, seu Minor : QUOD *vincam vincentem te*, quia ab ipso iterum vincor per latus tuum, qui aliàs me vincis. Vulgò sic limitant : Cùm vinco vincentem te, te ipsum vinco ; *dummodo idem sit modus vincendi.* (v. g. *Ulysses Ajacem* vicit, *Ajax* aliquando *Hectorem*, ergone & *Ulysses Hectorem* ? quod falsum est. Quia *Ajax Hectorem* tunc fortitudine, *Ulysses Ajacem* eloquio.) Gloss. ad d. l. 14. D. de div. & temp. præscript. *Gl. Petrus* & *Cynus* ad Auth. Licet. C. de nat. lib. lit. m. *Joh. Andreæ Bononiensis* in addit. ad Gloss. c. 7. de concess. præl. in 6. *Oldrad.* consil. 189. fol. 62. *Bart.* ad d. l. 14. ad d. l. 16. qui pot. in pign. & ad d. l. 2. D. ad Sct. Tertyll. *Abb.* & *Felin.* in c. pastoralis in pr. de Off. Ordinar. *Lambert. de Ramponibus* in d. l. 16. *Salicetus* in Auth. quo jure. C. qui pot. in pign. *Roman.* consil. 436. & consil. 28. lib. 4. *Covarruv.* var. Resol. I, 7. n. 3. *Everhard.* Loc. Legal. à primo ad ultim. *Donellus* ad l. assiduis. C. qui pot. in pign. n. 9. in med. v. *Sed hoc dictum tunc locum habet. Joh. Robertus* lib. 3. Animadvers. C. 14. fin. v. *quòd illi regulæ tunc locus sit. Andr. Rauchbar.* p. 1. q. 4. n. 33. *Josias Nolden* de Stat. Nobil. c. 10. n. 107. Dissentiunt rectè, licet obiter tantùm, *Berlich.* p. 1. concl. 49. n. 27. *Dn. Carpzov.* p. m. p. 1. const. 28. def. 175. n. 7. Et certè limitatio ista incongrua est, tametsi communis. Ambiguitas est in voce vincendi, *Vincere* enim est non tam præcedere ordine, quàm excellere dignitate, licet *dignitas* quandoque sit fundamentum *ordinis.* Loquamur magis propriè, & enunciemus regulam, ut supra: *prior priore est prior posteriore*, sic cadet statim de *Ajace* & *Ulysse* cavillatio. Et unica limitatio adjici debet : *in eadem serie*, v. g. non sequitur *Titius*

Cajo in illo Collegio est prior, & *Caius Sejo*, E. & in hoc Collegio *Titius Sejo* est prior. In eodem collegio tamen, si hæc duo certa sunt, (1) *Titius Sejo* est prior. (2) *Sejus Cajo*, quamcunque ob causam id fiat, eo ipso, si omnes tres simul in una linea stent, necessariò etiam *Titius Cajo* erit prior & contrarium dicere, est nugari; Nostra igitur de mutua victoria, & hinc orta paritate commodior, ni fallor, responsio est, quâ non regulam destruimus, sed subsumtionem oppugnamus.

XXIV. Cùm igitur in *Concursu* de jure concurrentium non dubitetur, sed de ordine jurium, per §. 19. & in casu ejusmodi perplexo sint pares, per §. 23. res ad quam concurrunt, fiet *communis*, si fieri potest, sin minus, *uterque excidet*, quia causa non est, cur unus præ altero sit admittendus. Quare, ut hæc distinctè tractemus, duæ emergent Conclusiones. *Conclusio* I, quæ est in toto hoc negocio REGULA II. IN CONCURSU PERPLEXO AD REM INDIVISIBILEM, ET INCOMMUNICABILEM CONCURRENTES OMNES CAREBUNT. Quicquid autem *incommunicabile est*, seu non recipit partes pro indiviso & intellectu constantes, id multo magis erit *indivisibile* seu non recipiet partes reales: contra omne *divisibile* multo magis *communicabile* est. Solet tamen in iis quæ commodè dividi non possunt partibus non invitis hoc remedium adhiberi, ut alter rem accipiat, alter æstimationem, idque maximè in judiciis divisoriis, ut sunt Famil. herc. Com. divid. Fin. regund. viget, v. §. 5. J. de Offic. Jud. nec minus in libertate per l. 30. & t. t. C. com. de serv. & §. ult. J. de Don. de quibus mox, quanquam strictо jure minus accuratè, libertas enim inæstimabilis res est. In beneficiis hoc non procedit, esset enim SIMONIA. Sic incommunicabilis est PRÆBENDA seu beneficium, id est plures unum simul habere non possunt pro indiviso, c. majoribus 8. c. tuæ fraternitatis 20. c. delicto 25. de Præbend. (possunt tamen fructus unius, si satis opulenti, consensu impetrato scindi, & sic quilibet accipiet novum titulum seu beneficium, non videbitur divisum vetus c. vacante 26. eod.) quare per reg. 2. carebit uterque ex perplexo fundamento litigantium, *Geminian.* in c. cum qui col. penult. de eo qui mitt. in poss. in 6. *Fr. de Marchis* p. 1. q. 1149. n. 3. *Menoch.* remed. retin. poss. 3. n. 857. confer c. penult. de Præbend. in 6. ubi dicitur: *& quoniam quis eorum jus habeat dubitatur, nos neutrum habere decernimus.* Idem juris in LIBERTATE per l. 15. & 16. D. de Stat. Hom. v. sup. §. 17. adde l. 43. de Hæred. Instit. l. 31. de manumiss. test. l. 19. 27. de reb. dub. quia nemo pro parte liber esse potest argumento decisionis Justinianeæ in t. t. C. de com. serv. & §. ult. J. de Donat. quæ hæc est: si ex duobus communem servum habentibus unus manumittat, alter retineat, olim quidem & stricto jure manumittentis portio Dominica retinenti accrescebat, sed hoc *Justiniano* durum visum, constituit igitur, ut si servus pro parte manumissus retinenti pretium portionis suæ dominicæ

nicæ offerret, totus liber esset. Quod ipsum jam dudum in simillimo casu decisum est à *Juliano* in l. 30. D. de Liberali caus. Ubi elegans ad rem præsentem quæstio ferè ut in l. 16. qui pot. in pign. à nullo, quod sciam, adhibita in hoc negotio. Nimirum *duo petunt hominem*, *pro parte dimidia quisque*, *alter vincit*, *alter vincitur*. Et sequetur servum pro parte liberum esse, *ἄτοπον*. Quid igitur? *Sabinus*, *Cassius*, & stricto jure ipse *Julianus* putant, victoris totum esse, quia pro qua parte liber est, nullius est, & sic alteri accrescit. Idem tamen *Julianus* ex bono & æquo sic censet: cogendos judices ut in utraque causa idem pronuncient, sin consensus non contingat favore libertatis liberum fore, sed victori dimidium æstimationis suæ præstiturum, confer l. 9. §. 2. D. eod.

XXV. Sic & in TUTELA. Testator voluit, *Titium* Tutorem esse, duo sunt *Titii*, nec apparet, quem voluerit: cùm tutela sit indivisibilis, apparet enim testatorem Unum tantùm *Titium* velle, neuter tutor erit, per l. 30. D. de Test. Tutel. Quid de POSSESSIONE? si ad eam plures perplexo jure concurrant? cùm possessio sit indivisibilis, seu plures in solidum, eodem possessionis genere possidere non possint l. 3. §. 5. de acquir. possess. sequestrandam putavit possessionem *Butrigarius* ad l. un. C. uti possid. seu neutri interim tribuendam. Sed si accuratius considero, falsum illud Proculianorum Principium de indivisibilitate possessionis esse arbitror, verioremque *Sabini* sententiam in l. 15. §. 4. de Precar. & l. 3. D. uti possid. etiam de una eademque naturali possessione. Nam cùm qui in parte rei stat, reliqua animo obiens, totum possidere possit, *Paulus* in ead. l. 3. §. 1. de acq. poss. quid prohibebit plures simul in ejusdem fundi diversis partibus, ambos animo possidendi totum stare, assentientem habeo *Joh. Fabrum*, de castro aliquo loquentem in §. retinendæ, n. 27. v. si verò & de interdict. Neque de mobilibus aliud dicemus: falsum enim, contra naturam esse, ut quod ego teneam, tu tenere videaris, tametsi *Paulus* d. l. 3. §. 5. pro comperto habet. Ecce enim si urceum utrinque ansatum eodem tempore ego & *Titius* oppositis locis apprehendamus, quidni ambo teneamus aut possideamus, cùm dici non possit, uter magis aut minus possideat. Ergo arg. l. 5. verb. nec enim potest reperiri D. de fidejuss. & longè ineptiùs dicatur: Neutrum possidere. Quare & in solidum uterque possidebit, cùm altero subtrahente manum, alter nihilominus sustentaturus sit. Taceo, si servus communis, imò & amicus possessionem ingrediatur, animo eam pluribus acquirendi; Omnes quibus possidet, in solidum possidere. Dicendum igitur casu perplexo neutrum vinci, id est utrumque in possessione manere, per l. 3. pr. D. uti possidetis. *Sed hæc ex naturalis seu meri juris principiis disputavi*, *de cætero* Paulo *JCto controversiam autoritatis* (*quam ipsi* Justinianus *dedit*, *responsaque ejus in Pandectas relata vim legis civilis habere voluit*) *minimè facturus.*

H 2 XXVI. Cùm

XXVI. Cùm porrò diximus, Præbendas indivisibiles esse, concursus ad eas perplexi exempla videamus. Et est CASUS XII. in c. authoritate *Martini* 7. de concess. præb. in 6. In Ecclesia Parmensi *Martinus* Papa concessit gratiam expectativam *Titio* A. deinde *Bonifacius Cajo* B. denique idem *Bonifacius Sejo* C. cùm clausula ut præferatur omnibus gratiam habentibus à suis antecessoribus, non verò à se. Ortâ vacantiâ quæritur, quis prior sit: FUNDAMENTA LOCATIONIS sunt: (1) *Titius præfertur Cajo*, prioritate temporis, (2) *Cajus Sejo*, ob cessationem clausulæ prioritatem temporis irritantis. (3) *Sejus Titio*, per clausulam expressam. Circulus & PERPLEXITAS manifesta est. SCHEMA non adhibebimus singulatim, contenti semel in §. 19. posuisse. Unde quo faciliùs exempla possint ad Schema applicari, & addidimus hîc, & addemus alibi literas A. B. C. DECISIO Pontificis est in d. l. 7. ut Imo loco ponatur *Cajus*, secundus IIdo *Sejus* Tertius, IIItio *Titius* primus. Approbamus nos decisionem, v. supr. 20. §. fin. sed non rationem, quia Pontifex argumentatur ex l. 2. §. 17. D. ad Sct. Tertyll. sed ea, ut ibi diximus, est contra rationem juris, talia autem non sunt trahenda ad consequentias l. 14. l. 39. D. de Legibus. Porrò *Compostellanus* in d. c. 7. alium casum XIII. affert: Primus A accipit gratiam generalem, secundus B. specialem, Tertius C. specialem cum clausulâ, quòd omnibus præferri debeat generalem gratiam habentibus. Fundamenta Locationis sunt, ut in præcedenti casu. Ipse *Compostellanus* Imo loco ponit primum, IIdo secundum, IIItio tertium. Sed rectè Gloss. in d. c. 7. lit. e. ad v. primam secundus tuetur contrarium. Eadem enim, quæ in priori ratio & decisio est. Igitur ponetur secundus loco Imo, Tertius IIdo, Primus IIItio. Patet igitur in his casibus, perplexitatem cessare.

XXVII. Jam ad rem divisibilem & communicabilem: Quare sequitur *Conclusio* 2. & in hoc negotio REGULA III. principalis, IN CONCURSU PERPLEXO AD REM DIVISIBILEM AUT COMMUNICABILEM LITIGANTES OMNES ADMITTENTUR PRO RATA. Uti enim, si de facto incertum est, quis prior altero hypothecam v. g. aut arestum nactus sit, concurrunt Creditores pro ratâ, quod specialiter definitum in Electoratu Saxoniæ à Divo *Augusto* p. 1. c. 28. §. *nach jetzo berührtem*. v. *und da zwo Verpfandungen*, & ibi Dn. *Carpzov*. p. m. def. 146. & Ordinatio Processus Divi *Johannis Georgi Imi* t. 44. §. *do auch ihrer Zween*. Quidni igitur, cùm de jure incertitudo est? & quid dubitamus? in casu perplexo litigantes pares sunt, per l. 23. fin. supr. pares autem concurrunt pro rata: daturque æquilibrium justitiæ, cùm libra paria utrinque pondera sustinet. Idem & *æquitati* (id est æqualitati Geometricæ) congruum. Nam, ut ingeniosè definit *Vulteius* in Jurisp. Rom. pr. æquitas duorum pluriumve proportio est, id est, ut participent de jure pro rata meritorum causæ: Quò pertinet, quòd

quòd in dubio tenendum, quod minimum habet iniquitatis l. 200. de R. J. Medium nempe l. 3. D. si pars. hær. pet. l. final. 3. §. etsi quis 1. C. com. de Legat. add. *Cujac.* X. observ. 4. Quò pertinent, qui statuunt, dividendam rem *Dynus* & *Albericus* in l. Titiæ textores 36. D. de Leg. 1. quorum hic dicit ita Bononiæ observatum. Adde quos fusè citant *Tiraquell.* tr. de jure primogen. q. 17. opin. 4. & *Menoch.* Remed. retin. poss. 3. n. 755. Et argumentantur ab accrescendi, aut potius non decrescendi jure, in quo ab initio quisque habet solidum, concursu fiunt partes l. 89. D. de L. 3. l. 142. D. de V. S.

XXVIII. Talis concursus ad rem divisibilem est concursus ad possessionem *v. supr.* §. 25. item ad sessionem §. *hic.* Hæreditatem §. 29. 30. Bona debitoris §. 31. *seqq.* SESSIONEM putes fortasse indivisibilem, sed contra est. Sint enim duo in eodem Collegio inter se litigantes, uter locum tertium tenere debeat, uter quartum; & neuter sit in possessione, cùm pendente lite excludi à conventibus non possint, multo minùs, si negat decidi controversia: consequens est, hos duos litigantes esse in eodem loco indefinito, & quasi disjunctivo, ut aut hîc aut ille sit in tertio vel quarto loco. Nec obstat regula: non esse possibile, ut ubi ego sedeo, tu sedere videaris, *l.* 3. §. 5. *de acq. poss.* quam huc applicat *Dominicus Arumæus* tr. de Comitiis c. 7. n. 112. Quoniam hoc casu non unus sedet in loco alterius, sed potius in incerto relinquitur, uter in loco tertio sedeat, uter in quarto. Interim ita collocandi sunt, ut non appareat, uter prior sit, uter posterior. Quam in rem recenset complura remedia Dn. *Joh. Andr. Crusius* novissimè, tr. de Jure Sessionis l. 1. c. 7. v. g. (1) *remedium alternationis* n. 1. sqq. quod inter lineas diversas Saxonicas, item inter Hassiacas placuit, ut alternis Senior lineæ præcederet, primus autem actus alternationis determinatur sorte. (2) remedium *sedis extraordinariæ*, ita in Concilio Tridentino Legato Hispanico Gallis controversiam moventi datus locus extra ordinem è regione Franci, ad latus Secretarii Apostol. *l. Petr. Suavis Polanus* (id est transpositione literarum: *Paulus Sarpius Venetus*) Hist. Concil. Trident. lib. 8. p. 847. Etsi indignabatur Francus, & haud contentus non vinci, etiam vincere volebat. (3) *Sessionis promiscuæ*, *Crus.* d. l. n. 16. id solitum in actibus Extraordinariis in Comitiis *Crus.* (ex *Arumæo*) lib. 1. c. 1. n. 21. Et nonnunquam in Conviviis, quod, si Novellis fides, nuper Legatus quidam observavit Viennæ. (4) *Sortis*, quod probat *Venturus de Valentia*, improbat *Crus.* l. 5. 27. (5) *Mensæ orbicularis*, elegans remedium, quod suadet etiam *Crusius* l. 7. 11. sed non addidit, quàm multa prærequirat. Scilicet *mensam in medio* triclinii *positam*, ne dignior videatur, qui à tergo tutus se parieti applicare potest; *quatuor januas sibi oppositas*, alioqui is dignior habetur, qui januam prospicere potest, ad vitandas insidias; *in omnibus lateribus fenestras*, alioqui, qui luci nulli oppositus

 est,

eſt, inferior videbitur. Imò ſervatis his omnibus cautelis digniorem putat *Schwenderus* delic. Mathem. p. 7. Prop. 28. qui orientem proſpicit; ſic planè rueret remedium menſæ orbicularis, ſed ab oriente dignitas longiùs petita eſt. (6) *abſentiæ* ejuſque mutuæ (alioqui, qui ſolus abeſt, poſſeſſione ceſſiſſe videbitur) de quo remedio *Arumæus* de Comit. c. 7. n. 115.

XXIX. Concurſus Perplexi ad HÆREDITATES ab inteſtato exempla hæc obſervamus: XIV. ex l. 5. §. 2. D. ad Sct. Tertull. CASUS eſt: Avus emancipat nepotem, nepos ſuperſtite matre (A,) avo (B,) & patre (C.) moritur, quid juris? FUNDAMENTA LOCATIONIS: (1) *mater excludit avum*, l. 2. §. 15. D. eod. (2) *avus patrem*, per l. 1. §. 2. D. *ſi quis à parente manumiſſ.* (3) & tamen *pater matrem*, per d. l. 2. §. 15. D. ad Sct. Tertull. Quid igitur? DECIDIT *Paulus* Jctus in d. l. 5. §. 2. avum præferendum. Cauſam ipſe viderit. Mero certè Juri conſonantius, concurrere avum, patrem matrem. Occurrit CASUS non abſimilis XV. in l. 2. §. 15. D. eod. Defunctus reliquit ſuperſtitem, patrem naturalem (A,) ſed minimam capitis deminutionem paſſum arrogatione fortaſſe aut emancipatione, & ita non amplius agnatum, ſed cognatum; deinde matrem (B); & denique agnatum fratre remotiorem, v. g. patruum, (C,) FUNDAMENTA LOCATIONIS ſunt: (1) *Pater naturalis etiam non agnatus præfertur matri*, per l. 2. §. 15. D. ad Sct. Tert. (2) *Mater ex Scto excludit agnatum, qui non eſt frater vel ſoror conſanguinea*, à fratre excluditur, cum ſorore concurrit, §. 4. I. de Sct. Tertull. (3) & tamen *agnatus talis excludit Patrem non agnatum*, quia agnati vocantur ex LXII. Tabb. ut legitimi, cognati demum his deficientibus ex edicto Prætoris, per §. 4. J. de Legit. agn. ſucc. Quid igitur? *Ulpianus* in d. §. 17. decidit, matrem ſolum ſucceſſuram (aut ſi ſoror conſanguinea defuncti adſit, cum ea concurſuram §. 18.) Cauſam ipſe viderit. Mero certè juri conſonantius concurrere matrem, patrem, agnatum. Argumento hujus §. 17. ſed minùs rectè, utitur *Bonifacius* in d. c. 7. de conceſſ. præb. in 6. v. ſupr. §. 26.

XXX. Præcedentes duo caſus in Legibus extant, addamus duos elegantes ex interpretibus conf. *Everhard.* in loc. à prim. ad ult. n. 1. CASUS XVI. Statuto cautum eſt: agnatos uſque tertium gradum incluſivè excludere matrem: Moritur igitur aliquis, relicta Amita A. Fratre uterino B, matre C. FUNDAMENTA LOCATIONIS (1) *Amita excludit matrem*, per d. ſtatutum (2) *mater fratrem uterinum*, per jus commune, (3) *frater uterinus amitam*, itidem per jus commune. *Alboricus de Roſate decidit* pro Amita in 2. part. ſtatut. q. III. Et rectè, nam quia inter poſitionem 1. & 3. pugna eſt, prævalebit haud dubiè prima, quia jus ſpeciale derogat communi. Et ab iſta voluntate condentis ſtatutum derogatoria habemus principium ab amita incipiendi. Nec obſtat ſtatuta

ſtatuta ſtrictiſſimè interpretanda, aliud enim interpretatio, aliud neceſſaria conſequentia, qualem præbet regula: *ſi vinco vincentem te, &c.* adde §. 20. fin. Similis CASUS XVII. Statutum eſt: filiam excludi ab agnatis ad gradum tertium incluſivè, & agnatos ultra ſecundum gradum à fratre uterino. Moritur aliquis relicto fratre uterino A. Amita B. filia C. FUNDAMENTA LOCATIONIS. (1) ***Frater uterinus excludit amitam***, per d. ſtatut. expreſſ. (2) *Amita filiam*, per d. ſtatut. expreſſ. (3) *filia conſanguinea fratrem uterinum*, per jus commune. ***Socin.*** vol. 1. conſil. 1. fin. decidit pro Fratre, & rectè, per rationem decidendi caſus præcedentis.

XXXI. Nunc denique ad perplexitatem in CONCURSU CREDITORUM deveniemus. Cujus exempla habent ***Andr. Rauchbar.*** p. 1. quæſt. 4. Apud quem eſt caſus noſter 10. 20. 21. 24. ***Matth. Berlich.*** p. 1. concl. 49. per totum. apud quem ſunt noſtri caſus concurſus creditorum omnes præter 18. & 22. Ex quo hauſit, quæ de talibus caſibus habet ***Johann Leib***, ſupr. cit. §. 10. tr. *vom Vorgang der Glaubiger*, à pag. 62. uſque ad 68. quemadmodum alias totus tractatus ex ***Berlichio*** extractus eſt. Porrò *Dn. Carpzov.* p. m. in definitionibus p. 1. c. 28. d. 175. 176. 177. habet caſum noſtrum 19. 20. 23. & caſum 16. repetit in Reſponſis lib. IV. Reſp. 17. Sunt hi, quos dixi omnes juris Saxonici interpretes, & caſus noſtri 18. 19. 20. 21. ſunt juris communis & Saxonici, reliqui Saxonici tantùm. Caſus tamen 24. & 25. habebant locum ex Jure Saxonico *D. Auguſti*, ſed ceſſat eorum perplexitas ex Jure Saxonico ***D. Johannis GeorgI*** primi, poſtquam conſtitutiones in Ordinatione Proceſſus hac in parte non parum ſunt immutatæ. Cæterum, ut hoc quoque addam, in jure Saxonico *Joh. Georgius I.* Glorioſiſſimæ Record. Princeps armis & toga inclytus, viam monſtravit apertiſſimam, caſus iſtos ſine diſputatione ſolvendi. Ita enim loquitur, Ord. Proc. t. 43. §. final. ***wenn man aber. fol.*** 590. Corp. Saxon. p. 1. ***wenn man aber keine Nachricht haben kan, welche dingliche Gerechtigkeit unter den Glaubigen alter ſey: ſoll in ſolchen Zweifel erſtlich das Eheweib ihres eingebrachten Ehegelds, folgends die Mundlein***; (ſc. ſi habent jus reale cum privilegio, v. g. jus crediti ad emtionem, refectionem) ***und zum dritten der Fiſcus ſeiner Schuld bezahlet werden, die folgenden aber &c. werden einander gleich gerechnet.*** Ut igitur in dubio facti, ita in dubio juris mens eadem Sereniſſimi Legiſlatoris videtur extitiſſe, quæ etiam in Praxi obſervatur.

XXXII. Jam ad ipſa Exempla. CASUS XVIII. expreſsè extat in L. *Claudius Felix.* 16. qui pot. in pign. *Claudius Felix* eundem fundum tribus oppignoravit: Primò *Eutychianæ* A. ſecundò *Turboni* B. Tertiò *Titio* C. creditor primus contra tertium de ſuo jure docens, vincitur, & ſententia tranſit in rem judicatam. Accedit mox & ſecundus, is docet ſe *Eutychianæ* quidem poſteriorem, ſed *Titio* priorem eſſe. Sperat igitur *Euty-*

Eutychiana hujus adventu se jus suum contra *Titium* indirectè recuperaturam, *Titius* sperat se per latus *Eutychianæ* etiam hanc superaturum. Quid igitur juris? FUNDAMENTA LOCATIONIS (1) *Primus præcedit secundum* prioritate temporis, (2) *Secundus tertium*, ex eodem fundamento, (3) & nihilominus *Tertius primum*, ob rem judicatam. Nam res judicata pro veritate habetur, l. 207. de R. J. & ut eleganter ait *Bachovius* ad Tr. I, l. 1. v. verùm non nisi unum. Verum, inquit, vel judiciale vel reale est. DECIDENDUM igitur mero jure Imo loco ponendum secundum, IIdo Tertium, IIItio Primum. Quia pugnant Posit. 1. & 3. sed cùm verum judiciale vincat verum reale, in præjudicium ejus, qui sententiam sua culpa passus est rem judicatam fieri, vincet pos. 3. & positio I. habebitur pro nulla. Decisionem JCti *Pauli*, ut mollissimè dicam, non intelligo. Negat restituendam *Eutychianam* (quanquam id humanissimum,) negat Tertium etiam secundo præponendum, & hactenus rectè. Sed cùm negat etiam Secundum *Eutychianæ* præponi debere, acumen ejus requiro. Nam quid denique decidit, aut quomodo negatis prioribus aliter possibile est? Nam Secundum vult præponi Tertio, & Tertium primo in eadem serie: quo posito Secundum etiam Primo præpositum est verum, quàm ter tria esse novem. Et si aliter dixeris, secundus post Tertium dejicietur (dejicitur enim post Primum à *Paulo*, & Primus post Tertium à sententia) & *Paulus* in hoc ipsum incidit, quod vitat, ut res inter alios judicata alii noceat. Satius autem rem inter alios judicatam alteri prodesse quàm nocere, & cùm alterutrum necessarium est; qui in culpa est, eum bis plecti, quàm innocentem semel. Nisi pro *Paulo* sic respondeamus. Creditores in specie l. 16. ff. qui pot. in pignor. possunt dupliciter considerari, primò in simultaneo concursu, secundò in hypothecariâ seorsim instituendâ; si posteriori sensu loquitur *Paulus*, rectè sentit, rem judicatam pro tertio, non profuturam secundo contra primam, quid enim, si prima esset in possessione fortè de consensu Tertii post rem judicatam, nunquid non optimè dicetur, integro jure contra secundum uti posse, necquicquam obstante re judicata.

XXXIII. Sequuntur casus, qui à Doctoribus moventur, & vel communes juri communi & Saxonico simul, vel Saxonico proprii; in Communibus omnibus concurrunt dos & hypotheca, quibus si addas aliam tacitam oritur casus 19. privilegiatam 20. fiscum 21. Igitur in CASU XIX. concurrunt Hypotheca Tacita anterior, A. expressa intermedia B. Dos posterior, C. FUNDAMENTA LOCATIONIS HYPOTHECA TACITA ANTERIOR PRÆCEDIT EXPRESSAM INTERMEDIAM per l. 2. & 8. qui pot. in pign. c. qui prior 54. de R. J. in 6. id est prioritate. (1) EXPRESSA INTERMEDIA PRÆFERTUR DOTI POSTERIORI, ita Gl. *Bart.* & Dd. communiter ad l. assiduis 12. C. qui pot. in pign. & *Socinus Jun. Ripa*, & Dd. com-

communiter ad l. 1. D. sol. matrim. Hæc sententia est communis, & tenetur in praxi, *Ant. Fab.* in C. Sabaud. lib. 4. tit. 8. def. un. eamque sequitur Camera *Gail.* 2. obs. 25. n. 10. *Bern. Greven* lib. 2. concl. pract. 25. n. 1. (etsi contrarium testatur *Mynsinger* locis citantis.) Jus Saxonicum p. 1. Const. Aug. 28. pr. v. *die nicht altere ausdrückliche.* Ord. Processf. *Joh. Georgl.* t. 43. pr. v. *aber gleichwol nicht den jenigen*, adde Lipsienses, Witebergenses, Ienenses, quos latè citat *Moller.* ad Const. Aug. d. l. n. 33. Marchia, *v. Scheplitz.* ad consuet. March. p. 3. t. 2. §. 24. q. 1. n. 3. Hispania D. id. *Covarruv.* Var. resol. l. 7. n. 1. concl. 3. Gallia *Chassanæus* Catal. Glor. Mund. p. 2. consid. 99. col. 6. Italia *Matth. de Afflict.* decis. Neapol. 306. imò totus mundus Dn. *Carpz.* p. m. p. 1. c. 28. d. 65. n. 10. Sed Theoriæ juris & menti *Justiniani* in l. assiduis 12. C. qui pot. in pign. convenientius fortasse dotem indistinctè etiam anteriori expressæ præferri. Ita *Martinus Gloss. Bologn.* ad d. l. 12. n. 174. *Jason.* in repet. l. quæ dotis D. sol. matrim. & ad l. 1. C. rem alien. gerent. col. 2. lect. 2. *Ant. Fab.* lib. 13. conjic. 11. *Joh. Mich. Beuther.* tr. de jur. prælat. p. 1. c. 35. *Ant. Guibertus* tr. de Dot. c. 7. n. 5. *Fachin.* controv. Ill. 99. X. 35. *Joh. Bapt. Schwarzenthaler* de pignor. c. 28. *Joach. Mynsing.* ad §. fuerat 29. I. de Act. & cent. 4. obs. 13. Tametsi quidam mediam sententiam tenere volentes dotem omnibus præferant si ipsa habeat expressam tacitis, si tacitam. *Angel. de Perus.* in auth. de æqual. dot. §. his consequens. *Aretin.* in l. 1. col. 5. D. sol. matrim. *Paris.* ibid. n. 2. *Negusant.* 4. membr. 2. partis, nu. 100. Sed ut dixi, sententia prima tenetur in praxi. (3) Et tamen Dos PRÆFERTUR HYPOTHECÆ TACITÆ ANTERIORI per d. l. 12. C. qui pot. & proximè citatos. Hic casus perplexus DECIDITUR pro Dote à *Salic.* in auth. quo jure C. qui pot. in pign. *Everhard.* Loc. à prim. ad ult. n. 3. *Rauchbar.* l. c. n. 12. *Dan. Moller.* l. c. n. 34. Dn. *Carpz.* l. c. d. 175. & lib. 4. Resp. 17. *Berlich.* hos casus arbitrio judicis relinquit. d. l. n. 30. Illi de Jure Saxonico rectè, per §. 31. fin. sed de communi concurrent pro rata, per §. 20. fin. & §. 27. Quia quantum pro Pos. 3. *Justiniani* Lex, tantùm pro 1. & 2. usus nostrorum temporum valet.

XXXIV. In CASU XX. concurrunt anterior expressa, A. Dos intermedia B, Hypotheca posterior ex credito, quod salvam pignoris causam fecit, v. g. in refectionem, emtionem, C. FUNDAMENTA LOCATIONIS: (1). *Anterior expressa præfertur doti*, per §. 33. *pos.* 2. (2) Dos hypothecæ in refectionem per expressam *d. l.* 12. (3) *hypotheca in refectionem anteriori expressæ* l. 1. D. in quib. c. pign. vel hyp. tac. contr. l. 4. qui pot. in pign. Novell. 97. c. 3. Hanc perplexitatem olim movit primus *Martinus Glossator* in gl. d. l. 12. v. licet anteriores sint. (Qui ob eam causam etiam dotem præfert anteriori expressæ.) habet & *Covarr.* d. lib. Var. Resol. 7. n. 3. pro dote decidunt *Salic.* & *Everhard.* l. c. *Carpzov.* d. 176. dissent. *Rauchb.* d. l. n. 16. Ego idem quod in superiori casu sentio.

XXXV. In CASU XXI. concurrunt: Hypotheca tacita anterior, A.

 Fiscus

Fiscus intermedius, B. Dos posterior C. FUNDAMENTA LOCATIONIS: (1) *in bonis jam quæsitis hypotheca tacita anterior præfertur Fisco intermedio* l. un. C. rem alien. gerent. v. cùm suo onere, quem textum, quod sciam, ad hoc non citant. Dn. *Richter.* de privil. Cred. disp. 7. sect. 2. ampl. 2. (2) *Fiscus intermedius præfertur* Doti posteriori, per l. quamvis 2. C. de privil. Fisci Diff. *Donell.* ad d. l. 12. (qui putat *d. l.* 2. esse abrogatam, per *l.* 12. C. qui pot. in pign.) (3) *Dos posterior præfertur tacitæ anteriori*, per d. l. 12. *Donellus* evitat, ut dixi, perplexitatem. Dotem etiam sic præponunt *Joh. Robert.* Animadv. lib. 3. c. 4. *Rauchb.* d. l. n. 24. Dissent. *Berlich.* d. l. n. 10. Mihi videtur quod supra.

XXXVI. Sequuntur Casus juri Saxonico proprii. Et Casus XXIII. hic est: in Ord. Proc. Sax. ut dixi §. 31. fin. constitutum est, si non apparet, quis tempore prior sit; Fiscus, pupillus, dos, locandos sic: Dos, pupillus, fiscus. Esto igitur CASUS; Fiscus A anterior est dote B. Dos, & Pupillus C. incertum anteriores an posteriores tempore; similis incertitudo est inter pupillum & fiscum FUNDAMENTA LOCATIONIS: (1) *Fiscus præcedit dotem* tempore. (2) *Dos pupillum*, constitutione. (3) *Pupillus fiscum* constitutione. Dicendum: Fiscum primo loco poni, Dotem secundo, Pupillum tertio. Quia habemus principium incipiendi à Fisco. Dos verò & pupillus videntur eodem tempore extitisse.

XXXVII. In CASU XXIII. concurrunt ad *rem immobilem* Hypotheca Notarialis (id est coram Notario & Testibus) anterior A, Arestum intermedium, B. Expressa judicialis posterior, C. FUNDAMENTA LOCATIONIS. (1) *Hypotheca Notarialis anterior præfertur Aresto intermedio.* Dn. *Carpz.* p. 2. c. 23. d. 14. (2) *Arestum judiciali posteriori.* Ord. Proc. t. 43. pr. v. *allen andern*, & tit. 44. §. *alle diese Glaubiger.* (3) Et tamen *Judicialis posterior præfertur Notariali anteriori in immobilibus.* Constit. Elect. *August* p. 2. c. 33. §. *es sollen aber.* In hac perplexitate nihil decidunt *Dan. Moller.* ad d. const. 23. n. 29. *Berlich.* p. 1. concl. 40. nu. 12. 13. 14. At Dn. *Carpz.* p. 1. c. 28. *d.* 177. ponit sic: Arestum, Judicialis, Notarialis. Ita ut cedat Positio I. quia non expresso jure Saxonico speciali ut cæteræ, sed communi regula subsistit.

XXXVIII. Subnectam duos casus, quorum perplexitas orta ex Constitutionibus D. *Augusti*, sublata per Ord. Proc. D. *Johannis Georgii I.* In casu XXIV. concurrunt: Arestum anterius A. Hypotheca expressa intermedia B. Depositum consumtum necessarium posterius C. FUNDAMENTA LOCATIONIS: *Arestum anterius præfertur expressæ intermediæ hypothecæ*, v. supr. §. 37. pos. 2. (2) *Hæc deposito consumto necessario posteriori* prioritate temporis, (3) & tamen *tale Depositum Arestantibus anterioribus* per p. 1. Const. 28. *Rauchbar.* l. c. n. 10. affert præjudicium, ubi hic ordo: Hypotheca. Depositum. Arestum. Hodiè per Ord. Proc. Posito. 3. sublata est, & Arestantes Hypothecariis expressis accensentur. Depositum verò tale habet solùm jus tacitæ Hypothecæ. Igitur sic locabuntur:

buntur: Arestum. Hypotheca. Depositum. Adde *Dn. Carpz.* d. l. d. 151.

XXXIX. In casu XXV. & ultimo concurrunt: Arestum anterius A. Expressa intermedie B. Dos posterior, C. Fund. Loc. (1) *A præfertur τῷ* B. per §. 38. fin. & 37. pos. 2. (2) B. *præfertur τῷ* C. per §. 34. *pos.* 2. (3) & tamen C. *dos posterior præfertur τῷ A. id est Aresto anteriori*, ita omnino per d. const. 28. p. 1. quæ tribuit Arestis tacitam hypothecam, sed hoc ut dixi in Ord. Proc. t. 48. mutatum est & Arestum hypothecam expressam tribuit. Adde Dn. *Carpz.* d. l. def. 66. Unde cessat perplexitas.

XL. Hos casus perplexos strictè dictos hactenus observavimus. Plures reperiri non dubito, præsertim ex variis Locorum Statutis & consuetudinibus. Hos addat aliorum diligentia: nobis satis erit, quantum in hâc brevitate licuit, regulas decidendi tradidisse: sicubi erratum est, cogitet, qui legit, nos instar quod omnium excusationum est, de perplexitate disseruisse.





SPECIMEN DIFFICULTATIS IN JURE,

SEU

QUÆSTIONES PHILOSOPHICÆ AMOENIORES, EX JURE COLLECTÆ.

PROŒMIUM.

REm aggredior, non facilem quidem ac meis viribus æqualem; fructuosam tamen fortassis in commune, mihi certè accommodatam, qui innutritus Philosophiæ, cùm ad prudentiam Juris animum appulissem, resiliebam, quoties occasio dabatur, ad priora; & quod vel ex ipsis, vel affine ipsis erat, curiosè annotabam. Proderit autem hujus, quod nunc molior, consideratio ad demendum apud Juri deditos contemtum Philosophiæ, si videant & plurima sui juris loca sine hujus ductu inextricabilem labyrinthum fore, & veteres suæ scientiæ autores, mystas quoque sapientiæ summos extitisse. *Ulpianum* certè credibile est l. 10. §. 2. D. de J. & J. Jurisprudentiam divinarum ac humanarum rerum notitiam appellavisse, quòd sine his tanqùam præcognitis neque JCtum absolvi, neque, quod sequitur, justi atque injusti scientiam comparari posse judicaret. Non contentus hac Jurisprudentiæ gloria, Philosophia pulsâ collocare in throno sapientiæ eam solam conatus est *Lud. Malquytius* tr. de Vera JCtorum Philosophia. Prudentius *Joachimus Hopperus Frisius* in Seduardo suo, & qui eum secutus est, ediditque Summus Vir, *Herm. Conringius* tum in præfatione, tum alibi in Propolitico & libro de Prudentia Civili partem sapientiæ Juris quoque cognitionem fecère, sed non

non ut propterea Philoſophiam deprimerent; quod interpretes quidam Juris in l. 1. §. 1. de J. & J. nimio ſtudioſiùs ſunt conati. Videatur inter alios *Fortunius Garcia Hiſpanus* prælect. in h. tit. *Ariſtotelis* profeſſus hoſtis. Cæterùm cùm moribus magis quàm naturâ rei ſcientia Juris ſit duplex; alia legum, alia Canonum; ex hac hauriri diffuſa dogmata philoſophica innumera ſine dubio poſſent, quoniam eorum autores interpreteſque in monaſtica Theologia, quæ tota philoſophica erat, effloruerant, unde & *Abbas Panormitanus* Juris Civilis doctrinam merè practicam, Canonici propter inſertas ſpeculationes plurimas mixtam eſſe contendebat, refutatus propterea ab illo ipſo *Garcia* tr. de fine ultimo juris Canon. & Civ. n. 48. Sed noſtro inſtituto eo ipſo, quòd parcius ibi hæc diſſeminata ſunt, jus Civile commodius viſum eſt. Neque enim Juridica omnia ſunt, quæ in juris corpore ſparſa reperiuntur? Non magis, quàm omnia, quæ in Sacra Scriptura legas, Theologica Dogmata ſunt, in qua omnium diſciplinarum ſemina contineri præter innumeros alios, (nam & *Athanaſius Kircherus* arcana omnium ſcientiarum ex Scripturis eruta, ſeu *Polypædiam Biblicam* pollicebatur) *Joh. H. Alſtedius* in Triumpho Biblico per omnes diſciplinas oſtendit. Planè igitur uti Sacra Scriptura (teſte *B. Sperlingio* Synopſ. Phyſ. Proœm. q. 6.) ſic etiam *Corpus Juris liber eſt, non diſciplina, ubi ſibi apta quivis & reperire & ſeligere poteſt*. Ac præcipuè practicæ Philoſophiæ autores, *Liebenthalius*, *Arniſæus*, *Grotius*, *Olingerus* (cujus etiam Orthographia Legum extat,) Ethica Legali, *Vincentius Turturetus* in Parallel. Ethic. & Jurid. ed. Pariſ. 1629. *Bodenſteinius* in Juriſprudentia politica, *Ad. Kellerus* de officio Jurid. polit. aliique, ut *Caſiſtas* taceam, inde dogmata plenâ manu petivêre. Logica etiam plurima ineſſe oſtendere *Fr. Hottomannus* inſtit. Dialect. *Joh. Th. Fregius* Logica JCtorum (qui *idem* in *phyſica* quoque *ſua* ex jure multa inſperſit) *Martinus Schickardus* Logica Juridica, *Nicol. Vigelius*, *Matth. Stephani* & *Dan. Otto* in Dialectica quiſque Juris, tum *Nic. Everhardus* in Locis Argumentorum Legalibus, ac Synopſi Topicorum *à Georg. Adamo*
 Bru-

Brunero edita, quibus *Neldelius* noſter P. V. Prati Philoſophici, ſeu de applicatione Logicæ ad Juriſprudentiam non incommodè adjungetur. Quæ verò ad contemplativam faciant Philoſophiam, oppido rara ſunt. Collegit Phyſica *Paulus Zachias*, *Medicus Romanus* in Quæſtionibus Medico-Legalibus, & quædam obſervavit jam ante *Martinus Del Rio* in Diſquiſitionibus Magicis, & *Baptiſta Çodronchius* Methodo teſtificandi in quæſtionibus Medico oblatis. Metaphyſica (niſi quod Logicis immiſcentur) & Mathematica, ſi demas, quæ à *Budæo* aliiſque de *Aſſe* & ejus partibus acutè diſputata ſunt, quantum ſciam, nemo. Eleganter igitur *Albericus Gentilis* lib. de nupt. c. 8. fin. *Nos quoque in libris Legum Juſtinianæarum non modò habemus, quæ ſunt ſubjecti & finis juris humani, ſed & quæ divini, & aliarum ſcientiarum omnium.* Aitque argutè *Ant. Faber.* l. Juriſp. Pap. 3. conf. 2. *ut juſtitia virtutes, ſic Juriſprudentia ſcientias omnes contineri.* Add. *Duarenum* in Libello, quem *Scævolam* vocat, & Com. de V. O. inſeruit, n. 6. fol. opp. 792. *Beſoldum* templo Juſtitiæ & *Guilielmum Onciacum* in Quæſt. Jur. Philoſoph. Vid. *Mart. Del-Rio* lib. 1. de princip. jur. cujus operis pleraque non deſunt, qui *Hopperi* laborem dicant, *Bened. Winclerum* libello ejuſd. argumenti, & pec. tr. Philoſopho Juridico *Henr. Gebhardi Cancellarium Geranum* de principiis juris ex aliis diſciplinis petitis ed. Geræ, 8. 1613. Quæ omnia me quoque ad hos conatus excitarunt. Quare in hoc genere corraſi nonnulla, non nimis anxiè quærenti ſe primum offerentia, & in medium propoſui, datâ tamen opera ne ea tantùm afferrem, quæ ex quolibet horum peti poſſent. DEUM verò obſecro, ut adeſſe mihi ſine ſua ope invalido, & leges bonaſque artes præterea, quibus utriſque nunc homines Cyclopici inſultant & perniciem minitantur, conſervare dignetur.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

VIsum est *Logicas* duas Quæstiones in fronte locare, quarum *prima secundam*, *secunda tertiam mentis operationem attingit*. Quod igitur primam attinet, *quæritur*, *an propositio indefinita æquipolleat universali*, ex l. 158. D. de V. S. & l. 23. verb. & humanius. D. de Serv. præd. urb. Ubi initio voces explicandæ sunt. Indefinita oratio est, quæ signo caret: quoniam autem necesse est Terminum communem in mente vel pro omnibus, quæ continere potest, vel quibusdam supponere, patet in oratione non interna sed externa indefinitam esse, signum verò subintelligi. Paulo aliter voces accepit *Bartolus* in l. si ita 7. D. de aur. & arg. leg. ei oratio Universalis est, cùm totum aliquod aggregatum nomine collectivo designatur, v. gr. Grex aut universitas aliqua; indefinita, quando vel Singulari effertur, quod multos involvit, ut *militem colligere*, l. 158. D. de V. S. vel plurali, sed fine signo, ut *filios meos hæredes instituo*. Orationem verò, in qua signum expressum est, appellat Generalem, quam acceptionem esse contra morem Legum *d. l.* 23. ostendit, ubi dicitur: *& humanius est*, *verbo generali omne lumen significari*. Ubi verbum Generale verbo expressè universali opponitur. *Baldus* verò acutè inter Universale ratione signi, quod propriè tale est, & ratione rei, quod ab JCtis universitas dicitur, & est potius totum distinguit. Quem sequitur & egregiè explicat *Did. Covarruvias* Var. Resol. l. 1. c. 13. n. 2. cujus totum c. 13. in explicanda Indefinitæ vi consumitur. Ad resolvendam autem accuratius propositam quæstionem distinguendum est inter formale & materiale indefinitæ, seu quod in se & præcisè, & quod ex subjecta materia importat. In se igitur indefinita ratione valoris & significationis differt quodammodo ab universali & particulari, quia habet se indeterminatè ad ea & permissivè, quemadmodum aliàs genus à speciebus differre solet, v. gr. animal aliquod est quidem vel brutum vel homo; formaliter tamen ab utroque præscindit, & vi terminorum in se neutrum importat. Materialiter indefinita vel est universalis vel particularis significationis (uti animal in se neque homo neque brutum est; quicquid tamen animal est, vel brutum vel homo est) materia enim vel necessaria est, & tum certò colligitur, quòd indefinita æquipolleat universali, *Covarr.* d. l. n. 6. vel contingens, & ibi probabiliter, quomodo accipienda sit, subodoramur, quod d. l. 23. vox Humanius declarat. Has conjecturas explicant *Andr. Alciatus* in d. l. 158. de V. S. & *Brunerus à Sole* in Locis Commun. Jur. verb. *indefinita*, tum fusè *Covarr.* d. l. per tot. Addendæque aliàs Leges interpretandi generales apud *Grotium* de J. B. & P. I. 16. Specialiorem excussionem JCtis quorum munus est interpretari, relinquemus.

QUÆ-


QUÆSTIO II.

NOtus est apud Philosophos canon: *Affirmanti incumbit probatio*, qui non videtur consistere cum altero illo posse, *quod opponens teneatur ad probationem.* In dubio igitur prævalere posterior debet; ex contractu, ut ita dicam tacito. Nam qui progressus est ad disputandum responsurus, eo ipso se tacitè obligavit tantùm ad defendendum theses; opponenti igitur probandum est, &, si affirmanti probandum esset, inverso rerum ordine argumentaretur Respondens, exciperet Opponens, quando quidem Theses plerumque sunt affirmativæ, quas deinde opponens negat, absurdasque esse contendit. Adde etiam, quod regula illa prior rem planè inexplicabilem redderet. Quid enim, quàm facilè mutatis vocibus negativa in affirmativam & contra transmutari potest? Hic planè tolleretur omnis pene disputatio, & antequam inveniri posset, sitne aliqua propositio ex ipsa rei natura affirmativa, an negativa, infinitis litibus opus esset. Apud Philosophos igitur pro cathedra disputantes certum est, quod Respondens, qua talis, neque probet neque principium petat. Apud partes verò in foro litigantes non est determinatum universaliter, Actor, an reus teneatur ad probationem, quoniam neque tacitus inter partes de eo contractus intercessit, neque etiam, ut apud Philosophos contemplantes, potest à sententia & decisione supersederi sine alterius partis præjudicio. Sed ita comparatum est, ut si sententia supersedeat judex, eo ipso tacitè causa cadat Actor, id est, quod petit, non consequatur. Quare necesse est, quomodocunque licet, erui ex actis & probatis veritatem, ut decidi res possit. Ex hoc sequitur, ut ei imponatur onus probandi, qui commodissimè potest, ne res sine probatione abeat. Et quia regulariter, qui super aliquo se fundat, debet intentionem suam probare, *Frid. Schenck.* tr. de probat. n. 1. & 2. Hinc vel actori vel reo, primum asserenti vel affirmativam vel negativam incumbit probatio si potest; sin non potest, ipsa necessitate cogente, ne veritatis inquisitio intercidat, onus in alterum transfertur: & est hæc illa vulgata probatio Negativæ: ego hoc nego, qui affirmat ostendat. *Cravet.* consil. 1. n. 10. Generaliter igitur cùm negans probare non potest sive sit penitus, sive moraliter impossibile, onus probandi contrarium transfert in eum, qui si ita esset videtur posse, vid. *Mart. de Fano* de Negativa probanda n. 2. & 3. qui extat Vol. 1. Tract. & *Franciscum Herculanum*, tr. ejusdem argumenti, qui nuper ambo uno volumine prodierunt. Specialiùs negatio alia facti est, alia Juris aut alterius qualitatis & status, ita distinguit *Brun. à Sole* voce Negatio n. 2. & *Gothofr.* ad l. 23. de Probat. Et facti rursus vel sine circumstantiis loci & temporis &c. vel cum illis. Atque illo quidem casu nisi alia superveniant, ad probationem negativæ nemo tenetur per d. l. 23. Hoc verò casu, (quia non est pura facti, sed & adjunctæ qualitatis, negatio) item in probatione juris alteriusque qualitatis neganti quoque imponi onus probandi potest.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Accedamus nunc ad *Mathesin* quoque, ne hujus expers Jurisprudentia videatur. L. ult. D. fin. regund. recitatur approbaturque à *Cajo* lex *Solonis*, quâ cavetur, ne operibus in nostri vicini fundo damnum inferamus. *Inter alia sanxit Solon, si quis scrobem vel sepulchrum effoderit, tanto intervallo discedere à vicini fundo debere, quantum in imum profunditate pateat.* Cujus rei ratio ex Geometria simul & Statica haurienda est. Principio igitur omne grave, si caret sustentaculo, perpendiculariter ad terram descendit: sin insistit plano ad horizontem parallelo, planè non descendit, imò non nisi extrinseca vi vel paralleliter vel sursum movetur. Inter hæc duo extrema, situm motumque parallelum horizonti, qui planè nullum angulum, & ita nec descendendi impetum habet, & perpendicularem, qui facit angulum rectum, seu 90. gr. intercedunt anguli alii parallelo situi, alii perpendiculari propriores, illi minores, hi majores 45. gr. Angulus verò 45. graduum est inter utrumque medius, & æqualiter à parallelo & recto distat, quod in diagonio quadrati evidens est. Quare grave, quod non potest rectà descendere, potest tamen obliquè, si facit ad terram angulum 45. gradibus majorem (respectu viæ seu lineæ descensus, quam per id, cui insistit, habere potest) facillimè; sin minorem difficillimè tardissimeque descendit. Quia quo obliquior minorque est angulus, eò magis nec esse est grave inter descendendum ad latus inclinari, quod tamen est, ipsi præternaturale. Angulus autem 45. graduum facilitatem terminat, difficultatem incipit. Sit igitur Scrobs. A. B. depressa ad perpendiculum, vicini fundi initium C. cui sub terra ad perpendiculum respondet D. Ponamus scrobem repleri aqua ad summum usque, & per aliquod tempus decrescenti novam succedere, quod aquâ pluvia aliisque inundationibus sæpe contingit. Aqua igitur subsidet, quamdiu poterit, at post, cùm non ampliùs celeritas decrescendi celeritati auctionis par erit, obliquè in latus penetrabit. Non descendet autem obliquiore angulo, quàm 45. graduum per axioma dictum (potiusque, ubi paululum ad latus evagata est, penetrabit deinde in terram rectà, quàm ut tam longè ad latus abeat) & sic aqua, quæ



eſt in G, perveniet ad ſummum in H, ex I in K, ex L in M, & denique ſumma, quæ eſt in A, non ultra progredietur quàm uſque ad D, ubi vicini fundus incipit. Atque ita procurſus aquæ (eum enim conſiderare potiſſimum volui, licet alia ex hoc principio incommoda manent, ſed nullum hoc manifeſtius) ibi terminabitur, ubi fundus ejus deſinit, qui ſcrobem fecit. Unde patet, diſtantiam rectè aſſignatam eſſe. Si verò intra Sphæram activitatis aquæ, v. g. in E. vicini fundus inciperet, patet, aquam uſque ad D. in ipſum uſque vicini fundum perventuram, quæ & terram eluvione vaſtabit, & ſubruto fundamento, triangulo rectangulo N F D, efficiet, ut vicini terra incluſa Trapezio N E D C ad replendam lacunam contrario lapſu juxta lineam B C & parallelas recidat in fundum meum, atque ita alteri mea utilitas noceat, & mihi alterius damnum proſit, quod eſt contra jus naturæ l. 38. D. de hæred. petit. junct. l. 36. fin. eod. in quo propterea fundatam hanc legem eſſe patet. Præſertim cùm Romani, quod Athenienſes Reipublicæ placitum erat, tanquam duce ipſa naturâ conditum, ſua quoque autoritate confirmarint. Cæterum de hac lege, præſertim quid circa diſtantiam ſcrobium, non tam in patenti campo, de quo nos nunc, quàm ab ædificiis ſit obſervandum, vid. *Ant. Clar. Sylvium Advocatum in ſuprema Curia Pariſienſi* Libr. ſingul. in Leg. XII. Tab. c. ult. 25. per tot. p. 383. Quomodo autem ſpatium infra locum aëre plenum ejus ſit, cujus eſt fundus, v. *Sam. Puffendorf.* Elem. Juriſpr. l. 1. def. 5. §. 29.

QUÆSTIO IV.

MAtheſin conſequitur *Phyſica*, *& primum generalis*, *quæ motum præcipuè conſiderat*, *ejuſque tum terminum*, *de quo quæſt.* 5. *tum locum in quo fit*, ubi quæritur, *an duo corpora poſſint eſſe in eodem loco*? Negat JCtus *Paulus* l. 3. §. 5. f. D. de acquir. poſſ. Ubi ex ſententia *Proculianorum* diſputat duos eandem rem poſſidere in ſolidum non poſſe, quemadmodum duo corpora eundem locum proprium tenere non poſſint. Sanè poſſunt duo eandem rem diverſis portionibus vel pro diviſo, vel pro indiviſo poſſidere, & duo corpora quoque in eodem loco communi eſſe, ſed de hoc non quæritur. Non immiſceo me nunc JCtorum diſputationibus inter quos *Bachovius* Vol. II. in *Tr.* Diſp. XXI. Th. 4. lit. k. pinguius *Paulum* diſputare audacter pronunciat, diſtinguitque ipſe inter poſſeſſionem civilem & naturalem, poſſeque fieri ait, ut duo idem diverſo poſſeſſionis genere obtineant. Sed cùm poſſeſſio Civilis incompleta & propemodum imaginaria videatur, quum quis ſaltem retinet animum Domini, & quod non tenet, tamen non habet pro derelicto, videtur negandum cum Dn. *Struvio* Ex. XLII. th. 8. duos eandem rem in ſolidum propriè poſſidere. Nam poſſideo eſt, ſedere pos, id eſt potens ſum, ut *H. Grotius* florib. ad

ad Jus Justiniani sparsis l. 1. pr. D. de acq. poss. observavit. Unde patet elegans inter possessionem & positionem seu situm corporum in loco Analogia. Cur autem neque aut corpora se subire & occupare, egregiè ad d. l. 3. *Gothofr.* differit. Futurum enim esset, ut tolleretur corporum primùm reactio, dum nulla resistentia esset, deinde separatio, dum esset *πᾶν ἐν παντὶ*. Et colligerentur omnia gravia circa centrum in unum punctum, si enim duo esse in eodem loco possunt, quidnî plura, quidnî omnia? Neque tamen potentiæ DEI absolutæ denegamus, corpora eximere localitatis & resistentiæ conditionibus posse, quicquid Calviniani contrà disputent. Cùm enim localitas sit quiddam naturæ corporis superadditum, quamvis ab ea fluere nobis intrinsecè videatur, quin tamen hunc ut sic dicam fluxum sistere Deus possit, non dubitarim, v. *Jac. Martini* tr. de Loco contr. *Keckerm.* sed hæc neque JCto gentili in mentem venisse neque cum præjudicio Divinæ potentiæ à *Justiniano* recepta esse judicandum.

QUÆSTIO V.

TErmini *motus* differunt secundum sex positionum differentias, de quibus *Aristoteles* l. 2. de Cœlo c. 2. differens motam à Pythagoricis quæstionem explicat, *an eæ, & præcipuè Dextrum & sinistrum in cœlo & consequenter Mundo reperiantur.* Primum autem certum est, in omni corpore materiale harum differentiarum posse assignari. Quia omne corpus quantum est, in omni autem quanto ad unum punctum tres tantùm perpendiculares in vicem lineæ concurrunt, uti demonstrat *Clavius* in I. Elem. Euclid. quarum quamlibet cùm punctum concursus in duas partes dividat, oriuntur sex illæ lineæ, quarum quælibet pro re nata aliqua situs differentia denominari potest. Formale verò propriè tantùm animalibus adest. Cùm igitur cœlum sumtum cum Intelligentia *Aristoteli* sit instar animalis, etiam dextrum ipsi & sinistrum attribuit. Sed quoniam hæc hypothesis unà cum soliditate Cœli à Mathematicis explosa est, sententia ista corruit, quam & *Scaliger* oppugnat. Ex. contra *Cardan.* 67. per tot. Analogia autem rebus sensu carentibus dextrum & sinistrum cæteraque genera differentiarum situs tribui possunt. per l. 11. §. fin. D. Com. præd. ubi dextrum & sinistrum in flumine ripis assignantur, non fonti & ostio: Unde colligitur, rerum motum intuendum esse, fingendumque vel animalia esse, vel eo loco animal moveri, quod tum latus dextrum, quod sinistrum futurum sit, id nunc quoque tale judicandum. In Mundo igitur motus terminus ad quem seu Occidens est anterior pars, Oriens, à quo fit motus posterior, dextra in meridie, sinistra in septentrione. Et quamvis sint nullæ sphæræ reales, satis sit corpora mundana moveri; & quamvis motum diurnum terræ transscribas, satis sit

cœlo motum opticum vel apparentem denegari non posse, quoniam aliàs analogica est hæc tota speculatio. Meritò igitur philosophi quidam qui dextram in oriente sinistram in occidente locant, irridentur à *Joh. Pico Mirandulano* apud Conimbric. in *Arist.* d. l. q. 1. art. 1. quicquid ipsi art. 2. excipiant. *Bartolum* verò, qui illos secutus est tr. de Insula §. quod si ex uno, citat refutatque *Steph. Forcatulus* Necyom. dialog. I. n. 1. qui ipse tamen, dum non tam motum cœli, quàm nos eum spectantes intuetur, omnia invertit, dextrumque in meridie, sinistrum in septentrione collocavit.

QUÆSTIO VI.

SEquuntur nunc, quæ sunt Physicæ Specialis; ea rursum vel Generali est propior, vel magis ad specialia pertinet; de hac post. Illius est doctrina de Mixto. Docent autem JCti res inter se conjunctas Dominium & jus non minùs quàm naturam confundere, quarum commixtio vel naturâ fiat, ut in *Alluvione*; vel arte, & aut salva specie in *Accessione*, aut mutatâ in *Specificatione*, ut explicat *Bachov.* vol. 11. ad *Treutl.* Disp. XX. thes. 7. lit. A. Conf. *Ant. Matth.* Coll. Fund. Jur. Diss. 28. Nos nunc de postrema. Speciei vox priscæ Latinitatis curiosis pro forma usurpatur, uti formæ vox pro Specie. *Cornel. Valer.* Dialect. l. 1. de Spec. *Fr. Hotomanus* Instit. Dialect. l. 6. Qui idem observat, Speciem pro individuo, ut l. 54. D. de V. O. Genus pro quocunque latiori accipi more *Stoicorum*, quod idem in suâ Logica avidè *Petr. Gassendus* arripuit. Unde JCti res certas & in utendo permanentes, quæ etiam in individuo reddendæ sunt, Species appellitârunt. Hoc autem loco, quando in materiam nova forma introducitur, species magis formam, quando diversæ materiæ conjunguntur, magis compositum significat. Quæritur nunc an verè fiat nova species, quando JCti Specificationem esse dicunt §. 25. J. de rer. divis. l. 7. §. 7. & seqq. D. de acq. rer. dom. Specificatio autem illis est, cùm vel in materiam unam forma introducitur, vel diversæ materiæ componuntur; illic *Efformatio* est, hîc *Compositio*, quæ rursus vel *Conjunctio* est cùm cohærent partes, vel commixtio, cùm non cohærent. Illa vel *Confusio* est, cùm ex partibus fit una massa, & in ea interdum discernitur partium varietas, ut si aquam atramentumque confundas, interdum non discernitur, ut in vino & aqua commixta; interdum separari invicem confusa possunt, ut in metallis commixtis ope aquæ chrysulcæ, interdum non, ut in mulso, denique interdum massa illa liquida est, ut in vino aqua temperato; interdum consistens, ut in Electro, quod ex auri $\frac{4}{5}$. & argenti $\frac{1}{5}$. dicitur constare à *Plinio* lib. 31. c. 4. H. N. Conjunctio igitur vel Confusio est, de qua dictum, vel *Adjunctio*, cùm non est una massa confecta, neque partes dissimiles minutim invicem dispersæ,

dispersæ, sed pars quælibet, congeneri, tanquam non conjuncta alteri esset, adhæret indivulsa, estque vel *Ferruminatio*, cùm diversæ partes immediatè conjunguntur, & habet locum in metallis ejusdem generis, vel plumbo tanquam vinculo communi cum aliis, vel *Adplumbatura*, quò refertur & *Agglutinatio*, cum interventu alterius diversa conjunguntur, ut metalla heterogenea ope plumbi asseres ope glutinis, clavi &c. *Commixtio* est, cùm partes non cohærent continguntque penitus, ut si acervus tritici hordeique confundatur. Adversùs hæc omnia objici potest, speciem unam verumque mixtum hic nullum, sed tantùm Crama ensque per accidens constitui, quia nulla sit forma substantialis, quæ diversas partes unit, neque præcedant alternationes, sed opere humano artificialis tantùm forma introducatur, de quâ unione imperfecta vid. *Scalig.* Ex tot. contr. *Card.* & *Seb. Basson.* Phil. Nat. lib. 1. Intent. 3. Respondendum, JCtos loqui populariter, mixtum illis etiam κρᾶμα esse, speciem unumque quodcunque etiam artificialem tantùm formam habet. Hinc apud illos discernitur, separarine materiæ à se invicem an secus possint, transpareat varietas partium, an unum saltem sensui videatur vid. Dn. *Struv.* Ex. XLI. 42. seqq. Quod autem *H. Grotius*, vir summus de J. B. & P. II. 8. 21. negat, uspiam magis, quàm hic JCtos impegisse, in eo nimia consuetudine libertatis videtur raptus in transversum. Metalla enim quædam v. g. æs & aurum, diduci iterum posse, quod nunc artifices aquæ chrysulcæ ope præstant, quid mirum, si *Ulpianus* ignoravit l. 3. §. 2. & l. 5. §. 1. D. de R. V. ignorantiâ cum mundo communi: nam quod *Dion. Gothofr.* ad d. l. 5. objicit l. 12. de acq. rer. dom. id frustra est, quia ibi JCtus *Callistratus* non æs & aurum, sed æs & argentum diduci posse concedit; vid. *Alciat.* Parerg. VI. 11. & *Forcat.* Necyom. XXXVIII, 1. Atque cùm *Grotius Paulo* JCto exprobrat Ferruminationem Confusioni annumerâsse l. 25. §. 5. eod. sanè & ipsum excusabile est, cùm enim vicinissima confusioni sit Ferruminatio, ei accenseri quodammodo potest.

QUÆSTIO VII.

SPecialiorem adhuc *Physicam* attingit lis hæc de *Principatu Partium Animalis*, Physicorum & Medicorum *Zoologica*, quæ non intra ipsos stetit, sed ut est connexio scientiarum non minùs quàm virtutum, JCtos quoque exercuit. Ac notum est, *Aristotelem* cordi principatum detulisse, *Galenum* alibi cerebro, alibi utrique, quem secuti multi recentiores pluralitatem principalium viscerum defendere, vid. Dn. *Posnerum Prof. Phys. Ienens.* diss. de principatu partium. Apud JCtos communis consensus pro capite pugnat, nec mirum, si caput, quod solum eruditum est, tuetur suam dignitatem, illud potius mirum, tot capita cum corde contra suos conspirasse.

ſpiraſſe. Sanè cenſent JCti eum demum locum pro ſepulcro proque religioſo habendum, ubi caput humatum eſt, quia caput digniſſimum arg. l. 44. D. de relig. & ſumt. fun. Nobiliſſimus Dn. *Strauchius Proto-Syndicus nunc Brunſvicenſis Affinis meus & Patronus honoratiſſimus* Diſſ. ad jus Pand. VI. aph. 7. Eorundem plerique judicant, ſi homicidium in confinio duorum territoriorum diverſæ Juriſdictionis commiſſum ſit, ibi hominem jacere intelligi, ubi caput jacet, *Johan. Zanger.* de Except. P. II. c. 1. n. 237. Qui à cordis loco judicium faciendum putant, vix, quos laudent autores, habent. Et quamquam *Reinhard. Bachov.* ad *Tr.* 1. 19. 4. & Magnif. Dn. *Carpzov.* Pr. Crim. p. III. q. 110. n. 27. negant dignitatem membri hîc intuendam eſſe, de capitis tamen prærogativa vix quiſquam dubitat. Aliâ occaſione dignitati capitis velificatus eſt *Paris de Puteo* tr. de re militari, rubr. ſi quando duob. pugnantibus &c. n. 5. Ubi diſputat, vulnus in capite qui fecerit majori dignitate afficiendum, quàm qui in pectore, ſi duo duellantes ſe utrinque diverſimodè læſiſſent, quod ſuo loco relinquo. Quin & *Joh. Montaigne* tr. de Autoritate Conciliorum n. 9. caput faciemque reliquis membris honoratiorem eſſe cenſet, nam *facies ad ſimilitudinem pulchritudinis eſt cœleſtis figurata* l. 17. C. de Pœn. *& creſcit injuria, ſi quis in facie percutiatur* l. 16. §. 6. D. eod. At argutè & quantum ad capitis cordiſque comparationem, eleganter ac benè *Anonymus* quem quidam *Charterium* nominant, tr. de poteſtate ſeculari & Eccleſiaſtica, quem *Somnium Viridarii* inſcripſit c. 44. n. 5. ita diſſeruit: Duo eſſe in homine membra principalia caput & cor; ita duos in mundo ſummos, Pontificem & Principem: & uti à corde motus vitaque ſit, alimenta quoque in caput ipſum & cætera membra provehantur; ita felicitatem temporalem à Principibus pendere, ac nutriendam ab his Eccleſiam ac tuendam eſſe: uti verò nobilior animalium, præcipueque hominis & excellentior vita, ſenſus, imaginatio, intellectus denique in capite vaſe cognitionis reſideat; ita meliorem illam humani generis ſupremamque felicitatem ab Eccleſia, vel qui ejus virtutem in ſe collectam unus habet, Pontifice, derivari. Ut dicam igitur quod ſentio, niſi vox membri principalis explicetur, conſumetur diſputatio in vocabulis. *Princeps* enim vel id dici poteſt, quod *principium* eſt, vel quod *principale* & digniſſimum eſt; prius enim aliud naturâ eſt vel tempore, aliud dignitate, quorum illud cordi, hoc capiti tribuendum eſſe non dubitarim. Sanè enim in corde incipit natura, at in capite deſinit, quippe perfectiori. Sanguis affectuum quaſi materia cordi adeſt, cerebrum intellectionis quaſi ſubjectum capiti: cor maximè adeſſe, caput ad bene eſſe eſt deſtinatum. Si cor tanquam ſeparatum quoddam animal eſt, caput eſt tanquam ſeparatus quidam homo: ſicut enim in illo ſeparatim & in ſe ſpectato ſenſus eſſe fertur; ita in hoc ſeparatim conſiderato ſine alterius concurſu membri intellectio eſt. Et ut finiam, ſit cor in munitiſſimo loco collocatum, caput

caput est in summo; utque illi securitatem, quia maximè necessarium est; ita huic decorem, quia nobilissimum, natura præstitit. Quare utrumque gloriâ sua contentum esse, neutrum alterius laudes involare par est.

QUÆSTIO VIII.

ANimal, de quo in genere *quæst. praced.* vel *brutum* est, de quo *in genere hâc quæst. in specie q. 9. vel semibrutum q. 10. vel homo q. 11.* De *brutis in genere quæritur, sintne juris injuriæve capaciæ*, quod JCtis plurimum pr. 1. de J. N. G. & C. ac l. 1. §. 3. D. si quadr. paup. fec. dic. philosophis sæpè est ventilatum, ubi disquirendum quoque, rationem aliquam habeant, an nullam. Si enim jus dictamen quoddam rationis est, obligatorium ad agendum vel non agendum, manifestum est, ubi ratio non sit, ibi jus locum non habere. Jus autem vel *naturale* est, vel *positivum*. *Naturale* vel *negativum* quod permittit, vel *determinativum*, quod prohibet vel vetat. *Naturale determinativum* dicunt vel *primævum* esse seu brutis commune, vel *secundarium*, quia natura interdum opponitur rationi, interdum eam includit. *Secundarium* hominis est proprium ac *Theologis*, *Casistis*, *Philosophis* (quanquam hi paulo strictiùs usurpent, v. Clariss. *Thomasium nostrum*, *Præceptorem meum ac Fautorem optimum* Tab. Phil. Pract. XXV. 9.) & *Grotio* simpliciter voce *naturalis* venit. *Positivum* aliud est *Gentium* aliud *Civile*. Vox tamen Juris Gentium interdum ratione objecti sumitur, & ita dicitur quibusdam primarium, neque huc spectat, sed juri naturæ *secundario* coincidit interdum ratione originis, & sic dicitur JCtis quibusdam *secundarium*, *Philosophis* simpliciter *Jus Gentium*. *Fundamenta* autem decidendi quæstionem duo sunt, 1. *an cadat in bruta ratio?* 2. *an in ea quanquam non ratio tamen justitia cadat?* Posterius quia majoris propositionis instar est præcedet: Statuunt igitur doctissimi quidam Viri, sufficere ad rationem Juris, ut ratio sit in regulante seu conditore juris, non itidem opus esse, ut sit in regulato, ita *Hugo de Roy* tr. de eo, quod justum est, & Dn. *Ungebauerus* Exerc. II. q. 1. & ibi citati. Cùm igitur jus sit ratio quædam summa in Deo existens, ejus quadam participatione jus brutis accenseri. Quod certè ex Stoica fluxit philosophia; illi enim DEUM per omnia diffusum instar formæ internæ putant, verbo animam mundi, unde definiunt, ignem via progredientem ad generationem, *Lipsius* physiol. Stoic. lib. 1. diss. *6.* Quare volunt partem esse internam Entium, omnesque in iis actiones producere, nec abhorruere ipsum Mundum DEUM appellare, v. *Cic.* de natur. Deor. lib. 2. quos *Plinius* etiam haud veritus est sequi H. N. lib. 2. c. 71. Sed cùm hoc recentiores justitiæ brutorum defensores improbent, *Stoici* certè suis hypothesibus congruentius sensere, quia etiam sic rationem regulato intrinsecè inesse consequitur. Idque omninò necessarium esse v. *Dom. Soto* de

de Just. & Jur. prælim. q. 1. art. 3. alioqui jus respectu brutorum tantùm erit extrinseca denominatio, tanquam si navem rationalem à rectore appellarem. Et profectò cùm Jus hic denotet non potentiam seu facultatem, sed Legem naturalem, lex autem sit dictamen, dictamen propositio animi, ubi animus non est, jus nullum est, στοργαὶ certè, parentum v. g. ergo liberos non jus sunt, sed ad summum juri conformes. Quanquam actiones, quæ in brutis justæ dicuntur, tum demum justæ essent, si ab homine & præcedente electione fierent, imò fortassis & in homine licitæ tantùm aut ad summum decoræ. Jus igitur in brutis non est, nisi ἀναλογία. *Govean.* lib. 1. var. lect. c. 19. Secundum Fundamentum, quòd ratio non sit in brutis, plerisque confessum est. Sed JCtus quidam Clmus suam sententiam adeò mutavit, ut cùm prius omne jus brutis negasset, nunc & hoc, & rationem quoque concesserit. Ita *Hier. Rorarius* quoque libb. 2. quòd bruta ratione utantur meliùs homine, & *Mart. Schookius* Diatribe de Jure Naturæ. Ex *Philosophis* verò P. *Gassendus* videtur hîc minùs circumspectè *Epicuro* suo obsecundasse, is enim brutis rationem dedit, quòd animam rationalem ex Atomis contexeret, quas etiam in brutis collocabat. Christianis verò si rationem suam brutis communicant, quid reliquum sit ad tuendam animæ immortalitatem, non video. Certè acutissimus aliàs Vir, *Th. Hobbius*, dum nimis Physicus esse studet, religionem ferè perdidit, nec dubitavit libro de Homine profiteri, animam nostram corpoream esse ac suâ naturâ mortalem: utrùm verò ab omnipotentia DEI immortalitatem habitura, an verò interitura penitus sit, penes Majestatem in Republica decidendi jus esse. Quare summopere aversanda illa sententia, quòd rationis vestigia tantùm in homine clariùs appareant, non enim sic substantialiter, sed intensione solùm à brutis differemus. Nihilominùs magnus quidam Vir pro suâ sententiâ citat verba *Aristotelis* l. 8. de Hist. anim. c. 1. *Sunt in plurimis cæterorum animalium vestigia morum animi humani, quanquam hæc apertius in homine discernantur.* Quid enim? potuit hoc fortasse ex dogmate illo *Aristotelis* impio profluxisse, quòd mens & immortalitas nostra non tam nostra sit, quàm intellectus agentis in nobis, at cognitio nobis propria cognitionem brutorum non multum supergrediatur.

QUÆSTIO IX.

Apes, *columbæ ac pavones &c. an sint animalia fera*, quæsitum est, quæ res nos quoque ad hæc cognoscenda excitavit. Ac de apibus confirmatur ab Imperatore §. 14. J. de Divis. Rer. ac præterea l. 5. §. 2. D. de acq. rer. dom. & jure Saxonico, *weichbild* art. 119. *die Biene ist ein wilder Wurm*, apud *Joh. Schneide.* §. apium J. d. l. Magnif. Dn. *Carpzov.* p. IV. const. 36. def. 1. Et Dn. *Struv.* Exerc. XLI. th. 6. *Plinius* verò lib. XI.

lib. XI. c. 5. H. N. neque feri, neque mansueti generis esse tradit. Par de columbis controversia, quæ etiam feræ censentur ab JCtis, ideò de iis statuitur, quamdiu quidem retinent animum revertendi, si quis apprehendat, competere contra eum actionem, l. 8. §. 1. D. famil. ercisc. sin verò revertendi animum consuetudinemque habere desinant, occupantis fore; quod ipsum de feris animalibus affirmatur §. 14. J. eod. dissentiente tamen *Grotio* de J. B. & P. II. 8. 3. *Jus* verò *Saxonicum* idem quidem tradit, fera verò hæc animalia esse negat. *Weichbild* art. 108. *Tauben, Pfauen und ander feder Spiel, das nicht grimmet ist* (id est ferum) *fleugts zu Felde, so ists gemein.* At feritatem tribuere columbis absurdum videri possit, quòd Christo à simplicitate commendantur, & comparantur iis prædicatores inter alias 7. proprietates columbæ apud *Barth. Capollam* de serv. urb. præd. c. 27. n. 3. Jam pavones quoque feri esse dicuntur d. §. J. eod. Nec contradicit *Pomponius* l. 37. D. de Furt. cùm pavonem mansuetum vocat, quod ibi *Gothofredus* velle videtur. Mansuetum enim eo loco idem quod mansuefactum est, quod & ipse pavonibus Imperator tribuit, ad nativam feritatem rediisse judicans, cùm revolare desinant. Cæterùm *Gothofredus* d. §. J. eod. & ad *Theophilum* p. 125. negat ἀγρίαν seu feram pavonum, quos alimus, naturam esse ac mansuefactionis egentem. Quia *Varro* III. de re rust. 5. tanquam rem miram referat pavonum greges esse in *Samo* & *Planasia* insulâ: quin & à *Q. Curtio* referri juxta *Hydratem* flumen nemus agrestium pavonum, unde si dentur agrestes ferique, dari & domesticos mansuetosque, cùm eodem modo de Gallinis *Tribonianus* §. 16. J. eod. colligat. Denique narrare *Sigebertum Gemblacensem* circa annum 1086. pavones & anseres aliasque domesticas domibus evolantes in feritatem abiisse. Quorum tamen non difficilis solutio est. Nam si res mira raraque est, & tantùm paucis quibusdam angulis terrarum peculiaris, pavones agrestes esse, longè alia gallinarum anserumque ratio, qui & agrestes & mansueti copiosè inveniuntur, unde argumentum *Triboniani* hic processerit, *Gothofredi* illic non processerit. Quanquam fateor, etiam argumentum *Triboniani* satis infirmum videri. Ecce enim de columbis quid dicet, quas & feras & agrestes copiosas reperias? Dicetur igitur commodius, animalia quædam determinata ad feritatem mansuetudinemve naturæ esse quædam indeterminatæ, quæ interdum escâ & illecebris mollitur, interdum sibi relicta quasi sylvescit. Et profectò maxima controversiæ pars in definiendo & explicando feritatis nomine posita est. Interdum enim ferum opponitur placido, estque quod sævum & terribile est, eoque sensu dicitur *bestia*, id est animal, quod naturali feritate damnum infert l. 1. §. 10. si quadr. paup. fec. dic. l. 2. §. 2. D. ad L. Aquil. & sic negat *Weichbild*, *Pavones & Columbas feras seu grimmet, id est, grimmig esse.* Interdum opponitur cicuri & mansueto, seu ei quod manui assuevit,
 id est,

id est, cujus motus dirigi ab homine potest etiam sine corporali apprehensione. Tale mansuetum animal venit interdum *JCtus pecudis* nomine, §. 1. J. de L. Aquil. l. 2. D. eod. ac dicitur propriè pasci, ac gregatim haberi l. 65. §. pecorib. de Leg. 3. In hac oppositione Ferum definit Glossa juris Saxonici apud *Schneidew.* §. 14. J. de divis. rer. *Wilder Natur ist alles, das man nicht mit Hirten huten kan.* Germanicè dicitur *Scheu.* Ita columbæ & pavones, denique omne altivolum ferum censetur, Gallinæ verò & anseres, quæ altivolæ non sunt, mansuetis accensentur. Canes quoque feros esse censet *Wesemb.* add. ad *Schneidew.* d. l. Certè mansuefiunt & plerumque tantùm determinatè ad aliquas personas, non omnimodè. Denique Ferum opponitur Domestico, seu ei, quod inter homines agit, diciturque proprie ἀγχιον, & hâc ratione etiam hirundo fera non est, ne canes quidem arg. §. 1. pr. J. de L. Aquil. & huc illa regula pertinet, animalia, quibus libertas abeundi relinquitur, censeri mansueta, dum retinent animum, seu ut *Theophilus* d. l. vertit, λογισμὸν, revertendi.

QUÆSTIO X.

SEmihomo quidam dici *Hippocentaurus* non incommodè potest, de quo duplex *quæstio* est, alia ut sic dicam *historica*, *an fuerit Hippocentaurus*; *alia philosophica*, *an dari possit*: quanquam illa affirmatâ affirmetur posterior, hac negatâ negetur prior. Et dari posse negat Imperator §. 1. J. de inutilib. Stipul. & *Celsus* l. 97. de V. O. tum *Alciatus* Parerg. IX. 13. & *Lucretius* notis illis versibus lib. 5.

Sed neque Centauri fuerant, neque tempore in ullo
Esse queunt duplici natura & corpore bino.

Verùm JCti quidem ita intelligendi sunt, ut negent de eo potentiam, ut sic dicam, existendi Hypotheticam, id est, nec fuisse, nec esse, nec fore. Uti, cùm negatur, potuisse mundum à Deo aliter, quàm factus est, creari, non quòd impossibile sit, sed quia ob sapientiam Conditoris, qui optimum eligit, non erat futurum. *Lucretius* videtur tantùm negare, totam aliquam gentem talem, ut fabulantur, extitisse; alioqui versum posteriorem innumera monstra refutarent. Centaurum porrò extitisse negat *Cic.* Tuscul. 1. nat. deor. 1. & 2. *Galen.* l. 3. de usu part. Contra affirmat *Plinius* H. N. 7. 3. Hippocentaurum *Claudio Cæsare* in Thessalia natum eodem die interiisse, quin & idem addit, principatu ejus allatum illi ex Ægypto alium in melle se vidisse. Cui assentiuntur *Corasius* Miscell. V, 2. & *Hottoman.* Dialect. III. 8. Et profectò tanto viro tamque diligenti fidem suam interponenti detrahere durum dixerim. Monstrum verò illud, quod Hippocentauri specie *Paulo Eremitæ* apparuisse, *D. Hiero-*

Hieronymus in ejus vita refert, ipsi *Covarruviæ* illusioni Satanicæ proximum videtur l. 4. Var. Resol. c. 2. qui eo capite toto hoc argumentum fusè tractavit. Qui verò fuisse negant, non de monstro videntur locuti, sed de gente illa fabulosa Poëtarum, qualem certum est, nullam extitisse.

QUÆSTIO XI.

RECentium hominum proterva audacia eò delapsa est, ut negare etiam audeant, essentiam omnibus hominibus communem eandem esse; quod si ita est, debilitatur profectò & eluditur ingens fiducia & humani generis solatium: quomodo enim tum Christus aliter sit noster, quàm communi nomine humanitatis, non video. Inveni ex Singularistis, præcipuè *Hier. Cardanum*, *Fr. Sanchez*, & *Seb. Bassonem*; illum Italum, istum Hispanum, hunc Gallum, omnes Medicos, specificæ hominum unitati infestos. Quorum duo priores nescio an non Athei fuerint, Sceptici certè extiterunt, posteriori fortasse hic aliquid spiritus Calvinianus suggessit. Medici autem cùm essent, temperamentorumque infinitas diversitates perspicerent, omnibus hominibus commune quod esset, sibi non videbantur reperire. Ac *Cardanum* quidem *Scaliger* castigavit, quem, cùm hominem pictum vivo similiorem contenderet, quàm doctum indocto, vehi equo picto jussit per hybernos pulveres Mediolanenses. *Basso* lib. 3. de Forma Int. 1. art. 2. Cùm de studiorum hominis infinita varietate declamasset, essentiæ quoque diversitatem intulisse credidit. Eidem semitæ *Fr. Sanchez* institit jam antè, tr. quòd nihil scitur. p. 60. Quæ refutare nec opus, nec locus est. His verò JCti videantur favere posse. Neque enim ausus dicere Imperator. l. 13. C. de contra stip. Hominum omnium similem naturam, penè similem dixit. Et *Ulpianus* l. 31. D. de solut. & lib. longam inter artifices differentiam esse ingenii, naturæ, doctrinæ & institutionis. Huc & l. 26. §. 12. de Cond. indeb. & l. 12. D. de Leg. 3. pertinent. Hinc naturalis ad dissentiendum facilitas l. 16. §. 6. D. de recept. qui arbitr. v. *Henr. Gebhard.* de Princip. Jur. Concl. 14. p. 117. Sed eadem responsio adhiberi potest, respectum esse ad sola accidentia, & quamvis interdum naturæ mentio fiat, illa tamen etiam conditionibus, &, ut sic dicam, inclinationibus individuorum tribui apud Latinos solet.

QUÆSTIO XII.

NUnc demum ad *Metaphysica* pedem proferre tempus est, ubi *illud primum erit, quod ipsam attingit Entis rationem, possintne duo contradictoria simul esse falsa, seu an esse & non esse recipiant medium*, non quidem participationis, quod est, quando simul sunt vera, sed negationis. Nec

verò Logicum esse tantùm, quispiam putet à Metaphysica verò alienum, notandum, quod ait *Henr. Gebhard.* princ. jur. Conc. 12. n. 8. pag. 146. communissima illa Entis attributa non raró Metaphysicæ & Logicæ communia esse, sed illi juxta modum prædicandi, huic juxta modum essendi. Quod proderit fortasse & in sequentibus observare. Duo contradictoria autem simul falsa esse posse, videtur inferri *ex l.* 88. *D. ad L. Falcid.* Ibi eum dicit *Africanus JCtus*: si qui 400. habent 300. legavit, deinde fundum tibi dignum 100. aureis sub hac conditione legavit: si legi Falcidiæ in suo testamento locus non erit. Hîc quicquid constituerimus, verum esse, falsum reperietur. Nam si Legatum valebit locus erit Falcidiæ ex lege, & sic Legatum non valebit ex conditione legati: Sin Legatum non valebit, locus non erit Falcidiæ ex lege, & sic Legatum valebit ex conditione Legati. Erant autem *Stoicorum*, sophismata quidem multa, præcipuè tamen insolubilia, (*Africano* d. l. ἄπορα) *Sorites & pseudomenos* seu *Mentiens*. De utroque v. *Gothofred.* ad d. l. 88. & *P. Gassend.* T. I. opp. lib. de Logic. Origine & Variet. c. 2. f. 39. de Sorite l. 65. D. de Reg. Jur. *Fr. Hottom.* Dial. IV. 7. & θαυμάσιος *Thomasius* noster dissert. de minimo numero partium familiæ th. 17. Ejus species est φαλακρὸς, cùm quæritur, à quoto pilo amisso quis calvus fiat. De *Mentiente Gell. V.* 10. *IX.* 15. & 16. *Senec.* de Benef. V. 19. *Fr. Hottom.* d. l. IV. 16. ut si dicam: nunc ego mentior *Conr. Hornej.* Logic. Inst. III. 18. *Huc l.* 16. D. de cond. instit. l. 9. D. de V. O. Et illa *Evathli* & *Protagoræ*, vel, ut alii volunt *Coraleis & Tisiæ* concertatio apud *Gell.* V. 10. & *Quintil.* III. 1. Quam *Joh. Caramuel à Lobkowitz.* IX. Metalog. p. 444. solvere ita conatus est; *Protagoram* vicisse, quia præsumatur excepisse hunc casum, si discipulus agat contra se. Sed cùm ipse, accusator, hoc dilemma primùm, etiam in isto casu, proposuerit; patet, hunc casum non excepisse. Deinde vel non venit in mentem is casus contrahenti *Protagoræ*, vel venit in mentem. Si venit in mentem, certè exceptio mentalis non sufficit, alioqui tolletur omne generis humani commercium; si non venit in mentem, præteritio seu exceptio mentalis purè negativa multò minùs sufficit, alioqui infinitis modis poterunt contractus eludi. An dicendum, eum causâ cadere, qui fraude egerit? Et, si *Evathlus* initio non huc tendebat, sed postea pervenit ad fallaciam tamen superabitur, quia explicatio contractûs admittenda non est, qua initio posita contractus non extitisset, arg. l. 80. D. de V. O. Quis enim *Protagoram* si novisset discipuli artes, ita stultum credat, ut scienti sibi imponi pateretur? Solidissimè tamen sic respondebimus, quòd fortasse æquissimè judices ita pronunciâssent: tu *Evathle* viceris, id est in hoc quidem judicio, quod contra te Magister conditione contractus nondum completa instituit, viceris, nosque te ab instantia solvimus, ut nihil ei nunc quidem solvere debeas, quippe per exceptionem plus pe-

titionis

titionis submoto. Illi tamen non deerit inposterum alia contra te actio, ut quia nunc vicisti, conditione contractus vestri adimpletâ solvas: ita judices & æquitatem naturalem & jus strictum simul observâssent, cum remotis subtilitatibus pacti magistro certè gratitudo debeatur. Nam si verum fateri volumus, nondum potuit satis justè petere *Protagoras*, quippe conditione nondum impleta. Callidè tamen ita instituit actionem, ut primâ vice condemnandus esse videretur, quo posset deinde resumtis viribus violentius aggredi. Nam si petiisset primùm, quod videbatur rei natura postulare, ut *Evathlus* compelleretur ad causas orandas, vel negâssent *Areopagitæ* eum ad hoc cogi posse, vel ille consultò fuisset negligens, exiissetque causam, quam fortasse, ne si vellet quidem, obtinuisset. Callidè igitur iniquum petiit, ut æquum ferret; quanquam Judicum negligentia & obstupescens ad perplexitatem animus prudentiam ejus elusit. Atque hæc quidem mihi videtur expeditissima solutio, cùm prior propemodum in *Caramuelis* mentem resolvatur. Ad illud: Nunc ego mentior, ex quo sic infertur: Aut vera est aut falsa hæc Propositio. Si vera est, certè falsa erit. Quod enim dicit, verè dicit, dicit autem se mentiri, quod autem mentitur, falsum est: Si falsa est, certè vera erit. Si enim falsa est, contradictoria ejus vera est: Ego nunc non mentior. Quod autem non mentitur, verum est; Hæc propositio igitur vera est. Ad illud igitur: *Nunc ego mentior*, Conimbricenses de Interpr. c. IV. q. 3. & ex iis *Hornejus* d. l. respondent, Enunciationes reflexivas non esse revera significativas. Verùm ambiguus est terminus Enuntiationis reflexivæ, nam dicitur reflexiva vel ratione subjecti, vel ratione sui ipsius. Enunciationes reflexivæ, quibus intellectus reflectitur in se & suas operationes, sunt haud dubiè significativæ: at Enunciatio reflexiva in seipsam non est significativa, nam cùm alius sit necessario actus intellectus, quò directè cognoscit illam Enuntiationem, alius, quo deinde super eam reflectitur, patet, quòd non reflectatur super seipsam, sed super præcedentem directam. E. Enuntiatio super seipsam reflexiva in mente nulla esse potest, sed nuda verborum dispositione fallit, verbis enim ita proponitur, ac si eadem simul directa & reflexiva sit, quod certè fieri non potest. Si autem hæc propositio: Ego nunc mentior, habenda est pro significativa, prægnans quasi erit, & duplicata aliamque involvens: nos verò ita resolvemus, ut loco istius. Nunc, quo latet alia propositio, illa ipsa expressè ponatur hoc modo: Ego mentior, dum dico: ego mentior. Et sic aliqua apparet via solvendi. Nam istud posterius: Ego mentior, aut ad aliquid refertur, aut ad nihil. Si ad nihil, non potest mentiri, qui nihil mentitur; Si ad aliquid, tum vel ad aliam propositionem, ibi responsio facilis erit, & determinari poterit, mentiatur, an non: Sin iterum ad repetitum illius: Ego mentior, tum simili modo ego quæram, & vel dabitur pro-

 cessus

cessus in infinitum, quod cùm absurdum sit, priores omnes corruunt, quippe super nullo fundatæ; vel ultima referetur ad nihil, ut similiter priores omnes corruunt; vel ad aliquam aliam propositionem, tum verò mentiatur, an non poterit determinari. Ad difficultatem ex Legibus nostris respondeo, præsumendum de animo legantis, volueritne legatum nullum esse, & ludere tantùm, (quæ quorumdam natura est, ut nec in morte jocos deponant) dum incompossibilia sciens copulavit, atque ita jure stricto est, nullum & subtilitate juris, æquitate tamen, & ut JCtus d. l. ait, exceptione doli mali est res temperanda: an voluerit Legatum valere, atque iis verbis rogare quasi judicem, ut legem Falcidiam sibi remittat. Idque eo magis valebit jure novissimo, quo licet Testatori exprefsè prohibere (Falcidiam Novell. 1. c. 2. Auth. sed cùm Testator. C. ad L. Falcid.) Si verò non posset impetrare in eo casu, hanc esse voluntatem suam, ut non totum Legatum sit nullum, sed quantum ex eo detrahet Falcidia. Denique hujus loci est quærere sintne futura contingentia determinatæ veritatis vel falsitatis in se & respectu DEI (quod idem est, quia is res, ut sunt, cognoscit) Christianis hoc totum indubium est, at *Arist.* & Stoici eorumque discipuli JCti contrarium docuerunt, l. 75. & 100. de V. O. & ib. *Cujac.* & *Gothofr.* & l. 16. de injust. test. Contradicit tamen reliquis, verioremque tuetur sententiam JCtus *Paulus*, eleganter explicans, res naturâ certas, nostra inscientia incertas esse, l. 28. §. 5. de Judic. add. §. 6. f. J. de V. O.

QUÆSTIO XIII.

PRiori Quæstione quodammodo *Entis* cum *non Ente conjunctionem* examinavimus, nunc *unio Entis cum Ente* spectanda est, quæ vel *perfecta Identitas* vel *imperfecta*, & concipitur vel *præcisè*, ut habent se invicem hæc duo, & est *præsentia*, q. 14. vel, *ut resultat inde tertium*, nempe *Totum*, q. 15. Identitas nunc spectanda est, & *quæritur*, *an à formæ duratione*, *an partium materialium quoque permanentiâ sumenda sit.* Opponunt se nobis Novatores iidem, quasi ex compacto *Aristoteli* adversi *Fr. Sanchez* tr. quod nihil scitur p. 68. & *Seb. Basso* l. 3. de forma intent. 2. per tot. Qui idem l. 9. artic. 2. *Platonis Timæum* prætendit, qui ait p. m. 1059. propter continuum rerum fluxum nihil hoc, nihil illud, sed omnia tale vel tale esse appellanda. Sed illum videtur Idearum suarum constantia, quasi ex contrario ad perpetuum sensibilium fluxum permovisse. Inter *Peripateticos* verò ipsos de accretione viventium magnæ sunt lites, de quibus copiosè *Zabar.* lib. de Accret. *Scotus* æquivalentiæ gladio secare hunc nodum voluit, quâ etiam responsione alias difficultates de immobilitate loci tollere conatus est. Censuit igitur, in vivente & formam & materiam mutari, quod est contra *Aristot.* lib. 1. de

de Gen. & Corr. c. 5. t. 37. At *Averroistæ*, *Zimara*, *Zarabella*, aliique *Itali* mentem *Aristotelis* intuiti sunt propiùs, & quomodo vivens unum maneret, eleganter declarârunt. Et negandum etiam est fieri unquam, ut homo omnes partes amittat, certè probabile est, certis partibus animam quasi firmius implantatam esse, ut alibi vitæ fons sit, alibi rivuli discurrant, eas verò semper permanere. *Judæorum* verò *Rabbini* lepidè habitaculum animæ struxerunt in certa parte corporis, (appellant Luz,) quod nullâ vi, nullo malleo dijici possit, atque illa in aulâ mortuo etiam homine regnare jusserunt. Cæterum illustris est ex *Alpheno* l. 76. D. de Judic. ubi quæritur, an mutatione singulorum judicum mutetur judicium? responsum est, etiamsi omnes mutentur, idem judicium fore: ita de Legione, de populo, de navigio (l. 83. §. 5. de V. O.) judicandum, & nisi id concedatur, nos ipsos eosdem non fore. Adde l. 22. & 65. D. de Leg. 1. De navigio quod dicit, nave *Thesei* & *Jasonis*, quæ Poëtis *Argo* dicitur, illustratur, quam Athenienses nova materia semper suffecta ad *Demetrii* usque *Phalerei* ætatem sustentasse, testes sunt *Plutarch.* in Theseo & de sera numinis vindicta, *Alex. ab Alex.* G. D. III. 10. *Tib. Decianus* T. III. Consil. 19. Distinguendum autem est inter gradus Identitatis. *Identitas* enim quædam *omnimoda* est, quæ consistit quasi in indivisibili, *Fr. Sanchez* d. l. & omni mutationi repugnat; quædam Identitas *essentialis* omnimoda, quæ accidentalem quidem mutationem recipit, v. g. ut res in alium locum, aliud tempus quasi perveniat, requirit verò, ut omnes partes essentiales, & materiales & formales permaneant; denique quædam est identitas *formalis*, ubi species remanet, licet & materiâ & accidentibus mutatis. Et hoc quoque *Alpheni* d. l. axioma est, cujus rei species seu forma existat, rem quoque eandem existimari. Ita ep. 58. *Seneca* contr. *Heraclitum*, qui negat idem flumen bis transiri, manet, inquit, idem fluminis nomen, aqua transmissa est. Eodem ex principio *Arist.* III. Polit. 2. & ibi *Mich. Piccartus* p. 350. & *Grot.* II. J. B. & P. 9. notisque ad hunc Clm. *Boeclerus* diss. de eo, quod civitas egit, civitatem remanere eandem dicunt, dum regiminis forma maneat, unde & obligatio antecessorum secutores tenet, & immortalia imperia sunt, nisi ingenti confusione disjiciantur.

QUÆSTIO XIV.

PRæsentiæ vox applicari etiam intellectu carentibus potest, ut corporibus vel contiguis, vel penè contiguis: de intelligentibus tamen potissimum usurpatur. Quæritur igitur in jure nostro, *an dormiens sit præsens*, & negat JCtus *Florentinus* l. 209. de V. S. ubi idem etiam de infante & furioso dicitur. Quin & l. 1. §. 3. D. de acq. poss. isti, quos diximus, negantur acquirere possessionem posse, etiamsi corpore contingant,

tingant, quia affectionem tenendi non habeant. Hujus rei *Andr. Alciat.* ad d. l. 209. de V. S. & *Joh. Crispin.* ib. hanc rationem reddunt: mentem sentire, non corpus, quare, qui hic absit, non videri adesse omnino. Imò nos propriè animum esse, ex doctrina *Platonis* in Alcib. Maj. p. m. 446. quæ apud JCtos magno in honore fuit, nam quòd *Alphenus* nos ait ex *particulis minimis consistere* d. l. 76. D. de Judiciis, in eo videtur *Epicurum* sequi. Porrò si homo anima est, Spiritus verò non sunt præsentes in loco propriè nisi per operationem ex sententia *Fr. Vallesii* lib. de Sacr. Philos. c. 4. mens sine intellectione non erit præsens. Quare dormientem non esse præsentem colligetur. Et hæc quidem ex illorum hypothesi, at commodius dicetur præsentiæ materiale esse ad essentiam seu corporalem contingentiam, formale verò intellectionem ejus quod agitur. Dormientis igitur præsentia tantùm est inchoata, isque corporaliter quidem, non tamen moraliter & vi juris præsens est censendus.

QUÆSTIO XV.

Totum & *Pars* à JCtis variè distinguitur. Et pars quidem alia dicitur *pro diviso*, alia *pro indiviso*, uti vulgò loquuntur, quarum illas *Fr. Hottom.* Dial. l. 7. corporeas sensibilesque has animo intellectuque solo constantes appellat: Pars *pro diviso* est, quæ pluralitatem in re infert, ut cùm fundus inter plures dividendus pro rata sui parte cuique assignatur. Pars *pro indiviso* est, quæ non in rei multitudine, sed rei unius diverso respectu consistit, ut si servus unus legatus sit duobus, erit utriusque, sed quia dominium, quod indivisibile est, in pluribus prorsus idem esse non potest, servus dum ad duos Dominos diversos respectus habet, quasi in duas partes *potestativas* dividi intelligitur, ut scilicet operas suas æqualiter cuique accommodet, juxta *Ulpian.* l. 5. D. de Stip. serv. *H. Giphanius* prælect. in Tit. de acquir. poss. n. 29. seqq. partem pro diviso *certam*, pro indiviso *incertam* appellat arg. l. 25. D. quib. m. ususfr. amitt. l. 1. D. uti possidetis, l. 3. §. 2. & 76. §. 1. D. de R. V. Affinis est huic divisioni illa *Grotii* de J. B. & P. l. 3. 17. partes alias esse *subjectivas*, alias *potentiales*, ubi terminos potiùs, quàm interpretationem mutuò sumsit à Scholasticis, in doctrina enim de divisione Majestatis d. l. exemplis sic applicat, subjectivas partes esse, cùm plures provinciam dividunt; potentiales, cùm potestates seu jura & regalia partiuntur. Totum porrò partes corporeas, evidenterque & à parte rei distinctas habens dividunt in *conjunctum* seu continuum, & *Dejunctum*, ita *Fr. Hottom.* arg. l. 30. D. de Usurp. Ubi totum aliud dicitur contineri uno spiritu, græcè ἡνωμένον seu *unitum*, v. g. homo, lapis, tignum; aliud constare pluribus cohærentibus quidem, sed non ita unitis, græcè συνημμένον, seu *connexum*, aliud ex *distantibus*, quæ dicuntur διεστῶτα, ut *Grex*. Primum possis

possis *Continuum*, alterum *Contiguum*, tertium *Discretum* appellare. *Unitum* verò & *connexum* sub uno *Hottomanni conjuncto* comprehenduntur. Add. *Theophil.* §. 18. & 19. J. de Legat. p. m. 266. Quid sit autem uno *spiritu* contineri, intricatum est, speciem certè illis seu formam videtur spiritus significare l. 23. §. 5. D. de R. V. judicio etiam *Grotii* II. 9. 3. qui annotat à *Plutarcho* ἕξιν μίαν dici, à *Conone Mathematico* apud *Ach. Tatium* in *Aratum* ἕξιν σώματος συνεκτικὴν à *Philone* πνευματικὸν συνέχον, v. *Cujac.* XV. obs. 33. & *Gothofr.* d. l. 30. Cùm igitur spiritus formam significet, dicendum est porrò, esse eam hîc non artificialem, sed naturalem, quod & distinctio uniti à connexo, & subjecta exempla innuunt, sive id similare sit, (quod rursus vel in naturali statu relictum est, ut lapis, vel ex eo detractum ut tignum) sive dissimilare ut homo, dummodo spiritu & formâ substantiali contineatur. *Grotius* verò abusivè etiam Rempublicam ait uno spiritu contineri d. l. Totum porrò *Conjunctum* quemadmodum ratione conjungentis, quod vel natura vel ars est, in unitum & connexum secatur; ita ratione partium conjungendarum in similare & dissimilare dividitur. *Similaris* exemplum est l. 34. §. ult. D. de Leg. 1. Fundum *Varro* vocat, quem possim mittere fundâ, Dissimilaris l. 56. D. *de Evict.* Hominis pars homo non est. Cum hâc divisione aliam confundit *Hottom.* qua partes in extraneas cognatasque dividuntur, quod exempla subjecta declarant, arborem, ædes, segetem &c. (quæ omnia cùm super fundum extent, JCtis superficiei nomine veniunt) fundi partem esse, picturam tabulæ, scripturam chartæ, l. 7. & l. 9. D. de acq. rer. dom. At hæc distinctio longè alia ratione concipienda est, partes enim omnes vel habent se invicem ut principale & æquè principale in ratione partis, v. g. membra hominis, quorum quodlibet est æquè corpori essentiale, vel ut principale & accessorium v. g. pili sunt quodammodo pars corporis, ut arbor fundi. Breviter partem principalem hîc dico in heterogeneis (nam in homogeneis res clara est) cujus ablatio totum mutilum reddit; accessoriam, cujus ablatio mutilum non reddit. Alias divisiones totius & partis, paulò confusiores apud JCtos nunc non perpendo, ut illam *Alciati* ad l. 72. de V. S. n. 5. partem dividi in *numeralem*, ut tria respectu novem, *integralem*, ut usumfructum respectu Dominii, & *quotam*, ut trientem respectu assis: & *Everhardi* Loc. VIII. 8. Totum vel esse *integrale*, sub quo *essentiale* comprehendit; vel *universale*, ut animal, hæreditas, quò refert res universales JCtorum sensu, id est *aggregatas*; vel *generale*, sub quo complectitur *totum* pro *indiviso*; vel *quantitativum*, quo refert res fungibiles, quæ à JCtis quantitates dicuntur.

QUÆSTIO XVI.

PRiora ex *Metaphysica* generali hausta sunt, at quæ de *Relationibus* nunc subjungemus, ad *specialem* pertinent. „ Intuebimur autem earum „ primò essentiam hîc, deinde fundamentum q. 16. Circa essentiam con- „ trovertitur, an Entia Moralia v. g. jus, Dominium, Servitus &c. sint „ Relationes, an aliud quiddam, deinde an Relationes præciso subjecto „ & fundamento sint Entia realia an rationis." JCti certè, cùm res in corporales & incorporales more *Stoicorum*, dispertiuntur, quin Relationes reales faciant, dubium non est. Quam illi divisionem non tam super ipsa re, quàm modo cognoscendi nostro videntur exstruxisse: quia enim vel sensu, vel intellectu, vel utroque cognoscimus, quæ sensu etiam percipimus, corporalia; quæ intellectu solo, incorporalia appellârunt. Sub incorporalibus tum jura, tum res fungibiles, quæ non materia sua, sed æstimatione censentur, JCti comprehendunt. Jura ista *H. Grot.* J. B. & P. l. 1. 4. appellat *Qualitates morales* tanquam si *naturalibus* contradistingueret. Et Clmus *Weigelius*, *Prof. Mathematum Ienensis*, tria summa genera Entium constituit: *Naturale*, *Morale*, *& Notionale*, atque in singulis iterum *Quantitatem* seu *æstimationem*, *Qualitatem*, & *Actionem* quærit. Jura igitur ad qualitates morales reducit, & uti actioni naturali seu motui. *Spatium* substratum sit, spatium quoddam morale esse *Statum*, in quo quasi motus moralis exerceatur. Quæ confirmat Dn. *Sam. Puffendorfius*, *Prof. Heidelbergensis* Elem. Jurispr. l. 1. defin. 1. seqq. *Hub.* verò *Giphanius* JCtus insignis præf. in 5. Eth. Arist. jus refert ad Categoriam Actionis & contendit, nihil aliud esse quàm justam actionem ex habitu promanantem. Quod profectò absonum videtur, nam actio posterior est, jus prius & quodammodo instar potentiæ, unde & potestas dicitur: adde si jus nihil aliud quàm actionem esse verum est, qui non aget non habebit Jus agendi, contractus quoque ultra actum contrahendi non durabunt, quod est ἄτοπον. Ad Relationis igitur prædicamentum omnia jura seu res incorporales refert *Phil. Melancht.* in Dialect. prædic. Relat. qui prædicamentum hoc propterea Politicum vocat, v. ibi *Victorin. Strigel.* & *Jac. Schegkium* Com. ad Categ. Aristot. ib. & l. 6. Topic. Arist. l. 57. qui tamen minus accuratè relationes rationis appellat. Qui qualitates vocant, eâ voce laxiùs utuntur, quando ad quæstionem quale quid responderi potest, v. g. qualis hic? liber, servus &c. Dn. *Puffendorfii* certè I. defin. 5. §. 1. jura respectus pertinentiæ vocat. Porrò jura Relationes esse concedit, realia verò Entia esse negat *H. Donell.* V. comm. 1. Sed relatio debile quidem Ens est in se, non tamen omnino nullum: & quamvis jus in re rei contradistinguatur, vox rei tamen ita strictè ibi sumitur, ut personæ & modo contradistinguatur.

QUÆ-

QUÆSTIO XVII.

Fundamentum Relationis* est, per quod inest subjecto, *Ratio fundandi* per quod inducitur. Illa tamen Relatio, cujus fundamentum est substantia, immediatè inest. Ratione fundandi vix indiget Relatio, nisi cujus fundamentum est qualitas. Quæritur autem: *An possit aliqua Relatio in Relatione fundari?* Et certè Analogia seu proportio est ratio seu similitudo rationum, v. g. ut 2. ad 4. ita 8. ad 16. Quin etiam, cùm Species inferat convenientiam Individuorum, si duæ species, & in his duæ convenientiæ conferantur, genus ab his, & in hoc convenientia convenientiarum abstrahetur. Similis inter JCtos digladiatio est, deturne dominium & possessio rerum incorporalium. Affirmat *Treutler.* II. 20. 1. negat *Giphan.* ad l. 6. D. de Donat. n. 12. disputat in utramque partem *Bachov.* ad *Treutl.* d. l. ut innumerabiles alios prætercam. Fundamenta utriusque partis posita sunt in locutionibus Legum, quæ tamen interdum impropriæ sunt, minusque exactæ. Notandum igitur aliam esse *Relationem Convenientiæ*, aliam *Conjunctionis*. Daturque Relatio convenientiæ ipsius convenientiæ, v. g. genus generis, at non conjunctio conjunctionis. Si enim semel conjunctioni ipsi v. g. relationi pertinentiæ rei ad suum Dominum conjunctione opus est, cur non etiam secundæ & tertiæ in infinitum? Convenientia enim convenientiæ non comparat hanc cum iis, quorum est convenientia, sed cum aliis convenientiis; at conjunctio conjunctionis ipsi vinculo cum iis quæ inter se conjunxit vinculum præstaret, illic igitur cùm ad summum genus deventum est deessent aliquando convenientiæ uniendæ, hic nunquam vincula denuò devincienda. Quare commodiùs dici videtur, possessionem & dominium, non esse id quod, sed id quo habemus, neque ea aliâ possessione aut dominio, quàm se ipsis possideri aut obtineri.



SPECIMEN CERTITUDINIS
SEU DEMONSTRATIONUM IN JURE
Exhibitum in
DOCTRINA CONDITIONUM.

PROŒMIUM.

QUàm libenter a præfatione abstinerem in reliquis brevitas mea fidem faciet, constantius quàm multa de suo afferentem decebit, servata. Nunc cogit me aliquid dicere metus judiciorum, quæ vel ex effectu vel festinatione inspicientium mihi imminere, sentio. Alii enim verborum parcimoniam vitio vertent, alii allegationum ex Doctoribus, quibus vulgò paginæ turgent; alii curiositatem, ut ipsi vocant, ut ego interpretor, variarum facti specierum copiam: & his quidem hoc ipso responsum esto, at primi reprehensores illud sibi persuadeant, facilius fuisse, dilatatis relatisque verbis ac casibus Legum, Volumen, quàm compressis tractatum dare. Quibus autem principem sine satellitibus, id est rem sine auctoritatibus intueri fastidiosum est, cogitent, quàm frequens hoc argumentum sit, quàm nulli juris vel compendio conditiones sileantur. Ita aut omnes citandi erunt, quod infinitum est; aut alii præ aliis, quod invidiosum, aut nullus, nisi cùm aliquid, rarissimâ gloriâ, veteribus intactum habet, quod expeditum. Neque verò vereor confiteri, quàm vulgare argumentum elegerim, plerumque enim quod communissimum, idem utilissimum est; illorum verò gloriæ non invideo, qui dum nescio quas inauditas materias jactant, habent in solo titulo

titulo raritatem, cætera inania sunt aut pervulgata. Mihi verò potiùs ad commendandum laborem meum videtur facere, quod Clmi viri in eo argumento illustrando studium posuerunt. Extat, ut ab incomparabili viro, quem honoris causa nomino, *Johanne Strauchio*, didici, tractatus de Conditionibus *Philiberti Brusselii Caroli V.* & *Philippi II.* Hispaniarum Regis Consiliarii, editus Lovanii anno 1560. comperi etiam prodiisse *Leandrum Galganettum* de Cond. Demonstr. Modo, Causa & Pœna Venetiis fol. 1609. & quendam *Paulum Duran* de Conditionibus & Modis impossibilibus & prohibitis contractibus & Testamentis adscriptis, ed. Venet. fol. 1616. Ienæ quoque de Conditionibus Dissertationem habuit *Oswaldus Hilliger* anno 1618. Versantur præterea in manibus tr. de Conditionibus *Lochmanni*, de Cond. Sponsalium Dn. *Bechstad.* & novissimè egregii Viri Dn. *Ziegleri* habita inauguralis Disputatio. Tales antecessores superare velle insanum esset, stultum vel æmulari. Licebit tamen opinor diversam viam ineunti, alia parte quoque aditum hujus rupis tentare. Atque ita ad Methodum meam venio, quam à reprehensione vindicare peculiaris operæ esset. Hic illud saltem præterire non possum, tanto ingenio tantâque profunditate in reddendo jure versatos esse JCtos veteres, ut in certissimas ac penè mathematicas demonstrationes eorum responsa redigendi laboris potius sit in digerendo, quàm in supplendo ingenii. Quam rem præter summum Virum *Hermannum Conringium* præfatione ad *Hopperum* de vera Jurisprudentia olim *Matthæus Gribaldus*, *Gilkenius* in pec. tr. quòd Jurisprudentia sit propriè dicta scientia & *Ant. Faber* in Papinianæa Jurisprudentia, nuperrimè Clmus *Feldenus* in Elementis Jurisprudentiæ (ea methodo quam olim in MSti usus Topicæ Aristotelicæ appendice de *ratione demonstrandi*, monstraverat) delineârunt ac tentaverunt. Verùm ita excusationis satis abundeque est. Nam qui tantorum Virorum nihil tribuunt rationibus, multò minus verbis meis permovebuntur.

PRÆLIMINARIA.

DOctrina de *Conditionibus* pars quædam est *Logicæ Juridicæ*, agens de Propositionibus Hypotheticis in jure, quarum sedes in juris corpore tot. tit. de Condit. Instit. (C. I.) de Cond. & Demonstr. (C. D.) ut imposterum citabimus, de statu liberis (St. L.) item C. de Instit. & Subst. sub Cond. & C. de Cond. Insert. Legat. &c. & Extra d. Cond. appos. (C. A.) Porrò cùm immensus rerum campus sit, *nominalibus* parum distinebimur. *Derivatio* Conditionis si per t. scribas est à *Condendo*, id est simul dando, adjiciendo uti redditio à reddendo. *Senec.* consol. ad Helv. n. 5. bona conditione conditi sumus. Sin cum *Pandectis Florentinis* per *c* scribas, erit Conditio à *condiendo*, voce JCtis usitata, tanquam simul dicta & cæteris adjecta. Unde rectè *Duaren.* ad tit. de C. I. c. I. conditionem *adjectionem* definit. Nec abludit Germanicum *Bedingung* quasi *Bey Dingung* id quod tractationi & conventioni accessit. Huic formulæ: Conditionem *pro non adjecta* habendam v. inf. th. 17. & infra demonstrabimus: Conditionem esse accessorium, Conditionatum principale. Quare ut ad *definitionem* seu explicationem termini veniamus (nam nec *Synonymias* venari operis pretium est, & *homonymiarum* abunde collegit *Dn. Rebhan.* in Hodeg. Jur. cujus scrinia compilare nolumus, neque enim desunt nobis, quæ de nostro afferamus, ut taceam unam *accuratam definitionem* omnium distinctionum, & ὁμωνυμίας explicationum instar esse, quod observavit *Th. Hobbes* Element. de Corpore parte prima Logicâ, c. 6. art. 15. propriet. I.) *Cujac.* Paratit. de C. I. definit modum, *Vultej.* I. R. I. 7. causam, *Ant. Fab.* & post eum *Franzk.* ad L. Gallus. II. 4. II. Privationem puritatis (quasi non potius *puritas* per privationem seu absentiam extranei definienda sit) *Ludwell* ad §. 9. I. de H. I. Qualitatem vocat. Cùm tamen qualitas sit potiùs *Conditionalitas* seu Connexio Propositionum, Conditio verò sit ipsa Propositio antecedens, v. g. si navis ex Asia venerit: tibi 100. dabo. Hic illa ipsa propositum: *Navis ex Asia veniet*, non verò qualitas ejus, conditio est; & impleri aut deficere debet. Nos procedemus, ut arbitror, paulo solidius, & rem sua natura incompletam (qualis est Conditio, quæ extra Propositionem Conditionalem esse non potest) in ordine ad Complementum, seu conditionatum, aut potius totum, quod h. l. est Propositio Conditionalis, definiemus.

CAPUT I.

DEFINITIONES.

PROPOSITIO autem CONDITIONALIS, (Cui opponitur PURA) v. g. Si homo est animal, *Petrus* sentit; si navis venerit, *Titius* 100. habeto, est

est quæ constat ex duabus 2. PROPOSITIONIBUS PARTIALIBUS tanquam *materia* & junctura earum tanquam *forma* quæ junctura seu 3. CONDITIONALITAS ad minimum hoc dicit: Si propositio partialis prior, seu 4. CONDITIO (quam imposterùm scribemus *Co*, & Conditionatum *Ctum*, & Conditionale *Cle*, & Conditionatorem *Ctorem*, & Conditionarium *Crium*) vera est (v. g. *si homo est animal*, *si navis venerit*) quæ ipsa effertur in modo non indicativo, sed conjunctivo; vera etiam est posterior seu 5. CONDITIONATUM, quæ jam effertur in modo directo, seu indicativo (*Petrus sentit*, *Titius* 100. *habebit*) & hanc juncturam dicimus affirmativam, uno verbo 6. ILLATIONEM. Junctura autem negativa dicitur 7. SUSPENSIO, seu hoc dicit: si illud verum non est, etiam hoc verum non est; v. l. 8. l. 37. de R. C. l. 79. pr. C. D. l. 41. de man. test. v. infr. d. 52. Hic statim præoccupando explicabimus divisionem Propositionis Clis in Logicam & Moralem, seu ut *Bachovius* ad *Tr.* II. 27. 6. lit. d. vocare mavult, secundum dici & esse. Quæ etsi ab effectu pendeat, tamen nobis de effectu maximè solicitis perpetuam in causis varietatem efficit, ut aliæ tanquam aptæ sint retinendæ, aliæ tanquam ineptæ rejiciendæ. Propositio igitur Clis vel spectatur in se, & ita ratione formæ & materiæ, vel in effectu, quod ad Scopum nostrum juridicum attinet, & ita vel non habet effectum, juris Clem, seu medium inter purum & nullum, & dicitur à nobis *Logica*, vel habet, & dicitur *Moralis*: non nego tamen & Logicarum Cnum interdum usum esse in jure, v. g. Si quis sub Cne *minetur* (id est promittat non bonum sed malum) non est moralis Co, neque enim alter unquam actione instituta urgebit malum promissum exhiberi: Et tamen in jure circa has Cnes notandum est, quod qui sub Cne minatur, concurrentibus reliquis ad diffidationem necessariis punitur ut verus *diffidator*, perinde ac si purè minatus fuisset *Dan. Moller.* ad Constit. Elector. P. IV. c. 15. ut alia exempla prætercam. Servabimus autem semper hunc morem, ut *Definitionibus* seu explicationi Terminorum. *Theoremata* seu regulas ex definitionibus demonstrabile adjiciamus. Quare nunc sunto

THEOREMATA.

(1) *Conditio infert Conditionatum.*

Nam si vera est Co verum est Ctum per d. 3. Ergo infert per d. 6. Hoc est quod vulgò dicunt: existente Conditione dispositionem purificari l. 41. 44. §. 10. C. D. l. 63. §. 1. ad Trebell. l. 14. de fideic. lib. l. 58. Sol. matrim. l. 10. de V. O. l. ult. §. 1. H. l. l. 2. pr. §. 1. l. 8. §. 7. l. ult. C. l. & sufficit eam semel extitisse l. 1. C. de Inst. & subst. l. 11. §. 1. C. D.

(2) *Con-*

(2) *Conditionatum suspendit Conditionem.*

Nam si vera Co, verum est Ctum per d. 3. & th. 1. quare si verum non est Ctum, vera non est Conditio, (nam si vera esset, esset & Ctum verum, cóntra hypothesin.) Ergo Ctum suspendit Cnem per d. 7. v. g. si 100. tibi nondum debentur, signum est nondum navem ex Asia venisse.

(3) *Conditio Conditionis est Conditio Conditionati.*

Esto enim Co prima A, secunda B. Ctum C. Cum A sit Co τοῦ B. per hypothesin; infert τὸ B. per th. 1. & ob eandem rationem B. τὸ C. quare & A. τὸ C. inferet, id est si A erit, C erit, per d. 6. (similiter si etiam suspendant.) Ergo A. erit Co τοῦ C. per d. 4. Hoc th. usum habet in dispositionibus circularibus de quibus infra, ubi Cnem & Ctum comparabimus, *item th.* 4. Ex eo fluit, quòd Co adjecta libertati, adjecta & videtur institutioni & Legato ejus servi cui libertas data est l. 52. C. D. ipsa enim libertas quasi Co quædam est Legati & institutionis in servis testatoris. Secus in alienis, quia eorum loco Dominus capit, unde si servus ille Testatoris esse desinat, vel fiat alteri communis (is enim pro extraneo habetur, l. 7. H. I.) purum est relictum, nec attenditur Conditio libertatis l. 3. §. 1. l. 38. §. 2. 3. 4. H. I. l. 47. C. D. obst. l. 86. C. D. R. id ibi fit ob favorem dotis. Similiter Co institutionis in servo cui libertas simul atque hæreditas soli data est, etiam ad libertatem trahitur, l. un. §. 6. C. de Caduc. toll. quia libertatum dies domum adita hæreditate cedit. ad d. l. 21. §. 1. & 22. H. I. Secus si habet cohæredem libertas servo competit purè, conditionem verò hæreditatis seorsim expectet v. l. 9. §. 17. 18. H. I. l. 2. 14. 26. man. fest. l. 4. pr. de reb. aut. jud. possid. (quin etiam constitutione Justiniani in l. 6. C. de necess. serv. Si servo libertas sub Cne non potestativa, hæreditas purè data fit, inverso modo libertatem purè hæreditatem sub Cne datam intelligi debere introductum est.) Priori igitur Casu servus à seipso conditione hæreditatis existente accepit libertatem l. 6. §. 4. H. I. l. 2. §. 2. St. L. unde propriè non est *Orcinus*, sed suus Libertus, quæ causa etiam est, quod stricto jure non subsistat hæc institutio: *Stichus liber, & postea, vel si liber erit, (ex asse) hæres esto* favore tamen libertatis illud: *postea* detrahatur l. 9. §. 14. l. 51. H. I. add. *Diss. nostr. de Casibus perplexis* §. 15. Porrò fluit etiam ex th. hoc nostro, quòd Legato præcipuo (id est quando hæredi præcipuum aliquid præ aliis l. 18. C. I. cohæredibus legatum est) insit Co institutionis, l. 70. 77. pr. C. D. l. 26. man. test. ubi se invicem explicant, l. 18. & 26. item l. 70. & 77. Quia prælegato caret, qui hæreditate (sc. propria culpa) excidit, (puta quòd eam repudiavit, aut conditionem potestativam non implevit. Si tamen hæres esse non possit, aut deficiat casualis Co, benignius cum eo agendum & deberi legatum putem)

putem) quia legatum ei contemplatione hæreditatis, & tanquam hæredi relictum intelligitur. Pari ratione Co institutionis ejus à quo Legatum relictum est, ipsum Legatum Cle efficit etsi ejusmodi v. non est moralis sed extrinseca l. 107. C. D. Huic etiam, si mihi aut alteri sum stipulatus, Co mihi adjecta alteri quoque adjecta intelligitur. l. 141. §. 7. 8. de V. O. quia alter meo jure accipit, ego enim petere possum, ipsi tantùm solvi potest. Breviter: omnia Cta tacitam conditionem habentia, (qualia vide toto cap. 2.) suspenduntur & inferuntur, per id quod tacitam conditionem infert & suspendit, seu Co subintellectæ Cnis est Co Cti.

(4). *Conditio nihil ponit.*

Nam propositio Conditionalis abstracta est, nihil aliud dicens quàm terminorum, seu propositionum partialium connexionem *per d.* 1. abstractæ autem propositiones veræ esse possunt, imò sunt, non existentibus terminis, (v. g. omnis homo est animal, etsi nullus homo, imò ne mundus quidem existat.) Tametsi disputationes *summulistarum* de *constantia subjecti* non ignorem. Unde cùm dico, si asinus volat, habet alas, neque affirmo directè, neque nego asinum volare. Quare partim indocti partim docti decipiuntur. Indocti, si quis cum ipsis disputans supponat aliquid possibile, quod tamen non existat, & quærat, quid deinde futurum sit, illi reclamant: ineptam esse quæstionem, quia id quod suppositum est non existat; quasi prudens in deliberando etiam eorum quæ incidere possunt, rationem habere non debeat. Sed homines sensibus assueti attollere animum à materia non possunt. Docti verò decipiuntur sæpe collectione negativa, suntque nimis subtiles. Non nego sæpissimè in communi sermone ita rectè colligi, v. g. *Owenum* ferunt juvenem neglecto habitu ad prætervehentis *Elisabetæ* Anglicæ currum audacter accucurrisse, sic ut Reginæ mendici speciem præberet. Tùm illa, ut erat festiva simul ac docta;

—————— *Pauper ubique jacet.*

Quod Owenus promtissima cavillatione sic refutat:

In thalamis Regina tuis hac nocte cubarem,
Si foret hoc verum: pauper ubique jacet.

Qua ille tam ingeniosa libertate & summam Reginæ gratiam, & liberrimum aulæ aditum meruit. Sed, ut ad rem veniamus, hìc Co aliquid ponit nempe negativum: quod pauper non ubique jaceat, idque ostendit ducendo ad absurdum. Sed aliàs hoc dici non debet, nisi cùm apparet loquentem velle ex absurditate Cti Cnem refutare. Hinc illustris quæstio deciditur: utrum liberi positi in Conditione positi intelligantur in dispositione. Quæ etsi affirmativè esset decidenda Jure Gentium, (ob dictam rationem argumenti à contrario sensu,) neganda tamen Jure

Civili quo liberi expreſsè & clarè vel inſtituti vel exhæredati eſſe debent, melioris inter directè & indirectè datum diſcriminis cauſa, adde l. 19. H. l. l. 8. ſi quis omiſſ. cauſſ. l. 2. §. 5. V. P. C. S. ex quibus præſertim l. 8. patet diſcrimen inter *Honoratum* & Legatarium, ſimiliter, ſi quid adimitur ſub Cne, non ſtatim datum intelligitur ſub contraria l. 59. §. 2. man. teſt. Si *Pamphilum* non dederis, tantum dare ſpondes? peti is non poteſt l. 115. §. 2. V. O. diſpoſitio quoque circularis ſi *Titius* hæres erit (vel non erit) *Sejus* hæres eſto; ſi *Sejus* hæres erit (vel non erit) *Titius* hæres eſto l. 16. C. l.: non eſſet perplexa, ſi hoc caſu uterque purè inſtitutus intelligi poſſet; quanquam id eſſet æquiſſimum; quia manifeſta eſt mens teſtatoris eum non mutuæ ſuſpenſionis, ſed mutuæ illationis cauſa eos conjunxiſſe, certè in ſimili caſu l. 9. *D.* de V. O. pluribus ſeparatim ſtipulantibus: ſi illi non dederis mihi dare ſpondes? dicitur eos intelligi quaſi duos reos credendi, & præoccupantis puram eſſe ſtipulationem. Quare ſæpe miratus ſum, cur interdum JCti à jure ſtricto abeant in cauſis ſtricti juris, qualis eſt, h. l. ſtipulatio; interdum illud ſequantur in cauſis bonæ fidei, qualis eſt hæreditatum in inſtitutionibus circularibus. Parum abeſt quin dicam eos quoque reſponſa ſua ad gratiam ſæpe, non veritatem, compoſuiſſe add. inſ. d. 32.

(5.) *Propoſitio Conditionalis Logica ratione effectus communibus Conditionum Regulis ſubſiſtit, Moralis & has, & ſuas quaſdam proprias ac ſingulares habet.*

Seu à Logicis ad morales valet argumentum affirmativè, non contra: à Moralibus ad Logicas negativè, non contra: Sed hoc ad effectum reſtringendum eſt, non ad terminos ſeu naturam, v. g. Co Logica infert Ctum, ſup. *th.* 1. E. & moralis. Sed non contra, nam moralis ſuſpendit Ctum v. *th.* 6. quod Logica non facit. Sed ſi ab effectu abeas non procedit, v. g. Logica Co *poteſt* eſſe incerta, non tamen moralis; & contra moralis *debet* eſſe incerta, non tamen Logica. v. *th.* 17. demonſtratio autem noſtri Theorematis hinc patet: omnes regulæ Cnum ſunt vel Logicæ vel morales. Illæ ex natura terminorum, hæ ex effectu juris fluentes, cumque effectus juris ſuperaddat aliquid, non demat nec tollat naturam Cnum, Logicæ quæ effectu juris carent, *per d.* 8. ſubſiſtent intra naturam Cnum, morales quæ effectum illum habent *d.* 9. regulas præterea juris requirent.

(6.) *Conditio moralis ſuſpendit Conditionatum.*

(Et per conſequens argumento demonſtrationis th. 2. *ab eo infertur* ex quo juncto *th.* 1. 2. & 7. patet propoſitionem Clem moralem eſſe convertibilem) l. 23. de recept. qui arb. l. 8. 37. 39. l. de Reb. Cred. l. 16. 18. 56.

56. Cond. in d. l. 19. constit. pec. 22. mand. l. 43. de ædil. edict. l. 13. de pignor. l. 8. §. 6. C. l. l. 14. de L. 3. l. 26. l. 40. §. 2. l. 41. C. D. l. 4. 5. 13. 21. 25. qu. d. l. c. l. 61. §. 1. 2. fid. lib. l. 7. §. 14. quib. ex c. in poss. l. 42. O. A. l. 116. V. O. §. 4. I. de V. O. l. 16. §. 5. de fidejuss. l. 213. V. S. l. 169. R. l. l. 3. C. de Cond. insf. l. 1. C. de Inst. & subst. l. un. §. 2. C. de Caduc. toll. Seu valet in Cnibus argumentum à contrario sensu, *Everh.* Loc. Legat. arg. à contr. sens. n. 36. Et cessante in iis causa, nempe ne cessat effectus, nempe Ctum vide *Andr. Tiraq.* tr. peculiari quando cessante causa cesset effectus. v. g. Si navis ex Asia venerit, *Sejus* hæres esto: antequam veniat hæres non est. Nam propositio Clis moralis habet effectum Juris Clis, seu ut existens Co, jus aliquod, quod est Ctum, in alio producat *per d.* 9. hinc existente Cne existit jus in alio *per th.* 1. Jus autem existere in alio non potest nisi voluntate personæ ejus cujus initio est jus, (quia nemini invito jus suum tolli potest) v. infra *def.* 77. persona autem aliter voluntatem suam non declaravit, ut jus existere in alio debeat, nisi existat Co, *per hypothesin*, non igitur existet jus Ctum nisi existat Co, seu Co moralis suspendit Ctum, *per d.* 7. Quod erat demonstrandum.

CAPUT II.

Porrò Tractatio Specialis de Propositionibus Conditionibus dividitur in *Naturam* & *Effectum*. Natura est facti, ut sciamus quando aliquid Co &c. sit; Effectus Juris, ut sciamus posito quod sit Co, quid hoc in jure importet. Natura igitur Cnum partim necessariis consequentiis, partim præsumta Voluntate ejus cujus voluntas pro regula esse debet, seu Interpretatione absolvitur. Interpretationis scopus est mentem alicujus ex signis probabiliter colligere. Signa autem sunt verba, vel aliud quiddam, ut facta, circumstantiæ, &c. concurrentibus autem pluribus signis unum alterum explicat. Hæc omnia constant Regulis interpretandi, quas præscribit vel Ratio, vel Lex. & si regulæ Legis non sunt fundatæ in ratione, (v. g. cùm Leges volunt, ut Cnem impossibilem in U. V. præsumamus à Testatore quasi obdormiscente & non advertente præter mentem suam adjectam) tum habetur interpretatio non vera, sed ficta; seu non realis, sed legalis. Quemadmodum & verum in Legale & Reale dividit *Bachovius*. Porrò Natura dividitur in *Formam* & Materiam seu *Propositiones partiales*. Forma est vel *Interna* vel *Externa*, hæc dicitur Figura, illa vis, in l. 69. H. I. aut potestas in l. 39. de Reb. Cred. Interna seu Conditionalitas meritò præmittitur, de qua in genere egimus *th.* 1. 2. 3. 4. in specie nunc dicemus. Conditionalitas est vel affirmativa seu 10. ILLATIO *tantùm*; v. g. si ille est homo, sequitur quod sit animal; non si non homo. E. nec animal vel etiam negativa, seu 11. ILLATIO ET

SUSPENSIO. v. g. si ille est homo, Christus est pro eo mortuus, sin non est homo, Christus pro eo mortuus non est.

THEOREMA.

(7.) *Si Conditio infert & suspendit Conditionatum, etiam vicissim Conditionatum ipsam suspendet & inferet.*

Seu si Conditionalitas est affirmativa & negativa, propositiones partiales sunt convertibiles. Nam Ctum suspendit Cnem, *per th.* 2. & suspenditur ab ea *per hypothesin h. l.* omne autem suspensum suspendens infert, quia suspensum non potest esse sine suspendente *per d.* 7. quare existente suspenso existit suspendens, quod est inferre *per d.* 6. l. Quare & Ctum inferet Cnem. v. g. in proximo exemplo etiam dicere possum: Si Christus pro illo mortuus est, erit homo; & si Christus pro eo mortuus non est, non erit homo.

DEFINITIONES.

Deinde Conditionalitas (quemadm. signum) est vel à natura rei; quam JCti dicunt 12. EXTRINSECAM, v. l. 99. C. D. l. 6. §. 1. l. 25. §. 1. fin. qu. à leg. ced. & juris l. 21. C. D. non facti l. 60. C. D. ipsa vi inesse l. 1. pr. C. D. & exemplum est in l. 107. C. D. l. 74. V. O. (tanquam extra hominis voluntatem advenientem Dd. tamen inverse, & ut videtur aptius intrinsecam vocant, cujus connexio est à natura rei, extrinsecam, cujus à voluntate, v. *Negusant.* de Pignorib. V. 3. 2. 11.) vel à voluntate personæ, quæ rem habet in potestate, seu 13. DISPONENTIS, quæ propositio Clis dicitur 14. DISPOSITIO. (aliter in l. 21. C. D. ubi extrinseca dicitur *Juris*, dispositio *facti.*) Tametsi inferius dispositionis vocem pro propositione conditionali morali adhibebimus. In EXTRINSECA Clitate, cujus exempla v. th. 10. th. 14. fin. th. 17. à parte rei, vel *Co est necessaria Cto*, seu id suspendit, tum dispositio in effectu est pura, vel *Ctum est necessarium Cni*, sed ab ea infertur aut eam suspendit, quo casu dispositio in effectu Juris est nulla; *v. infr. th.* 17. FORMA EXTERNA est vel *Tacita* vel *expressa.* TACITIS Conditionibus abutuntur sæpe homines, *v. Grot.* de J. B. P. XI. 6. nolo hic in æquivocationes expatiari, quibus Societas Jesu infamatur vulgò, saltem quid illo Maximi Galliæ Regis *Henrici IV.* dicterio magis Machiavellicum, & ad evertendam generis humani tranquillitatem accommodatius? qui referente *Forstnero* ad Tacit. lib. omiss. p. 10. omnes Principum promissiones ajebat continere tacitam Cnem: *Si utile est.* Quod ipsum *Mariæ* Scoticæ tribuit, *Joh de Laet.* Hist. Univ. p. 405. Nos breviter more nostro regulis rem compre-

hen-

hendemus præmissa casuum distinctione. Nam vel quæritur quando inter loquendum liceat in animo reservare aliquam Cnem; vel quando in interpretatione liceat aliquam subintelligere: illud est magis casuisticum & justitiæ internæ, hoc magis Juridicum & externæ. Et prius quidem subdistinguendum, nam vel in simplici conventione, vel juramento aliqua Co reservatur. Hinc regulæ duæ.

THEOREMATA.

(8.) *In simplici sermone tum demum reservare aliquam in animo Conditionem licet, cùm decipere licet.*

Nam hoc ipsum est *decipere*, scienter aliud, quàm cogitamus, significare. Licere autem aliquando decipere, etsi *Augustino* negatum, plerisque tamen moralistarum receptum est, v. fusè Dn. *Hanckium* in aliquot Differt. de Simulat. & Dissimulat. Deinde

(9.) *Inter jurandum autem tum demum reservare aliquam in animo Conditionem licet, cùm decipere necesse est.*

Quia juramento decipere tum demum licet, cùm necesse est, ad conservandam scilicet Gloriam DEI. Unde promissio rei illicitæ, v. g. assassinatus seu homicidii, ne juramento quidem confirmatur. Et his casibus tantum Cnem subintelligere licet. Quæritur nunc porrò quando de facto subintellecta videatur, seu de interpretatione.

(10.) *In interpretando tacita conditio subintelligenda est, si Leges volunt eam subintelligi.*

V. g. Legatum continet tacitam Cnem, si hæres erit, (vel sibi assignatum capiet) is à quo (sc. solvi debet id quod) relictum est, l. 126. §. 1. de L. 1. Quæ Co tamen non tam ortum habet, ex præsumta mente Testatoris, quàm ipsa legati natura (quippe quæ est Juris civilis) per Leges formata, unde non est moralis, sed tantùm extrinseca Co, quod innuunt l. 3. Leg. 1. l. 19. §. 1. C. D. l. 21. §. 1. 2. l. 22. quando dies leg. ced. Eadem ratione ex annuis legatis primi anni legatum dicitur purum, cætera Clia, respectu hæredum Legatarii, quibus legatum intelligitur sub tacita hac legali conditione: Si vivo primo legatario dies ejus cedet, v. l. 4 5. de annuis Legat. alioqui enim non transmittitur ad hæredes, adde alia exempla supr. *th.* 3.

(11.) *Item si probabile est disponentem & acceptantem simul (v. g. spondentem & stipulantem) vel si nullus acceptans adest solùm disponentem (v. g. Testatorem , conditionem subintellexisse.)*

Quia Testamentum v. g. & similes actus , in quibus nulla est acceptatio , sed acquiritur jus revocabile tantùm purè pendent à mente unius ; at ubi acceptatio accedit , concurrit consensus duorum. Idque obtinet quando stultissimus esset disponens , nisi subintellexisset , stultus autem nemo præsumitur. Hujus rei exempla tota die occurrunt , quare unius tantum mentionem faciemus : Dos (& donatio propter nuptias §. 3. I. de Donat.) tacita hac Cne constituitur , si nuptiæ fuerint secutæ , l. 21. 41. de Jur. Dot.

(12.) *Item si suadet contextus.*

(Quo casu partim tacita Co est , nempe h. l. partim expressa , nempe vicino.) Quod infinitis modis fieri potest , afferemus tantum duos maximè illustres : *Præfationis Conditio repetitur in tractatu* (idem enim actus est verbis divisus) *l.* 134. §. 1. *V. O.* Et *quodcunque & quomodocunque pactum contractum inest , ejus Co eodem modo inest , l.* 4. §. fin. de Pact. deinde : Co *rei alicujus repetitur ad aliam diversam in eadem oratione vicino loco positam , si intercedit particula connexiva* , v. g. *hoc amplius* , (alioqui ejus nulla vis esset) l. 18. §. 1. C. I. l. 54. 63. L. 3. l. 77. pr. 108. C. D. *si legatum ab uno ad alium transfertur* , *Co priori adjecta penes posteriorem subintelligitur* , *nisi sit personalis* , id est personæ solùm prioris accommodata , merè physica , facti , faciendi aut patiendi , individualis *v. def.* 72. non moralis , juris , dandi , generalis , v. l. 24. adim. leg. l. 95. C. D. Similiter Co stipulationis adjectioni videtur inesse , l. 141. §. 7. 8. V. O. v. g. mihi si navis ex Asia venerit , aut *Titio* dari spondes. *Titio* antequam venerit , invalidè datur. Et regulariter locum habet illa Conditionum Repetitio , (exceptis casibus quos nunc sigillatim proponemus ,) *nisi fiat ex actu nullo* , v. g. ex testamento priore in posterius non est repetitio , *Galganetus* Tr. de Condit. p. 2. c. 1. q. 14. aut ex institutione in substitutionem l. 73. H. I. quia substitutioni non est locus , nisi corruente institutione , *item nisi cesset causa ponendi hic , ob quam posita est illic* v. l. 81. pr. f. C. D. *Item si inepté subintelligeretur* l. 113. §. 4. L. 1. l. 24. pr. adim. leg. vide infra quæ de personalibus Cnibus & facti nudi dicemus. v. l. un. §. 9. C. de Caduc. toll. item *si Co inter duas dispositiones ponitur , & pertinet ad priorem , in posteriori non repetitur.* l. 89. §. 2. de L. 2. denique si plures verbis conjuncti sunt , non statim Cne conjuncti intelliguntur l. 89. §. 2. L. 2. l. 81. C. D. l. un. §. 11. C. de Cad. toll.

CAPUT

CAPUT III.

DEFINITIONES.

Expressa Co habet verba formalia, quæ sunt: *Signa* & *Copula*. SIGNA sunt *Conjunctiones*, v. g. Si, Nisi, Cùm, Quoad &c. *Pronomina*: Quis, quisquis, &c. quorum plenam tractationem à Dn. *Strauchio* in particulis juris expectamus; duo ablativi. COPULA est vel vox: *sequitur*, aut similis, v. g. si omnis homo est animal, sequitur quòd *Petrus* sentiat; vel vox *Est* aut *Esto* (maximè in Ultimis Voluntatibus, in quibus Testator pro imperio loquitur) v. g. si *Titius* Capitolium non ascenderit, *Sejus* hæres esto. Quæ sæpe absorbetur Verbo, v. g. si *Titius* consul factus fuerit, tantum dare spondeo, vel 100. do lego, vel 100. habeto. CONDITIO EXPRESSA vel in terminis expressa est, & dicitur 15. EXPLICITA; vel per necessariam consequentiam, & dicitur 16. IMPLICITA. EXPLICITÆ signum est: si v. l. 22. quand. d. leg. ced. l. 45. §. 3. 46. §. 2. 3. V. O. IMPLICITA est vel in 17. DEMONSTRATIONE, (cujus signa Qui, & Quisquis, quæ directè demonstrationis, indirectè illud per l. 10. C. I. hoc per l. 3. 6. L. 1. Cnis signa sunt: Si quis, simul Cnem & Demonstrationem directè continet v. l. 17. §. 1. de L. 1. l. 5. pr. l. 11. de reb. dub.) quam definio: Subjectum propositionis Categoricæ universalis necessariæ. v. g. Qui filiam meam duxerit, is fundum Cornelianum sibi habeto. Hæc propositio est universalis, & necessaria, non quidem ex natura rei, voluntate tamen testatoris. Quare demonstratio est subjectum ejus, qui filiam meam duxerit, per quam persona fundum illum habitura determinatur, & certificari aliquando potest. Vel etiam implicita Co est in 16. DIE id est in aliquo Quando, seu momento Temporis, (sic enim in hac materia sumitur dies, non pro parte aliqua temporis quam vulgò diem vel naturalem vel artificialem appellamus.) 19. TEMPUS autem est quamdiu, seu Tractus durationis. Estque vel definitum vel indefinitum, l. 91. C. D. Signum autem diei & Cnis simul, est Cum l. 22. qu. d. l. ced. l. 48. Cond. indeb. Tum l. 4. C. D. & ibi *Gothofred.* Postea l. 9. §. 14. H. I. duo ablativi consequentiam designantes l. 109. C. D. Porrò 20. dies tam CERTUS, quàm INCERTUS, est vel AN (futurus sit) vel QUANDO futurus sit) VEL AN ET QUANDO (futurus sit) v. Dn. *Hahn. ad Wesembec.* tit. de C. D. n. 3. Est denique Co implicita in Modo. 21. MODUS (de quo v. tot. tit. de D. in diem Addict. Leg. Commiss. Cond. caus. dat. C. de his quæ sub mod. de Donat. quæ sub mod. si mancip. ita ven. aliter sumitur vox Modi in l. 44. §. 3. de O. & A.) est aliquid adjectum dispositioni, cum cavet disponens, ut, nisi id fiat, jus à dispositario seu accipiente, revertatur ad disponentem seu dan-

tem, v. g. *Titio* 1000. do lego, ut mihi monumentum ædificet. Ibi ille 1000. quidem accipit purè, l. 80. C. D. l. 2. pr. de in diem addict. l. 1. 2. de Leg. Commiss. non obst. l. 3. §. 3. fin. C. com. de Leg. Servus verò si cui datus est ad Cnem, servus sub Cne liber est, tot. tit. D. de his qui sine manumiss. ad libert. perven. add. de servo infra *th.* 38. ubi de Jurandi Cne ipsi non remissa. Sed si monumentum non ædificet, restituere cogitur. Hic monumenti ædificatio est modus, signum modi: Ut d. l. 80. Contrarium verò modi est Co, nempe ipsa non ædificatio. Co autem talis vulgò dicitur Resolutiva, quatenus jus accipientis iterum finit l. 3. quib. in pign. vel resolvit l. 2. pr. de in diem addict. & contradistinguitur suspensivæ, sed si accuratè consideremus, Co Resolutiva & Suspensiva solo respectu differunt. Nam quatenus Disponens adjicit in translatione juris, quod habuit ad alterum; ut existente aliquo, (h. l. non ædificatione) revertatur ad se, & quatenus jus accipientis iterum finit, & rem in priorem statum restituit, dicitur 22. RESOLUTIVA: cujus signum, Quoad, l. 3. §. 7. de Suspect. Tut. quatenus verò videtur facta esse repromissio tacita accipientis qua promittit danti se, si aliquid (quod Conditionem resolutivam dicebamus) contingat, datum sibi iterum daturum, (nisi quòd si ancilla alicui vendita sit sub modo ne prostituatur, & nihilominus prostituta sit, competet ancillæ libertas, non revertetur ad Venditorem l. 6. §. 1. l. 7. *Qui sine manumiss. ad libert. perven.*) Dicitur 23. SUSPENSIVA; neque nisi relatione differt. Unde in repromissione accipiens est Conditionator, Resolutiva dans Conditionarius. *add. th.* 47. Cùm autem de Suspensiva Cne loquimur, adhibebimus phrasin: 24. SUB CNE, sin Resolutiva, dicimus 25. AD CNEM jus datum esse. v. l. 4. D. de Servit. aliter vox sumitur in l. 8. de V. O. Est verò singulare genus Adjectionis ex Modo & Cne mixtæ, quæ hoc continet: quamdiu hoc erit, illud esto; & cùm non erit, non esto; & cùm iterum erit, iterum esto. l. 45. §. 1. de Excus. Tut. Porrò hæc oriuntur theoremata;

THEOREMATA.

(13.) *Omnis determinatio diei per rem in illa existentem est demonstratio.*

V. g. Quando navis ex Asia venerit *Titius* 100. accipiet. Quia resolvi potest in propositionem universalem categoricam necessariam: (v. g. omne Tempus adventus navis, est tempus 100. à *Titio* acceptorum) id est in demonstrationem per d. 17.

(14.) Om-

(14.) *Omnis demonstratio est Conditio.*

Quia demonstratio est subjectum propositionis categoricæ universalis necessariæ, per *d.* 17. talis autem resolvi potest in hypotheticam, v. g. omnis homo est animal, seu: si quis est homo, ille est animal, quod eleganter observavit *Th. Hobbes* lib. de corpore, in tali autem resolutione subjectum fit antecedens, antecedens est Co *per d.* 4. Quare omnis demonstratio per resolutionem Co est. Sed ut supra admonuimus *def.* 8. nostro instituto non sufficit aliquid importare Cnem, si non importet moralem. Ad moralem autem Cnem requiritur, ut sit incerta s. incertum an futura sit v. infr. *Th.* 17. quare consequens est tum demum demonstrationem morali effectu pro Cne haberi, cùm & ipsa est incerta an, (v. g. non est incerta an hæc: Quisquis filiorum meorum primus morietur, 100. habeto. Sed hæc v. g. quisquis filiorum meorum primus me vivo morietur, potest enim contingere, ut me vivo moriatur nemo) l. 2. pr. l. 9. §. 11. H. l. l. 10. pr. C. l. l. 6. l. 17. §. 1. de L. 1. l. 85. de L. 3. l. 5. pr. l. 11. de reb. dub. tametsi demonstratio alicubi opponitur Cni l. 6. L. 1. l. 19. §. 1. l. 34. §. 1. C. D. Quia autem dies continet demonstrationem *per th.* 11. consequens etiam est diem incertum an, continere Cnem l. 56. cond. ind. l. 30. §. 4. L. 1. l. 1. §. 2. l. 75. C. D. l. 46. ad Trebell. l. 8. C. test. man. tametsi alias dies incertus & Co sibi opponuntur, l. 16. §. 1. Cond. ind. l. 1. pr. C. D. l. un. §. 7. C. de Caduc. toll. Diem certum an & quando non facere Cnem est in confesso l. 1. §. 1. C. D. l. 21. qu. d. l. ced. vide tamen *l.* 40. §. 2. *C. D.* sed de die certo an, incerto tamen quando, controversia est, quem in contractibus quidem minimè, & rectè per l. 48. Cond. Ind. l. 45. §. 3. l. 46. V. O. l. 70. solut. in ultimis tamen voluntatibus omnino per l. 30. §. 4. L. 1. l. 4. qu. d. l. c. l. 1. §. 2. l. 75. C. D. Cnem facere arbitrantur. Sed minus rectè, v. l. 16. manum. test. l. 18. §. 2. l. 23. §. 3. fideic. lib. l. 19. §. 3. St. L. l. 5. C. qu. d. l. c. v. g. Quando *Titius* morietur, hæres meus *Sejo* 100. dare damnas esto. Ajunt hoc legatum Cle esse & Cnem continere hanc: si *Titius* ante *Sejum* moriatur. Quia si postea moritur *Sejus*, non transmittit ad hæredes. Sed hæc Co est extrinseca, & si esset proprie dicta & moralis, omnia Legata essent Clia, omnia enim hanc Cnem continent, si dies legati cedat ante mortem Legatoris; alioqui enim non transmittet ad hæredes. Causa impulsiva quoque vim Cnis habet, sc. quando Cliter concepta est, l. 12. l. 17. §. 3. l. 104. L. 1. vid. & l. 30. §. ult. l. 6. qu. d. l. c. l. 106. 107. C. D. l. 43. §. 1. fid. lib.

(15.) *Conditio moralis in Conditionarium collata merè negativa, item Objectum Conditionis jurejurandi in Ult. Volunt. habetur pro modo.*

V. g. si *Titius* in Capitolium non ascenderit, hæres esto. Hoc proinde habetur ac si sic dixisset: *Titius* hæres esto, sed non ascendat in Capitolium. Unde statim fit hæres, si caveat se contra adjectionem istam non facturum, l. 4. §. 1. l. 7. 18. 67. 73. 79. §. 2. l. 107. C. J. l. 37. C. D. l. 4. C. de Don. mort. cauf. Hæc Cautio in omnibus ferè modis adhibenda est, & dicitur in negativis Cnibus in modum transeuntibus, specialiter *Muciana*, à *Mucio Scævola* l. 77. C. D. Novell. 22. c. 43. cavetur iis ad quos venturum esset relictum deficiente Cne, l. 18. C. D. l. 65. ad *Trebell.* (non tamen venientibus ab intestato *Bach. ad Tr.* ll. 13. 60. lit. f. per l. 4. §. 1. l. 7. C. J.) per satisdationem l. 67. 106. C. D. id est fidejussores l. 97. C. D. auth. cui relictum. C. de ind. vid. ad rem, si peccatum fuerit, restituendam cum usuris & fructibus & quanti ea res erit, l. 67. §. 2. L. 2. l. 67. 79. §. 2. C. D. si committatur stipulatio, seu si peccatur non solum actio ex stipulatu datur, sed & accommodata est rei vindicatio Novell. 22. c. 44. §. 6. si verò cavere nolit is cui relictum est, repellitur ab ejus petitione exceptione doli l. 3. §. 4. adim. Leg. l. 5. de dol. mal. except. Nisi à testatore remittatur, quod facere potest l. 72. §. 23. l. 77. §. ult. C. D. l. 12. ut legat. serv. cauf. l. 2. 4. 7. C. ut in possess. l. 2. C. de Cond. inf. Novell. 15. Novell. 22. c. 44. fin. Sed hoc theorema tantùm obtinet in ultimis voluntatibus, non verò in Conventionibus §. 4. J. de V. O. l. 39. de Pact. l. 99. 109. 115. V. O. l. 44. fidej. Extenditur verò propter identitatem rationis à negativis ad alias continuatas indefinitas l. 73. C. D. vide tamen l. 42. eod. Nunc demonstrationem Theorematis hujus 15. subjiciemus, Co mere negativa non potest impleri, nisi interitu subjecti per *th.* 43. id est h. l. Crii *per hypothesin* (unde perinde erit ac si ita relictum esset; cùm morieris §. 15. J. de V. O. in aliis verò ubi hoc non subest, cessat nostrum theorema l. 72. 77. §. 2. l. 101. §. pen. l. 106. C. D. vide tamen *l.* 4. §. 1. *C. J. l.* 7. 67. *C. D.*) & ita Crius non fruetur ipse beneficio Testatoris, sed ejus hæredes tantùm, quod est admodum durum, & contra mentem Testatoris esse intelligitur, quia ultimæ voluntates benignius interpretandæ sunt, v. *th.* 20. Igitur ut fruatur ipse beneficio testatoris accipit purè, ut verò ne violetur mens testatoris quam adjectione declaravit, tenetur eam servare, & de eo cavet; quod ipsum est Cnem modum factam esse per *d.* 21. *seqq.* Q. E. D. Unum addo Theorema hoc à nullo hactenus observatum esse, quòd nempe Cautio Mutiana in negativis oriatur, quia transierunt in modum, etsi multùm aliàs de ista Cautione disputent, eandem ob causam Objectum Cnis jurandi transit in modum.

CAPUT

CAPUT IV.

Et tantum de Clitate nunc ad PROPOSITIONES PARTIALES, seu ipsam Cnem & ipsum Ctum, de quibus vel *absolutè* vel *comparatè*. ABSOLUTE & in se vel in genere de Interpretatione, vel in specie, ratione FORMÆ & MATERIÆ. INTERPRETATIONIS spectemus tum *Objectum* tum *effectus*. OBJECTUM sunt vel *termini* propositionum partialium aut ipsæmet propositiones partiales *simpliciter*, vel *multiplicatio*. Ratione EFFECTUS interpretatio est vel *deminutiva extensiva*, per quam fit ut pluribus modis possit impleri Co aut Ctum, vel *intensiva augmentativa*, per quam fit ut plura ad ipsum implendum requirantur, arg. l. 2. §. 4. Quib. ex c. in possess. illa efficit disjunctionem, hæc conjunctionem. Hinc surgunt Theoremata.

(16) *Quicquid in Conditione aut Conditionato positum est, & impeditur ab eo, cujus interest in ea positum esse, id in morali Dispositione habetur quoad ipsum pro non adjecto.*

Cujus ratio manifesta est, quia quilibet juri suo renunciare potest, & indignus est beneficio quod sprevit. Dummodo culpa (non casu) impediverit. Ex hoc fluit, quod ab onere dandi liberetur Debiturus, si *Honoratus* non vult accipere, quod verum est tam de *Honorato* minùs principali, quem in specie dico *Honoratum v. infr. d. 67.* v. g. *Stichus* si hæredi meo 10. dederit, liber esto. Si *Honoratus* non vult accipere, nihilominus est liber, per l. 30. de Usf. & Usufr. l. 3. 11. 20. 23. pr. C. L. l. 81. §. 5. de L. 1. l. 6. 45. 84. C. D. l. 5. §. 5. qu. d. l. c. l. 34. §. 1. St. L. tum etiam (v. tamen l. 101. §. 4. C. D.) de *Honorato* principali, quem suo proprio nomine appello Conditionarium, *v. infra d. l. 6.* sic si rem Ctam repudiat, impeditque quo minus ad se perveniat, nihil accipit l. 9. §. 6. H. I. confer tamen l. 45. §. 1. L. 2. l. 13. 70. §. 3. acq. hær. Hinc etiam oritur, quod Co habetur pro non adjecta, si debiturus (cujus interest ipsam adjectam esse *per th.* 46.) eam impleri impedit l. 24. C. D. quæ repetitur in l. 161. de R. J. ubi *Hottoman.* 4. obs. 2. legit. *non fit*, sed malè arg. *v. promissorem*, *inf.* add. l. 81. §. 1. C. D. l. 3. §. 7. l. 34. §. 1. l. 38. St. L. l. 85. §. 7. V. O. l. 39. R. J. v. g. si Testator ita dixerit: Si *Sejus* intra decendium à morte mea in Capitolium ascenderit, *Titius* hæres esto. Si quidem *Sejus* decumbat illo tempore, *Titius* minime fiet hæres, (aliud est in libertate *v. th.* 60.) hæc enim Co, etsi potestativa, minimè tamen in Crium collata est, *v. th.* 60. sed si *Sejus* paratus sit ascendere in Capitolium, & is qui deficiente *Titii* institutione hæres esset, v. g. proximus agnatus aut substitutus, aut cohæres, quem

dicamus *Cajum*, egredientem domo *Sejum* adoriretur, & plagis ita mulctaret, ut eo toto decendio ipsi esset decumbendum, nemo dubitat *Titium* perinde ac si implesset Cnem, hæredem fore, ne sit in potestate improborum sui commodi causa variis machinationibus vi dolove voluntatibus defunctorum exitum intercludere. Sed si in potestatem debituri collata sit Co v. g. *Titius* hæres esto, si *Titius Mæviam* duxerit, *Sejus* hæres esto. Utique licebit ei impedire existentiam Cnis, & *Mæviam* non ducere. Nisi quod favore libertatis aliud introductum est; Nam si ita libertas *Sticho* data sit, si hæres intra annum à morte Testatoris ascenderit in Capitolium, hæres videtur ascendere jussus, & si intermittat, cùm commodè posset, servus nihilominus sit liber l. 41. §. 1. fid. lib. l. 20. §. 1. St. L. Solent JCti in hac materia uti ista phrasi, *si per aliquem stet, vel non stet*: stare autem videtur non solum per eum qui impedit, sed & qui non facit, quantum se facere posse intelligit, l. 13. ann. leg. l. 34. §. 1. St. L. l. 50. 83. V. O. v. *inf. def.* 75.

(17.) *Quicquid ipsa natura & necessariò inest, id est pro non adjecto in propositione Conditionali morali.*

Quod enim inest frustra separatim exprimitur l. 4. L. 1. l. 19. §. 1. l. 52. C. D. l. 21. §. 1. l. 22. §. 1. qu. d. l. c. (non obstat alia regula: expressa nocent, non expressa non nocent. l. 47. 56. Mandati l. 51. §. 1. l. 68. H. I. l. 65. §. 1. L. 1. l. 77. 195. R. J. nam distinguendum, si quæ insunt *superflua* sunt, id est nihil aliud continent, quàm quod inest, etiam expressa non nocent, l. 65. V. O. l. 94. R. J. l. 17. C. de Test.) frustraneum autem in effectu est pro non adjecto. Hinc fluit quod Co sit pro non adjecta, si ipsa per se & absolutè necessaria est, v. g. si *Titius* dum vivet, cibum capiet, hæres esto, quod tantundem valet, quantum: *Titius* hæres esto, §. 16. I. de H. I. §. 11. I. de inut. stip. l. 50. H. I. l. 56. C. D. l. 7. V. O. Fluit etiam hinc quod Co sit pro non adjecta, si ipsa necessaria est ad Ctum ex ipsa rei natura, (qualis extrinseca dicitur sup. *d.* 12.) v. g. si Leges permittent, *Titius* hæres esto. v. l. 3. L. 1. l. 6. l. 25. §. 1. qu. d. l. c. l. 99. 107. C. D. similiter & Ctum pro non adjecto, & per consequens per *th.* 69. dispositio nulla est, cùm est necessarium, v. g. cùm alicui rem suam lego l. 29. L. 1. item cùm est necessarium Cni, *v. th.* 69.

(18.) *Item*

(18.) *Item quicquid præter intentionem adjectum est.* ἐνδελεχ. v. l. 9. §. 5. H. I.

(19.) *Si apparet expressum ob certum finem ascriptum esse, recipit interpretationem extensivam, seu in subsidium substitui potest, quicquid efficacia ad illum finem æquipollet.*

ἐνδελεχ l. 26. C. D. l. 17. §. 7. l. 57. §. 1. ad Trebell. l. 31. solut. l. f. C. de posth. hæredibus. Hinc si quis impleat non interest, Co collata est in expressum, aut quemcunque ejus nomine, potest enim per alios transmittere pecuniam aut alios operi injuncto faciendo conducere. l. 15. fin. de St. Hom. l. ult. C. I. l. 11. §. fin. L. 3. l. 39. §. f. St. L. un. §. 9. Caduc. toll. l. 31. de solut. Porrò in implenda Cne, pupillus parere potest sine Tutoris autoritate l. 26. C. I. l. 5. C. D. potest enim meliorem suam Cnem facere pr. I. de aut. Tutor. Jam hic non apparet, quomodo pupillus deteriorem suam Cnem faciat, nam etsi impleta Cne potestativa suus se faciat necessarium hæredem, tamen & sic abstinendi potestas ei relicta est, l. 1. 2. C. si min. ab hæred. se abstin. similiter qui in potestate est, uti filius, servus, sine cons. habentis Cnem libertatis implere potest l. 5. §. 1. C. D. Obst. l. 25. C. l. *Cujac.* 11. obs. 14. tollit vocem: Non. At *Alberic. Gentil.* 1. Lect. 5. distinguit non malè inter Legatum & Institutionem, in Legato enim impleta Cne nullum periculum est. At in Institutione etsi impleta Cne nondum fit hæres, currit tamen à die Cnis impletæ tempus deliberandi. Denique quando implendæ Cnis potestas transeat ad hæredes v. *Fr. Duarenum* in *Scævola*, inserto Com. de V. O. fol. opp. 794. 795. add. & infra *def.* 72. (idem de *Honorato*, seu eo, cui dandum est aliquid, ut impleatur Co, hinc dari potest Tutori vel Curatori, l. 13. C. D. l. 68. l. 95. de Solut. non tamen dari potest Dno loco servi, l. 44. C. D. l. 38. §. 6. V. O. excipe statu liberum d. l. 44. §. 2. non servo injussò loco Domini d. l. 44. §. 3. l. 94. C. D.) sed hæc substitutio locum habet, dum principalis vivit, morte deficit. Quia dum alius ejus nomine implet vel accipit, ipse videtur facere, fictio autem terminos habiles requirit, v. de implente l. 104. §. 1. L. 1. l. 31. l. 69. C. D. l. 109. C. D. l. 48. V. O. de *Honorato* l. 31. 51. §. 1. l. 94. 104. 109. C. D. l. 23. §. 2. ad L. Aquil. non obst. l. 54. §. 2. L. 1. ibi enim Testatore vivo mortuus est, per §. 1. præcedentem. Statu liber tamen, perpetua prærogativa, liber esse jussus si hæredi 10. dederit, etiam hæredi hæredis, imò Domino suo cui hæres vendidit, dando pervenit in libertatem, quia ipsa in abstracto Dominica potestas in se, *Honorata* intelligitur, quæ transit ad successores, v. l. 51. §. 4. C. D. l. 15. fin. de legat. præstand. l. 3. §. 6. fideic. lib. l.

22. St. L. uti dignitati ipsi velut personæ alicui in abstracto legatum dicimus, si legatum aliquod v. g. annuum transit ad successores ejus dignitatis *v. Menoch.* 4. præsumt. 121. extraneus si mortuus sit, nulli dando fit liber. l. 94. C. D. Persona igitur objectiva Cnis dandi, quæ *Honoratus* dicitur, extensivam interpretationem recipit, sed non persona objectiva Cnis faciendi, v. g. si *Titium* Musicam docueris, 100. habeto, ne volente quidem *Titio* in alium transferri id potest. v. l. 31. de Solut. l. 44. pr. C. D. Denique observandum, Cnem cujus persona Clis vicariam recipit, etiam in moriente existere posse, l. 28. C. I. quia dum vivit in alio existere potest, ut proximè diximus; dum moritur autem in ipso momento moriendi adhuc vivit, *Gell. VI.* 13. l. 42. §. 2. Mort. c. don. l. 18. §. 1. man. testam. l. ult. eod.

(20.) *Conditio in ultimis Voluntatibus interpretationem extensivam recipit, Conditionatum intensivam, contra in Contractibus Conditio recipit interpretationem intensivam, seu augmentativam; Conditionatum extensivam seu deminutivam.*

(Utrumque enim debituro utile, Crio damnosum est, per *th.* 46.) Quia in ultimis Voluntatibus interpretandis favendum *Honoratis*, id enim nihil nocet loquenti, quin potius ipsi gratum videtur se voluntates ejus plenissimè interpretemur, contra in contractibus favendum debenti, quia ibi debens & loquens coincidunt, unusquisque autem suis verbis quàm minimum sibi nocere voluisse intelligitur. In iis dispositio pura magis quam Clis in dubio præsumitur *Menoch.* 6. præsumt. 4. Hujus theorematis per totam nostram dissertationem usus est maximus *v. th.* 29.

(21.) *Conditio actui necessaria recipit interpretationem deminutivam.*

Quod enim necessariò facimus inviti ut plurimum facimus. Si igitur Ctor totam Cnem libenter omisisset, quanto magis partem? arg. l. 29. de lib. & pub. l. 22. ad Trebell. l. 15. qu. d. l. C. l. 62. R. I. l. 3. C. de inst. & subst. l. f. C. de don. quæ sub mod. Co autem actui necessaria est, quando Actus non potest esse vel in specie sine hac data Cne, uti Exhæredatio posthumorum non potest fieri sine illa Cne, quam præscripsit *Gallus Aquilius* in l. Gallus 29. D. de Lib. & posth. vel etsi in specie Actus possit esse sine hac Cne, non potest tamen esse sine omni in genere. Tales sunt Actus natura Cles, qualis est *substitutio* l. 23. V. P. S. (non obst. l. 8. pr. eod.) *Crispin.* ad pr. n. 6. l. eod. *Alciatus* de V. S. lib. 3. n. 19. Dissentit *Fr. Duarenus* in tit. de C. l. c. 1. hoc enim continet: si ille non habebit, hic habeto: item *fidejussio*, jure novo quoties

quoties non renunciatum eſt beneficio ordinis, ſeu excuſſionis, hoc enim continet: ſi principalis non ſolvet, ego ſolvam, auth. præſente C. de fidejuſſ. Novell. 4. *Stipulatio pœnalis*, puta: ſi hoc facies, vel non facies, tantum dare ſpondes? vide *Jul. Beym.* tr. de ſtipulatione pœnali. *In diem addictio imperfecta*, nam hoc continet: ſi ſtatuta die pretium ſolves ea res tibi emta eſto, l. 2. pr. l. 4. pr. de in diem addict. *Pactum ſucceſſorium*, quod ſemper confertur in Cnem mortis, v. *infr. th.* 38. *Sponſio* ſeu Pactum certatorium *eine Wette*, *v. Paridem à Puteo* tr. de Ludis n. 36. & *Petrum Santernam* tr. peculiari de Aſſecurationibus & Sponſionibus mercatorum, v. g. ſi Rex Parthorum vivit *l.* 37. *R. C.* ſi illa fœmina prægnans marem pariet tantum dare ſpondes? tum alter, & tu, ſi fœminam etiam tantum? & reſpondet uterque utrique, ſpondeo. Qualis jocus apud *Opitium der Poetiſchen Wälder*, lib. 1. p. 46.

CAPUT V.

Et hæc de interpretatione in genere, ſimpliciter ſine ordine ad unum & multa, totum & partem ſpectata. Veniamus ad multiplicationem Terminorum, & *Interpretationem Quantitatis*, quam, quia generalibus regulis, ut plurimum Metaphyſicis, tantùm ad jus applicatis conſtat, ſpeciali propoſitionum partialium, & Terminorum in iis tractationi meritò præmiſimus. Principio autem terminos quibus utemur, explicemus: Diſpoſitio quæque in ea ponuntur aut ſunt 26. UNUM, id eſt indiviſum, aut 27. PLURA, facta diviſione reſultantia, (utroque modo vel formaliter, vel effectivè, quando unum repræſentat plura, vel contra, *v. th.* 23.) Unum omne in rerum natura poteſt fieri, multa ſeu habet partes, quæ aut homogeneæ inter ſe & cum toto, quæ alias dicuntur ſimilares, & totum dicitur 28. DIVIDUUM (quia alioqui, etſi realiter, non tamen juridicè, ob partium incommenſurabilitatem dividuum eſt.) Sin vero eæ ſunt heterogeneæ inter ſe & toti, ſeu diſſimilares, dicitur 29. INDIVIDUUM *add. infr. d.* 40. confer l. 11. §. 24. de L. 3. l. 112. pr. §. 1. C. D. l. 81. §. 1. ad L. Falc. Individua autem pars reliquis partibus & per conſequens toti eſt commenſurabilis, & ratio earum aliquo numero ſive effabili ut 2. ſive ſurdo, ut v. g. R. q. 2. exprimi poteſt. Quemadmodum in Geometria (ſumta commenſurabilis voce latius ut & ineffabilem rationem comprehendat,) omnis linea omni lineæ, ſuperficies ſuperficiei, ſolidum ſolido, angulus rectilineus alii rectilineo, & ad horum imitationem tempus tempori, motus motui eſt commenſurabilis. Heterogenea verò ut ex his; angulo ſeu puncto, linea, ſuperficie, ſolido, quodlibet reliquis eſt incommenſurabile, & inter angulos nulla eſt ratio anguli contingentiæ & rectilinei, multo minus ſpatii ad motum aut tempus ulla comparatio eſt. Similiter igitur in phyſicis & jure

jure Quantitas seu res fungibilis est dividua, species individua, hinc partis auri quantulæcunque ad massam auri quantamcunque ratio est, quia omnis pars auri est aurum, ita pars fundi est fundus, l. 34. §. 15. L. 1. Sed hominis pars homo non est, dici igitur non potest quæ sit ratio hominis ad manum, & quanto pluris sit homo quam manus, add. specimen Quæst. Philos. quæst. 14. Quare etiam Cnem dividuam in plures collatam possunt singuli sed pro parte implere v. g. *Titius* & *Cajus* hæredes sunto si *Sempronio* 100. thaleros dederint. Hic singuli thaleros dabunt, sed 30. singuli tamen etiam 100. sed semithaleros. Nam & pecunia in se dividua est l. 23. C. D. etsi per accidens fiat individua, cùm ad sumtus operis individui deputata est l. 112. §. 2. C. D. Sed ipsam 30. DISPOSITIONEM DIVIDUAM VEL INDIVIDUAM voco, quando scilla Cne scinditur Ctum vel non, d. l. 23. Deinde Pars est aut 31. *relevans* aut *irrelevans* illa impleta non secuta totius impletione non frustra impleta est, nec repeti debet, sed ad aliquid proficit l. 74. §. 1. acqu. hær. & residuæ non est impedimento l. 23. §. 4. fideic. libert. illic l. 74. solvit aliquis 5. cùm 10. deberet, nihil nocet ei ignorantia, dummodo suppleat; hic l. 23. per Crium non stetit quo minus continuò totum impleret, add. l. 40. pr. C. D. PLURA sunt vel *disjuncta* vel *conjuncta*, vel *connexa*. 32. DISJUNCTA sunt aut A. aut B. v. g. *Titius* si 10. dederit, aut in capitolium ascenderit 100. habeto. Omnis autem disjunctiva in effectu resolvitur in duplicem Conditionalem negativæ Conditionis, affirmativi Cti, v. g. aut A. aut B. esto, perinde est ac si dicas: Si A. non erit B. esto, si B. non erit A. esto. Unde fit ut stipulatio Clis, *Pamphilum* dari spondes, si non dederis, tantùm dari spondes, æquipollent huic puræ: *Pamphilum* aut tantum dari spondes l. 115. V. O. contra verò, in genere aut optione legata, videntur singuli sub hac Cne legati: si reliquos non optaverit l. 3. qui & à quib. manumiss. l. 9. de Opt. Legat. *Alciat.* tr. de Stipul. Divid. n. 16. Et pluribus separatim stipulantibus, si illi non dederis, mihi dari spondes, præoccupantis fore actionem, (quasi in duobus reis credendi) dicitur l. 9. V. O. de quo dubito, v. supra *th.* 4. 33. CONJUNCTA sunt, v. g. A. & B. esto, & propositio conjunctiva resolvitur in duas puras affirmativas: A. esto, B. esto, quæ ob compendium loquendi, in unum coaluere. Conditionem conjunctivam comitivam vocat, *Corsetus* tr. de Verb. Geminat. n. 8. ORDINATIM CONJUNCTA sunt: primum A. deinde & B. esto, ORDINATIM DISJUNCTA: A. esto, si A. non poterit, B. esto. Ubi B. in subsidium tantùm adjunctum est, *v. infr. th.* 30. talis ordinata disjunctio est in omni substitutione, v. l. 1. §. 1. V. P. S. 34. CONNEXA sunt quæ sibi mutuò consequentia vel requisita sunt. (35. REQUISITUM autem est sine quo REQUIRENS esse non potest, hoc modo: Si A. non est, B. non esto: CONSEQUENS est quod posito inferente ponitur hoc modo: si B. est,

est, A. esto,) designatio erit talis: si B. est, A. esto, si A. est, B. esto: vel talis: si A. non est, B. non esto: si B. non est, A. non esto. Una enim designatio ex alia sequitur & omne Requisitum est consequens requirentis & contra, *v. supra th.* 2. Ut plurimum autem Conjunctio connexioni mixta est, sed non contra, Connexio enim non præsumitur, nam neque ex verbis conjungentibus duos v. g. *Titius* & *Cajus* (vel cum *Cajo*) hæredes sunto, hoc sequitur, ut alter sine altero hæres esse non possit, & esset valde durum, vid. §. 17. l. de Legat. l. 29. H. I. l. 2. §. 1. C. I. l. 52. pr. l. 62. l. 121. L. 1. l. 89. §. 2. L. 2. l. 10. l. 28. §. fin. L. 3. l. 3. 4. de pecul. Leg. l. 33. §. 4. l. 81. pr. l. 112. §. 1. l. 13. §. 3. man. test. l. 1. §. 2. l. 31. §. 1. St. Porro CONJUNCTIO quælibet est vel 37. VERBALIS, cùm plura in eadem oratione, seu enunciatione scribuntur, vel realis, cùm plura in eadem dispositione scribuntur, seu pluribus res eadem assignata est, quæ dicitur 38. CONCURSUS l. 85. §. 12. L. 1. Sed si plura non in eadem Enunciatione, in eodem tamen sermone, v. g. testamento, formula, scribuntur non sunt quidem verbis conjuncta, sunt tamen & ipsa consideranda, atque eo casu vel sine vel cum intervallo posita sunt, cujus usus infra apparebit. Ex his patet CONJUNCTOS, (id est personas jure conjunctas) vel esse *verbis conjunctos tantùm*, vel *re conjunctos tantùm*, vel mixtim conjunctos, l. 142. V. S. etsi verbalis conjunctio sola dicitur esse conjunctio l. 1. §. 3. de usufr. accr. 39. VERBIS CONJUNCTOS TANTUM cùm una est Enunciatio, sed plures res, quæ PLURES res vel sunt *separatæ*, v. g. *Titio* & *Cajo*, illi *Stichum*, huic Damam do lego, vel sunt 40. *cohærentes*, seu unius totius partes, & COHÆRENTES vel *heterogeneæ*, v. g. *Titio* & *Cajo* domum meam illi superius, huic inferius tabulam do lego; vel sunt *homogeneæ*, quo casu & totum dividuum dicitur, *v. supr. d.* 28. HOMOGENEÆ iterum vel inæquales vel æquales sunt. INÆQUALES v. g. *Titio* & *Cajo* fundum Cornelianum, duplo plus illi, quàm huic, do lego. ÆQUALES v. g. *Titio* & *Cajo* fundum Cornelianum æquis partibus do lego. Unde apparet, quàm parum vulgò assecuti sint naturam verbis conjunctorum, qui eos restringunt ad unicam illam formulam: *æquis partibus*, quia aliud exemplum in Legibus illis paucis, quas de immensa veteri Jurisprudentia habemus, non inveniunt. Perinde ac si leges ad *Titium* & *Sempronium*, & ejusmodi fictos homines restringere vellem, quia ij soli memorantur. Et cur ad Conjunctionem hanc æqualitas partium necessaria sit, quidni liceat duplam earum aut triplam aut similem esse rationem? Nempe non animadverterunt Exemplum hoc: *æquis partibus*, propterea adhibitum, quia brevissima locutione efferri potest. Nam si Testator velit uni duplo plus quàm alteri assignare; non potest ita loqui: *Titio* & *Cajo* fundum Cornelianum, iniquis partibus, vel duplis partibus, vel in dupla partium ratione do lego, quia sic intelligi non potest, uter plus uter minus habere debeat. Quin etiam arbitror eos verbis conjunctos

esse, quibus in una Enunciatione res indivisim assignatur, sed in alia prioris declarativa fit partium assignatio, v. g. h. m. *Titio* & *Cajo* fundum Cornelianum do lego. Et paulo post, volo ut Titius tertia fundi Corneliani parte contentus sit. Alios planè conceptus verbis conjunctorum sibi formavit *Albericus Gentilis* in Epistola quadam ad *Hugonem Donellum* missa, quæ opusculis hujus posthumis à Fratre illius *Scipione Gentili* inserta est, is Verbis conjunctos tunc demum esse ait cum omisso alterutro oratio fit inepta, quod tamen exemplis JCtorum non quadrat. 41. RE CONJUNCTI TANTUM, sunt, quum est una res pluribus assignata, sed diversa oratione seu Enunciatione, v. g. *Titio Stichum* lego. *Cajo Stichum* lego. Denique 42. MIXTIM CONJUNCTI sunt: *Titio* & *Cajo Stichum* lego. Ex his jam fluunt theoremata in quibus sic versabimur, ut ipsa quidem generaliter concipiamus, applicemus verò ad Cnes. Esto igitur

(22). *Plura disjuncta sunt unum incertum.*

V. g. aut A. aut B. esto. Ajo satis esse unum horum esse, sive enim dicas: si A. non erit B. esto, sive contra: si B. non erit A. esto, per *d.* 32. unum horum poscitur, l. 27. L. 2. l. 26. C. D. ex quo colligit *Oswaldus Hilliger* concursum Actionum Electivum parum rectè dici, quia ubi unica tantùm, etsi incerta actio competit, concursus non est, & in specie disjunctivarum conditionum sufficit unam existere §. 11. I. de H. I. l. 5. C. I. l. 78. §. 1. C. D. l. 6. C. de inst. & subst. Cumque etiam tum impleta videatur interdum Co, cùm non stat per Crium, *v. infr. th.* 60. igitur si plures disjuncti sunt re & Cne simul, v. g. hoc modo: Uter consobrinorum meorum *Tuliam* duxerit, hæres esto; Sufficit ab uno summum conatum ejus potiundæ adhiberi, & etsi illa nolit, nihilominus hæres erit l. 23. 24. C. I. Cumque etiam impletæ æquipolleat Co quæ pro non adjecta est, sequitur si ex duabus Cnibus disjunctivè ascriptis una pro non adjecta sit, totam dispositionem puram esse, l. 26. C. D. l. 8. §. 5. C. l. aliud si sint conjunctim ascriptæ d. l. 8. §. 4. Et contra si dispositionis disjunctivæ unum disjunctum sit Cle, totam esse Clem, v. g. *Stichum* aut gemmam dare spondes: Et gemmam, si navis ex Asia venerit. Ajo totam dispositionem ex hac Cne suspensam esse. Quia neque *Stichus* separatim neque gemma peti potest, sed utrumque ita tamen ut Electio sit debituri, quod solvere velit. Sed gemma peti non potest, antequam navis ex Asia venerit, E. nec *Stichus*. Ex eodem fonte fluit, ut disjunctivæ affirmativæ contraria sit negativa conjunctiva, v. g. si hominem aut fundum non dederis 100. dari spondes, utrumque faciendum est, ne committatur stipulatio l. 85 H. I. l. 13. §. 2. de reb. dub. l. 5. C. de inst. & subst. Sufficit enim unum non factum l. 129. V. O. Unum igitur sufficit, sed determinatum non est, per accidens tamen

tamen determinatur, & ex Conditionibus duabus actus inter vivos disjunctivis fit una simplex, quando una est impossibilis, v. g. Hippocentaurum dari aut hominem sisti spondes, perinde est ac si quis tantum hominem sisti stipulatus esset, l. 16. 97. 126. §. 3. 128. V. O.

(23) *Si plura unum repræsentant unum esse intelliguntur, & contra: si unum plura repræsentat plura esse intelligitur.*

Repræsentare enim dicitur, quod jus non per se, sed illorum quæ repræsentat ratione habet. Igitur sunto plures b. *Titius*, c. *Cajus*, quæ repræsentant unum A. *Sejum* v. g. patrem: ponatur istos b. c. loco A. concurrere cum D. *Sempronio* ad E. fundum Cornelianum. Ajo b. c. haberi pro uno, (& fundum dividi in duas partes, quarum una competat, b. c. altera D.) Nam si habeantur pro duobus, fundus scindetur in tres partes, ex quibus b. c. duas D. tertiam accipiat. A. verò si cum D. concurreret, acciperet dimidiam tantùm, omnia *per th.* 26. independenter ab hoc demonstratum. Cumque plus sit $\frac{2}{3}$ quam $\frac{1}{2}$ plus accipient b. c. quàm acciperet A, repræsentans quàm repræsentatum, quod est absurdum. Eadem demonstratione constat si A. repræsentet B. C. haberi non pro uno sed duobus, alioqui minus acciperet repræsentans quàm repræsentatum, q. e. abs. Hæc duo theoremata inprimis nobilia exactius mathematico more, præmissa constructione meritò demonstravimus, pendet enim ex iis totum jus quod vocant Repræsentationis in materia successionum. Interim & hic eorum usus est, vide de priori l. 56. C. D. posterioris exemplum est, in servo plurium Dominorum, qui pro pluribus servis habetur, v. l. 81. §. 1. L. 3. l. 20. L. 2. l. 44. §. 8. C. D. l. 1. §. 4. Stip. Serv.

(24) *Continuatum discretum est plura.*

Nam quia discretum est, intervallis divisum est, divisum autem *per d.* 27. est plura. Hinc si annua 10. legentur, aut in Cnem deducantur, non est unum Legatum, sed tot, quot anni, l. 27. quib. m. ususfr. amitt. l. 4. l. 11. de ann. leg. l. 101. §. 4. C. D. l. 1. §. 16. ad L. Falc. l. 10. l. 20. qu. d. leg. ced.

(25) *Quot sunt res in dispositionem deductæ, tot sunt dispositiones.*

(Unde non Cnum, sed Ctorum multitudo multiplicat Dispositionem) l. 21. de recept. l. 2. L. 2. l. 34. §. 3. de Donat. l. 29. 75. §. 9. V. O. Quia res sunt subjectum, cætera prædicata, Subjectum autem principale, prædicata accessoria, & unum idemque numero accidens non potest esse

in pluribus subjectis, sed idem potest subjectum esse plurium accidentium. Mensura verò numeri, seu Unitas à principali potius & certo, quàm accessorio & vario sumenda est.

(26) *Si unum pluribus applicandum est, in singula ducitur, seu est omnium ab initio.*

Hoc infinitis locis dicitur, præsertim in materia Juris accrescendi, v. l. 3. §. 1. usufr. accresc. alias leges, quippe ubique obvias cumulare in proclivi est, ideoque uno conjunctorum non concurrente, sive quod non possit, sive quod nolit, reliquus vel reliqui nulla deficientis habita ratione solidum consequuntur, multo magis si ille planè non sit in rerum natura, l. 15. §. 1. l. 16. pr. §. 2. L. 1. Cùm verò adhuc possibile est alterum concurrere, omnia ei integra conservantur. Unde pendente Cne cohæredis, unus totam hæreditatem non habet. *Ant. Fab.* dec. 49. err. 10. usufructus tamen pluribus legatus interim uni totus competit, l. 6. §. 2. de usufruct. accresc. quia quotidiè constituitur l. 1. §. 3. eod. Sed cùm unus in mora est, unus absque eo totam Cnem implere & totum Ctum auferre potest, l. 13. §. 12. manumiss. Test. Turbat hic l. 74. D. de C. D. ex qua Dd. sibi persuasère Accrescendi Jus non habere, qui ad Legatum speciali jure, seu voluntate Legis contra voluntatem Testatoris admittatur. V. g. si ita Testator scripserit: *Titio* & *Semproniæ* do lego, si hæc non nupserit. Cùm Co non adjecta intelligatur, *inf. th.* 38. nubens mulier habebit nihilominus partem dimidiam legati, non tamen jus accrescendi ad alteram dimidiam *Titii*, si forte deficiat, ex sententia doctorum. Quod tamen meritò displicet *Alciato* 6. Paradox. 8. Et certè ita fiet fraus Legibus. Leges enim propterea Conditionem hanc sustulere, ne matrimonia impediantur cum detrimento Reipublicæ, sed stante hac sententia, matrimonium nihilominus impediri potest, si forte cœlibatum eligat mulier, ut commodum accrescendi habeat, interim se fortasse vagis libidinibus dabit. Imò in effectu perinde erit ac si Mulieri in eam partem, quæ *Titio* prius collata erat ascripta sit viduitatis Co, quæ meritò semper habetur pro non adjecta. Quare non obstante Cne mulier etiam ad *Titii* deficientis partem jus habebit, quod ipsum est Jus accrescendi.

Etiamsi igitur Lex contra nos esset, parum moveremur, ob evidentem rationem, sed nec Lex nobiscum pugnat, videamus enim verba ejus & explicatione juvemus. Verba igitur extra Parenthesin erunt Legis; intra eam, nostra: *Mulieri & Titio usufructus si non nupserit mulier, relictus est.* (Ea Co afficit tam Mulierem quàm *Titium* ex sententia Testatoris, sed voluntate Legum Co habetur utrique pro non adjecta; mulieri quidem ne hoc incitamento cœlibatus matrimonia impediantur.

Titio

Titio verò, ne mulier aliquid lucretur ficta impletione, & fictio ei plus præstet quàm veritas, quod fieret, si Co in persona mulieris non teneret, in persona *Titii* teneret. Quare, *si nupserit, quamdiu Titius & vivit & in eodem statu* (v.g. non deportatus autem in servitutem redactus) *erit* (breviter: quamdiu *Titius* ipse concurrit ad Legatum usumfructum ejusque capax est) *partem* (tantum) *usus fructus* (mulier) *habebit* (quia *Titius* concurrens habebit alteram partem) *tantum enim* (non plus) *beneficio Legis mulieri concessum est, quantum haberet si paruisset.* (Ex quibus verbis duo contra Dd. colligo 1. Cnem etiam respectu *Titii* pro non adjecta haberi, alioqui mulier acciperet plus quàm si revera paruisset, 2. deficiente *Titio*, portionem ejus mulieri accrescere, alioqui haberet minus quàm si revera paruisset, debet autem, per hæc verba, habere tantundem) *nec si Titius qui Cne defectus est*, (in rei veritate, etsi non effectu Juris, alioqui quomodo posset legatum repudiare, quod aliàs non habet per l. 3. de R. J. cùm tamen repudiare eum posse sequentia verba innuant,) *Legatum repudiet* (& ita non concurrat) *ea res mulieri proderit* (aut plus ei tribuet, quam si revera paruisset, quæ etiam si revera paruisset, eo casu totum haberet.) Et hic sensus est obscurissimæ Legis undique congruus, sed communi prorsus contrarius. Porrò fictionem non debere plus præstare veritate v. l. 4. §. 2. St. L. Quæ cùm ita sint, apparet in re conjunctis frustra induci ullum *Jus* vel *accrescendi*, vel non decrescendi. Nam nihil ipsis, deficiente altero, accrescere per se manifestum est, retinent enim tantùm quod habent. Quæ causa est etiam cur re conjunctis portio alterius accrescat, (id est non decrescat) sine onere & ascripta Conditione, Modo, fideicommisso, l. 30. C. D. Neque enim Jus deficientis in alterum transit, quia ille nondum Jus quæsitum habuit, sed potius alteri Jus in totum indivisum manet. Nihil verò decrescere largior sanè, v. l. 10. D. 3. sed an propterea peculiare *jus non decrescendi* confingemus? cùm per se in Jure cujuslibet ad rem quamlibet contineatur, ut nemo ipsi auferre vel minuere possit, nisi qui plus vel pariter Jure instructus sit. Eodem igitur modo constituere licebit jura: retinendi, non onerandi, non lædendi, &c. quod & ineptum & inutile est. Neque verò in verbali Conjunctione esse propriè Jus accrescendi, sed tantùm substitutionis præsumtæ, infra ostendemus. Hâc igitur voce confusionum genitrice carere facilè potuissemus.

Concursu fiunt partes.

Æquales l. 33. 79. 85. L. 1. l. 88. §. 6. L. 2. l. 80. L. 3. l. 56. V. O. Magni momenti est totum hoc theorema, & ab JCtis veteribus ex ipso jure naturæ subtiliter deductum. Age demonstremus genere quodam demonstrationis simul illustrante & probante. Habet enim ea res princi-

 pium

pium quoddam physicum ex natura motus. Esto igitur Corpus A. in quod eodem tempore uniformi impetu impingant duo corpora B. C. illud juxta lineam B A. hoc juxta lineam C A. Bisecetur angulus B A C rectâ A D à duobus moventibus B. C. aversâ, & producantur utcunque lineæ: B A in E. C A in F. ajo corpus A. processurum linea A D. cùm enim impulsum moveatur linea impellentis continuata, & lineæ impellentium continuatæ sint, A E. A F. igitur si quidem à solo B. fuisset impulsum processisset linea A E. sin à solo C. linea A F. Nunc utroque concurrente, non quidem quiescet, quia impellitur, & à pluribus quidem, in eandem non contrariam plagam, nec tamen movebitur alterutra linea impellentium continuata, quia cùm impetus eorum sit uniformis, causa non est, cur in alteram potiùs quàm alteram moveatur, nihil autem fit sine causa: multo minus movebitur utrâque, quia nihil simul potest esse in pluribus locis, neque movebitur ulla linea interjecta inter A E & A F præterquam A D. quia cæteræ omnes declinant ad alterutram, cùm tamen non sit causa declinandi, sola verò A D. æqualem ad utramque inclinationem seu angulum facit, quia angulum E A F. bisecat, *per constructionem*, solâ igitur A D. movebitur. Q. E. D. Hoc igitur ut ad scopum juridicum applicemus. Duo concurrentia sunt instar Motus B A & C A. Id ad quod concurritur est inclinatio lineæ motus A. ad lineas concurrentium. Quæ quanto major est, tanto angulus est minor, quare cùm maxima est, angulus est nullus, sed motus A. & motus alicujus impellentium sunt in una linea recta, quod contingit, cùm unum impellentium sine alterius concursu solum impellit. Cui similis est consecutio solidi in jure, & absolutè maximæ partis rei id est totius, quando aliud non concurrit. Id verò quod non concurrit consequitur absolutè minimam rei partem, id est nihil. Uti autem in motu pluribus concurrentibus scinditur inclinatio, & existente impetu uniformi motus impulsi ad motus impellentium æqualem utrinque angulum & inclinationem habet: Ita in jure pluribus æquali causa ad eandem rem conjunctis, scinditur res, ita ut æqualis utrique pars assignetur.



(27) *Partes autem concursu fiunt reales cùm res dividua est; intellectuales, id est, res fit communis cum individua.*

Quia cùm res dividua est, constat partibus homogeneis *per d.* 28. nihil igitur interest quas cui assignes. Sed cùm est individua, constat partibus dissimilaribus *per def.* 29. quare cum exacta partium inter se & ad totum ratio non detur *d.* 29. [illegible], imò totum dividendo pereat, (veluti cùm puerum *Salomon* dividere minatus est,) neque exacta divisio

instituti

instituì poterit, stricto igitur jure erit res tota utriusque, seu communis. (Ex æquitate tamen officio judicis, si quis in communione esse recuset, instituetur qualiscunque divisio judicio communi dividundo.) Exemplo sunt duæ res: 100. Thaleri, & *Stichus*. Si 100. Thaleri duobus sunt communes, dimidium erunt 100. id est 50. Thaleri vel 100. Thaleri, seu semithaleri, cumque omnes thaleri inter se sint similes per hypothesin, expedita divisio est, sed aliud de *Sticho* servo. Cùm enim dimidium *Stichi* non sit *Stichus*, quomodocunque eum feces, proinde nec dividi *Stichus* potest. Mentali tamen divisione finguntur tot esse *Stichi* partiales, quot Domini sunt *per th.* 25. Hæc igitur ut ad Cnes nostras applicemus, si una Co vel unum Ctum in plures Crios aut Personas collatum est, scinditur in partes si eæ homogeneæ, v. l. 81. §. 1. L. 1. l. 30. usufr. leg. l. 44. §. 8. l. 56. C. D. Item Co quæ pluribus in genere ascripta est, in omnibus individuis subintelligitur, cùm enim non appareat, cui in specie assignata sit, in omnes ducitur, l. 39. C. D.

(28) *Dispositio dividua est, si & Conditio & Conditionatum dividuum est.*

(Cùm & labor & pecunia dividua est, ut loquitur l. 10. pr. de ann. leg.) Cùm enim Co & Ctum sint partes omnes dispositionis, per d. 1. junct. 14. & dividuis existentibus omnibus partibus, dividuum sit totum, per d. 28. 29. ipsa Dispositio dividua erit. Contra si Ctum, & in genere res in dispositionem deducta individua sit, individua est dispositio l. 72. pr. V. O. imò & si Co sola individua est, l. 11. §. 23. 24. L. 3. l. 112. C. D. l. 13. §. 2. manumiss. test. sed *tum demum*.

(29) *Dispositio dividua in Ult. Voluntatibus actu dividitur, cùm dividendi causa subest.*

Dispositionem enim dividi est parte Cnis existente partem Cti existere *d.* 30. quod ex verbis dispositionis non sequitur, in quibus non pars parti, sed totum toti nexum est, non igitur procedit, nisi in subsidium, ex præsumta voluntate Testatoris, quòd malit quidem totum suæ voluntatis impleri quàm partem, malit tamen etiam partem potiùs impleri quàm nihil, quoties totum impleri non potest. Igitur si quis 10. hæredi dare, & fundum sibi habere jussus est, non licet ei 5. offerre, & dimidium fundi ab invito hærede petere, l. 23. 56. C. D. l. 74. §. 1. acq. hær. Sed si Cti pars perierit, v. g. dimidia pars fundi sit usu capta l. 46. §. 9. C. D. satis erit partem Cnis æqualem impleri, & minuto commodo minui onus, l. 43. §. 3. l. 62. §. 1. C. D. l. 32. §. 4. ad L. Falc. l. 63. §. 12. ad Sct. Trebell. l. 20. mort. c. don. contra si pars Cnis sine culpa Crii impleri non possit partem tamen Cti accipit, v. g. si quis duobus hæredibus dare 10. jussus est, & fundum habere, mortuusque alter sit, si superstiti 5. det dimidium fundi habebit l. 23. C. D. v. sup.

v. sup. *d.* 34. ubi diximus Connexionem non præsumi, sed hæc tum demum cùm totum dividuum est, vera sunt, quod & in ipso theoremate monitum. Nam & hoc observandum: partem æquivocè dici, sc. modo rei, modo orationis. Nam quædam pars orationis non est pars rei aut Actus, sed circumstantia tantùm, v. g. si Calendis in Capitolium ascenderis, Calendæ non sunt pars ascensus sed circumstantia. Plura igitur quæ in una oratione conjunguntur, ea vel distinctè quasi ponuntur, v. g. *Titius* & *Cajus* hæredes sunto, & sic sunt partes, ac *Titio* nullo in rerum natura existente, locum habet divisio, & *Cajus* nihilominus hæres est, quia resolvi poterat in duas propositiones: *Titius* hæres esto, *Cajus* hæres esto. Et hoc casu verum est utile inutili non vitiari l. 34. H. I. l. 8. §. 4. C. I. Et Cnis dividuæ pars deficiens reliquum non vitiat l. 12. de Dot. præleg. vel ita ponuntur, ut se afficiant v. g. si *Titius Cajo* 100. dabit, hic *Titius* & *Cajus* non sunt partes dispositionis sed correlata, igitur si nullus *Cajus* existat in rerum natura, Co est impossibilis. Et hoc casu resolvi non potest in duas propositiones, nec locus est divisioni, unde circumstantia impossibilis totam Cnem facit impossibilem. Illustrari res potest similitudine Numerorum, conjunguntur enim Numeri vel ut duæ partes unius totius: 2. + 3. id est 5. ad constituendam additionem, (similiter de subtractione,) vel ut duo factores unius facti 2⌒3. id est 6. ad constituendam multiplicationem, (similiter de divisione,) si igitur numero addatur 0. v. g. 2. + 0. productum est numerus 2. si verò numerus multiplicatur per 0. productum est 0. 2.⌒0. facit 0. circumstantia autem circumstantiæ sic ferè jungitur ut multiplicans multiplicando, non per appositionem, sed ut afficiant se mutuò & penetrent. Huc pertinet, quod si Co in plures collata est, non necesse est unum alios expectare, (quod ne quidem individua existente Cne necesse est *v. explic. th.* 26.) sed si partem solvat, partem Cti accipit l. 56. C. D. libertas autem unius, libertatis duorum pars est, l. 11. §. 1. manum. test. Et hæc quidem dicta sunto, quando divisa Co dividat Ctum, vel contra. Interdum Co divisa non dividit Ctum, sed tamen considerandum relevetne an non, & esto theorema:

(30) *Conditionis ordinatè conjunctivæ vel disjunctivæ pars perturbatè impleta non relevat.*

§ Esto Co ordinatè conjunctiva: si *Titius* primum *Cajo*, dein & *Sempronio* 10. dederit, vel disjunctiva ordinatè. Si *Titius Cajo*, aut si non potest, *Sempronio* 10. dederit. *Titius* primum *Sempronio* dat 10. ajo illa 10. non relevare, & nihil actum esse, sed si primum *Cajo* data sint, vel *Cajus* in eam Cnem veniat, ut dari ei non possint esse adhuc semel *Sempronio* danda. Cùm enim ordo deductus sit in Cnem *per hypoth.* & *def.* 34. Quare & existere debet *per th.* 6. ex quo fluit, si pars perturbatè

turbatè impleta ſit irreiterabilis, v. g. *Titius* primum *Stichum*, dein *Davum* manumittito, ſi manumittit primum *Davum*, defeciſſe Cnem, quia cùm libertas *Davo* non niſi ſemel dari poſſit, impoſſibile eſt imposterum primum *Stichum*, dein *Davum* manumittere, quare *per def.* 36. Co defecit, ſtricto jure. Quando particularis ſolutio permiſſa ſit, ut non quidem dividat Diſpoſitionem, ſed tamen relevet Cnem, *v. l.* 3. *§.* 5. 6. *St. L.*

(31) *Verbis conjuncti tantùm præſumuntur ſubſtituti invicem in eandem cauſam.*

Hoc non ex jure naturæ aut gentium ſed Romanorum placito deſcendit. Habet tamen rationem quandam, cùm enim verbis conjuncti medii ſint inter omnino disjunctos & re conjunctos, pars vacans accreſcit illis quidem, ne ad omnino disjunctos deprimantur, ſed cum ſuo onere, ne re conjunctis *per th.* 26. æquiparentur. Sed nec in his locum habet Jus quoddam accreſcendi, accreſcit enim non res perſonæ, ſed res rei ſeu portio portioni, ſi vim vocis ſpectes, uti in Alluvione: Hic verò res rei accreſcere non poteſt, quia re conjuncti non ſunt. Videamus an liceat paulo altius rem penetrare. Duo ſunt velut phænomena quæ in Verbis Conjunctis obſervo: (1.) portionem unius vacantem alteri cum ſuo onere, v. g. Cne accreſcere, quod multis locis diſertè dicitur, vid. interim quod Cnem attinet, l. 54. §. 1. C. D. quanquam & ad cohæredes extenditur in l. un. §. 10. C. de Cad. toll. (2.) verbis conjunctos re conjunctis præferri, v. g. *Titio* & *Cajo* fundum æquis partibus do lego. *Sempronio* fundum do lego. Moritur *Titius*, & portio ejus non *Sempronio*, ſed *Cajo* accreſcit. Horum ratio neſcio an concinnius reddi poſſit, quàm ſi dicamus: præſumi Teſtatorem eos ſibi invicem ſubſtituiſſe. Quod & in ipſo *th.* hoc 31. & ejus demonſtratione confirmavimus, nec abludit l. 61. v. quaſi ſubſtitutus in f. de L. 1. ſubſtituti enim (1.) cum re etiam onus recipere debent l. 74. L. 1. d. l. 61. L. 2. l. 4. C. de Sc. Trebell. (2.) præferuntur conjunctis l. 39. §. 2. V. P. S.

(32) *Si duæ Conditiones contrariæ eidem Conditionato disjunctim aſcribuntur, diſpoſitio pura eſt.*

Sin conjunctim nulla. Eſto enim hoc modo: ſive A. erit ſive non erit, B. eſto. Ajo talem Diſpoſitionem eſſe puram, perinde ac ſi dicas: B. eſto. Nam disjunctæ h. l. contradictoriæ ſunt, & unam ex contradictoriis veram eſſe neceſſe eſt, unam igitur Cnem exiſtere neceſſe eſt, quia autem unam ex disjunctis exiſtere ſufficit *per th.* 26. & Co quam exiſtere neceſſe eſt pro non adjecta eſt *per th.* 17. & 64. independenter ab hoc

demonstratum, dispositio pura erit, v. l. 60. pr. Cond. indeb. l. 8. §. 1. peric. & com. rei vend. l. 10. de Lib. & posth. l. 87. §. 3. ad L. Falc. l. 13. qu. d. l. C. l. 37. de stat. lib. Unde si quis in eodem testamento ex parte purè, ex parte sub Cne institutus est, nec habet cohæredem concurrentem, ex asse purè institutus intelligitur, l. 33. H. I. l. 52. §. 1. l. 53. pr. Acq. Hær. nam sive existat Co, habet gravatam partem ex verbis Testatoris, sive deficiat, jure non decrescendi, quasi conjunctus sibi ipsi.

(33) *Si plures Conditiones eidem Conditionato separatim ascribuntur.*

Nam si in continenti subjunguntur sibi, nulla aut mutatio aut suspensio voluntatis, sed conjunctio utriusque Cnis intelligitur l. 45. manumiss. test. l. 89. C. D. v. g. Si A. erit B. esto, & alio loco: si C. erit B. esto, in institutione & statu libero præsumuntur disjunctæ, seu una incerta, ita ut unam impleri sufficiat. Et hoc ipsum est, quod in Legg. dicitur eo casu levissimam Cnem in Libertate intelligi, levissimam autem non absolutè, sed quæ faciliùs ad libertatem perducit, l. 35. 51. pr. l. 87. 88. C. D. id est, quæ prior existit, ut in materia Institutionum loquuntur l. 27. §. fin. 2. H. I. l. 17. C. I. in legato & fideicommisso, (& per id data libertate l. 90. C. D. l. 5. manum. test.) & tutela, (l. 8. §. 3. de testam. tut.) una certa, nempe novissima, l. 16. V. P. S. l. 12. §. ult. L. 1. l. 51. pr. 87. 89. C. D. in contractibus sunt conjunctæ, & impleri utraque debet. Ejus ratio hæc est: minoris est Co conjunctiva, seu duplex certa, quam una simplex certa, & hæc minoris quàm disjunctiva seu una incerta, per *th. 6. 7. fin.* independenter ab hoc demonstratum. Similiter Contractuum favor nullus est, Legatorum, fideicommissorum, tutelarum aliquis, institutionum & libertatum maximus, pro gradibus igitur favorum valor Cnum distribui debet, & quia, si stricto jure rem æstimes, duæ Cnes separatim positæ conjunctæ semper intelligi debent, ideò in contractibus intelliguntur conjunctæ in legatis una certa, & novissima quidem, *αἱ δεύτεραι γὰρ φροντίδες σοφώτεραι*, add. l. 16. 17. adim. leg. l. 90. C. D. l. 3. C. de Codicill. in institutionibus una incerta. Ex his elegantis instar Corollarii sequitur: si quis in uno testamento alio loco purè, alio sub Cne institutus sit, purè institutum intelligi l. 27. §. 2. 67. H. I. si verò alio loco purè, alio sub Cne idem ei legatum sit, & prius purè, Cle est legatum, sin prius sub Cne, purum est, l. 40. §. 2. l. 89. C. D. Sunt enim quasi duæ Cnes; una *Aliqua*, altera *Nulla*, & in institutionibus quæ prior existit valet, prior autem existit, nulla quàm aliqua, quia antequam impleatur aliqua, semper existit nulla; in Legatis quæ posterior scripta est.

(34) *Si*

(34.) *Si à puro ſubtrahatur Conditionale, reſiduum eſt Conditionale contrarium.*

V. g. *Titio* 100. do lego, ſi navis ex Aſia non venerit 100. quæ *Titio* legavi, *Sempronio* do lego. Perinde eſt ac ſi dixiſſet: 100. ſi navis ex Aſia venerit *Titio*, ſin minus *Sempronio* lego, v. l. 36. Reb. cred. l. 7. 10. 14. pr. de adimend. leg. l. 107. C. D. l. 6. qu. d. l. c. l. 13. §. f. ſtat. lib. Cùm enim duæ Cnes contrariæ ſibi ſint complemento ad purum *per th.* 32. & verò ſi à toto partem auferas, reſiduum ſit complementum ſubtractæ partis ad totum, per κοινὴν ἔννοιαν, ſubtracto igitur Cli à puro reſiduum contraria Cne affectum eſſe neceſſe eſt, Q. E. D. Notandum tamen, ſi Co ademtionis talis ſit, ut non poſſit exiſtere, niſi res ad eum cui purè data eſt pervenerit, videri ei non ſub contraria ſed ad contrariam Cnem datum, v. l. 3. §. 4. adimend. Leg. Item ſi Servus alicui legetur purè, & Legatarius Tertio rogetur ſervum reſtituere pure, denique Legatarius ſervo rogetur libertatem dare ſub Cne, placuit ſtatim tradendum ſervum fideicommiſſario ſeu Tertio, ſed ad Cnem, ſeu dummodo caveat exiſtente Cne reſtitutum iri, ut legatarius eum manumittere poſſit, l. 47. §. 3. fideic. lib. Cur igitur non & alibi placuit, ut purè datum, Cliter ademtum, ad Cnem illam ſeu ſub modo contrario datum intelligatur, quod mihi videtur naturæ convenientius, aut ſi alibi non placuit, cur hîc placuit? Multum enim intereſt utrum quid ad Cnem, an ſub Cne datum ſit.

(35) *Si à Conditionali ſubtrahatur tota ſua Conditio, reſiduum eſt purum.*

Quia ſi à Cli dematur tota ſua Co, nulla Co reſidua eſt. Ubi autem nulla Co eſt, diſpoſitio eſt pura per d. 1. l. 53. C. D. l. 3. §. 9. adimend. leg.

CAPUT VI.

Ab Interpretatione generali veniamus ad ſpecialem; propoſitionum partialium Formam & Materiam. Forma ut in qualibet propoſitione, ita & vel in Cto conſiſtit in *Quantitate* ſeu Signo, & *Qualitate* ſeu Copula; vel in utraque. *Quantitate* propoſitio dividitur in *univerſalem* & *particularem*. Nam indefinita propoſitio aliqua eſt non in re autem etiam in conceptu noſtro, ſed in verbis tantùm, dum ſignum omittimus, quod animo tamen ſubintelligimus. Singularis verò non æquipollet particulari, ſed univerſali, quod contra communem Logicorum ſententiam demonſtravimus in *diſſertatione noſtra de arte combinatoria*, novis niſi fallor, non tantum ſententiis, ſed & artificiis locupletata, *problem.* 2. *in uſu n.* 23. ſumta tamen univerſalis voce ſtrictius poteſt addi *ſingularis*, quæ habet circumſtantias individuantes, inter quas ſunt ſubjectum, objectum, locus,

cus, tempus, *v. infr. th.* Ratione Copulæ seu *Qualitatis* propositio dividitur in *Affirmativam* & in *Negativam* l. de V. O. *Negativæ* summus gradus 43. & *merè negativa*, quam veram esse non constat nisi interitu subjecti, v. g. *Titius* non bibet vinum; hoc certò scire non possumus, servaturusne sit an non, impossibilis fiat contraria, seu donec mortuus sit. Quanquam enim, si vina omnia tollantur è rerum natura, etiam sic bibere amplius non possit, id tamen minimè metuendum est, & nos in moralibus ista aut non, aut non facilè futura, tametsi absolutè possibilia, parum curamus. Deinde etiam species negativa est 44. *indefinita*, id est loco & tempore non definita, de qua vulgò regulam intelligunt: quòd negativa probari non possit, v. *specim. Quæst. Phil. q.* 2. deinde iterum ratione *Qualitatis* propositio dividitur in *veram* & *falsam*, *determinatam* & *indeterminatam*; & vera determinata dicitur 45. *necessaria*, falsa determinata 46. *impossibilis*, (ejus species est *falsa* strictè dicta l. 72. §. 7. C. D. cujus nempe circumstantia aliqua non est in rerum natura, v. g. si in Utopiam iverit hæres esto, l. 104. §. 1. L. 1. l. 6. pr. l. 27. C. D. l. 41. §. 16. fideic. lib. l. 26. §. 1. Stat. lib. sic & demonstratio falsa dicitur, v. l. 33. C. D.) Impossibile est vel absolutè, vel secundum quid, secundum quid ratione habita vel certi temporis, hinc oritur *impossibilis impræsentiarum*, quæ certo tempore & statu possibilis non est, quo mutato possibilis est *v. th.* 40. vel ratione habita certæ regulæ agendi huic politicè impossibile dicimus, quod qui faceret, stultè faceret. *Jure impossibile* est quod servato Jure tanquam agendi regula, existere non potest, *v. th.* 38. Vera indeterminata 47. *contingens* falsa indeterminata 48. *possibilis*, pro gradibus autem possibilitatis res dicitur *facilis vel difficilis*, de quibus tum erit dicendi locus, cùm de Crium æstimatione dicemus. Divisio hæc in determinatas & indeterminatas est quasi in *Theoremata*, id est propositiones ex terminis veras, & *observationes*, id est propositiones ex sensu vel inductione veras: illæ sunt rationis, v. g. totum esse majus sua parte, hæ facti v. g. dari mundum, ut & omnes historicæ propositiones. *Observationes* verò sunt vel *præteritæ*, vel *præsentes*, vel *futuræ*, suntque aliqui in ea sententia, non omnes adjectiones harum varietatum æquè capaces esse, sed *causam* esse in præteritum, *pœnam* in futurum l. 12. C. D. l. 2. de his quæ pœn. nom. Demonstrationem quoque præteriti esse solere, Cnem futuri l. 34. §. 1. C. D. l. 6. §. 1. de L. 1. sed ut demonstratio in futurum esse potest l. 34. de aur. & arg. leg. ita Co in præteritum l. 16. de inj. rupt. test. l. 122. §. 4. V. O. l. 51. §. 1. de manumiss. test. Et quanquam Co moralis incerta esse debet, *v. th.* 17. Ex quo dissentientes inferunt eam non nisi in futurum collatam esse posse, tamen hoc non sequitur. Nam etiam quædam præterita & præsentia incerta sunt, v. g. sitne mundus conditus in autumno, an non, sic ut ignoremus utrum ex his contradictoriis verum sit; tametsi scimus alterutrum verum esse:

Et

Et similiter in futuris, scimus mundum aut elapso sexto millenario conflagraturum aut non, tametsi utrum ex his verius sit ignoremus. Et hæc quidem de scientia nostra. Sed si ipsam rei naturam spectes non solum præteritorum, sed & futurorum contingentium determinata est veritas vel falsitas, v. l. 28. D. de Judiciis. Nec obstant Leges quæ innuere videntur Cnem in præteritum conferri non posse, v. §. 6. I. de V. O. l. 37. l. 39. de R. C. l. 3. §. 13. de bon. quælib. l. 10. §. 1. Cond. Inst. l. 34. §. 1. C. D. l. 69. H. l. l. 100. 120. V. O. Nam si Co in præteritum & præsens comparetur ei quæ in futurum est, in effectu juris propius accedit puræ, jus enim ex ea transmittitur & retrotrahitur, *v. infra th.* Id verò contra naturam aliarum Cnum est in U. V. quæ neque transmittuntur neque retrotrahuntur. Cujus rei causa est, quia Co quæ jam extitit aut defecit & si suspendat donec certum sit, extiteritne an defecerit tamen non differt. Ob hanc igitur causam, quia proximè accedunt ad puras, puræ appellantur. Propositionum verò contingentium, & has præteriti præsentis aut futuri differentias recipientium dispositio ad veritatem vel falsitatem determinatam dicitur 49. *Eventus*, cujus ratione vel fit vera, & per consequens necessaria, quia factum infectum fieri non potest, & sic dicitur 50. *Existere*, vel fit impossibilis, & sic dicitur 51. *Deficere*, C. D. & persona defecta Cne l. 31. C. D. quando nulla amplius spes superest, extituram 52. *Pendet* Co ante eventum l. 34. pr. de Usufr. l. 36. R. Cr. l. 16. Cond. ind. l. 8. qu. d. l. c. l. 14. qu. ex c. in poss. dicitur etiam suspendi, l. 34. famil. hercisc. l. 72. §. 4. C. D. *v. sup. d.* 7. quod tamen propriè ad Ctum pertinet *v. supr. d.* 7. quemadmodum & pendere, quod propriè ad Cnem pertinere diximus, applicetur Cto in l. 60. §. 1. Cond. ind. interdum autem pendere Co dicitur cùm extitit quidem vel defecit, sed id adhuc est incertum; quo casu melius suspendi diceret. 53. *Contraria* est propositio propositioni, quæ simul cum ea neque vera neque falsa esse potest, l. 8. §. 1. stip. præt. l. 121. R. J. add. th. 34. Scholastici contradictoriam vocarent, *contraria* enim illis est, quando non potest simul esse vera, potest tamen simul esse falsa, & ita sumitur quoque in l. 86. pr. H. I. l. 13. §. 3. de reb. dub. Ex his jam fluunt

THEOREMATA.

(36) ***Conditio negativa tempore indefinita moralis habenda est pro Universali quod tempus attinet.***

Contra Sabin. l. 115. §. 1. 2. V. O. Nam esto Co negativa tempore indefinita moralis, v. g. si *Titius* consul non fiet per *d.* 27. ajo eam habendam pro hac: Si *Titius* consul nunquam fiet. Alioqui enim habenda erit pro hac: si *Titius* consul aliquando non fiet, quæ est necessaria,

quia omnibus momentis consul fieri non potest, necessaria autem non est moralis *per th.* 17. quod est contra suppositum. Potestativa tamen si est in servum collata, & adjecta libertati favore ejus, etsi non prorsus particularis facta, tamen nec penitus universalis relicta est, sed impleta videtur cùm primum commodè in eam peccare potuit nec fecit, v. g. si *Stichus* in capitolium non ascenderit liber esto. Quamprimum potuit nec fecit, liber fit, l. 17. §. 1. man. test. cujus rei ratio est, quia alias tales Cnes interitu demum personæ implebiles habentur pro modis, v. supra *th.* 15. sed tunc cavendum est Crio, quod imposterum non sit peccaturus, quia verò servus cavere non potest, alia, & hæc, quam dixi, ipsum juvandi via inventa est.

(37) *Necessarii contrarium est impossibile.*

Quia cùm necessarium sit determinatè verum, v. g. hominem esse animal *per d.* 46. contrarium ejus hominem non esse animal erit determinatè falsum *per d.* 53. id est impossibile per *d.* 47. v. l. 7. de V. O. Unde Co in non faciendo impossibilis, v. g. si cœlum digito non attigeris, est necessario, l. 50. H. I. l. 50. V. O.

(38) *Jure impossibile si existentia sua alioqui meliorem facere alicujus Conditionem esset facturum, ne faciat, simpliciter impossibili æquipolleto.*

L. 15. C. I. v. g. testatur quis ita: *Titius* si *Sempronium* occiderit, hæres esto. Quod est jure impossibile, per *d.* 46. *explic.* quia salvis legibus etiam naturæ fieri non potest. Ajo igitur dandam operam esse tum Legislatori, tum Magistratui omnino, ut nihil utilitatis consequatur, *Titius* ex cæde *Sempronii*, neque magis hæres sit, si *Sempronium* occidat, quàm si non occidat. Nam Legislatoris, & omnino Magistratus est peccata in Republica, seu ea, quæ contra jus sunt, quoad ejus fieri potest impedire: ad impedimentum autem peccati pertinet sublatio incitamenti: Incitamentum autem peccati est utilitas ex peccato. Danda igitur Legislatori opera est, & Leges sic ferendæ sunt, ut nulla ex peccato utilitas sit, & per consequens, etsi impleta sit Co, tamen pro impleta non habeatur, & ita cum effectu impleri non possit, & ita quod effectum attinet, impossibili æquipolleat. Q. E. D. Idem obtinet etsi sit jure civili impossibile. Nam quanquam possibile sit relaxationem à principe impetrare, tamen difficile est, & quia Reipublicæ damnosum, habetur interim à Dd. pro impossibili *Zasius* ad l. cum serv. §. fin. de L. 1. n. 6. (quemadmodum autem injustum impossibile dicimus, ita *Virgilius* facto impossibile *Nefas* appellavit: *Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro.* 7. *Æn.* Ex hoc velut exemplo patet ut obiter observem, rectissimè ab *Her-*

Hermanno Conringio in civilibus principiis perſpicaciſſimo Viro paſſim monitum rationem Legum civilium ſtrictè dictarum, (id eſt quæ non ſunt ſimul meri juris) non aliunde melius quàm ex uſu Reipublicæ peti poſſe: eſt enim prudentiæ Nomotheticæ primarius finis Civium virtus; alter *αὐτάρκεια*, quia egeſtas ut plurimum improba eſt. Ex quo fluit inſtar Corollarii, cùm ſimpliciter impoſſibilis in U. V. ſit pro non adjecta, *v. th.* 63. idem in jure impoſſibilibus vel quaſi obtinere, quæ & *remitti* dicuntur, v. l. 9. l. 14. l. 15. C. I. l. 29. §. 2. Teſt. mil. l. 88. ad L. Falc. l. 2. §. 44. ad. Sct. Tertull. imò cùm videatur impoſſibilis ſimpliciter in teſtamento militis non remitti, ſed diſpoſitionem vitiari, de Cne tamen jure? impoſſibili conſtat, quod remittatur, d. l. 29. §. 2. 3. de teſt. mil. Obtulit porrò Theorema noſtrum tum de eo, quod eſt contra jus naturæ, (& dicitur propriè *peccatum*,) l. 9. l. 14. v. legis vicem. l. 15. v. pietatem C. I. l. 35. V. O. tum de eo, quod eſt contra legem civilem, ejuſque vel verba, (diciturque *Prohibitum*,) d. l. 14. v. contra leges, exemplum v. in l. 88. pr. ad L. Falc. vel mentem (diciturque adjectum eſſe in fraudem legum, l. 29. 30. de legibus v. in rem noſtram, l. 43. V. P. S. l. 7. C. I. l. 37. 64. C. D. l. 2. C. de inſt. & ſubſt. quod habetur pro non adjecto, d. l. 7. C. I. l. 10. de his quæ ut indign. l. 64. §. 1. l. 79. §. 4. C. D. Obſt. §. 2. I. de fideic. hær. ubi dicitur ſolitos olim homines quibus per leges relinquere non poterant, iis per fideicommiſſa reliquiſſe, idque *Auguſtum* approbaſſe. Sed reſpondetur leges alias utiles eſſe Reipublicæ, & eæ non eludendæ ſunt, ſed juvandæ interpretatione l. 64. §. 1. C. D. alias futiles aut ſubtiles propter certas quaſdam tamen cauſas toleratas, quales illæ veterum Romanorum nonnullæ ſubtiliter minus poteſtatem relinquendi re voluntate conſtringentes, quæ proinde rectè per fideicommiſſa eludebantur. Obſervavi verò hanc diſtinctionem in quæſtione aliqua circa Cnes Practica non contemnendi uſus fuiſſe. Non procul *Lipſia* mulier quædam ruſtica filium Clericum ſub hac Cne exhæredârat uſque ad legitimam, ſi de Gerada cum ſororibus participare vellet. Videbatur hoc eſſe in fraudem legis in jure Saxonico de Gerada Clericis danda, ſed Scabini Lipſienſes nihilominus reſponderunt inſtitutionem ſub hac Cne validam eſſe, referente Ampliſſimo *Dn. Bornio Scabinatus nunc Aſſeſſore* in Diſſert. de Jure Geradæ Lipſ. anno 1665. habita. Cujus ſententiæ ratio ex his principiis reddi poteſt, non certè alioqui ſatis obviam: Legem de Gerada in Clericos tranſmiſſibili, non ob uſum Reipublicæ, ſed antiquam conſuetudinem retineri. Olim enim Clerici variis artibus quavis occaſione potentiæ ſuæ gradus ſtruebant, & in genere tales leges præſertim duras eludi poſſe & debere, extat in l. un. pr. v. multas invenientibus vias, C. de Caduc. toll. quia minus Rempublicam turbat inſenſibilis quædam eluſio, quàm directa Legis mutatio. Hæc & illa refertur Conditio, quæ non quidem contra jus, contra honeſtatem tamen

men eſt, & dicitur *contra bonos mores*, quæ latè ſumta includit cæteras d. l. 15. ſtrictius pro inhoneſta d. l. 9. *Paul.* Sent. III. 4. 15. (ſtrictiſſimè pro ea, quæ eſt contra mores hominum l. 42. V. S. c. 1. extra de Cond. App. ejus Reipubl. *Corn. Nep.* præf. Vit.) item turpis d. l. 15. 79. de Jure Dot. Quæ non *de perfectione Legis*, *imperfectio eſt*, & ſemper illicita, humanis Legibus l. 144. R. l. Nam illud quoque ad prudentiam Legiſlatoris pertinet, in quibuſdam rebus homines non pœnis, ſed ne nimis conſtrictis magis jugum excutere nitantur, pudore continere. Co autem jurejurandi cùm turpis dicitur, l. 20. 26. C. D. non intelligenda eſt per ſe turpis, ſed incitamentum turpitudinis eſſe, nam facilitatem jurandi & perjuriè contentum paulatim includit juramentorum frequentia. Maturo igitur conſilio juramentum Calumniæ ſingulis litibus præmittentur, in foro Saxonico ſublatum eſt, quod alibi leve procuratorum genus haud dubiè innumerabilibus perjuriis fœdat. Permiſſum tamen eſt Cnem jurejurandi implere, l. 62. acqu. hær. ſed ſi quis nolit remittitur ei l. 8. C. I. l. 29. §. 2. mil. teſt. l. 20. C. D. non obſt. l. 97. C. D. Nam reſpondet nihil ibi aliud dici quàm de facto poſſibile eſſe ut municipes jurarent, dubitari enim poterat, utrum univerſitas jurare poſſet. Remiſſa igitur jurejurandi Cne objectum tamen ejus ſeu id quod quis præſtiturum ſe jurare debebat non remittebatur, quia id & volebat Teſtator, nec nolebant Leges. Illud igitur teſtabat quærendum, Objectum juramenti, (v. g. Si *Titius* juret ſe mihi monumentum exſtructurum hæres eſto; objectum juramenti eſt monumentum extruere,) per modum Cnis, an Modi aſcriptum intelligatur. Cumque Teſtator non noluerit eo uſque hæredem onerare, ut ante aditionem hæredis ædificet monumentum, ſed ope juramenti ſaltem certus eſſe, eumque adſtringere ad monumentum impoſterum ædificandum; ſublata per Leges cautione juratoria ſatisfiet nihilominus menti Teſtatoris, ſi alia Cautio nempe ſatiſdatoria, ſeu realis adhibeatur, quod ipſum eſt in effectu *per d.* 21. Cnis jurandi objectum in modum tranſiiſſe, l. 7. §. 6. C. I. l. 26. pr. C. D. *confer ib.* 15. Ex hoc ipſo autem, ut eſt mira rerum penitius cognitarum concatenatio, colligitur porrò etſi cæteris pro cautione juratoria realis interponenda fuerit, ſervis tamen manſiſſe jurandi neceſſitatem, l. 7. pr. §. 2. Oper. Libert. l. 36. man. teſt. l. 13. §. 3. de St. L. l. ult. 44. de liberal. cauſ. l. 13. pr. de acceptil. Quia Co aut ejus analogum implendum eſt antequam ſit Liber, (liber enim factus ob irrevocabilitatem libertatis cogi non poteſt,) & ita dura eſt ſervitus, quod expreſsè jubet *d. l.* 44. Servus autem cavere non poteſt. (Quia ubi nulla eſt obligatio, nulla eſt ejus per cautionem confirmatio, ſervi autem obligatio nulla eſt,) relinquitur igitur ut juret. Sed hac ipſa in re obſtare nobis videtur *d. l.* 7. *pr.* & *d. l.* 13. *pr. de acceptil.* quibus dicitur ſi ſervus juret obligationem inde nullam eſſe, quare ad hoc, ut contrahatur obligatio, neceſſe eſſe ut juret libertus. At ſalva

res

res eſt, hoc ipſum enim largior obligationem ex juramento ſervi eſſe tantùm naturalem, neque actionem parere. Sed quia Teſtator aliam à ſervo cautionem non exegit, quàm religionis vinculum, etiam hæres eo contentus eſſe debet. Accedit perjurio cohærens in omnem vitam infamiæ metus, & publicæ etiam in perjuros pœnæ. Et hæc de Cne jurejurandi exquiſitius diximus, quia multa ei ſimilia habet Co mutandæ religionis, v. g. *Titius* hæres eſto, ſi ad Romanam eccleſiam redierit, per ſe non turpis, quia licet cuilibet ſententiam, quam veriorem arbitratur amplecti, & firmata Religionis pace perpetua, quod politicos effectus attinet religionis mutatio intra conceſſas partes, olim Pontificiam & Auguſtanæ Confeſſionis tantùm hodie & reformatam, eſt actus indifferens, quemadmodum & juramentum. Sed quemadmodum pecuniæ acquirendæ cauſa turpe à veteribus habitum eſt, jurare homini præſertim ingenio; ita multo turpius eſt, hæreditatis alicujus vel Legati cauſa mutare religionem, quod præſumitur is feciſſe, qui cognita tali ſibi aſcripta Cne mutavit. Sed illud admodum dubites, Co talis vitietur an vitiet, ſeu diſpoſitio fiat pura an nulla. Nam captatoriis Cnibus ſimillima hæc eſt. Captatur enim alterius non pecunia ſed ſententia ſeu animus res pecunia præſtantior longè. CAPTATORIA autem Co eſt quæ eo fine adjecta præſumitur, ut quis alicui aliquid ultima voluntate relinquat & vitiat, ſeu diſpoſitionem reddit nullam, vide l. 70. H. I. (improbus quippe ſolicitus eſt de viventis hæreditate l. 2. §. 2. V. P. S.) l. 1. de his quæ pro non ſcript. l. 61. V. O. l. 34. C. de Tranſact. l. 4. (C. de inut. Stip. ne ultimæ voluntates conſtringantur, ſed ut liberum ſit quod non redit, arbitrium. Co autem in præteritum collata non eſt captatoria, v. g. ſi *Titius* me hæredem inſtituit, hæres meus eſto. v. l. 20. 71. 81. §. 1. H. I. l. 20. C. I. vox habuerit in *d. l.* 29. ambigua eſt, trahibilis prorſum & retrorſum ſeu ad præteritum & futurum, ſed in dubio benignius interpretandum: Ob hanc cauſam & Teſtamenta reciproca non ſunt captatoria, quia in præſens collata, l. 11. C. de Teſt. mil. & ibi *Gothofred.* Captatoriæ autem Cnes vitiant, non vitiantur. Credo quia captatoriæ per ſe non ſunt illicitæ, neque etiam contra Reipublicæ uſum directæ, ſed quia tamen alterum in ſcrupulos conjiciunt, ejuſque conſtringunt ultimam voluntatem, quam liberam eſſe tranquillitatis animorum intereſt, effectum, ut diſpoſitio ſit nulla, quod magis videtur velle Teſtator, quem ut ſit pura, quia Co finis eſt Ctori, medium Crio, Ctum contra, *v. infr. th.* 46. in cæteris verò quibus Teſtator aliquid intendit quod per ſe eſt Reipublicæ) inutile, velut pœnæ loco placuit, ut Co, quæ tamen finis Teſtatoris eſt, habeatur pro non adjecta. Hæc igitur conſiderandi mihi dubitandum videtur de Cne religionis mutandæ vitiet an vitietur. Et ſanè reſponſum hactenus eſt vitiari, idque & Clis placuit, quorum loca attulit *Dn. Zieglerus* diſp. de Condit. n. 75. Sed

 cùm

cum ita puniatur quodammodo Testator, qui tamen cujuscunque religionis sit, non malum sed bonum aliquod intendit, dixerim contrariam veriorem, scilicet dispositionem esse nullam. Etsi fortasse prior sententia nostris hominibus sit utilior, sæpius enim Pontificii, nobis quàm nos illis aliquid relinquemus, sed in his rebus sine studio partium judicandum. Ex his fundamentis igitur hanc regulam & velut Theorema elicio. *Si Cnis jure improbatæ malitas*, (ut ita loquor eum l. 5. D. quod met. caus.) *vel id, ex quo ea malitas per se sequitur, à disponente intenta est, Co vitiatur*, seu habetur pro non adjecta. Velut in pœnam disponentis, cujus finis est Co & Ctum, medium est Crium ad finem illum malum impellendi, *sui intenta non est, & per accidens tantum sequitur malitas*, interim malitas omnis recideret ad Crium d. Cnem implentem; Ibi *vitiatur Conditionatum*, id nempe quod Crii finis est, & per consequens dispositio. Idem enim est Cnem vitiare, & Ctum vel dispositionem vitiari. Hoc Theorema in ordinem theorematum & numerum non admisi, quia mea tantùm velut hypothesis & conjectura est, in legibus, in terminis non fundata. Non tamen fallit. Hinc enim Co cœlibatus & divortii non vitiant, sed vitiantur. Quia viduitas vel cœlibatus aut divortium per se mala sunt, Reipublicæque damnosa, quæ imò disponens v. g. testator directè intenderit, meritò velut in pœnam pro non adjectis habentur. De Cne cœlibatus, seu si non nupserit, v. l. 22. 62. §. f. l. 63. 72. §. 5. l. 74. 79. §. ult. C. D. l. 134. V. O. (Si arbitrio *Titii* nupserit, l. 72. §. 4. C. D.) l. 3. & t. t. C. de indict. viduit. add. *Antonium Hottomannum* Rit. Nupt. c. 22. & *M. Vertranium Maurum* tr. de jure trium Liberorum; Si *Titio* nupserit, valet l. 1. 2. C. de inst. & subst. l. 91. C. D. item ut *Titio* nubat, l. 71. §. 1. C. D. cùm si *Titio* non nupserit, l. 64. eod. cùm nupserit, l. 10. l. 68. eod. Novellarum jure valida est Co viduitatis, Novell. 22. c. 43. 44. invalescente tum amore vitæ Monachalis v. *Paganinum Gaudentium*, tr. de moribus seculi Justinianei. Similiter vitiatur *divortii Co* l. 5. C. de inst. & subst. l. 2. C. de Cond. insert. Porrò ob eandem causam remittuntur, quæ Libertatem infringunt. Hinc enim si quis ita leget; ut à monumento meo non recedat 100. do lego, pro non ascripto habetur modus Co l. 71. §. 2. C. D. Et accipit quod collatum est, & in conventionibus eandem ob causam stipulatio talis, si non hîc habitaveris, 100. dare spondes est nulla. Et non attenta Cne, ut hic accipit, ita illic retinet 100. Similis autem est libertati infractæ *Nominis ferendi Co*, quam etsi si honestum nomen est, l. 7. ad Trebell. desiderat prætor ab hærede, non tamen exigit, sed nolenti præstat bonorum possessionem & utiles actiones. Nam hi, quibus Co fictione tantùm & condonatione pro impleta habetur, non hæredes ad bonorum possessores fiebant,) l. 63. §. 10. eod. non obst. l. 88. §. 6. L. 2. l. 108. C. D. aliud enim est homini, aliud rei nomen imponere & petere, ut de nomine

mine familiæ ne exeat. Hæredes interim si nomen honestum erat, quale Testatori parebant, certè & *Augustus* hæredes nomen suum ferre jussit. *Sueton.* in August. c. ult. Cnibus hactenus recensitis affinis est ea quæ jurisdictionem Magistratus involat. Unde in stipulationibus si quis pœnam stipuletur ejus rei, quæ à magistratu jam prohibita est, dicitur in l. 10. V. O. stipulationem esse nullam. Etsi obstare videatur, l. 2. C. de cond. insert. Hac etiam fortasse de causa relicta pœnæ nomine olim improbata, t. t. D. de his, quæ pœn. nom. l. 43. §. 2. L. 1. Fragm. Ulpian. tit. 25. §. 16. (obst. l. 6. l. 27. C. D. l. 3. L. 2.) quod mutatum l. un. C. de his, quæ pœn. nom. Huc quidam referunt, *vanam* Cnem, quam existere prorsus nullius refert, v. g. si dextrum pedem prius domo extuleris. Sed cùm eo ipso Ctoris intersit alterum obedientiam præstare, non puto pro non adjecta habendum. Nec obstat, quod remittitur Co abjiciendi pecuniam in mare, v. infra *th.* 48. quia ea solùm inutilis, sed & damnosa est. Huc pertinet *Co odiosa*, quæ vitiat, qualis est *Mortis*, v. g. si *Titius* ante *Sempronium* morietur, 100. dare spondes l. 19. l. 30. C. de Pact. Et quæ morti æquiparatur (l. 209. de R. I.) servitutis si *Titius* servus factus erit, id enim nefas expectare, §. idem juris 2. I. de inut. stip. l. 34. §. 2. contr. emt. l. 83. §. 5. V. O. Cnem tamen Mortis hodiè continet *Confraternitas*, seu pactum successorium, v. *Gothofred.* ad d. l. 19. & concessio feudi viventis, seu *gratia expectativa Gerhardus* c. 1. §. si quis de Feud. limitat: nisi fiat *Titii* consensu, sed contra d. l. 19. *Bald.* in d. c. 1. & *H. Pistor.* 2. quæst. 25. limitant, nisi aliter quàm successione res ad Crium venire possit, sed contra *v. Vultej.* 1. Feud. 7. n. 48. Rectiùs dicetur illam veterum observationum in desuetudinem abiisse, præsertim ubi timor insidiarum abest.

(39) *Impossibile est cujus circumstantia est impossibilis.*

Ejus rei & causa & usus traditus est in *th.* 29. *add. def.* 46. Unde defecit Co cujus tempus præterlapsum est, l. 11. L. 2. l. 41. §. 12. fid. lib. l. 23. pr. St. L. *add. th.* 42.

(40) *Impossibile impræsentiarum absolutè est possibile.*

L. 58. 59. §. 1. l. 104. C. D. Ut enim qui facere potest, ut possit jam potest, l. 174. R. J. ita quod fieri potest ut possit, jam fieri potest. Etsi possibilitas ejus sit inferioris gradus.

(41) ***In momento existentiæ Conditio adhuc pendet, seu nondum extitit.***

Quia quod fit, nondum est, si quid existit nondum extitit, arg. l. 15. D. de Stat. Hom. ubi ii quos pariens mater eo ipso libera facta est, ex serva nati intelliguntur, & ipsi sunt servi. Similiter in momento mortis vivere intelligimur. l. 42. §. 2. de mort. caus. don. l. 18. §. 1. manumiss. test.

(42) *Conditio Negativa existit in ultimo momento possibilitatis contrariæ affirmativæ.*

Nam affirmativa & negativa non possunt simul veræ esse, dum igitur una fit impossibilis, altera v. g. Negativa fit necessaria, *per th.* 37. Eo ipso autem dum necessaria fit, existit *per def.* 50. *Q. E. D.* Cùm autem impossibile fiat cujus circumstantia fit impossibilis per *th.* 30. manifestum est interitu rei vel personæ Clis, Cnem negativam existere, v. g. si *Stichum* non manumiseris. Morte *Stichi* impossibilis fit ejus manumissio, necessaria verò manumissio, extitit igitur Co, l. 103. C. D. *add. th.* 15.

(43) *Si Conditio plusquam extitit, absolutè extitit.*

Quia majori inest minus l. 120. pr. de R. J. existentiis porrò æquatur, quando pro non adjecta est, l. 74. C. D. v. *sup. th.* 27. item quando sponsalia per copulam jurificata finguntur, c. 30. de Sponsal.

CAPUT VII.

DEFINITIONES.

Formam Propositionum Partialium Materia excipit, ea in se continet, Personas, *cap.* 7. hic res, *cap.* 8. F; ipsum deductum in Cnem aut Ctum, & Circumstantias loci aut temporis. *Personæ* cujus in Dispositione Cli mentio fit, seu Persona Clis est, vel 54. PRINCIPALIS, quales sunt eæ inter quas negotium geritur; vel minus Principalis, quæ dicitur 54. TERTIUS. Persona Principalis est vel Conditionator, vel debiturus, vel Conditionarius, 55. CTOR est Persona cujus ultimo actu voluntatis declarativo valida est dispositio. Clis in U. V. ipse Testator est Ctor, in negotiis inter vivos ille, qui sub Cne aliquid promittit, ut in Verb. Oblig. reus debendi. Cumque verba judicis sententionantis censeantur verba partis, id quod sibi injunctum est, promittentis, *Bald.* ad l. 74. §. 1. de Evict. Co apparet eum, cui aliquid Cliter in sententia injunctum

ctum est Ctorem videri. Non igitur semper loquens est Ctor, contrarium enim apparet in Judice, nec semper proponens, contrarium enim est in reo stipulandi. Porrò uti Autor dividitur in primum & secundum in l. 4. D. de Evict. Ita 56. CTOR similiter est vel PRIMUS vel SECUNDUS. Illic declaratione voluntatis dispositio tam valida est, ut tribuat tamen Jus revocabile tantùm hic, ut eum quæsitum. (quæ quomodo differant infra explicabimus *def.* 77.) v. g. in Legato Conditionali Testator est Conditionator primo gradu, Hæres est Ctor secundus, quia Testator nondum tribuit jus quæsitum, expectanda enim est aditio hæreditatis, quæ nisi sequatur, Legatum in irritum recidit. In aliis coincidit Ctor primus & secundus. Nam in actibus inter vivos statim promissivè tribuitur jus quæsitum; in institutionibus Testamentum dat jus revocabile, mors Testatoris quæsitum. 57. DEBITURUS est, qui rem Ctam debebit, existente Cne v. g. in Legatis Testator est Ctor, non tamen Debiturus, sed Hæres; in Institutionibus nullus datur debiturus, in Actibus inter vivos debiturus & Ctor coincidunt. 58. CONDITIONARIUS, est cui res Cta debebitur existente Cne. Quales sunt in Institutionibus Hæres, in Legatis Legatarius, in V. O. stipulator. 59. IN PENDENTI jus esse dicitur, cujus Crius est disjunctivus; seu cum duobus jus competit, utrique sub Cne alterius Cni contraria. Ita rei litigiosæ dominium est in pendenti, utriusque litigantes sub Cne victoriæ, in effectu tamen unius hactenus incerti. Rei quoque legatæ pendente Cne, l. 3. pr. ut leg. c. cav. Potestas patria, §. si ab hostibus S. I. quib. m. jus patr. pot. toll. 60. Jus CLE TRANSMISSIBILE est, quod ita comparatum est, ut detur etiam hæredibus Crii, & contra hæredes debituri, S. cujus debiturus & Crius sunt non solùm expressi sed & hæredes eorum. 61. Tertius cujus in dispositione Cli mentio fit, ut plurimum pertinet non ad Ctum, sed Cnem. Et habet se vel activè, vel passivè, vel neutro modo, sed tantùm ut circumstantia. Activè igitur interdum ita persona comparata est, ut ea nolente non existat, Co l. 9. §. 1. qui pot. in pign. v. g. *si Titius Alexandriam ierit*, interdum ut ea volente existat, quæ 61. in *ejus potestatem collata* dicitur, *v. g. si Titius Capitolium non ascenderit*, estque vel Deus solus, ita dicitur 62. Co CASUALIS, v. g. si cœlum cras serenum erit, quod enim Ethnici in casum nos meritò in Deum referemus; vel homo, ac tùm dicemus. 63. EXPOSITAM (sc. humanis viribus non exemtam.) Expositæ species est 64. POTESTATIVA (alias *promiscua* l. 11. §. 1. C. D.) si homo ille in cujus potestatem collata est, est ipse Crius. Celebris divisio Cnis in Casual. Potest. Mixtam vulgò sic concipitur, ut potestativæ vox æquipolleat. Expositæ & eam quoque comprehendat. Quas in tertii potestatem collata est, imò ipsius debituri (arg. de l. 9. §. 1. qui pot. in pign.) Sed non solùm ipsi Doctores sæpissimè, verum etiam l. un. §. 7. C. de cad. toll. in qua est hujus divisionis fundamentum, & l. 78. §. 1. C. D.
 pote-

potestativam restringunt ad collatam in accipientem, id est nostro stylo Crium. Sed cùm Co conferri possit, vel in hominem vel casum; & illa vel in tertium, vel debiturum vel accipientem, l. 23. §. 2. H. I. l. 60. pr. C. D. erit strictius sumta potestativa voce celebris illa divisio angustior diviso, expositæ igitur terminum addidimus. Sed veteres necesse est in factum alterius collatam interdum retulisse, ad potestativam, ut cum Dd. dicunt, potestativam non retrotrahi arg. l. 11. qui pot. in pign. ubi tamen in debiturum collata est, interdum ad casualem l. 22. §. 2. H. I. arg. 30. l. un. §. 7. de caduc. toll. & l. 6. C. de necess. serv. Quæ autem sit potestativa pendet ex facto l. 4. §. 1. H. I. & voluntate Testatoris l. 4. C. D. Co illa: si se filium meum probaverit; non est potestativa l. 83. C. D. *Mixta* propterea à nobis omissa est, quia semper est vel Casualis tantùm vel exposita tantùm in rei veritate, quod & agnovit *Angelus de Gambellionibus*, tr. de Testam. gloss. 58. n. 12. 65. MIXTA enim CASUALIS est, ut plurimum occurrens, quæ an exposita futura sit in casu situm est, v. g. *si Alexandriam ieris*, hic navigantem tibi rectumne emisum tenere venti permissuri sint in casu est, l. 4. C. de inst. & subst. 66. MIXTA exposita est, quæ an casualis sit futura in humana potestate est, v. g. si 100. dederis. Fingo te 100. nunc ad manus habere, quare implere Cnem, & exsolvere & evitare incerta sortis in tua potestate est, sed si differs potest fieri, ut tu aliquo casu facultatibus spoliatus frustra diversæ fortunæ calvitiem prenses. Ut igitur mixta casualis ad casualem ita mixta exposita ad expositam pertinet 67. HONORATUS est tertius, cujus vi dispositionis interest Cnem existere, v. g. si *Titio* 100. dederis, hæres esto. *Honoratum* appello *Titium* distinctionis gratia, alioqui *Honorati* vox tribuitur ipsi Crio, in l. un. §. 7. C. de Caduc. toll. in U. V. dicuntur in Legg. mortis causa capere, t. t. de Mort. c. q. & capionibus add. l. 30. §. 7. l. 67. pr. l. 91. ad L. Falc. Ubi dicitur quod hæredi implendæ conditionis causa datum est, non imputari ei in Falcidiam, sed in Trebellianicam. 68. Denique ratione Personarum. Co est vel ambulatoria l. 34. pr. d. St. L. vel personæ cohærens 24. adimend. leg. id est imitatis personis existere potest vel non potest, de qua vide nostrum theorema.

THEOREMATA.

(44) *Ad Conditionatorem requiritur, ut res Conditionata sit in ejus potestate.*

Omnis enim res in dispositionem cadens debet esse in potestate disponentis. Res igitur Cta debet esse in rerum natura, l. 135. R. J. in commercio l. 34. §. 2. contr. emt. l. 83. §. 5. V. O. ita ut si mea non sit saltem mea esse propinqua potentia possit, quo casu vi ipsius spei mihi de re, nondum mea disponere licet. (Spes autem rei sacræ, aut hominis liberi

liberi acquirendi improba est d. l.) Unde rem alienam promittere possunt, sed non nisi sub Cne l. 7. §. 1. qui pot. in pign. & alii rem ipsius sub Cne legare aut promittere possunt, quia potest ejus esse desinere, l. 61. de cont. emt. l. 41. §. 2. L. 2. l. 31. 98. V. O.

(45) *Ad Conditionatorium acquiritur. ut sit rei Conditionatæ capax.*

Saltem tum cùm inde exurgit Jus quæsitum, unde nil nocet quod Testamenti conditi, temporis non sit capax dummodo postea fiat, l. 59. §. 4. H. I. l. 59. l. 104. C. D. neque enim in Conditionalibus obtinet regula Catoniana, l. 4. de Reg. Caton.

(46) *Conditio Conditionatoris & debituri, Conditionatum Conditionatorii causa adjectum est.*

Hujus theorematis usus erat insignis in *th.* 38. Ubi ostendimus fundamentum, ex quo discerni posset, utrum Co legibus improbata vitiaret an vitiaretur, sc. quando vitiaret puniretur Crius, quando vitiaretur puniretur Ctor, dispiciebamus igitur ex cujus parte directè peccatum intercederet, eumque puniendum esse concludebamus: Crio autem Ctum prodesse contra Cnem obesse manifestum est, quæ ipsa prodest debituro, cui solvendi moram præstat. Cumque Ctor & debiturus coincidant exceptis U. Vtibus, apparet idem de Ctore dicendum, Imo in U. Vtibus Co Potestativa seu in Crium collata est finis Ctori seu Testatori & medium Crio, per quod ad Ctum perveniat. Contra Ctum Crio ut dixi finis est! medium verò Testatori per quod Crium ad Cnem præstandam pertrahat, ad *Vultei.* in Consil. Marp. T. 1. p. 124. Testatori igitur opera danda est, ut Ctum Crio magis prosit, quàm ei obest Cnis præstatio. Quis enim non rideat illam dispositionem, si filium meum ab Algirianis captum redemeris 10. florenos habeto, cùm 10. florenis id perfici non possit! aut illam, si 100. dederis, 100. habeto, l. 65. ad L. Falc. quales dicuntur *derisoriæ*, in l. 14. de C. I. add. inf. *th.* 63. Quales erant Tabulæ nescio cujus: Mater mea hæres esto, *Charidemo* filiam meam do lego, ejusque fidei committo, ut dotem quantam optimam maximamque potest. *Nicostrato* matrem meam alendam do. Quod tu illi executi leguntur. Sed & alium ipsum Theorema nostrum habet, nempe ejus vi concluditur ex Cnibus disjunctivis electionem esse Crii, ex Ctis disjunctivis electionem esse debituri, quia quilibet rei illius, qua gravatur, disjunctivè propositæ electionem habere debet. Nam alter ab eo non nisi unum in certum poscere potest. *add. supr. th.* 22. Habet & usum *th.* 20.

(47) *Con-*

(47) *Conditionator sub Conditione est Conditionatorius ad Conditionem, & contra.*

Id est, qui rem alteri *sub Cne* debet interim habet rem, sed *ad Cnem* conf. *def.* 21. 22. 23. Exemplum insigne est in hærede, quatenus rem sub Cne legatam detinet. Pendente Cne Legatarius videtur Dominus Clis, quia ex placito *Justiniani* sub alta Legatorum differentia recta via in ipsum transit Dominum, & competit ipsi tam personalis, quàm realis actio. Sola enim existentia Cnis, Dominium tribuere non potest. Sed tamen & hæres interni est Dominus, *l.* 12. *§.* 2. *famil. hercisc. l.* 4. *si usufr. pet. l.* 1. *§.* 4. *de SCt. Silan.* alioqui Cnes defectus Cnis esset modus acquirendi Dominium hæredi, est autem Legatarius Dominus sub Cne. Hæres ad Cnem. Non igitur duo sunt ejusdem rei Domini, diversa enim sunt genera & velut gradus Dominii. Quia & sic res concipi potest. Cùm defunctus una persona fuerit, similiter & hæreditas jacens, debere omnes personas ad partem bonorum defuncti concurrentis unam personam intelligi. Et quia hæredis institutio est caput Testamenti, erit Hæres caput hujus personæ concurrens jure universali, cæteri velut membra minus principalia, jure particulari. Unde Legatarius adire in hærede, & Dominium ejus, quod sibi assignatum est, nancisci intelligetur, uti autem fructuarius & proprietarius rem communem habere finguntur, l. 25. §. 4. D. de usufr. ita adita hæreditate hæres & Legatarius, si ut diversos intuebimur. Existente autem Cne jus habet Legatarius quasi ad divisionem provocandi, & rem suam vindicandi *add. infr. th.* 56. *fin.* Pendente verò Cne, cùm in re communi potior sit Co prohibentis, hæres rem non alienare constitutione *Justiniani*, admonetur in l. 3. §. 3. C. com. de Legat. Sed si fecerit, valor venditionis erit in pendenti, & quia resoluto jure dantis resolvitur jus accipientis, l. 3. quib. in pign. solv. ideò hæredis actus onerosi seu legatario præjudicantes resolvuntur, quales sunt alienatio, pignori datio, servitutis impositio l. 16. quib. in usufr. amitt. l. 11. §. 1. quemadm. servit. amitt. l. 81. pr. L. 1. l. 105. C. D. (unde si Hæredi moveatur controversia hæreditatibus, præstat interim Legata ad Cnem, seu caventibus, l. 44. §. 6. C. D. add. t. t. de Litigios,) sed liberosi actus hæredis permanent, l. 11. §. 1. quemadm. serv. amitt. videtur enim hæres Legatarii negotia gessisse, arg. l. 39. neg. gest. quare exceptio rei erga hæredem judicatæ prodesse Legatario potest, nocere non potest, arg. l. 7. famil. hercisc. Quod de Hærede diximus, id in genere verum est, ut pendente Cne res Ctoris sit, & etsi Ctius eam possideat, usucapere tamen non potest, l. 2. §. 3. pro Fmt. sed Ctor potest petere, si caveat de restituendo existente Cne l. 5. de dol. mal. & met. except. & si solverit pendente Cne ignorans, condicere potest, l. 16. cond. indeb.

(48) Ho-

(48) *Honoratus deterioris quàm Legatarius conditionis esse potest, melioris non potest.*

Alioqui quod quis per modum Legati capere non potest, capiet indirectè tanquam *Honoratus* & fiet fraus Legibus l. 9. mort. c. don. non obst. l. 55. C. D. ubi *Mævio* legatur, si *Callimacho* det 100. *Callimachus* autem non habet testamenti factionem, quare nec Legatum capere potest, ergo nec mortis causa, quid juris? Respondet JCtus Cni parere debere, & ei 100. dare, etsi pecunia non fiat ejus, sed tantùm apud eum ponatur velut in mari. Objicit *Meyerus* Coll. Arg. n. 14. absolutè credi quod voluerit JCtus pecuniam in mare abjici. R. in eo conveniunt, quod utrumque est possibilis, differunt, quod remittitur abjectio in mare (publicæ utilitatis causa, nemini enim postea prodesset, *v. Eman. a Costa* Com. ad L. Gallus n. 20.) sed depositio pecuniæ apud *Callimachum* non remittitur; cùm enim non fiat ejus vindicari iterum à *Mævio* potest. Ex his patet *Honoratum* melioris Cnis quàm Legatarium esse non posse. Videamus an non interdum sit deterioris. Ita sanè, nam si hæres omissa causa testamenti ab intestato possideat hæreditatem, in eo inferior est Legatario, quod ei non subvenitur à Prætore, l. 8. D. si quis omiss. caus. cui graviter obstat l. 1. §. 8. eod. & quod mirum utrobique loquitur *Ulpianus*. Mihi in promtu esset conciliatio, si vellem ad speciales casus configere, sed tacere, quàm ineptire malo.

(49) *Hæres & Legatarius in fraudem Honorati colludere possunt, nisi sit cohæres.*

Rationem hujus Theorematis reddere non possumus, nam si Jus strictum intueor, apparet nullum hoc loco esse cohæredis privilegium; sui æquitatem, etiam extraneo subveniendum arbitror. Sed ita JCtus placuit. Casus esto: Testator ita scripsit: Hæres meus *Titio* 100. dare damnas esto, si *Titius Mævio* 50. dederit. *Titius* & hæres ita conveniunt, ut Legatarius hæredi remittat Legatum, & ab eo velut alia ex causa, stipuletur sibi 80. dari, purè mitto illius Cnis respectu. Ita hæres 20. *Titius* 30. lucrabitur. Contra hoc stratagema quæritur an *Mævio* remedium suppetat, & respondetur quod non in l. 57. C. D. ubi hoc dicitur sapienter factum, (credo uti Christus filios mundi filiis lucis prudentiores dicit.) item l. 3. §. 3. de St. L. secus in cohærede d. l. 3. §. 4. Verùm obstat l. 3. §. ult. 9. cond. caus. dot. ubi majori cum æquitate sine distinctione, læso datur contra hæredem actio in factum. De conciliatione, alii laborent.

(50) *Mero jure jus Conditionale quæsitum transmittitur, non quæsitum non transmittitur.*

Jus autem quæsitum est, quod alterius voluntate aut facto auferri non potest. Idque quia personæ velut coaluit meritò transmittitur. Jure unde jus Cle ex ultima voluntate non transmittitur, sed si pendente Cne moriatur Crius, (aliud est, si moriatur debiturus, qui hæredem suum obligatum relinquit, l. 65. C. D.) deficit Ctum, l. 59. §. 6. H. I. l. 65. §. 1. L. 1. l. 11. §. 6. L. 3. l. 31. l. 40. §. 2. l. 59. 69. C. D. similiter dilatum in diem incertam quando *v. supr. th.* 14. l. un. §. 7. Caduc. toll. Si verò purè datum sit suspensa tantùm petendi potestate, tum transmittitur, l. 5. C. qu. dies leg. ced. dilatum jus esse inter vivos transmittitur ad hæredes creditoris etsi pendente Cne moriatur §. 4. l. de V. O. §. 25. I. inut. stip. l. 57. V. O. denique res transmittitur & transit cum sua causa, l. 60. §. 1. C. D. l. 9. ad Silan. l. 6. Fisc. uti statu liber v. d. 70. fin. *Honorati* autem hæredi frustra datur. l. 94. C. D. nisi à servo, *th.* 60.

CAPUT VIII.

DEFINITIONES.

A personis transeamus ad res, quæ in Cnem vel conditionatum deducuntur. Res autem in conditionatum minimè deducibiles seu quæ sub Cne conferri non possunt dicuntur, 69. *Inconditionabiles.* Res verò conditionabiles sunt Hæreditates, Legata, Pecunia &c. de quibus mox. Quo pertinet Libertas Clis, & persona ipsa dicitur (70.) *Statu Liber*, quem definio servum testamento manumissum sub Cne. *Servum* dico, est enim servus hæredis purè, *l.* 11. *L.* 2. *l.* 9. 16. *St. L.* Sed tamen ad Cnem (*v. sup. defin.* 21. *sqq.*) seu non plenè, unde qui hominem debet statu liberum solvendo non liberatur *l.* 63. *Condict. indeb. l.* 38. §. 2. *Sol. & Lib.* Jus enim ad Cnem puto minus est. Si tamen quis statu liberum in eadem causa sistere promittit, ut liberum impleta Cne sistit, non committit stipulationem, l. 6. D. si ex noxal. C. Ea ipsa enim causa in qua tunc erat, id est statu libertas eum in hanc causam, in qua nunc est, id est plenam Libertatem perduxit. Puniendus verò est statu liber, tanquam jam liber, l. 14. de quæst. l. 9. §. fin. de Pœn. obstat graviter l. 29. pr. de St. L. in quibus conciliandis sudent licet, qui Antinomias pati capitale esse arbitrantur. Statu liberum igitur diximus 1. *Servum.* 2. *manumissum*, quo excluditur Libertas fideicommissaria ibi cum manumissio alteri demandata est, & servus, cui fideicommissaria libertas data est, est libertus manumittentis seu ejus cujus fidei testator commisit, sed

sed statu liber est, Orcinus Libertus l. 2. pr. St. L. Excluditur etiam Servus institutus cum libertate, l. 2. §. 3. St. L. is enim à se ipso libertatem accipit, & proinde nulla manumissione, potest enim sine damno in sui ipsius servitute manere, & est suus Libertus. v. l. 6. §. 4. H. I. adde quæ diximus *dissert. de Cas. perplex.* §. 15. Tertium requisitum ut sit manumissus *Testamento.* Inter vivos enim vindicta nemo Cliter manumitti potest, est enim dictus Legitimus, v. infr. *th.* 52. Notandum hic Libertatem Testamento datam multum differre à Legato, imò ei opponi, l. 12. §. 2. famil. herc. 47. 51. 81. 86. 87. C. D. l. 8. m. c. don. l. 19. l. 20. §. 3. t. t. St. L. (etsi sub eo contineri dicatur in l. 80. de V. S.) nam si accuratè intueamur Libertatem dari nihil aliud est, quàm vincula adimi, quando Libertas in mera absentia vinculorum consistit, Legata verò positivum aliquid continent excepto Legato liberationis, quod libertati datæ persimile est. 4. Denique requisitum est, ut sit manumissus testamento, sed sub Cne, de quo multifariam jam dictum est. Ita constituto statu libero præjudicari non potest, alienatur enim cum sua causa l. 2. pr. St. L. l. 13. C. de Test. manum. non obst. l. 30. D. de St. L. ubi alienatione desinit esse statu liber, quia hoc ipsum est Co libertatis erat, si non alienaretur.

THEOREMATA.

(51) *Quicquid facti est, inconditionabile est.*

Hoc theorema patet ex definitione dispositionis Clis moralis, in qua de jure aliquo disponi debet sup. *def.* 8. *&* 9. Possessio igitur cùm sit facti, quod multis textibus constat & fusè discussum est in *Papponii* dissertat. utrum possessio juris an facti, & Venet. ann. 1600. Cnis capax non est. Quamquam enim dissentire videatur *Ant. Faber* in codice Sabaudico lib. 1. tit. 2. def. 57. n. 2. Solet tamen ei & aliis possessionis voce jus ex ea ortum significari. Similiter jura sanguinis sunt inconditionabilia *Dn. Carpzov. p. m.* Respons. VI. 8. 77. 12. item assertio seu propositio qua id quod facti est narratur. Ita juramentum sub Cne fieri non potest, nec confessio, nec acceptilatio, quippe confessio de solutione facta, l. 4. 5. de acceptil. l. 77. R. I. nec Tutor autoritatem suam, seu confessionem de suo consensu conditionaliter interponere potest, etsi actus Clis sit *l.* 8. *de aut. Tut.* Porrò quia possessio ideò & actus possessorii sunt inconditionabiles, ut traditio, investitura propria feudi (aliud de abusiva) aditio hæreditatis l. 77. R. I. Depositio & pignoris oblatio. *Negusant.* de pignor. V. 3. 2. 10. Etsi ipsum jus pignoris sub Cne contrahi potest, l. 11. §. 2. pignora tit. act. Hujus theorematis vi etiam servitus saltem ex hypothesi JCtorum Veterum videtur Cnem recipere non

 posse,

posse, l. 4. de Servit. Consistit enim in perpetuata constitutione, l. 1. §. 3. de Usufr. accresc. quæ est facti.

(52) *Actus Legitimi sunt inconditionabiles.*

Legitimi id est solennes, in quibus ipsius decoris causa receptum est, ne Cne adjecta in incerto relinquantur, cùm verò tacita Cnis adjectione non ita lædatur autoritas, ea sæpe admittitur l. 77. de R. J. Expressa enim nocent, non expressa non nocent, vid. *sup. th.* 17. Tales erant, qui transferebant jus Quiritum seu mancipium, & fiebant per imaginariam emtionem, id est Legis actiones. Eæ non poterant fieri per procuratorem, fiebant semel, certis verbis &c. De his l. 77. de R. J. in qua fundatur theorema nostrum ita loquitur; *Actus Legitimi qui recipiunt diem vel Cnem in totum vitiantur temporis vel Cnis adjectione.* Ita Pandectæ Florentinæ Haloandrina editio legit: *qui non recipiunt*, priorem lectionem defendit *Cujac.* 15. obs. 16. posteriorem, *Fr. Hottomannus* Illustr. quæst. 32. fol. 219. sqq. Sed utraque in idem recidit. Nam priori *non recipiunt*, significat incapaces sunt; & sensus est actus legitimos Cnis incapaces ea adjecta vitiari in posteriore: *recipiunt* idem est, quod *accipiunt*, & sensus est: si Actus Legitimi (sua natura inconditionabiles) conditionem nihilominus de facto ab aliquo accipiant, totum actum vitiant. Recensentur autem in d. l. 77. Mancipatio quam ex corp. juris *Justinianus* sustulit; acceptilatio, de qua jam supra *th.* 51. per l. 4. D. de accept. hæreditatis aditio add. sup. *d. th.* tutoris datio l. 6. §. 1. de Tutel.

(53) *Jus publicum est inconditionabile.*

Nam Co omnis confertur aut in casum aut potestatem hominis, *v. sup. def.* 61. *sqq.* quorum utrumque juri publico, quod ex facto privatorum, multo magis casu pendere non debet, indecens. Et si, quod casui commissum est, in Deum collatum replices, est tamen hoc tentatio Dei, ut in probationibus vulgaribus. Quare inconditionabilis est Tutela dativa, *v. th. præcedens.* 53. Jurisdictio judicium l. 35. D. de Judiciis. Sententia l. 1. §. 5. quand. appell. sit. Excommunicatio c. adhæc de appell. c. 2. §. & hæc eadem de sent. excom. Et quia jus sacrum etiam ad publica pertinet, illud quoque inconditionabile esse conveniebat. c. un. fin. ut Ecclesf. benefic. sine dilat. confer. non obst. c. significatum de Præbend. c. significasti. de Elect. c. relatum de Cler. non res. in Ecclesf. vel præb. Sunt enim Cnes extrinsecæ de quibus supr. def. add. Clement. un. pr. de concess. præb. Sed hæc intelligenda sunt de ordinario, c. 2. de Elect. in 6. c. 20. per Laicos 16. q. 7. Summus Pontifex reservavit sibi sub Cne & ex die beneficia conferendi potestatem, c. pastoralis 7. q. 1.

q. 1. Hic incidit quæstio subjecto Theologica, prædicato juridica, sed quia ex natura prædicati etiam res decidi debebit, licebit eam nobis excutere, scilicet *an Baptismus sit conditionabilis.* Canones infantem repertum, de cujus baptismo dubitaretur, ita baptizandum censebant: *Si baptizatus es, ego te non baptizo, sin baptizatus non es, ego te baptizo, in nomine* &c. v. c. 2. de Baptismo c. presbyteri, §. quod ergo fin. dist. 68. Contrarium statuunt Theologi nostrarum partium, vid. *Brochmand.* System. Theol. Loc. de Baptismo, c. 6. §. ult. cas. 7. Et videtur Cnis adjectio non necessaria, quia Co inest pro jure, *per th.* 17. Baptismus enim repetitus invalidus est vel ex Canonistarum sententia, (quâ baptismus characterem indelebilem imprimit,) sed quia peccatum timent, bona intentione hanc Cnem addunt, nam baptismus secundus, etsi non habeat bonum effectum in baptizatum, habet tamen malum in baptizantem; Sed hoc loco, quia adest ignorantia, ne vano metu infans sine baptismo relinquatur, scrupulositate non videtur opus esse. Apud Deum enim cordium scrutatorem, si cum ipso directè agatur, protestatio mentalis & verbalis æquipollent. Ut taceam canones in simili exemplo conditionem omisisse. Nam cùm ignoratur, an Ecclesia sit consecrata, consecranda est, non Cliter, sed purè C. Solennitates, 16. §. de Ecclesiarum, C. Ecclesia 18. de consecr. dist. 1.

(54) *Denique inconditionabile est, quicquid jure civilitate esse jubetur.*

Ita Legitimam esse inconditionabilem manifestum est, quæ nullo modo auferri aut deminui potest, ne quidem sub Cne potestativa, & Co habetur pro non adjecta, l. 32. C. de inofficios. Testam. obstat l. 83. C. D. l. 4. C. de inst. & subst. *Nicol. Vigelius* in Method. jur. controv. præfatione de Rat. Legendi, column. 9. putat l. 83. & 4. per l. 32. esse abrogatas. Sed nondum huc confugere necesse est. Nam in l. 83. & 4. nihil aliud dicitur, quàm si Pater filium instituat hæredem sub Cne non potestativa, testamentum invalidum esse. Quia eo casu planè præteriit. Si enim sub Cne tantùm nominat, sub contraria Cne, non nominat seu præterit. Quo fit testamentum multum & injustum, l. 1. de inj. test. l. 4. H. I. (excepta Cne;) *Si voluerit* hæres esse, quæ nihil ipsi adimit, sed dat potius libertatem ne sit necessarius hæres, (v. inf. de Tutore *th.* 58. *fin.*) l. 86. H. I. l. 12. C. I. l. 10. 28. C. I. l. 16. l. 29. passim. de Lib. & Posth. d. l. 83. C. D. d. l. 4. B. de inst. & subst. Ut præteriisse autem intelligatur acquirunt Leges Cnem non potestativam l. 15. 28. C. I. & loc. cit. Alioqui nuda filii inobedientia reputatur. Ita patet, quantùm inter l. 32. C. de inoff. Test. & d. l. 83. C. D. & d. l. 4. C. de inst. & subst. intersit. Illic Co adjicitur Legitimæ, hic hæreditati, illic rejicitur potestativa, hic admittitur; illic igitur nihil prohibet

Cnem vitiari, hic vitiare. Huc pertinet, quod codicillo Co adjici non potest hæreditati, si testamento purè data est; unde si Cliter data est, codicillo Co neque tolli, neque mutari potest, vid. §. codicillis 2. I. de Codicill. l. 6. D. de jure Codicill. l. 27. §. 1. C. I. Quia hæreditas codicillis nec dari nec adimi potest, ascripta autem Cne in casum deficientiæ *per th. 6.* ademta intelligitur. *v. D. V.*

(55) *Cætera jura vel actus Conditionem recipiunt.*

V. g. Dominium l. 8. R. C. l. 12. 70. §. 1. usufr. l. ult. 18. Com. præd. l. 29. m. C. don. l. 1. C. de pact. inter Emt. & Vend. etsi Clis titulus dominium non transferat, *Tiraquell.* de constit. Possess. p. 2. ampliat. 15. n. 3. 4. *Wesembec.* tr. de pact. n. 10. Solutio l. 16. Sol. & Lib. Investitura abusiva Feudi, *Rosenthal.* c. 6. concl. 23. Societas l. 1. 70. 75. D. pro Soc. Mortis C. don. l. 10. D. de m. c. don. fidejussio. l. 7. §. 1. 16. D. ibi. Emtio, Venditio, §. emtio 4. I. ibi. l. 7. contr. emt. Locatio, l. 20. §. 1. Locati. Mandatum, l. 3. ibi. Votum, C. non solum fin. 32. q. 8. Actio, l. 5. C. quando dies leg. ced. Et quis comprehendere fando cuncta queat?

(56) *Res irrevocabilis ad Conditionem, seu sub modo dari non potest.*

Ad Cnem enim seu sub modo dari est existente Cne seu modo deficiente finire vel revocari, *def.* 21. 22. 25. Rem autem irrevocabilem revocari implicat. Talis autem est libertas, quæ semel data adimi non potest, unde nemo ad tempus vel Cnem liber, seu sub Cne servus esse potest, l. 33. 34. 52. man. test. Modus tamen adjectus libertati si potestativus est, transit in obligationem, & compellitur liber factus officio judicis ad eum implendum, l. 44. man. test. Similiter qui semel hæres est, nunquam esse desinit, seu hæreditas ad tempus dari non potest, quare nec ad Cnem, l. 34. H. I. aliud tamen in testamento militis, l. 15. §. 4. l. 19. §. 2. l. 41. pr. D. de Test. Mil. l. 8. C. eod. Dominium (quod non ipso jure, sed traditione *revocabile est*,) an ad Cnem esse possit, ita ut existente Cne ipso jure resolvatur, quæsitum est. Quidam putant existente Cne dominium possidentis non resolvi, sed alteri tantum jus ad rem dari, donec traditio accedat, arg. l. 3. C. de pact. inter Emt. & Vend. *Vasquius* ill. controv. c. 69. Quia non pactis, sed traditionibus rerum dominia transferuntur, l. 20. C. de pactis, v. g. vendo tibi fundum Cornelianum, sed convenit statim inter nos, ut te intra biennium aliquid non præstante meus iterum sit fundus. Hic illi dicent elapso biennio actionem tantùm personalem ex vendito competere, ego & realem arbitror. Nam hic pacto dominium non transfertur, sed ita

ita res accuratius concipienda est. Dum venditor tradit fundum, eo ipso transfert dominium, sed modificatum pacto, ita ut ipse retineat dominium Cle, alteri tribuat purum, sed ad Cnem seu nondum plenum. Existente igitur Cne, apparet dominium purum plenum apud venditorem esse, quod hactenus incertum fuerat. Certè in pacto legis commissoriæ statior competit rei vindicatio, l. 4. C. de pact. inter Emt. & Vend. & in diem adpictionis pactum rem medio tantum tempore, donec Co melior offeratur emtoris esse permittit, l. 4. §. 3. D. de in diem addict add. l. 41. R. V. Addantur textus citati *th. præcedenti* 55. ubi de dominii conditionabilitate, conf. & *th.* 47.

(57) *Periculum rei Conditionalis est apud Conditionatorium perfecta dispositione.*

L. 8. pr. l. 10. de peric. & com. rei vend. l. 14. de novat. perfecta inquam dispositione, arg. l. 10. §. 5. j. dot. confer quæ dicemus *th.* 68. ubi de Retrotractione.

CAPUT IX.

DEFINITIONES.

Supra diximus *princ. c.* 7. Materiam propositionum partialium constare personis, Rebus, deducto in propositiones & circumstantiis loci & temporis. De personis & rebus dictum est *cap.* 7. *&* 8. deductum in conditionatum continetur tractatione rerum, restat igitur 71. *deductum in Cnem*, quod est ille ipse status vel motus qui existere vel deficere debet, v. g. si in capitolium *Titius* ascenderit; ascensio est deductum in Cnem, &c. Ratione hujus dividitur Co, quod sit 72. vel *facti* vel *juris*. Quæ divisio interdum æquipolleat divisioni in extrinsecam & arbitrariam, l. 21. C. D. *v. sup. def.* 8. 9. Sed hoc loco idem est ac si diceres, Cnem aliam esse facti meri nudi seu physici, aliam facti prægnantis ut loquuntur, seu effectum quendam juris habentis. Et hoc sensu, quæ facti sunt, negantur transire ad hæredes, vel ad Dominum, §. 2. I. de stip. Serv. l. 44. pr. C. D. (sed ibi abusus est regulæ, actus enim dandi non est meri facti,) l. 31. solut. *add. th.* 19. & operæ præstari per alium non possunt, l. 39. §. 5. St. L. *add. th.* 12. Quanquam autem etiam qui dat facit l. 18. V. S. Et dandi vox ipsum motum de persona in personam aliquando significat, l. 44. pr. C. D. etiam ad illam, qui rem suam facere non potest, l. 55. C. D. Tamen 73. Dare usu communi significat efficere quantum in se est, ut aliquid alterius bonis accedat. Unde actus corporalis non requiritur in eo, qui compensat l. 20. §. 2. St. L. & cui acceptum fertur, l. 81. §. 5. L. 1. & tamen

tamen dictis locis dedisse dicitur. Deinde nec alterius acceptatio requiritur, satis est summum conatum in implenda Cne adhibuisse, (vid. *inf. th.* 69.) id est obtulisse, l. 45. C. D. & statu libero sufficit pecuniam consignatam deposuisse l. 4. pr. St. L. Unde qui repudiavit frustra deinde pœnitet *l.* 7. C. de Cond. infort. De Cne reddendarum rationum quæritur, sitne potius dandi an faciendi. Rationes addere, nihil aliud esse, quàm reliqua solvere, & per consequens, dare, vult l. 32. C. D. *Cajus* putat in l. 1. §. 2. n. 23. V. O. rationes reddere esse principaliter facere, sed aliud est *edere*, aliud *reddere* rationes. Et hoc præter editionem rationum in faciendo consistentem etiam reliquorum redditionem in dando absolvendam continet, l. 29. §. 2. V. S. Mixta igitur ex dando & faciendo rationum reddendarum Co est, l. 6. §. 7. St. L. Co faciendi est vel intrinseca vel extrinseca. Intrinseca vel Intellectus v. g. si arbitratus fuerit & similes, vel voluntatis, ut, si voluerit. Ita *Dn. Ziegler.* n. 40. de condit. Extrinseca: *si feceris*, intrinsecam, *si volueris*, includit alias, differunt ut tacita & expressa, l. 68. H. I. sed permiscet & æquiparat l. 1. pr. L. 2. l. 32. C. D. l. 46. §. 2. fideic. lib. Extrinseca faciendi Co in Crium collata seu potestativa vel præcise paritionem vel saltem obedientiam, seu summum conatum parendi postulat, contenta etsi affectus non sequatur, & hæc dicitur 74. *Jussum*, in genere neutro enim jussum usurpatur, & in l. 62. §. 1. de acqu. hær. Unde JCti in talibus Cnibus jubendi voce utuntur, v. g. l. 14. pr. §. 1. C. D. & aliis locis infinitis. 75. *Per aliquem stare, vel non stare*, est summo alicujus personæ conatu adhibito rem fieri posse, vel non posse. Per eum igitur stat, qui cùm possit efficere non vult: per eum non stat, qui vult efficere & summum conatum adhibet, seu vult voluntate efficaci, nec potest. Hujus phraseos textus sunt innumeri, vid. interim, l. 13. de ann. leg. l. 34. v. per hæredem steterit St. L. quo pertinet illa veterum formula: per se non fieri, l. 50. V. O.

THEOREMATA.

(58) *Conditio volendi, personam principalem, in quam collata est, gravamine Dispositionis Conditionalis liberat.*

Theorema hoc probandum simul & explicandum est. Personæ principales sunt, debituras vel Ctor ab una, & Crius ab altera parte, *v. def.* 54. Gravamen autem Ctoris ex dispositione Cli ortum est Ctum, seu necessitas id præstandi per se vel hæredem, gravamen Crii est Co seu necessitas eam implendi: utrumque *per th.* 46. Esto igitur Co volendi primum in debiturum collata: si voluero, vel si hæres voluerit, *Titius* 100. habeto, vel, si voluero 100. dare spondes. Ajo Cnem efficere,

cere, ut hæres vel promissa non sit obligatus ad Ctum præstandum & ita gravamen ejus tollatur, & per consequens dispositio sit nula v. l. 43. §. pen. L. 1. (aliud est, cui ex illis volueris dato, l. 24. L. 2. aut utri voluerit, hæres dato, cogitur constituere, l. 16. L. 2. sed utri voluerit, Tutor esto, ita dare non potest, quid enim si nolit constituere, l. 23. pr. Test. tut. sed cur non & his cogitur constituere? aut cùm volueris, illic enim personæ, hic temporis tantùm arbitrium datum est, & hic dies cedit morte, l. 41. §. 13. l. 11. §. 6. *L. 3.* l. 17. fideicommiss. lib. l. 11. §. 7. L. 3. Valet tamen fideicommissum: nisi hæres noluerit, l. 11. §. 5. L. 3. Imò ipsa libertas fideicommissaria dari potest, si voluerit hæres, l. 46. pr. fideic. lib. Nec exempla desinit in quibus actus nullus pronunciatur, quia in promissorem collatus est, l. 7. contr. emt. l. 8. O. & A. l. 17. l. 46. §. 3. l. 108. V. O. Si autem stipulor à te, *cùm volueris*, inutilis (satis durè) dicitur stipulatio, si antequam constituas, moriaris *l.* 46. §. 2. *V. O.* Et ita vidimus, quando Co volenti debiturum à Cto solvendo liberet, videamus quomodo Crium relevet à præstanda Cne, seu dispositionem faciat puram, uti, *si volueris, hæres esto*, pura dispositio est, *l. 69. H. I. l. 12. C. I.* Similiter; si volueris, *liber esto*, d. l. 46. §. 1. fideic. *lib.* l. *si volueris, tibi lego*, Clis dispositio appellatur in legibus. l. 65. *§. 1. L.* 1. *l. 69. C. D.* & si volueris, *spondeo*, idem juris fore ait, *Cujac.* ad l. 17. V. O. sed Co ipsi volueris, in legatis tantùm extrinseca *est*, propter transmissionem negatam antequam legatarius declaret se voluisse, v. *sup. th.* 10. De Cne in tertium collata per occasionem videamus, institutio in tertii voluntatem conferri non potest, sed vitiatur, l. 32. l. 68. H. I. Legatum verò, si *Titius* voluerit, tibi 10. lego, subsistatne. acris inter ipsas leges pugna est; negat *Modestinus*, l. 52. C. D. cujus conclusioni simul & argumentis directè contradicit *Ulpianus*, l. 1. L. 2. idem *Ulpianus* in genere dicit legatum in aliena voluntate, præterquam hæredis poni posse: l. 43. §. 2. L. 1. Tutor si voluerit, testamento dari potest, l. 23. §. 1. test. tut. quia alioqui cogitur, dat igitur hoc ipsi libertatem, velut necessario hæredi v. sup. *th.* 54. Denique, si cùm morietur voluerit, pro U. Vte est Voluntas viventis non retractata l. 77. §. 10. L. 2.

(59) *In Conditionem potestativam ex U. Voluntate obedientia seu animus parendi deductus intelligitur.*

Testator enim erga capientes ex testamento, est ut superior erga subditos. Jam superior eum remunerare solet, qui non casu & ignorans, sed intentione certa boni, quiddam fecit. Quare qui Cnem fato implet, non videtur obtemperasse voluntati, l. 2. C. D.

(60) *Conditio potestativa ex U. Voluntate jussum est, seu, si per Conditionatorium non stet pro impleta habetur.*

Quia enim benignissimè interpretamur, U. Vtes *per th.* 20. ideò melius est partem dispositionis existere, nempe Ctum, quàm nihil; quando Co existere non potest, accedente jam Crii obedientia, quam & superior interdum pro facto habet. Est hoc theorema in hoc argumento frequentissimum, sed confunditur vulgò cum *th.* 16. à quo nos diligenter distinximus. Videantur, l. 3. §. 9. Cond. c. dat. l. 20. 23. 24. C. 1. l. 54. §. 1. 2. l. 92. §. 1. L. 1. l. 34. §. 4. l. 76. §. 6. l. 88. §. 3. L. 2. l. 6. 14. 31. 40. 56. 66. 78. 81. 84. C. D. l. 5. §. 5. qu. d. leg. ced. l. 39. §. 3. fid. lib. l. 1 D. de inst. & subst. l. 8. C. de legat. l. 1. Q. de his, quæ sub mod. Add. c. 41. 66. de R. J. in 6. Unde etsi continuari Co negat, continuatur legatum, v. g. *Sticho* libertatem do, & alimenta do lego, si cum filio meo moratus fuerit. Filius paulo post ferre eum apud se non potest, vel moritur; nihilominus *Sticho* alimenta dum vivit debentur, per expressum Imperatoris *Antonini* rescriptum, vid. l. 30. §. 5. L. 3. l. 29. pr. de ann. Leg. l. 13. §. 1. 2. l. 20. §. 3. alim. leg. l. 1. C. de Legat. etsi de mente Testatoris subdubitet. l. 84. C. D. addatur & l. 101. C. D. singulariter receptum in pupillos, ut si tutor impletionem Cnis impediat, pro impleta habeatur, l. 78. C. D. Magnus quoque libertatis favor, unde si Co libertatis in hæredem collata est, hæres videtur facere jussus, & si moram facit, habetur Co pro impleta, l. 41. §. 1. fideic. lib. & si moriatur honoratus extraneus nulli dando consequitur libertatem, quod secus est in Legatario cujus ea ratione conditio deficit, l. 94. C. D. l. 20. §. 3. l. 39. §. 4. St. L. Si justo tempus Cnis antequam scire posset præterlapsum est, non nocet sed tempus prorogatur l. 3. §. 31. ad SCt. Silan. l. 41. §. 12. fideic. lib. Unde si tempus numero seu arithmeticè determinatum est, v. g. si intra 100. dies casuam iveris; extremum ejus est, ut ita dicam, utile non continuum. Puta si extremis 10. duobus à latronibus detinear, illi nondum præteriisse censebuntur, & ita tempus mihi in effectu prorogabitur. l. 40. pr. C. D. non obst. l. 6. C. l. ibi enim Co ab initio est impossibilis. Requiritur autem ut per Crium non stet, seu non sit, in mora aut culpa. *Justinianus* quoque constituit in l. 7. C. de cond. insert. ut si verbi gratia statu libero pecuniam quam hæredi libertatis causa affert, latrones auferant, ipse nihilominus fiat liber, sed postea tamen obligatus hæredi maneat in meam summam, quam testata imposuerat. Affine est theoremati huic nostro, quod advocati hæredes restituere honorarium non tenentur, si per ipsum morte interceptum non stetit, quò minus causam ageret, l. 38. Loc. cond. l. 1. §. 13. extra ord. cogn.

(61) *Ar-*

(61) *Arbitrium certæ personæ in U. Voluntatibus boni Viri arbitrium esse intelligitur.*

Et ita Co si *Titius* arbitratus fuerit, pro non adjecta est, l. 75. pr. L. 1. l. 11. §. 7. (ubi & discrimen observari potest inter hæc: si volueris, &, si arbitratus fueris, seu inter verba intellectus & voluntatis,) L. 3. l. 14. l. 41. §. 3. l. 46. §. 3. fideic. lib. Quia est quasi arbitrium boni viri, d. l. 75. L. 1. Jam verò U. V. valet cujuslibet boni viri arbitrio, l. 43. L. 3. in contractibus si *Titius* non arbitraretur *Justinianus* statuit ut deficeret, §. 1. l. emt. vend. l. ult. C. contr. emt. concordat l. 25. D. locati, nisi à Triboniana interpolata est. Si verò arbitrium alicujus personæ cujus interest in conditionem deducitur, tum interdum intelligitur arbitrium viri boni, l. 7. contr. emt. interdum actus habetur pro imperfecto, l. 35. §. 1. eod. idem juris est, ubi arbitrium alterius adjicitur, velut modificans circumstantia v. g. si arbitratu *Titii* nupseris, l. 28. C. D. sit ita, explicuimus deductum in Cnem, addamus aliquid de circumstantia temporis, ut partitionem nostram impleamus.

(62) *Conditio repetibilis sciente Testatore frustrà existit ante Testamentum.*

Cùm enim testator & sciat quid factum sit, & declaret quid fieri idem velit, putet eum adhuc semel fieri velle, l. 9. 11. §. 1. l. 68. C. D. l. 45. §. 2. L. 2. dico, *repetibilis*, nam si sua natura repetibilis non est, idque Testator scit, impossibilem Cnem adjecisse videtur, quæ in U. V. est pro non adjecta, *per th.* 63. & ita impleta intelligitur, *l.* 11. *C. D.* deinde *sciente Testatore*, nam si nescit extitisse, satisfactum videtur, nam fortè si scisset non fecisset mentionem, l. 10. ff. 1. l. 11. pr. C. D. denique, *ante testamentum*, nam post testamentum validè existit quandocunque, etiam vivo testatore, l. 2. 10. pr. l. 61. 68. B. D. l. 18. manum. test. l. 7. C. de inst. & subst. Quia cùm ex post facto, ubi constitit testamentum revocatum non esse, testator statim post testamentum conditum mortuus fingatur, vi regulæ Catonianæ, etiam quæ vivo eo existit post testamentum, mortuo eo existere intelligetur. Sanè testamenti & mortis tempus fictione conjunguntur, & vel testamento immoto mors ad id *retrotrahitur*, ut *hic*, vel morte immota testamentum ad eam *protrahitur*, ita quæ vivo testatore defecit Co videtur ab initio defecisse, l. 9. §. 7. C. I. inprimis quæ ante testamentum, l. 39. §. 4. St. L. utrumque tuendæ voluntatis causa. An quis Cnem implere validè possit, priusquam sciat testatorem jussisse, *vid. th.* 59. circa tempus duo adhuc notari volo, diem adjectum Cni libertatis in dubio non intelligendum esse *quo*, sed intra quem existere debeat, v. g. si calendis *Stichus* dederit, sensus erit, sive ante calendas sive calendis dederit, l. 41. §. 1. man. test. deinde

 con-

conditionis temporariæ, computationem fieri in dubio à die perfectæ dispositionis, sc. quando tribuat jus quæsitum, ut in legatis ab adita hæreditate, l. 46. C. D.

CAPUT X.

DEFINITIONES.

Hactenus de propositionum conditionalium forma & partibus, partium denique iterum forma & partibus, & singularum etiam effectu & vi juris diximus, restat ipse effectus totius dispositionis, seu propositionis conditionalis qui est: Jus 67. *Jus* est vel *nullum*, vel *Cle*, vel *purum*. Quæ differunt ut in numeris cyphra, fractio, integrum. Et variant pro causis, quæ sunt: Co impossibilis, contingens, necessaria. Erit schema

Co impossibilis,	contingens,	necessaria,
0	$\frac{1}{2}$	1
Jus nullum,	Cle,	purum.

Nam uti fractio inter 0 & integrum media est, ita, jus Cle inter nullum & purum, & uti fractiones variant quæ infra $\frac{1}{2}$ est propius accedit 0. quæ supra propius accedit ad 1. ita jus Cle æstimationem variam recipit, & modo puro modo nulli variis gradibus accedit, cujus rei fundamenta à nullo animadversa ex philosophiæ principiis, *th.* 66. mox trademus. Notandum etiam jus Cle esse, velut conceptum, purum velut natum. Nam v. g. qui servus fit, mori videtur, l. 209. R. J. Ergò qui liber fit, nasci intelligetur. Statu liber igitur velut conceptus est, Jus Cle aliud est à puro, l. 196. §. 1. R. J. item pars ejus, (unde qui purè habet, Cliter acquirendo nihil agit, l. 7. pr. rescind. vend.) confer sup. *th.* 32. 54. Non tamen Cliter testatus pro parte testatus dici potest. l. 56. H. I. aliud enim *rem*, aliud *spem* dividi. Etsi verò jus purum Cli plenius sit, aliquando tamen præstet Cliter aliquid quàm purè fieri, quando scilicet purè fieri non potest, *vid. th.* 44. add. l. 38. H. I. l. 4. Reg. caton. l. 104. C. D. l. 10. §. 4. test. jur. l. 29. L. 1. 77. *Jus* porrò est vel *revocabile*, vel *quæsitum*. Hoc personæ aut inest, auferri non potest, nisi proprio facto, illud ita comparatum est, ut ab alterius adhuc voluntate non quidem positiva, (alioqui nullum jus, sed tantum spes est, v. g. donec alter aliquid mihi velit donare,) sed privativa, si scilicet non revocet, pendeat, & tale jus revocabile acquiritur U. Vte, unde nec acceptatione indiget, quia quæsitum nondum est. Ita postulatio superiori nondum porrecta, postulato jus quæsitum non tribuit, sed revocari à collegio potest, c. bon. 4. de postul. In U. V. morte testatoris hæres habet jus quæsitum, legatarius verò demum aditione hæreditatis, tum enim hæres ipsi obligatur. Statu liberi causam similiter servus

vus non nanciſcitur, niſi hæreditate. *l.* 2. *pr. St. L.* add. ſimile, th. 62. Jus quæſitum porrò ne à principe quidem tolli poſſe, vid. *Petr. Anton. de Petra* tr. de Jure quæſito per principem non tollendo. 78. Præterea *Jus Cle* vel *ſimplex* eſt, vel *diem continet*. Simplex nihil aliud dicit, quàm tu 100. habeto, ſi verum eſt navem ex Aſia venturam. At Cle diem continens, ita reſolvendum eſt; tu 100. tum demum habeto, cùm navis ex Aſia venerit. Ita ut adventus navis non ſolum ſit Co, ſed & terminus ſolutionis. Magnum inter hæc diſcrimen eſt, nam Co ſimplex ſuſpendit tantùm, diem habens etiam differt, add. l. 6. §. 1. qu. d. l. ced. quod magni momenti eſt in doctrina Retrotractionis. 79. *Retrotrahi* dicunt, quando exiſtente Cne, perinde habetur, ac ſi ab initio ſtatim cùm diſpoſitio facta eſt, extitiſſet. Idque in concurſu creditorum, quæſtionibus Gabellæ & alias uſum habere infra patebit. Imò in iis caſibus, quando retrotrahi Co dicitur, non opus eſt ejus exiſtentia, & ſufficit certitudo, v. g. ſi *Titius* intra duos menſes Alexandriam non ibit, tu 100. dare ſpondes. *Titius* incidit in periculoſum morbum, vel etiam juramento aſſerit, ſe Alexandriam non iturum: Tu ſtatim ad 100. ſolvenda teneris. Explicant vulgò retrotractionem in conditionibus per factionem, quaſi Co, ubi extitit, ab initio diſpoſitionis jam extitiſſe fingatur, ſed hoc ſupervacaneum eſt, Ctum enim ſtatim debetur, ſi modo Co exiſtet, hoc quippe ipſa verba important, quæ promittunt, 100. purè ſine dilatione, ſi navis ex Aſia veniet: Fingo igitur, eſſe in Republica prophetam probatum, prædictionibus ſuis nunquam fallentem, cujus ope magiſtratus in dubiis facti eruendis ſæpe ſine ullo deceptionis periculo uſus ſit qualem Poetæ, uti *Sophocles* in *Antigone Tireſiam* apud Thebanos, *Homerus Calchanta* apud Græcos, *Virgilius Caſſandram* apud Trojanos introducunt, ſed verioribus exemplis ſcriptura ſacra uſa eſt, fingo igitur, declarationis cauſa, ut retrotractionis natura appareat, talem prophetam autoritatis probatæ prædicere navem venturam, & quia hujus dicta pro facto ſunt, jam tum dabitur mihi actio. & hoc eſt retrotrahi Cnem, id eſt Ctum à Cnis, non tempore, ſed veritate pendere. Erit quippe Syllogiſmus: ſi navis ex Aſia veniet, ego 100. habebo, *per diſpoſitionem Ctoris*, ſed verum eſt prius, *per verba Prophetæ*, ergò & poſterius petere igitur poſſum. 80. *Actus eventualis* eſt, quando omina celebrantur, quæ ad actum pertinent, ſed effectus Cne ſuſpenditur. Hoc ſæpè fit, ut in appellatione, litis conteſtatione, l. 1. conſt. d. elect. Auguſti l. 3. ita actus circa rem litigioſam lite pendente ſunt eventuales, Nobiliſſ. Dn. *Thomæ* tr. de conceſſ. litigioſ. alien ita circa rem legatam pendente Cne, add. *th.* 47. inſtitutus aliquis eſt, ſi ſervum hæreditarium manumittat, cùm hoc validè antequam hæres ſit facere non poſſit, & antequam faciat hæres, non ſic videbatur actus, ſtricto jure perplexus & irritus eſſe, ſed voluntatis intuitu receptum eſt, ut exerceat actum ſolennem manumiſſionis, effectus verò pendeat,

 donec

donec fiat hæres, quod quia mox continuè aditione facta fit, meritò hoc permissum est. Sententia *Labeonis*, in *l.* 20. §. 1. C. J. Clausula quoque codicillari testamentum fit codicillus eventualis, vid. Dn. *Jabor.* diss. de claușul. codicill.

THEOREMATA.

(63) *Conditio impossibilis jus Conditionale nullum efficit, regulariter & mero jure.*

Cùm enim Co existere non possit, *per hypoth.* existere non poterit Ctum *per th.* 6. Cto autem hoc ipsum continetur, ut jus Crio competat, *def.* 5. 9. Vi hujus theorematis in omnibus actibus inter vivos Co impossibilis actum vitiat, §. si impossibilis 11. l. de inut. stip. l. 1. §. 11. l. 31. O. & A. l. 7. l. 69. V. O. l. 29. fidejuss. Et huc recurrebant pleraque promissa derisoria, *add. sup. th.* 46. qualibus vetus historia plena est, ut si quis Athenis Lemnum vento Borea veniret, cùm Athenæ sunt, Lemno Borealiores, *Cornel. Nep.* Miltiad. c. 1. *Crœso* oraculum respondit, fore ut vincatur, si mulus apud Medas regnaret, *Herodot.* l. 1. is autem erat *Cyrus* matre nobili Meda, & patre ignobili Persa natus. Oraculum erat Florentiam capi posse, tum demum cùm boves circa muros volitarent, quod factum est, cùm obsessores in vexillis insignibus bovem expressissent. Ita *Sylvester* Papa, uti narratur, se diabolo obstrinxit, si missam Hierosolymis celebraret, erat autem Capella vel sacrarium Romæ, ignorante *Sylvestro*, quod Hierosolymam vocabant. Ubi cùm ille rem divinam peregisset, diabolus jus suum strenuè persecutus est. Oraculum erat Constantinopolin, non nisi per Angelum capi posse, quod factum est, cùm hostes latini per turrim Angeli dictam irrumperent. Cùm *Philippus Valesius*, Galliæ Rex, Casletum obsideret, oppidani gallos laneos in muris proposuerunt, tum capturum dictitantes, cùm canerent. *Froissard.* lib. 1. Sed hæ derisiones ut plurimum in autorum perniciem versæ. Derisoriis Cnibus similis illa, imò eadem, si 103. dederis, 100. habeto, l. 122. §. 2. L. 1. l. 65. ad L. Falc. item tam difficilis, ut pene impossibilis sit, l. 4. §. 1. St. L. v. g. si quis servo ita libertatem det, si hæredi millies, id est myriada myriadum numerum dedisset, quæ summum ditissimi hominis patrimonium est in servi peculio non quærenda. Dicendum hic per occasionem in specie de adjectione; *cum morieris, habeto*, quæ verba derisoriam Cnem aut dilationem potius videntur sonare, & sanè usufructus ita legari non potest, l. 79. §. 3. C. D. l. ult. 8. in fin. C. de bon. quæ lib. quia personalis est; nec cum effectu aliquis ita liber esse jubetur: cùm morietur, l. 17. pr. manum. test. l. ult. pr. eod. l. 4. §. 1. Statu Lib. alioqui nihilominus tamen effectum habet, in iis, quæ transmissibilia sunt, accipit

pit enim in ultimo vitæ momento, & ad hæredes transmittit, v. l. 4. qu. d. l. c. l. 72. §. 5. l. 79. C. D. unde & prætor, qui minima non curans momentaneam acquisitionem curat, l. 127. R. J. sed si ita: hæres, cùm morietur dato, moriente interim legatario non transmittitur ad hæredes, l. 4. 13. 22. qu. d. l. ced. l. 1. §. 2. C. D. l. 12. §. 1. l. 77. §. 3. 4. 10. L. 2. Co si non feceris in effectu æquipollet huic: cùm morieris. Nam an non facturus sis, sciri dum vivis, non potest, §. sub conditione 4. I. de V. O. l. 65. §. 1. ad Sct. Trebell. *v. sup. th.* 15. cùm tertius morietur, v. l. 40. §. 2. C. D. Diximus mero jure Cnem impossibilem vitiare dispositionem. In U. Voluntatibus tamen receptum est, ut vitietur ipsa Co, & dispositio fiat pura: Favore ut arbitror, ultimarum voluntatum l. 1. 6. C. I. l. 45. 50. §. 1. H. I. l. 16. fin. de injust. test. l. 104. §. 1. L. 1. *l.* 12. dot. prælég. quod & ad mortis causa donationes porrigi puto, arg. l. 8. §. 3. de mort. c. don. ubi in materia Cnum æquiparantur ultimis voluntatibus. Idem in sponsalibus jure canonico receptum est, t. t. de cond. appos. Porrò Cnes jure impossibiles, facto impossibilibus æquiparari ostendimus, *supr. th.* 38. Ad Cnes impossibiles pertinent etiam perplexæ, id est, quando Co per se quidem possibilis est, sed non cum Cto, ubi Co & Ctum sibi obstant, l. 43. H. I. nec apparet quid à quo perimatur, l. 5. de fidejuss. talia vide in nostra *diss. de Casib. perplex.* §. 13. *sqq.* Huc pertinent *lege perplexæ*, v. g. quæ sunt contra substantiam matrimonii, nam & illæ vitiant totum actum, c. ult. X. de C. app. uti, si pulchriorem non invenero, ducam te, *Damas de Brocard.* membr. 3. n. 10. Ducam te, si meliorem non invenero, valida est dummodo certum tempus adjiciatur, *Barth. Brixiensis*, qu. Vener. 38. Ducam te, si cognovero, quid juris? copula secuta alii putant purificata tantùm esse sponsalia, Copula enim sponsalia purificat, seu Cnem efficit, pro non adjecta, c. 30. de Sponsal. quasi novatione facta, sed in secundo demum coitu esse matrimonium, *Innocent.* in c. per suas, C. A. At *Brunellus* de Sponsal. concl. 30. statim primo. Quid si adulter maritus ancillæ stupratæ promittat: ducam te, si uxor mea morietur, *v. Dn. Richter* Jenenses decisiones.

(64) *Conditio necessaria jus facit purum.*

Nam quicquid necessarium, est per se, id in dispositione est pro non adjecto, *th.* 17. Quare & Co necessaria pro non adjecta erit. Jam si Co pro non adjecta est, dispositio est pura, *per def.* 1. Quare & jus ex ea purum erit, §. si impossibilis 11. l. inut. stip. Huc pertinet illa quam vulgo impossibilem negativam seu in non faciendo vocant, quando factum impossibile est, & Co facti cessationem per se futuram requirit, v. g. si digito cœlum non attigeris, hæres esto. Quæ Co potius necessaria quàm impossibilis negativè dicenda est, tametsi sic appellent Leges, l. 50. H. I. l. 7. V. O. confer huc sup. *th.* 17.

(65) *Con-*

(65) *Conditio incerta efficit jus Conditionale.*

Jus enim Cle eſt medium inter purum & nullum, *def.* 76. Incertum eſt, medium inter neceſſarium & impoſſibile quoad nos, cùm igitur neceſſaria Co, faciat jus purum, *th.* 64. impoſſibilis nullum *th.* 63. media incerta jus medium Cle efficiet, Q. E. D. l. 9. §. 1. de Novat. ſive illa incertitudo ſit præteriti aut præſentis ſive futuri, *ſup. def.* 48. vid. quæ de incerto an diximus, *def.* 20. & *th.* 14. Co verò etſi incerta, debet tamen ſua natura eſſe certificabilis, ut de veritate ejus & per conſequens & Cto conſtet. Co autem, quæ in ſenſum non occurrit, non eſt certificabilis, v. g. ſi quæſtio aliqua theoretica deducatur in Cnem; ut, ſi datur vacuum, ſi angeli habent tenue corpus. Quarum deciſio eſt indemonſtrabilis. Quanquam & ea, quæ quis ſibi demonſtraſſe viſus eſt, ut peripateticus; dari materiam primam, ſeu ens quoddam habens quantitatem interminatam: juramento non confirmabit, *v. Cic.* 4. Academ. quæſt. p. 48. ed. *Gothofr.* In ſenſus quoque non incurrunt univerſalia & indefinita, v. g. *ſpondeo ſub Cne*, neque ullam in ſpecie exprimo, talis Co certificari non poteſt, tanquam ἄσημος, unde ſponſio nulla eſt, ſed in U. V. tanquam impoſſibilis habetur pro non adjecta, l. 36. H. I. l. 8. C. de inſt. & ſubſt.

(66) *Jus Conditionale aliquid ponit in eſſe.*

Vulgò dicunt Cnem nihil ponere in eſſe, ſed ejus rei contrarium multis modis demonſtravimus. Num & ſupra oſtendimus, *d.* 76. eſſe velut fractionem in reſpectu ad integrum, ita jus Cle ad purum. Nam jus Cle eſt *in bonis*, unde ceſſione omnium jurium non quidem continetur, *Bald.* in l. 6. C. de O. A. niſi adjectum; prout poſſumus *Cravetta* vol. 2. conc. 227. eſt item *in commercio* tanti ſcilicet, quanti illud incertum venire poteſt, l. 55. l. 73. §. 1. ad L. Falc. Quæ eſſet velut aleæ emtio, l. 8. §. 1. contr. emt. quamvis Terentianus ille neget, ſe ſpem pretio emere. Quod benè in hunc locum quadrat, nam jus Cle *Spes* dici ſolet, §. 4. I. de V. O. l. 54. V. S. Poteſt quis ex eo dici creditor, ſi quidem jus Cle ex actu inter vivos ortum eſt, l. 42. O. & A. l. 54. V. O. donari poteſt, l. 3. C. de donat. cedi, Nobiliſſ. *Dn. Schacher.* de ceſſ. act. diſſ. 7. th. 28. ſatiſdationem per pignora & fidejuſſores recipit, l. 28. pign. l. 1. §. 11. fin. l. 5. §. 2. ut legat. cauſ. cav. l. 16. §. 5. l. 29. fidejuſſ. acceptum ferri poteſt, l. 16. ſolut. l. 12. 21. acceptil. l. 77. R. J. poteſt quis ex eo mitti in poſſeſſionem, l. 6. l. 11. quib. ex c. in poſſeſſ. obſtat l. 14. §. 2. eod. Reſpondemus illic Crium mitti in poſſeſſionem, ſed ex primo decreto, hic excludi ſed ex ſecundo. Idque vel ratio declarat in l. 14. §. 2. adjecta, quia is demum in poſſeſſionem mitti poſſit, qui queat bona, ex edicto vendere, quod

quod solùm immisso ex secundo decreto competit. Institutus quoque pendente Cne, habere bonorum possessionem, secundum tabulas potest, l. 2. §. 1. l. 5. 6. bon. poss. sec. tab. jus tamen Cle nec novat, nisi eventualiter l. 14. pr. l. 31. de novat. nec novari potest, l. 8. §. 1. l. 14. §. 1. eod. Denique quæstio est, an jus Cle actionem producat, sed quæ exceptione tantùm elidatur. Hoc non videtur, Prætor enim non concedebat actionem, si ex ipso partium fundamento appareret dari non oportere. Idque expressè dicitur in l. 7. §. 14. quib. ex c. in poss. eat. bona debitoris sub Cne latentis vendi non oportere, quia nondum conveniri possit, add. l. 213. V. S. ubi dicitur pendente Cne, neque cessisse neque venisse diem.

(67) *Jus Conditionale æstimationem recipit ex Conditionato, probabilitate existentiæ Conditionis, & denique ex se ipso.*

De Juris Clis æstimatione vix quicquam à quoquam dictum est, nobis tamen visa, res non in digna contemplatione. Etsi enim jus Cle sit illiquidum, & proinde puro incompensabile, arg. l. 7. compens. Cle tamen Cli compensabile est, si eadem vel commensurabilis utriusque Co sit. Commensurabiles autem Cnes appello, quæ ambæ re fungibili danda instant, v. g. *Titius Cajo* si 100. accepisset, 1000. debet contra *Cajus Titio* si 50. accepisset, 500. debet. Compensatione facta apparet *Titium Cajo* 450. debere. Quin & jus Cle pendente Cne æstimari potest, l. 14. §. 1. quib. ex c. in poss. l. 55. l. 73. §. 1. ad L. Falc. ut tanti scilicet sit, quanti venire potest. *d.* U. Et sanè in bonorum ratione ineunda, tum in judicio familiæ herciscundæ, tum in lege Falcidia, difficilis quæstio erat, quid agendum esset oblatis legatis debitisve Clibus. Et *Proculus* quidem censebat æstimari debere, quanti venire posset, l. 45. ad L. Falc. add. d. l. 73. §. 1. quæ hoc non improbat, sed Sabiniani tutiorem viam ingrediebantur, ut interim prorsus pro puro vel prorsus pro nullo haberetur, adhibitis cautionibus, quorum sententia recepta est, d. l. 45. ita ut nonnunquam pendeat interim L. Falcidiæ ratio l. 53. ad. L. F. Ex his in genere patet, utilitas æstimandi juris Clis. Nunc æstimandi fundamenta explicabimus, ea in theoremate posuimus tria: Ctum, spem Cnis ipsius juris Clis qualitatem. Et ipsius juris Clis qualitas est, ut aliud sit quæsitum, aliud Revocabile, v. supr. *def.* 77. deinde aliud Retrotrahibile, aliud diem habens, *def.* 78. 79. denique aliud transmissibile, aliud personale, sup. *def.* 60. jus autem Cle ex U. V. est revocabile, contra ex conventione quæsitum, d. *def.* 77. item illud transmissibile hoc non, *th.* 50. denique illud retrotrahibile hoc diem habens infra, *th.* 68. Quare cùm jus Quæsitum, Transmissibile, Retrotrahibile pinguius sit opposito, (retrotrahibile tanto quanti est inter usurium medii temporis,

l. 66. ad L. F. manifestum est jus Cle ex conventione, jure ex U. V. descendente pinguius esse, etsi enim leges faveant U. Vtibus *th.* 20. tamen in interpretandis tantùm verbis testatoris, non in effectu juris per se tribuendo. Alterum fundamentum æstimandi juris Clis est Ctum, hic regula cæteris paribus majoris est jus Cle, quando Ctum est majoris, v. g. sint duæ dispositiones, si navis ex Asia venerit, *Sejo* 100. *Cajo* 200. do lego, manifestum est, Legi jus majoris esse, etsi fieri possit, ut Cnis diversitas minus Ctum majoris pretii efficiat, v. g. sunt duo legata: *Titio* si in Capitolium ascenderit 100. do lego. *Cajo* si patruelis meus à Tripolitanis captus redierit, 200. do lego. Ajo in hac specie majoris *Titii*, quàm *Caji* legatum esse. Quare unde ad æstimationem ipsius *Sei* Cnis, quæ est tertium, sed principale fundamentum veniamus. Quæ tota pendet à doctrina Logica de gradibus probabilitatis, sed à nullo, quod sciam Logico accuratè tractata est, cùm tamen magni sit usus in praxi, non solùm hic, sed & quando præsumtiones conferendæ sunt, esto igitur regula generalis: *Quanto major probabilitas est existentiæ Cnis, tanto majoris jus Cle.* Ex hac patet statim majoris esse Cnem potestativam casuali, quia ejus existentiæ dummodo velis certa spes est. Ejusque jus Cle jam à gravitate vel levitate ipsius deducti in potestativam Cnem æstimandum. Deinde ex hoc patet: quo magis impedire potest, is cui damnosa, & quo magis provehet, is cui utilis Co est, hoc illic minoris hic majoris esse Cnem. Ex hoc patet: Cnem collatam in debiturum esse minoris in casum esse mediam, (Dei enim non interest,) in Crium esse majoris. Denique quo major est latitudo Cnis, seu quo pluribus modis existere potest, hoc est majoris, contra quo major est longitudo Cnis, sed quo plura ad eam implendam requiruntur (transimus enim longitudinem viæ totam, de latitudine quicquid volumus,) hoc est minoris. Illa quantitas dicitur extensiva, hæc intensiva, ex hoc fundamento majoris est jus Cle disjunctivum, minoris conjunctivum. Pluris etiam est cæteris paribus negativa, quàm affirmativa, quia affirmativa tantùm non momento existere potest, negativa pene infinitis.

(68) *Existente Conditione jus Conditionale retrotrahitur ad tempus Dispositionis, mero jure.*

Esto enim Dispositio Clis qualiscunque: si navis ex Asia veniet, *Titius* 100. habeto. Cùm hæc dispositio nihil aliud contineat, quàm quod verum debeat esse Ctum, sine ulla adjecta dilatione, si vera sit Co, seu navem venturam, manifestum est, si jam tum certi esse possemus, de adventu navis non expectandum illud tempus esse dicit, si navis veniet, habeto. Dicat propheta, (ita fingamus doctrinæ causa,) in Republica probatus: navis veniet, sequitur conclusio. Ergo habeto, Quidni igitur

peti

peti possit, quia dilationem verba non continent? cùm verò tales Prophetæ non dentur, saltem ex post facto retrotrahi debere jus Cle apparet. Nam aliud est mora seu dies, aliud Co, l. 6. §. 1. qu. d. l. c. & aliud est diem cedere, aliud venire, l. 213. V. S. Rectè igitur in conventionibus tempus contractus, non existentis Cnis spectatur, l. 144. R. J. & propterea si servus vel filius familias dum in potestate est sub Cne stipuletur, manumissoque illo existat Co, res patri vel Domino acquisita est, quod in relictis per ultimam volunt, contra est, quæ manumisso debentur, l. 78. V. O. l. 18. R. J. ob eandem causam existente Cne fructus medii temporis Crio debentur, ut in addictione in diem, si quis meliorem Cnem offert, prior emtor etiam fructus restituere tenetur, *l. 6. de in d. addict. l. 2. §. 4. pro emt.* Et si quis sub Cne credat, mox alius purè, debitor fiat inops existente post creditum alterius prioris Cne, nihilominus qui sub Cne credidit prior, & per consequens, potior esse intelligitur, quia ipsum tempus contractus spectatur, l. 11. §. 1. qui pot. in pign. Excipiunt hic eum casum, si Co fuerit in potestate debitoris, l. 9. §. 1. eod. add. *Dan. Moller.* Com. in const. elect. p. 1. const. 28. n. 72. quæ sententia habet rationem. Nam si in debituri potestate est, nondum Crio seu creditori jus quæsitum est. Quæritur igitur demum existentia Cnis, quare retrotrahi non potest. Emtione quoque sub Cne contracta, existente Cne periculum medii temporis emtoris est, quasi perfecta ab initio sit emtio, quam ex post facto validam constitit, l. 8. pr. peric. conc. rei vend. *add. sup. th.* 57. Et, si cui sub Cne debenti interim acceptum feratur, existente Cne intelligitur jam olim liberatus, l. 16. Solut. & liber. Porrò ex hoc sequitur, ut de contractu Cli solvenda sit Gabella illi Gabellario vel publicano, qui fuit, tempore contractus: non qui existentis Cnis, *Bertachin.* tract. de Gabell. part. 5. n. 1. ita de sponsalibus quærunt, an si Co certa sit, differatur tamen matrimonium donec existat: quod aff. *Joh. Brunell.* tr. de Sponsal. concl. 36. n. 2. Rectius negant *Thomas* & *Bonaventura* in Magistr. IV. sent. dist. 20. & meritò: sponsalia enim contractibus similia deinde judicandum pro matrimonio, & quid opus dilatione scandali, dissensionumque materiam præbente in re certa? ut taceam retrotractionem hanc vero jure obtinere, ergo pro ea pronunciandum donec jure civili contrarium introductum probetur. Hoc tamen juris civilis autoribus placuit, ut, si dies Cni adjecta sit, eadem Cto inesse intelligatur, ut certa licet existente Cne, dies tamen expectanda sit, v. g. si Calendis *Stichum* non dederis, 10. dare spondes. *Stichus* ante Calendas moritur & extitit Co, calendis enim dari non potest. Dies tamen expectandus est, l. 10. §. 2. si quis caution. in judic. l. 4. §. 1. C. D. l. 4. §. 2. St. L. l. 8. V. O. dicta Legi 8. V. O. obstare Dd. arbitrantur, l. 10. V. O. & multa ἄλογα comminiscuntur. Nam diversitatem inter casus reperire artis non est artis est ostendere, cur illius demum circumstantiæ

diversitas jus diversum reddat. At *Cujac.* p. 2. obs. 9. plane sumsit, quod in quæstione erat, ait enim in l. 10. diem Cni non solutione (id est nostro stylo Cto) adjectam esse, cùm idem in omnibus dici possit, & hoc ipsum potius JCti velint diem ex Cne in Ctum derivari. Mihi verò videtur nullam pugnam esse. Nam in l. 10. dicitur anteà peti non posse, quàm certum sit *Titium* venire non posse, nullibi verò subjicitur, sed si certum id sit tum statim peti posse, nondum expectatis Calendis Majis, hoc solum Dd. argumento à contrario sensu inde eliciunt, quod quoties Antinomias causaret, nullius momenti est, autoritas enim indirecta, directæ cedito, magis obstat, *l. 3. §. 14. St. L.* sed ibi favor libertatis juris placita vicit, quanquam cum l. 4. §. 2. eod. satis conciliare non possum. Prætereundum hic non est, quoddam genus promittendi vel stipulandi præposterum, olim invalidum, constitutione *Leonis* in dotalibus, *Justiniani* in omnibus admissum, quo dies Cti prior est die Cnis, v. g. si navis intra biennium non venerit hodiè 10. dare spondes, §. 13. 14. I. inut. stip. l. 40. R. C. l. 64. 126. V. O. l. 25. C. de Testam. Hactenus de Actibus inter vivos. Quod ad ultimas Voluntates attinet sciendum est hæreditatem, Clem existente Cne retrotrahi, non solùm communi illo mero jure, sed ne interim nullius fuisse videatur, l. 54. acq. hær. l. 28. §. ult. stip. serv. l. 138. 193. R. J. Sed Legatum Cle, ut aliis multis malis debile est, nam nec transmittitur, *v. sup. th.* 50. ita nec retrotrahitur. Unde si filio familias vel servo Cliter legetur, & Co existat cum potestate exierunt Legatum ipsis non patri, aut domino debebitur, quia legata Clis non transmittuntur, quàm ipsam rationem assignat, l. 18. R. J. add. l. 5. C. de cond. insert. Hæc confirmant crebræ illæ legum voces, quid legatum pendente Cne, sit hæredis, *v. sup. th.* 47. Imò etsi legatum in effectu purum sit, v. g. sive illud factum erit, sive non erit, nihilominus dies legato inesse videbitur, ut alteruter eventus expectetur, & si interim moriatur legatarius, non transmittet, tanquam posset in diem incertam quando dilatum, l. 13. qu. d. l. ced. sed mihi hoc admodum durum & præter rationem videtur. Quid verò circa institutiones in hoc casu dicendum, alii viderint. Videntur, ut diximus retrotrahi, atque ita hæreditas Patri vel domino debebitur elegans hic oritur quæstio, cùm legatum Cle non retrotrahatur, an tamen hypotheca in ejus securitatem constituta, pendente Cne, cùm extitit retrotrahatur, ut intermedio legatario prior potiorque sit. Ita ait l. 9. §. 28. qui pot. in pign. Etsi in simili legati & conventionis mixtura infirmitas legati prævaleat, ut quando quis stipulatur legatum Cle, pendente Cne moriens non transmittat ad hæredes, l. 1. §. 14. ut leg. caus. cav. sed hoc mihi suspectum admodum visum est. Legato tum in aliis, tum in hoc similis tutela Clis, ut existente Cne non retrotrahatur, l. 45. §. 1. excuss. tut. Actus quoque eventualis non retrotrahitur, unde pendente

litis


litis contestatione eventuali licet libellum mutare, *Moller*. part. 1. const. 3. fol. 11. Cæterum in genere egit de retrotractione *Joh. Baptista Costa* tr. pecul. Si verò Co defecit, dispositio ab initio nulla intelligitur, l. 8. pr. peric. &c. V. V. unde modum quoque retrotrahi necesse est, nam deficere Cnem, & modum existere, item est *sup. def.* 21. 22. 23. 24. unde si fundus lege commissoria venierit, fructus elapso die venditori etiam debentur, l. 4. §. 1. de lege commiss. add. l. 79. §. 2. C. D. aliud tamen in addictione in diem, ubi si pura venditio est, sub Cne resolvenda fructus emtor lucratur, sin Clis minimè sed tum nec periculum ejus est.

(69) *Si Conditio defecit, dispositio vitiatur.*

Dispositio *vitiari* dicitur, cùm nulla fit, l. 1. C. I. l. 77. R. J. Co vitiari dicitur similiter cùm ipsa sit nulla, quo casu dispositio non vitiatur, sed pura fit, etsi impropriè loquatur, l. 8. C. I. quæ id quod sub Cne relictum est, reprobari dicit, cùm reprobetur tantùm Co. Vitiat verò Co, (nam & vitiare aliquid dicitur, l. 20. de Usur.) quando ipsa firmitate in casu pugnæ Ctum tollit, ut contingit in Cnibus impossibilibus, *th.* 63. vel quando malitate suâ id secum abripit; quod faciunt captatoriæ, *sup. th.* 38. Si igitur Co defecit, dispositio vitiatur aut eliditur, (l. 27. §. 2. de Pact.) aut perimitur (l. 43. §. 3. O. & A.) aut infirmatur (etsi ab initio quoque invalidum infirmari dicatur, in l. 8. C. I.) Quia enim si Co est impossibilis dispositio est nulla, sup. *th.* 63. Et si pendet, dispositio est in suspenso, *th.* 6. Si igitur fiet impossibilis seu deficiet, *per def.* 51. etiam dispositio fiet nulla seu vitiabitur, §. 2. I. quib. m. test. infirm. l. 8. V. P. S. l. 87. H. I. l. 2. pr. l. ult. C. I. l. 33. §. 3. C. D. l. 1. 2. C. de inst. & subst. l. 3. C. concl. insert. l. un. §. 2. 7. C. caduc. toll. Vitiatur item dispositio Cto vitiato, quia Ctum est principale non accessorium, & tota dispositio ad Ctum refertur, add. sup. *th.* 17. *fin.* Vitiatur autem Ctum tam cùm necessarium, quàm cùm impossibile est, v. g. si illic *Titio* liberum aëris haustum, hic si insulas circumpolares legem. Sed hoc quia non ex Cnum doctrina, sed natura negotiorum in genere proficiscitur, non est, cur explicemus peculiari theoremate. Unum annotamus: casus quando Ctum impossibile vel necessarium est, non in se, sed ut conjunctum cum Cne, explicatos esse in *diss. de cas. perplex.* §. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Infirmata verò dispositione Ctum venit ad substitutum, l. 27. 33. H. I. l. 26. §. 1. l. 30. 54. §. 1. C. D. l. 2. C. de inst. & subst. Re conjuncti habent solidum, l. 59. §. 6. H. I. & quod implendæ Cnis causa datum est, confici potest, l. 67. cond. indeb. t. t. C. caus. dat.

(70) *Si Conditio existit, dispositio purificatur.*

Nam si Co est necessaria, dispositio est pura, *per th.* 64. Quare si Co fit necessaria, id est existit per *def.* 50. Dispositio fit pura seu purificatur Q. C. D. Textus in hanc rem facientes præoccupavimus supr. *th.* 1. Nam theorema primum & ultimum sibi invicem respondent, ut melodia hæc eâdem soni elevatione incipiat finiatque. Porrò existentiæ Cnis æquiparatur ipsius vitiatio, nam dum pro non adjecta habetur dispositio, similiter fit pura. Exempla vide *sup. th.* 38. ita ut neque implentis melior Co sit, quàm ejus, qui implesse fingitur, seu cui Co habetur pro non adjecta, l. 74. C. D. neque contra melior sit Co ficti quàm veri implentis, l. 4. §. 2. l. 18. St. L. vid. quæ contra communem sententiam de sensu L. 74. disputavimus *th.* 26. Huc pertinet, quod copula sponsalia purificat, perinde ac si Co impleta fuisset c. 30. de sponsal. præsumuntur enim velut novatione factâ Cne discessisse, quæ præsumtio est juris, & de jure, & ideò probationem in contrarium non admittit. Purificata jam dispositione relictum transmittitur, l. 28. C. I. l. 13. qu. d. l. c. & legatarius est dominus rei legatæ ipso jure l. 80. L. 2. potest vindicare, l. 81. §. 5. 6. L. 1. l. 3. §. 3. C. com. de Legat. unde traditio alteri interim ab hærede facta nulla est, & ita nullum tribuit jus reale, quod omne recidit in legatarium, l. 15. reb. dub. Existentia quoque Cnis facit diem relicti cedere, l. 8. §. 8. l. 28. C. I. l. 5. §. 2. qu. d. l. ced. l. un. §. 7. C. de Cod. toll. Statu liber ipso jure fit liber, arg. l. 3. l. 9. de serv. expert. denique qui quid sub Cne debet, existente ea, siquidem id novit statim sine interpellatione creditoris in mora constituitur, tanquam dies interpellet pro homine. Hoc constitutum arbitror, quia satis diuturna dilatio ei concessa erat, ut æquum nunc sit ipsum se admonere. Hoc Dd. colligunt ex l. 18. de Usur. & l. 12. C. contr. stip.



NOVA



NOVA METHODUS DISCENDÆ DOCENDÆQUE JURISPRUDENTIÆ,

Ex Artis Didacticæ Principiis in parte generali præmissis; experientiæque luce.

CUM PRÆFATIONE

CHRISTIANI L. B. DE WOLF

Dynastæ in Klein-Doehzig, Universitatis Halensis Cancellarii.

Juxta Exemplar Lipsiæ & Halæ anno 1748. editum.

PRÆFATIO

CHRISTIANI L. B. DE WOLF.



ANTA sunt LEIBNITII in rem litterariam universam merita, ut non modò totius Germaniæ, verùm etiam orbis eruditi universi lumen & ornamentum magno suo merito celebretur. Vastam eruditionem & scientiam cum virtute, sine qua gloria vera, gravi & solida nemo excellere potest, arctissimo vinculo copulans æternam gloriam consecutus, ut qui nefando ausu eam imminuendo ventosam gloriam quærit nullam nanciscatur. Adolescens studio Juris potissimum se consecraverat, sed more minimè vulgari se eidem dedit, cùm non modò scripta Clarissimorum JCtorum, verùm etiam Autorum quorumcunque Græcorum & Romanorum, Philoso-

losophorum & Mathematicorum tam veterum, quàm recentiorum, ipsorum etiam Theologorum, omni assiduitate & diligentia perlegeret atque omnia perscrutaretur, ita ut vix juvenis factus eruditione altissima & scientia inter viros doctissimos emineret. Non opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt. Etenim vix annum ætatis vigesimum primum compleverat, cùm in lucem publicam proferret libellum mole exiguum, sed doctrina subtiliore ac uberrima gravem de nova methodo discendæ docendæque Jurisprudentiæ, quam in itinere omni librorum apparatu destitutus ita conscripserat, ut in bibliotheca instructissima confectus videatur & acre ac subtile autoris acumen spiret. Diu libellus hic desideratus & a multis frustra quæsitus fuit. Merebatur itaque, ut denuo recuderetur. Sunt tamen nonnulla, quæ moneri consultum duco. Scripsit, quemadmodum dixi, hoc opusculum LEIBNITIUS, vix juvenis factus. Quoniam verò per omnem ætatem, quamdiu vixit, in omni studiorum genere indefessus hæsit, & veritatis amore nihil unquam antiquius habuit atque carius; mirum sanè videri minimè debet, quod in nonnullis, quæ juvenis olim statuerat, postquam ea severiori examini subjecerat, sententiam suam mutaverit. Ita e. g. in Theoria motus concreti, quàm sibi juveni excidisse ipse confessus est in Actis Eruditorum, quæ Lipsiæ eduntur, admittit vacuum & materiæ non tribuit nisi simplicem extensionem ad motum atque quietem prorsus indifferentem, nec alia agnoscit corporum elementa, quam particulas mole ac figura differentes: quæ tunc temporis communis erat Philosophorum sententia, antesignanis eorum *Cartesio* atque *Gassendo* approbata. Enimvero ubi judicio magis limato & polito perpenderat inextricabiles difficultates, quæ hypothesis ista affert, & quam ea abhorreat ab omni ratione evidenter perspexerat, missam eandem fecit, cumque omni animi contentione in naturam corporum inquireret, ea sine vi activa concipi non posse, nec sine vi, qua omni mutationi resistunt, quæ aliunde venit, didicit, tandemque agnovit, phænomena ista intelligibili modo explicari minimè posse, nisi admittantur substantiæ simplices, quas monades appellavit. In eo autem sibi adeo satisfecit, ut mihi dixerit, se suum de monadibus systema eodem rigore demonstraturum, quo *Euclides* ac veteres Geometræ theoremata sua demonstrarunt, si animum huc appellere per alia vacaret, nec se propterea a multis jam annis amplius legere quicquam, quod de principiis rerum materialium in lucem ab aliis editur. Videant ergo, quo jure LEIBNITIUM præcipitantiæ cujusdam in judicando & nescio cujus defectus acuminis accusent, qui in iis, quæ nondum satis explorata olim juveni placuerant, sibi reperisse videntur non quod pueri in faba & iis audacter tanquam ipsi ignorata objiciunt, quæ solidiore discussione facta animum sciendi cupidum exsatiaverunt. Quodsi cui gloriosum videatur perspicacia æquiparari LEIBNITIO juveni, annon is

famæ

famæ ſuæ meliùs conſuleret, ſi acumini ſuo diffidens hebetudinem ingenii ſui agnoſcere mallet, quod ea perſpicere nondum poſſet, quæ LEIBNITIO viro innotuerunt, poſtquam omnes ingenii ſui nervos in ea exploranda intenderat, publicè tamen magis indicavit, quàm ſufficienter explicavit, ut, quemadmodum dicere ſolebat, fungeretur vice cotis? Sanè ſi LEIBNITIO juveni hæc excidiſſent, dum nimia ac multivaria lectione obrutus omnia concoquere non poterat; excuſatior erat faſtus, quo quis eodem acutior videri affectat. Verum enimvero non opus eſt, ut exempla e longinquo petamus, quibus probetur LEIBNITIUM maturiori ætate in nonnullis mutaſſe ſententiam ſuam, & a vulgaribus opinionibus, quas juvenis amplexus fuerat, diſceſſiſſe. Occurrunt talia quoque in præſenti libello. Certè quæ de infuſione diabolica *part. I. §. 9.* tradit, ea cum ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ, quod poſtea demum invenit, minime conſentiunt, conſequenter dubitandum non eſt, eum in ætate provecta infuſionem diabolicam in mancipia ſua tanquam opinionem nullo fundamento nixam rejeciſſe. Huc etiam pertinet, quod §. 35. animum noſtrum cauſam motus corporis pronunciet, ut ideo juvenis falſo ſibi perſuaſerit, ſe in Pneumatica & Philoſophia practica propriis meditationibus ad certitudinem mathematicam perveniſſe: neque enim illo tempore eos adhuc fecerat in Matheſi progreſſus, quos poſtea demum fecit, ubi Pariſiis degebat & conſilio *Hugenii*, Mathematici conſummatiſſimi, uſus in ima adyta ſcientiæ penetrabat. Quamobrem quoque nullus dubito, LEIBNITIUM ætate maturiori minimè probaſſe rationem, quam reddit *part.* 2. §. 19. cur & quatenus teſtamenta ſint juris naturalis, quippe quæ magis ingenioſa, quàm ſolida eſt. Hæc ideo moneri non abs re eſſe duxi, ne quis LEIBNITIUM ſibi adverſarium conſtituat in iis, quæ ipſe tanquam a veritate aliena, mutata ſententia rejecit, & ne quis contradictiones fingat, aut inſcitiam accuſet in illis, quæ accuratiori examine facto ad errores vulgares retulit. Alterum, quod bene notandum, hoc eſt. In præſenti opuſculo LEIBNITIUS multa promittit ab aliis neglecta, quæ dare voluit. Exempli loco eſto Theatrum legale & Hiſtoria Juris Romani ſpecialior, ſeu liber de Autoribus Juris Romani, de quibus vide §. 28. *part.* 2. Inprimis huc facit Catalogus deſideratorum in Jure libello huic in fine adjectus, & ex eodem excerptus, quem proximè minuere pollicitabatur. In nullo tamen ſtetit promiſſis, etſi vitam ſatis longam in ſolo otio literario conſeciſſe videatur. Cùm enim hæc ſcriberet, ad Profeſſionem quandam Juris in aliqua Academia adſpirabat. Quodſi votis, quæ tunc ipſius erant, reſpondiſſet eventus, nullus amplius foret Catalogus deſideratorum & alia opera egregia proſtarent, quibus Juriſprudentia fuiſſet ad id perfectionis faſtigium evecta, a quo adhuc tam procul abeſt, quàm illo tempore, quo Catalogus deſideratorum condebatur. Quoniam verò longè alia

 fuerunt

fuerunt LEIBNITII fata, quàm prævidere potuerat; cùm unus homo omnibus non sufficiat, deficiente tempore, si vel maximè non deficiant vires, a Jurisprudentia ad alia prorsus studia avocatus, de iis, quæ ad Jurisprudentiam perficiendam tendunt, cogitare haud quaquam potuit. Non est quod objicias, LEIBNITIUM quoque maturiori ætate multa promisisse, quorum nihil perfecit, veluti Scientiam dynamicam, Scientiam infiniti, Geometriam situs, commercium epistolicum, commercio epistolico Anglorum opponendum, aliaque non minoris ponderis ac utilitatis. Cùm enim nihil magis curæ haberet quàm scientiarum incrementa, & eà promovendi cupidine inexsatiabili flagraret; si qua occasione ferente ipsi incidebat cogitatio de iis, quibus perficiendis vires suas pares noverat, ea quoque perficere sibi proposuit. Ast quoniam tempus non est res venalis, quod volunt vota, tollunt fata, nec homo sese obligare potest ad id, quod hæc reddunt impossibile. Ceterum etsi præsens libellus a LEIBNITIO juvene fuerit conscriptus, & quamvis ipse in nonnullis, quæ rem ipsam non contingunt, mutaverit postea sententiam suam; hoc tamen non obstante in illo reperient etiam seniores JCti, quibus eorum conatus in perficienda Jurisprudentia juvari poterunt, & ipsum hoc opusculum monumentum excelsi ingenii est, quo inter primi ordinis eruditos eminet LEIBNITIUS. Faxit Deus, ut publica utilitas, quam se quæsivisse in fine profitetur Autor, promoveatur! *Halæ*, *d.* 24. *Aprilis*, *Ao.* 1748.



REVE-

REVERENDISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
DOMINO
JOHANNI PHILIPPO,
SACRÆ SEDIS MOGUNTINÆ
ARCHI-EPISCOPO,
SACRI ROMANI IMPERII PER GERMANIAM
ARCHI-CANCELLARIO ET PRINCIPI ELECTORI,
EPISCOPO HERBIPOLENSI ET WORMATIENSI,
FRANCIÆ ORIENTALIS DUCI,
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO
G. G. LEIBNITIUS.

MEditantem me, REVERENDISSIME DOMINE, quem opellæ, non invidendæ quidem, invidiosæ tamen (sic enim nova omnia excipiuntur) Patronum quærerem; Tui non locus magis, quàm res ipsa admonuit. Ad TE ire decet quicquid per Germaniam bono publico destinatur: Hic TIBI consiliorum finis, huc omnes machinas per tot annorum spatia direxisti. A quo TE tramite neque novitatis illecebræ deducunt, neque vetustatis sacer horror absterret. Debet TIBI Germania Pacem inter primos; debebit Ecclesia prope inter nullos, si consiliis cœlum

accesserit. Majus profecto opus est pennas, quàm arma pacare: pennas, inquam, illas, quæ pro atramento nobis sanguinem fuderunt, sed nihil impossibile est conspirantibus Principum animis; indigent tamen Duce quodam & velut Instigatore. Cumque TE primo in loco Virtus, inprimis verò fortuna, id est, Providentia, collocaverit; perge uti sapientia tua viribusque in hoc negotium divinitus destinatis. Favet cœlum, optimi quique utrinque applaudunt, reliquorum pertinacia bonis pro incitamento est. Viam verò stravere viri incomparabiles, moderatisque consiliis tumores dissentientium complavarunt.

O mihi tam longè maneat pars ultima vitæ!

donec videre liceat coëuntia Germaniæ ulcera, Principumque concordiam inter mutuos amplexus exultantem. Tum verò redibit honor templis, charitas animis, virtus genti, exteris terror, salus omnibus: Venerabitur canos tuos omnis posteritas, & *pulcherrimos* bonorum *fontes ex Familia tua*, futurorum seculorum Poëtæ canent. Et his quidem rebus, (ut Symbolo meo utar)

Fata viam invenient aderitque vocatus Iova.

Interea verò a minoribus TE non avertunt tantæ curæ; nec piget ad literarum humilia descendere hunc Imperii Solem. Neque enim ignoras quantum arbori in radice, quantum flumini in fonte, quantum Reipublicæ in Educatione situm sit. Nihil de Seminariis dicam,

dicam, quæ tua cura conſervata, propagata, partim & exſtructa ſunt; nihil de Templis per TE ſplendentibus; nihil de diſciplina Eccleſiaſtica per TE reſtaurata. Illud tacere non poſſum, quod hæc propiùs attinet, quantum in reparatione Univerſalis Studii Erphordienſis per TE laboritur. Juliæ per Germaniam duæ ſunt Academiæ: una Herbipolenſis, altera Helmſtadienſis, utraque a Fundatore: quis dubitet illam Philippinam dici debere, quæ jam altera vice per TE vivit? Nomen illi familiæ tuæ coævum: τῶν καλλιπηγῶν pro Hippocrene erit: nec jam amplius a rivulo ſuo ſe Geranam dicet, in quam aliud flumen ex *pulchro* hoc *fonte* derivatum eſt. Has igitur curas verſanti TIBI, meditationes haſce meas non intempeſtivas fore credidi, ſed argumento magis quàm elaboratione, quæ inter itineris incerta, & diverſoriorum ſtrepitum, & abſentiam librorum prope nulla eſſe potuit. Ego cùm non raro de anfractibus diſcendi docendique vulgaribus diſſeruiſſem, contenderunt a me ſæpe præclari quidam juvenes & ſupra vulgi genium erecti, ut hæc publicè proponerem. Sed eorum odia timui, qui quod vetuſtiſſimum, idem optimum eſſe putant, credo, quia in vino experiuntur. Nunc verò tanti Principis Nomen & illos placabit, & me teget: quæ ſola ſpes animum fecit prodeundi. De cæteris autem diſciplinis alii diſſerant, ego Juriſprudentiæ ſæpe indolui. Non quòd deſint viri ſummi, qui meliora & ſciant & faciant; ſed quia illi ſuffragiis vulgi obruuntur, nec quæ privatos inter parietes in paucis

discipulis moliuntur, introducere in publicum possunt. Nec spes superest, nisi velut ex machina appareant egregii Principes & vel malitiam, vel ignaviam vel invidiam denique obnitentium disturbent. Tu verò, bono publico nate Princeps, primam securim impegisti exscindendo publico malo. Det tantùm Deus egregiis consiliis spatium, & annorum tuorum auctaria precibus Germaniæ donet. Videbit orbis TE Imperii Archi-Cancellarium, Jure Proponendi Tuo optima quæque confecisse. Tum verò in tanta in laudum tuarum materia,

Non me carminibus vincet vel Thracius Orpheus,
Vel Linus; huic mater quamvis, atque huic Pater adsit:
Orphei Calliopeia, Lino formosus Apollo.

Interea, Reverendissime Domine, has a me primitias sereno vultu cape; voluimus prodesse publico, an possimus in favore tuo situm est, qui si aspiraverit licebit vel ingenii nostri promontoria superare. TE verò, DOMINE, servet Deus patriæ, familiæ, subditis, & si hoc quoque addere fas est, mihi. *Dabam Moguntiæ Anno MDCLXVII.*

G. G.

G. G. LEIBNITII

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

Nescio an præfationem tibi debeam, Benevole Lector, cùm tantilla Scheda Præfationis instar prope tota habere videatur. Sed tamen mos mori publico gerendus est. Ebodum inquies, cur ergo tu nova libro moliris, cùm nolis forma libri? Quia, inquam, hæc ad decus; argumentum scripti ad necessitatem pertinet. Sed sunt hodie nonnulli, qui caligant in tanta luce mundi, maluntque inventa fruge glandibus vesci; horum odia omnibus imminent qui meliora moliuntur. Ac jam olim Laurentium Vallam, *quod Dialecticam ac moralem Philosophiam reformasset, contra furorem Sophistarum vix potuit favor regius tutari, quemadmodum in Apologia ad Pontificem Maximum ipse narrat.* Petrum Ramum, *professorem Regium, qui* Aristotelem *examinare, quàm sequi maluerat, omnium tota Gallia Germaniaque Pædagogorum odia exercuerunt, donec in Parisiensibus illis nuptiis* Aristotelis *Manibus immolaretur. Quis* Galilæi, *quis* Th. Campanellæ *fata ignorat, quorum alteri exilio minati sunt, alterum lento carcere invidi presserunt.* Nicodemus Frischlinus *a Collegis suis ad mortem usque passus est persecutionem, & tamen de Grammaticis tantùm quæstionibus certabatur. Nec minùs* Gaspar Scioppius *novis suæ* Grammaticæ Philosophicæ *regulis, ad compendium tamen discendi mirè accommodatis, odium omnium per Italiam pueritiæ ductorum in se concitavit. Nihil de* Renato Cartesio *Philosophiæ, nihil de* Guilielmo Harveo *Medicinæ reformatore dicam, quorum nullus invidiam æqualium, nullus odia vulgi effugit, donec emicuit veritas, & in ipsis sæpe calumniatorum animis triumphavit. Nos nihil ad tanta nomina, si proprias tantum meditationes, non magnorum Virorum reperta proferremus, quorum nullus est, qui non meliorem docendi rationem desideret, quam & nonnulli in liberorum suorum ingeniis experti sunt. Reperias enim hoc tempore puellos plurimos, doctissimorum plerumque filios, ad miraculum usque in prima ætate eruditos, non tam ingenii magnitudine, quàm arte institutionis. Judicium enim, etsi ante annos non veniat, potest tamen & in pueritia interrogando excitari; hoc enim voluit* Platonis *reminiscentia, exhibitumque specimen in* Menone, *ubi puerum* Socrates *a primis sensuque manifestis, nihil docens, interrogando tantùm ad ea deducit quæ vel subtilissimo cuique negotium facessant;*

ſant: incommenſurabilitatem ſcilicet diagonii & lateris in quadrato. Hæc non deſunt qui fateantur, ſed ſingulares quaſdam in contrarium rationes habent, ſcilicet doctos eſſe jam tum nimis multos; & præmaturam inſtitutionem obtrudere juvenes officiis, autoritate experientiaque carentes; ſurrecturam ſciolorum ſegetem, cavillatorumque rudioris ſenectutis; ſecutura præcipitia conſilia, & quæcunque ſunt mala Juvenum Senatorum: Sed hi conſilia noſtra aliorſum accipiunt, neque enim id agimus ut citò juvenes ad munera publica veniant, ſed ut digni. Quia enim vita brevis, ars longa eſt, non poteſt nimis inſtitutio accelerari. Erit hoc manifeſtius, ſi de tota ſtudiorum ratione, (etſi JCtum inprimis formandum ſuſceperimus) in limine ad majorem ſequentium lucem differemus. Nam & Hugo Grotius *in egregia de Studio Politico ad* Benjaminem Auberium *Legatum Regium Epiſtola, &* Chriſtophorus Colerus *in alia ejuſdem argumenti; &* Gisbertus Voëtius Meyerus*que Bremenſis in Bibliothecis Theologicis, ac* Michael Havemannus *in Amuſio; tum etiam* Henricus Moreelſe *in diſſertationibus de Studio Juris: a tota ſtudiorum ratione rem repetiere, perque omnes ſe diſciplinas diffudere: quarum in Corpore Juris veſtigia reperiri demonſtratum a nobis eſt* in Specimine Quæſtionum Philoſophicarum ex Jure collectarum. *Sicubi labimur, Benevole Lector, cogita quam ſæpe utilia ſuadeamus, & compenſatione facta errorum obliviſcere. Denique ſic habe, nos quæ facienda diſcendaque dicemus, minimè gentium omnia ipſos feciſſe vel didiciſſe; abſit hæc a nobis jactantia, quia olim hæc a nobis rerum cognitio abſuit; ſed nos crede fungi vice cotis acutum reddere quæ ferrum ſolet, exſors ipſa ſecandi. Ita vale, & noſtra ſive placent, ſequere; ſive diſplicent, perfice.*



PARS I.

METHODI NOVÆ DISCENDÆ DOCENDÆQUE JURISPRUDENTIÆ (a)

PARS I.

Generalis, cæterisque Facultatibus communis;

De ratione Studiorum in universum.

§. 1.

STudiorum *ratio* est species quædam *Rationis Status*, id est, modus perveniendi ad statum actionum perfectarum.

§. 2. Status autem iste dicitur *Habitus*, quem definio: Agendi promtitudinem acquisitam permanentem.

§. 3. *Subjectum.* Habitus est, quicquid actionis capax est. Nam & *inanimata* certis actionibus assuefieri posse, constat: Ita Chymici multis circulationibus spiritum vini volatilissimum reddunt, & multis distillationibus ac cohobationibus cum menstruo, ipsa metalla supra alembicum itura communi consensu docent. Laminas etiam multis flexionibus habitum certo modo resiliendi acquirere, docuit in Elementis de corpore *Th. Hobbes.*

§. 4. *Bruta* docilia esse, dubitare non potest, qui vel *Hier. Rorarii* libellum, quod bruta ratione utantur melius homine, vel *Pliniana* elephantis funambuli miracula, vel elephantis canisque Panegyricos in *Lipsii* Epistolis legit. Quæ omnia credibilia fecit Viennense nuperum choreas ducentium equorum specimen.

§. 5. Cumque infantes extrinseco rationis usu primis annis a brutis parum differant, informatores eorum a brutorum doctoribus nonnulla non incommodè mutuabuntur. Habent enim peculiaria sua artificia magistri equorum, canum, avium; in loquendo, canendo, venando.

§. 6. Generale autem instrumentum est, escæ, cùm parent, copia; cùm abnuunt, denegatio.

Quis expedivit Psittaco suum χαῖρε?
Corvos quis olim concavum salutare,

(a) Vide Epistolas mutuas *Bierlingii* & *Leibnitii* in Tom. V.

Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingenique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.

Ita Balearica gens narratur non prius cibum pueris præbuisse, quam propositum scopum tetigissent. Et

pueris dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.

Ab hoc more restat in nonnullis scholis convictum habentibus, pœna jejunii, *das cariren.*

§. 7. Licebit hoc artificio ad infantes uti, non verò in liberalia ingenia jam ratione utentia, quibus pro pabulo corporis objiciendum pabulum animi, id est, honor. Unde ortus est classium locationumque in scholis trivialibus, & promotionum in Academiis mos. Et olim qui egregiè steterant, a cæterorum puerorum corona cum laude domum deducebantur, quod exemplo *Ciceronis* constat.

§. 8. Tantum de subjecto habitus *causa* vel modus acquirendi est vel supernaturalis *infusio*; vel naturalis *assuefactio*, quæ in sentientibus, qua talia sunt, dicitur *doctrina*.

§. 9. *Infusio* est vel divina, vel diabolica. *Divinæ* exempla habemus in dono linguarum Apostolico, etsi quidam ultra illam Ecstasin durasse non putent, quo sensu non esset habitus, quia non permanens. In Historia Ecclesiastica simile habemus exemplum de *S. Ephræm Syro*, qui precibus *Basilii Magni* subitam linguæ Græcæ cognitionem obtinuit. Nostris temporibus infusionis *diabolicæ* in mancipià sua, exempla non desunt. Nec hodie omnis infusio divina abesse putanda est, hoc enim fine Divinam studiis nostris benedictionem imploramus.

§. 10. Ab infusione properamus ad *assuefactionem*, quæ fit per actionis imprimentis quantitatem. Quantitas autem est vel extensiva, vel intensiva: Extensiva consistit in *actionum multitudine*; Intensiva in *magnitudine*, seu ad habitum imprimendum fortitudine. Prius requisitum etiam vulgo notum est, cùm dicunt: Habitum comparari crebris actionibus; de posteriori silent.

§. 11. *Multitudinis* seu crebritatis in agendo, efficacia confirmatur vulgari illo:

Adde parvum parvo, magnum cumulabis acervum.

Et *Ovidius* canit:

Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu,
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

Quo pertinet *Æsopi* testudo, aquila celerior, & germanorum proverbium: *Wer langsam geht, komt auch nach.* Hinc fluxit illud generis humani

mani artificium, rem, si tota oppugnetur, insuperabilem, per partes aggrediendi. Lima marmora scindimus, montes corbibus avehimus, situla lacus exhaurimus. Ita in Arithmeticis ingentes summas per partes computamus, & in Geometricis campos in triangula partimur.

§. 12. Nata est ex hoc principio repetendi necessitas, a qua præcipuè ultimum habitus requisitum: *Permanentia* dependet. Usu enim compertum est, alios figuras celeriter accipere & amittere, ut tabulam æream; alios utrumque tardè, ut æneam. Quemadmodum alii flammas irarum celeriter accipiunt & amittunt, ut stipula; alii utrumque tardè, ut ferrum ignitum. Hinc Pythagoræi negabant quenquam somnum capere debere, antequam

Omnia totius repetiverit acta diei.

Repetitionem enim nocet esse nimis dilatam in annum usque, ut vulgo in scholis fit: Sed decet sub noctem diurna studia, exitu septimanæ summam dierum, exitu mensis summam septimanarum, & fine anni summam mensium repetendo, summari, & ex singulis gradibus notatu dignissima ruminari. Quod nescio an hactenus observatum sit a quoquam.

§. 13. Ex eodem fonte insignis didacticus *Wilhelmus Schickardus* mirabile hebraicam linguam docendi derivavit artificium, quod in horologio suo ipse exponit, scilicet 12. pueros simul instituit, in hos Grammaticam sic partitus est, ut alii regulas nominis, alii pronominis, &c. alii partem hanc, alii aliam Syntaxeos tribueret. Lexicon etiam suum breve in eos distribuit, alii א, alii ב, alii ג, &c. assignando. Ita factum est, ut uno recitante aut respondente, cæteri attendentes portionem ejus tandem ludendo discerent. Et hac ratione hodieque in scholis deceret non pluribus idem assignari, sed lectionem in singulos distribui, qui simul juncti egregiam tandem harmoniam constituent.

§. 14. Et tantùm de multitudine actionum, sequitur earum intensio seu *magnitudo*. Nam sæpe una actio singulari, quadam vi imprimendi facta, plus efficit multis repetitionibus, v. g. facti alicujus singularis, joci inexpectati, actionis cum singulari nostra fortuna conjunctæ, v. g. quæ laudem vel pudorem nobis peperit, facile meminimus. Ex hoc principio infra §. 23. ubi de Mnemonica, ostendemus notas quo sensibiliores sint, hoc plus ad memoriam efficere.

§. 15. Consultissimum autem est, *multitudinem magnitudinemque temperare*. Quod fit egregiè, si a minimis incipiendo, continuè per gradus ad summa crescat actio. Quod & Chymici circa regimen ignis in assuefactione inanimatorum jubent. *Milo Crotoniata* memoratur tali artificio sibi robur comparasse: Vitulum quolibet die semel ad certum usque locum portabat, ita crescente vituli pondere, crescebat insensibiliter

 liter

liter quoque robur *Milonis* : Donec ad extremum grandem taurum in Olympicis ludis, ſpectante tota Græcia, geſtavit. Eadem ratione poſſit & ars bibendi diſci, ſi menſura quot ſeptimanis per vitra augeatur. Ita conjecit Gallus ille, qui cum in Acidulis Sualbacenſibus cerneret Germanos aquæ bibendæ magis magiſque continua auctione aſſueſcere; credidit hunc eſſe ludum potatorium, *eine Sauf-Schule* , ubi germani in aqua diſcant, quod in vino ſint præſtituri. Infantes quoque a literis per ſyllabas ad voces tandem legendas veniunt: & in Arithmeticis quanto magis numeri ſiniſtrorſum recedunt, tanto magis in decupla ratione creſcunt. De gradibus repetitionis vide quæ §. 12. diximus. Idem in oratione aliqua verbotenus ediſcenda commodiſſimum: Si primo recitetur primum comma, deinde primum & ſecundum, denique primum ſecundum & tertium &c. Quod & in nonnullis muliercularum ludicris uſitatum eſt. Qua ratione mirum, quàm facile totum memoriæ imprimatur. Ignoſcat mihi ſeverus Lector, quod harum nugarum exemplo utar, quando conſtat nos in nugis quam ſeriis docendis ingenioſiores eſſe.

§. 16. Et hæc de aſſuefactione ſeu cauſa habitus etiam ſenſu carentibus communi. Veniendum eſt ad *Doctrinam. Docere* enim eſt habitum efficere in ſentiente, qua tale eſt, ſeu per ſenſum. Unde tota hæc ars dicitur *Didactica*, nam & qui ſponte diſcunt, ſe docent, hinc iis αὐτοδιδάκτων nomen.

§. 17. Quemadmodum autem Medicina ſe habet ad animalis corpus, ita doctrina ad animam: Cumque Medici ſit curare, 1) tutò, 2) citò, 3) jucundè; conſequens eſt, idem & in cura animæ requiri, nempe ut doceatur 1) ſolidè, 2) citò, 3) jucundè. Ex quibus primum facit ad eſſe, reliqua ad bene eſſe; primum ad ipſum habitum, reliqua ad modum commodè introducendi. Primum autem duo continet, tum ut *vera* doceantur, tum etiam ut *firmiter* implantentur, ne citò elabantur, nam & Medicis recidiva cavenda eſt.

§. 18. Et illud quidem, ut bona doceantur, pertinet ad objectum habitus, de quo infra dicemus. Ut verò *firmiter* implantentur, efficit actionum multitudo, ut *citò* efficit magnitudo, quæ ſunt cauſæ habitus inanimatis communes, de quibus §. 10. *ſeqq.* ſatis dictum eſt.

§. 19. Ultimus verò ſcopus, ut *jucundè* doceatur, propriè hujus loci eſt, qui in animalia tantum cadit. In animalibus enim ſingularis quædam ratio eſt ipſa ita aſſuefaciendi, ut ſponte ſeſe ad doctrinam recipiendam capaciora reddant, quod fit voluptatem iis præſtando, cùm diſcunt, dolorem cùm aures obturant. Idque in brutis fit eſca & blanditiis; in homine utilitate (tanquam eſca) & honore (tanquam blandimento.) De quo jam præoccupavimus dicere §. 6. 7.

§. 20. *Jucunde* autem diſcunt, tum ſi *finis* jucundus ipſis proponatur, tum

tum si *media* discendi sint jucunda. De fine §. 19. dictum est. Media discendi jucunda sunt, si ludendo docentur. Quo mirificè faciunt Comœdiæ & Fabulæ. Hoc fine confectæ sunt Chartulæ Lusoriæ Geographicæ, Astronomicæ, Historicæ, Chiromanticæ, &c. & tesseræ Alphabetum continentes, quarum meminit *Hieronymus* ad *Paulinam.* Item Sales, Epigrammata, Picturæ, Carmina, Memorialia. Quo pertinet *Ethica picta* egregia, Principi Juventutis Altenburgico, quem fata terris tantùm ostenderunt, destinata: Emblemata *Alciati*, *Saavedræ*que Politica; & *Hutteni* Theologica in schola cordis, & ludus ille artificiosissimus, cujus meminit *Fr. Christ. Rosencreuz*, in Nuptiis; ubi ad modum Ludi Latrunculorum virtutes in albo, vitiaque in nigro habitu, mira in se invicem arte pugnabant.

§. 21. Diximus primum de causa habitus inanimis, brutis & hominibus communi nempe *Assuefactione*, a §. 10. ad §. 15. utrinque inclusivè, deinde de causa habitus brutis & hominibus tantùm communi; *Doctrina* a §. 16. huc usque. Restat, ut dicamus de causa habitus hominibus propria: *Institutione.*

§. 22. Habitus hominibus proprii sunt vel *Memoriæ*, vel *Inventionis*, vel *Judicii*; unde & *Didactica* istorum habituum triplex: *Mnemonica*, *Topica*, *Analytica.* Possumus enim propositiones (quippe quæ soli homini propriæ sunt,) memorare, facere, judicare. Topica autem & analytica una *logicæ* voce comprehenduntur, ex quo patet *Logicam* & *Mnemonicam Didacticæ* partes esse. Quibus denique *methodologia* non immeritò addetur. Mnemonica præstat materiam, methodologia formam logica applicationem materiæ ad formam.

§. 23. *Mnemonicæ* fundamentum est res aliqua sensibilis, quæ dicitur *Nota* cum re memoranda certa relatione juncta, quæ est vel comparatio: Similitudo nempe & dissimilitudo; vel connexio, qualis est totius & partis, partis & compartis, causæ & effectus, signi & signati. Unde verba inventa sunt, alioqui fuisset hominibus difficillimum, rerum meminisse. Verba enim non tantum signa sunt cogitationis meæ præsentis ad alios, sed & notæ cogitationis meæ præteritæ ad me ipsum, ut demonstravit *Th. Hobbes* principio Elementorum de corpore. Ex notis autem illæ maximæ mnemonicæ sunt, quæ sensibilissimæ, ut sic dicam, adde §. 14. Uti verba, quæ non audiuntur tantùm, sed & cum voluptate, v. g. carmina, termini, ut vulgo vocant, clappantes, quales conjunguntur non sine magna discentium puerorum commoditate in nonnullis vocabulariis: Item Allusiones, quo artificio *Schickardus* in Horologio hebraico ad imprimendas discentibus radices, usus est. Et mirum est, quantum tota harmonia linguarum, & vocum congruitas hanc rem juvet. Non tantum autem notæ auditus, sed & multo magis notæ visus ad memoriam pertinent. Huc pertinent Hieroglyphica

veterum Ægyptiorum, & hodiernorum Sinensium, de quibus multa *Kircheri Oedipus*: Item dispositiones rerum per cellulas, in obvia conclavis parte, & reliquæ in certa loca distributiones, de quibus Autores Mnemonici consulantur, inprimis *Joh. Henr. Alstedius* in Thesauro Mnemonico, & *Janus Cæcilius Frey*, in via ad scientias & artes; addanturque *Winckelmannianæ* historiarum adumbrationes per picturas, non utique spernendæ.

§. 24. *Topica* seu artis inventivæ fundamentum sunt loci, id est, relationes transcendentes, ut totum, causa, materia, simile, &c. Et ex rebus tali aliqua relatione nexis fiunt propositiones per artem combinatoriam, ut fuse diximus in nostra de *arte combinatoria* dissertatione. Nec contemnenda sunt, quæ in hanc rem contulere *Raym. Lullius* in operibus variis, & *Joh. Henr. Bisterfeldius* in epitome artis meditandi.

§. 25. *Analytica* seu ars judicandi, mihi quidem videtur duabus ferè regulis tota absolvi: 1) Ut nulla vox admittatur, nisi explicata, 2) ut nulla propositio, nisi probata. Quas arbitror longè absolutiores esse, quàm quatuor illas *Cartesianas* in prima Philosophia, quarum primaria est, quicquid clarè distincteque percipio, illud est verum: Quæ infinitis modis fallit.

§. 26. *Methodologia* seu ars disponendi versatur circa methodum. *Methodus* autem est vel *naturalis*, cujus hæc est regula, quicquid sine altero cognosci potest, non verò alterum sine ipso, illud alteri præponi debet; vel *occasionalis*, cujus nulla generalis regula tradi potest, sed variat infinitis modis: Qua de re plura disserunt *Jacobus Acontius* in libello de methodo, & epistola stratagematis Satanæ addita; & *Joh. Neldelius*, & *Abrahamus Calovius*.

§. 27. Et hactenus de causis habitus tam generalissimis: Actionum multitudine & magnitudine, & generali: Jucunditate; quam specialibus: Arte mnemonica, topica, analytica, methodologia. Sequitur habitus *objectum* seu ipsa actio, cujus est habitus.

§. 28. Cujus ratione habitus est vel *corporis* vel *animi*. Habitus corporis vel sunt circa actionem relinquentem, ἀποτέλεσμα vel sunt facti transeuntis. *Artes opus relinquentes* vel *naturam promovent*, applicando agens & patiens, & deinde cessando, uti agricultura, horticultura, ars pastoritia, antiquissimæ artium; ars item medica, chymica, veterinaria: vel suum solæ peragunt, totumque opus exequuntur, ut omnes illæ, quæ res tamdiu jungunt, separant, vel transformant, donec prodeat certa ipsis optata figura. In *conjunctione* consistit v. g. ars pictoria, in *separatione* statuaria, in *transformatione* omnes, quæ rebus primum liquidis, deinde consistentibus certam formam imprimunt, ut Metalli-vel Vitri-fusoria, Pistoria, Typochysia. Ut nunc non persequar infinitas pro objectorum varietate ex his actibus mixtas, quas fusius

ſius explicuit *Cl. Erhardus Weigelius* in Analyſi Euclidea. Interea certum eſt, omnes in applicatione agentis naturalis; vel conjunctione, vel ſeparatione, vel transformatione rerum, vel his inter ſe mixtis conſiſtere.

§. 29. *Artes facti transeuntis*, ſeu opus non relinquentes, dicuntur vulgo *Exercitia*, & conſiſtunt vel in promotione alterius, vel ſimpliciter in motione mei. *In promotione* conſiſtit ars navigandi, currum agitandi, equitandi, chartas pictas artificioſe miſcendi, teſſeras ita jactandi, ut quod velis, cadat; ars jaculandi, parvæ pilæ vel majoris, ludus conorum, ludus tabulæ betulinæ, &c. *Motio* ſimpliciter eſt vel totius corporis, vel partis tantum. *Totius corporis*, ut in arte ſaltatoria, ſaliendi, currendi, funambularia, & ſi hæc quoque addi poſſe videtur, ars volandi, cui proportione reſpondet ars natandi. *Partis certæ* motio pro partium variatione varia eſt, ut in oculis ars flendi cum velis, in lingua ars diſtinctè eleganterque loquendi vel canendi, ars item diſcernendi ſapores vinorum aliarumque rerum; in gutture ars bibendi, & in ſtomacho (etſi alioqui viſcerum internorum non datur ars) nonnullorum promptitudo hauſta cùm velint re-effundendi. Ita in labiis, ut alter ex eorum formatione velut ſermone me intelligat, de quo *Helmontius Junior* in edita nuper diſſertatione de alphabeto naturæ. Taceo de nonnullorum artibus digitos articuloſque aut alia membra ſingulari aliis inconſueta ratione flectendi; item de arte præſtigiatoria, *von der Gauckel-Taſche*, quo pertinet & crumeniſecarum celeritas. Ex eodem fonte eſt ars muſica organica, quæ vel immediatè digitis aut pedibus vel plectro aliquo mediante fit. Denique omnium inter ſe & cùm re præſenti membrorum harmonia comparatur arte geſtuum, de qua præclarè ſcripſit *Scipio Claromontius*. Quo pertinet ars hiſtrionica, quæ etſi olim contempta, hodie tamen etiam apud magnos viros non immeritò in pretio habetur.

§. 30. Et hi ſunt habitus corporis, etſi inter eos magnum diſcrimen obſervari debeat. Quanquam enim mediante corpore, omnes exercentur; nonnulli tamen habitus in ipſo corpore, ut ita dicam, ita ſiti ſunt, ut etſi animus omnes regulas pernoverit, artem tamen exercere non poſſit, niſi accedente corporis aſſuefactione, v. g. in ludo pilæ, in ſaltando, in arte muſica tam vocali quàm organica, &c. Et hi propriè ſunt *habitus corporis*. *Habitus* verò alii propriè ſunt *in animo*, & corpus tantùm dictanti animo paret, nec ipſum quicquam artis contribuit; ut in artibus pleriſque ἀποτέλεσμα relinquentibus, & in ludo latrunculorum vel aggerario, aliiſque in ingenio ſitis, & in poteſtate artificis exiſtentibus.

§. 31. *Habitus animi* nunc ſequuntur. Omnis autem actio animi eſt cogitatio, nam eſt velle nihil aliud eſt, quàm cogitare rei bonitatem. Omnis

Omnis porrò cogitatio est alicujus propositionis. Meri enim termini simplices tantùm apud bruta reperiuntur hominis imaginatio nunquam est sine aliqua reflexione.

§. 32. Propositio omnis est vel singularis, hinc *Historia* v. g. Magnes in Mecha Arabiæ sursum trahit loculum ferreum *Mahumedis*, fingamus enim exempli gratia, hoc ita esse, vel universalis contingens ex inductione singularium pendens, hinc *observatio v. g. Magnes trahit ferrum*; vel universalis necessaria ex ipsis terminis demonstrabilis, hinc *Scientia*, v. g. Quicquid movetur, ab alio movetur; vel, si magnes trahit ferrum, necesse est corporea effluvia ex magnete in ferrum ire.

§. 33. Historia igitur est mater observationum. De cujus natura, constitutione, partitione egregiè *Fr. Baconius de Verulamio* in tractatu incomparabili de augmentis scientiarum, nec minus præclarè in novo suo scientiarum organo. Quia verò in eadem materia dantur historiæ, observationes, & theoremata (ex quibus scientia conflatur,) v. g. *Historia*: *Fabii Maximi*, qui sub *Cæsare Augusto* vixit, uxor fuit garrula; *Observatio* seu chria: mulieres sunt garrulæ; *Theorema* seu gnome: garrulo nihil arcani committendum: Ideo jam propositiones in universum, non ratione copulæ & signi ut §. 31. sed ratione terminorum, partiemur.

§. 34. *Termini* porrò aut sunt simplices aut compositi. *Simplices* sunt, qui sunt indeclarabiles per terminos notiores, quia immediatè sensui objiciuntur, ipsæ nempe qualitates sensibiles. Quicquid autem habet qualitates sensibiles, seu quicquid est sensibile, illud dicitur *Ens*. Et hæc est perfectissima entis definitio: quoties enim probare volumus, aliquid esse, probamus ex eo quia nos vel alii senserint, aut ipsumet, sensione immediata; aut saltem aliud, quod sine ipso esse non potest, quæ est sensio mediata. Et qualitates simul sumtæ (seu imaginabilitas) constituunt *Essentiam*, sensibilitas *Existentiam*, ex cogitatione autem plurium entium simul, oriuntur *Relationes*, seu affectiones entis. Nam ex coimaginabilitate seu coessentia oritur *comparatio*, huc idem, diversum; simile, dissimile, contrarium: genus, species; universale, singulare. Ex consensibilitate seu coexistentia oritur *connexio*, huc totum, pars; ordo, unum, plura; necessarium, contingens, connexum, causa, &c. Hinc fluit *Metaphysica* universa.

§. 35. *Qualitates* porrò *sensibiles* in specie, aliæ *mente* tantum percipiuntur; aliæ & *phantasia*, seu mediantibus organis corporeis. *Mente* percipiuntur duæ tantum qualitates sensibiles: 1) *cogitatio*, 2) *causalitas*. *Cogitatio* est qualitas sensibilis intellectus humani seu nescio cujus rei in nobis, quam animadvertimus cogitare. Etsi, quid sit hoc ipsum: *cogitare*, explicare non magis possimus, quàm quid sit albedo, aut quid sit extensio. Hanc qualitatem etiam Deo & angelis inesse, demonstratione

tione colligitur. Circa hanc igitur qualitatem ſenſibilem, quæ dicitur cogitatio, verſatur *Logica*, poſt Metaphyſicam nobiliſſima ſcientiarum, ab *Ariſtotele* ad Mathematicorum formam demonſtrativè tradita.

§. 36. Altera qualitas ſola mente ſenſibilis eſt *cauſalitas*, quando ex effectu per demonſtrationem colligitur, eſſe aliquam ejus cauſam, etſi latentem. Et hæc qualitas, præciſis aliis qualitatibus, v. g. motu, figura, &c. ineſt cauſæ mundi, ſeu *Deo*; tum cauſis mirabilium quorundam factorum in mundo, ſeu *angelis*; & denique *animo* noſtro, tanquam cauſæ motus corporis: Etſi modum cauſandi explicare non poſſumus. Et hæc eſt doctrina *Pneumatica*, quæ agit de entium incorporeorum actionibus ad extra; quemadmodum Logica agit de eorum actione ad intra ſeu cogitatione: (quo pertinet & *Philoſophia practica*, ſeu doctrina de jucundo & utili, & juſto ſeu eo quod communiter utile eſt.) Hujus loci eſt *demonſtratio exiſtentiæ Dei* & attributorum ejus, angelorum item; & mentis incorporeæ in nobis, ſeu *immortalitatis animæ*. In quibus rebus propriis meditationibus mirabili ratione ad mathematicam certitudinem pervenimus, quod nos longè majoris æſtimamus ad tranquillitatem mentis, & fiduciam æternitatis, quam ſi vel perennem motum vel quadraturam circuli inveniſſemus.

§. 37. *Qualitates organis corporeis ſenſibiles* ſunt vel *communes* pluribus organis, nempe: *numerus*, (qui omnibus ſenſibus externis percipitur) huc *Arithmetica*: & *extenſio* ejuſque varii modi, (quæ viſu ſolum & tactu percipitur) hinc *Geometria*. Porrò quicquid præter extenſionem & numerum aliam adhuc qualitatem ſenſibilem habet, id dicitur *Corpus*. Quicquid non habet, dicitur *Vacuum*. Hic jam oritur *Phyſica*. Senſus autem ſimpliciſſimus eſt tactus, quo percipitur: *motus*. Quæ explicare, eſt generalis phyſicæ: quia, ut deinde demonſtrandum eſt, in cæteris qualitatibus nihil aliud eſt quàm ſubtilis motus, per quem, aſſumta extenſione, cæteræ omnes explicari poſſunt. Sunt & qualitates tactus ſpeciales: ſoliditas, fluiditas, tenacitas, glabricies, &c. Quarum, ut & lucis colorumque, tum ſonorum, odorum, ſaporum hiſtoria diligentiſſime colligenda eſt, ut tanto facilius cauſa per materiam & motum reddi poſſit.

§. 38. *Philoſophiam* abſtractam de qualitatibus ſequitur *concreta* de rebus, in quas hæ qualitates coierunt. In qua nihil aliud fit, quàm quod hiſtoricè rerum qualitates recenſentur, & nihil denuo demonſtratur, ſed ſubſumtio tantùm fit ex prædemonſtratis in Philoſophia abſtracta. Hic agitur de Deo, angelis, mente noſtra; igne, vaporibus, meteoris, aqua & ſpeciebus liquorum variis; terra ſpeciebus variis terræ ſeu mineralibus; plantis; denique animalibus. Hic igitur non qualitatum connexio inter ſe & cum ſubjectis, ſed ſubjectorum connexio cum qualitatibus recenſetur. Poteſt hæc Philoſophiæ pars dici, ἰδιογραφία; quemadmodum præcedens, ποιογραφία.

§. 39. Concludat denique *Cosmographia*, in qua exponitur subjectorum connexio inter se, quomodo revera in mundo disposita sunt: historia motuum cœlestium sphærica & theorica; Astrognosia, observationesque recentiorum, breviter Historia mundi universi rerumque inde usque a creatione ejus memorabilium. Quo pertinet Chronologia, Historia universalis & certarum regionum, nationum, Statuum, generum vitæ &c. Hac mea Disciplinarum partitione certus sum omnia exhausisse; ipsaque scientiarum elementa breviter, sed solidè adumbrasse.

§. 40. Postquam a §. 27. *huc usque* de *discibilibus* diximus: excerpamus jam ex iis *discenda*, modumque studiorum summatim delineemus. *Primum*, quod infanti discendum, est *lingua*. Hic detur opera, ut eadem celeritate per usum *Latinam*, qua patriam imbibat, etsi opus non sit, in nominibus simplicium, v. g. stirpium, animalium, &c. Latinis, nimis distineri, raro enim occurrunt. Hoc fiet, si certa diei parte, v. g. mane, sit inter pædagogum & condiscipulos Latine; a meridie inter ancillas & conjugem, vernaculè loquentes. Hac arte *Albericus Gentilis* filium suum infantem tres linguas simul docuit. Ipse cum eo loquebatur Latinè, conjux Gallicè, domestici Anglicè quæ ipsi vernacula erat lingua. Alterum hoc tempore studium sit *gestuum*, veniat igitur quotidie inter homines moratos cultosque, ita facilè spectando proficiet. Tertium sit *historiæ*, tum universalis, tum in specie sacræ & status mundi præsentis.

§. 41. Cùm verò *sextum annum* attigerit, mittatur *in ludum publicum*, quæ res conversationem & tandem amicitias per vitam duraturas præbet; vivat parum apud parentes, ut discat ad propriam prudentiam refugere; assuescat exercitiis, arti musicæ, saltatrici, gladiatoriæ, jaculatoriæ, pictoriæ, aliisque in vita necessariis vel decoris; inprimis verò elegantiæ verborum. Accedat verò & *historiarum veterum* specialior cognitio, & diligentissima *Matheseos* cura, Arithmeticæ scilicet, & Geometriæ, & Opticæ, & Staticæ, & Astronomiæ. Addantur ex *Physica* nomina tantum herbarum, mineralium, arborum, animalium, instrumentorum mechanicorum; quo pertinet *Comenii orbis sensualium pictus*, sed diligentius pingendus, & coloribus convenientibus illustrandus. Addatur *exercitium styli*, non literis tantùm, sed & sermone & quidem extemporaneo: ostendantur ei loci discurrendi, memorandi, inveniendi per artem combinatoriam.

§. 42. *A duodecimo ad decimum octavum*: Liberaliùs tractetur, præceptoribus non subsit, sed amicis. Monstrentur ei naturæ artisque arcana majora fundamenta *artium mechanicarum*, ut ex iis saltem, materiam, instrumenta, regulas principales & pretia sciat; item rationem *commerciorum* per orbem, ut dignoscat inter merces, sciat pretia, loca unde veniunt. Jam discat *medicinæ* rudimenta, anatomiam, vires simplicium, rationes præparandi pharmacopœorum & chymicorum. Optandum enim, quem-

quemlibet hominum esse aliquatenus Medicum, imo JCtum & Theologum; scilicet ut elementa, & Theologiam saltem Jurisprudentiamque positivam pernoscat. Igitur sciat statuta suæ reipublicæ & leges regni, sed & aliquo modo aliorum, ut possit tanto melius peregrinari. Discat *linguas* Gallicam & Italicam: utque Scripturam ipsam audire possit, Hebraicæ Græcæque tantùm, ut intelligere ipsi vetus novumque Testamentum liceat. Declamet publicè & in comœdias prodeat. Nam, ut rectè *H. Grotius*, *Rhetorica* aliarum artium coronis, nonnisi haustis plerisque disciplinis accedit. Sit autem exercitium hoc non in Latina solum, sed & vernacula. Sed primario exerceatur in ea professione, in qua suas aliquando dotes explicaturus est. Habeat quoque & *librorum cognitionem*, quæ mirum quantum & ornamenti & utilitatis præstet. Vivat hoc tempore non in schola, sed academia vel aula & alioqui loco celebri, in quo in magnorum virorum notitiam familiaritatemque venire liceat, quod est fundamentum hodie promotionis. Neque enim amplius facile quisquam ex academiis ad officia vocatur? Olim mos erat scribere ad Universitatem, & egregii alicujus juvenis denominationem ab ea petere; hodie aliis artibus emergendum: unde non decet, academias esse in locis minutis & obscuris.

§. 43. Tempus omne verò *a decimo octavo anno*, vel si tardius ingenium sit, vigesimo, usque ad promotionem *peregrinationi* tribuatur. In qua curet valetudinem, quo pertinet medici Augustani, cujus nomen non succurrit, elegans tractatus *de medicina peregrinantium*: Observet notetque commoditates in cibo, potu, ædificiis, vestibus, agricultura, mechanicis, quas apud aliquem populum invenit. Observet & leges & consuetudines singulares. Ambiat notitiam magnorum virorum, quæ peregrinis magis quàm domesticis patet, inprimis secretariorum & ministrorum status. Si quas etiam memorabiles historias, si qua singularia naturæ & artis audit, diligenter notet. Ita obtinebitur finis peregrinationum, ut a regione ad regionem non solum mercimonia, sed & artes deportentur. In primis verò, si regio aliqua in certis manufacturis excellit, det operam ut artes eorum expiscetur. Plura non est hujus loci dicere, summi viri præoccuparunt. Hæc sunt, quæ de *ratione studiorum* in universum, ex veteribus nostris dudumque conceptis meditationibus inter diversoria, sine libris in chartam conjicere deproperavimus. Unde nec licuit multarum allegationum pompa margines stipare. Si non pervulgata, nec inutilia, attulimus, & exscriptorum & novatorum crimen effugiemus.

METHODI NOVÆ
DISCENDÆ DOCENDÆQUE
JURISPRUDENTIÆ
PARS II.

Specialis, ad ſolam Juriſprudentiam reſtricta.

§. 1. J*Uriſprudentia* eſt ſcientia juris, propoſito aliquo caſu ſeu facto. Cujus tradendæ methodum cùm moliamur, neceſſe eſt ut duo agamus: 1) in idea delineemus *JCtum perfectum*, & quicquid ad ejus conſummationem pertinet, quemadmodum *Cicero* fecit in libris de oratore; 2) *vias* deſignemus *ad perfectionem graſſandi*, aut ſicubi placeret, in ſecundis tertiisque conſiſtendi. Quemadmodum *Plato* in libris de republica ideam; in dialogis verò de legibus, quod aſſequi cuique liceret, expoſuit.

§. 2. Quicquid ad *JCti perfecti* eruditionem pertinet, dividi poteſt ad inſtar Theologiæ in partem *didacticam* ſeu poſitivam, ea continentem quæ in libris authenticis expreſsè extant, & certi juris ſunt; *hiſtoricam*, originem, autores, mutationes, abrogationesque legum enarrantem; *exegeticam*, ipſos libros authenticos interpretantem, & denique apicem cæterarum *polemicam*, ſeu controverſiariam, caſus in legibus indeciſos ex ratione & ſimilitudine definientem.

§. 3. Ex his *didactica* & *polemica* propriè ſunt partes Juriſprudentiæ, *hiſtorica* verò & *exegetica* ſunt requiſita tantum. Hæc *theorica*, illa *practica*. JCtus enim qua talis, ſatis habet, ſi ſciat, quid in propoſito caſu ſit juris, quod poteſt etiam merè pragmaticus aſſequi, imo qui ne latina quidem novit, ſed difficulter, imò inutiliter; nam ſi quis negare audeat, non poterit ex hiſtoria legibusque demonſtrare: ideo empyrici magis nomen merebitur, quàm ejus qui veram in jure Philoſophiam ſit aſſecutus.

§. 4. Meritò autem partitionis noſtræ exemplum a *Theologia* ad Juriſprudentiam tranſtulimus, quia mira eſt utriuſque Facultatis ſimilitudo. Utraque enim *duplex principium* habet, partim *rationem*, hinc Theologia Juriſprudentiaque naturalis, (quarum illam *Raymundus de Sebunde* & *Theophilus Raynaudus*, hanc verò *Grotius*, *Hobbes* cæterique excoluere, quorum infra §. 70. mentio fiet,) partim *Scripturam* ſeu librum quendam authen-

authenticum leges positivas, illic divinas, hic humanas continentem. Malè verò nonnulli huic comparationi Medicinam quoque, Philosophiam, ac Mathesin miscuere. Nam *Hippocrates*, *Galenus* & *Aristoteles* erroris sæpè convicti sunt; *Euclidi* non creditur quia dicit, sed quia probat, quod secus est in legibus divinis humanisque, ubi stat pro ratione voluntas.

§. 5. Nec mirum est, quod in Jurisprudentia, idem & in Theologia usu venire, quia Theologia species quædam est Jurisprudentiæ universim sumtæ, agit enim de jure & legibus obtinentibus in republica aut potius regno Dei super homines; moralis de jure privato, reliqua de jure publico: Nam, ut nostrammet *de arte combinatoria* commentationem *p. 29.* aliquantisper exscribamus, infideles quasi *rebelles* sunt, Ecclesia velut *subditi boni*; personæ ecclesiasticæ imò & magistratus politicus, velut *ministri & magistratus subordinati*; excommunicatio velut *Bannus*; doctrina de Scriptura sacra & verbo Dei, velut *de legibus* & earum *interpretatione*; de canone librorum sacrorum, velut de *legum authentia*; de erroribus fundamentalibus, quasi de *delictis capitalibus*; de judicio extremo, & novissima die, & valitura illic satisfactione Christi, velut de *processu judiciario & termino*, *& solutione pro alio*; de remissione peccatorum, velut de *jure aggratiandi*; de damnatione æterna, velut de *pœna capitali*, aut quæ morti æquiparatur, *perpetui carceris*. Breviter: tota ferè Theologia magnam partem ex Jurisprudentia pendet. Quoties *testamenti*, quoties *hæreditatis*, quoties *servitutis*, quoties *adoptionis* apud *D. Paulum* mentio est? in explicatione testamenti magna pars controversiæ de cœna inter Augustanæ confessionis ac Reformatos Theologos consumitur. *Faustus* profectò *Socinus*, quia a Jurisprudentia ad Theologiam venit, mirum quantum cæteris omnibus facessiverit negotii. Unde non potuit melius refutari, quàm ab eo viro, qui Jurisprudentiam simul ac Theologiam perrepserat, incomparabili illo *Hugone Grotio* in libro de satisfactione Christi. *Socini* verò discipuli quæ latibula sub juridica *acceptilationis* voce quærant, recensuit Cl. *Zimmermannus* peculiari dissertatione. Utrum & quatenus in rebus fidei obtineat præscriptio, nuper nobile par *Fratrum Walenburgiorum* disseruit; aliorsum iverat Cl. *Hulsemannus*, Augustanæ confessionis Theologus, peculiari itidem tractatu de præscriptione. Breviter: tanta in Theologia juridicarum controversiarum seges est, ut inter *ἀνέκδοτα* egregii *Dorschei* posthumum opus Jurisprudentiæ theologicæ titulo restet.

§. 6. *Jurisprudentia didactica*, *Elementorum* nomine non ineptè appellabitur ad imitationem *elementorum Euclidis*, quem in titulis suorum librorum *Th. Hobbes* elementis de cive & corpore, ac *Joh. a Felde*, & *Sam. Pufendorf* elementis Jurisprudentiæ secuti sunt. Elementa duobus absolvuntur: Explicatione terminorum seu *definitionibus*, quibus respon-

det titulus *de verb. sign.*; & propositionibus seu *praeceptis*, quo pertinet titulus *de reg. jur.*

§. 7. *Definitiones* seu explicationes terminorum juridicorum peculiari libello tradendæ sunt, nullis admixtis præceptis seu regulis; hic possit appellari: *Partitiones juris.* Methodus ejus non sit alphabetica, sed accurata & solida. Mirum enim, quam in methodo solida & naturali res rem explicet, & memoria juvetur. Quam in rem commodissimæ sunt *tabellæ*, quarum ope licet uno obtutu primum in generali tabula totam scientiæ velut geographicam mappam, deinde verò speciatim singulas quasi provincias lustrare. Hæ veteribus incognitæ, a *Petro Ramo* ejusque discipulis primum celebratæ sunt: Magnam quoque in illis diligentiam posuit *Theodorus Zwingerus* in ethicis politicisque, & in jure *Joh. Th. Freigius.* Hos innumerabilium aliorum caterva secuta est, sed vix assecuta quod optamus, methodum, inquam, naturalem. Nam, ut rectè *Petro Ramo* Ramistisque objecit incomparabilis *Verulamius*, effecere illi anxietate dichotomiarum, ut rem coangustarent magis quàm comprehenderent, quæ interea velut anguilla elabebatur, aut pro grano proprietatum inutiles divisionum paleas relinquebat.

§. 8. Cùm verò docendæ Jurisprudentiæ methodus, comprehendat & *methodum disponendæ*, videamus quas varii vias iniverint. Juris enim in artem redigendi vetus admodum cura est, quam & *Cicero* olim *Gellio* teste agitavit. Deinde in eandem curam incubuere Jurisconsulti veteres, neque enim tantùm confusos quæstionum & responsionum libros, sed & *Digesta*, vel ipso nominis indicio ordinata, & *Institutiones* confecere. Sed quia eorum scripta & mutilata & discerpta sunt, licet tantùm ex inscriptionibus legum Justinianearum nonnulla divinare. *Tribonianus* aliam in Institutis, aliam in Digestis & Codice methodum tenuit. Illic enim tria *juris objecta* constituit, *personas*, *res* & *actiones*, ut *Personarum* capite explicuit *potestatem patriam*, *dominicam*, *nuptias*, *tutelam*, *curam*, omnem nempe potestatem in ipsas immediatè personas sine rerum interventu. Alterum caput est, quoties *res* interveniunt, & vel *principaliter*, ut non certa persona propriè teneatur, sed certa res, ubicunque inveniri possit, quod est *jus in re*, aut *inter vivos*, hinc *dominium*, *servitus*, *ususfructus*, *usus*, *habitatio*; aut ex *successione*, hic *hæreditas ab intestato vel ex testamento*, *legatum*, *fideicommissum*, &c. Vel res interveniunt *minus principaliter*, ita ut teneatur certa persona, non verò certa res; tum dicitur *jus ad rem. Jus ad rem* est vel *ex contractu vel quasi*; vel *ex delicto vel quasi.* Ad tertium caput *actionum* pertinent, & exceptiones, replicationes, totusque processus, & denique judicis officium. In Digestis verò ac Codice meras solasque actiones ordine edicti perpetui *Tribonianus* recensuit, cùm duobus prope titulis, tantùm de personis rebusque quiddam prælibasset.

§. 9. Ju-

§. 9. Jurisconsulti medii ævi nunquam ipsi de arte juris vel per somnium cogitarunt, satis habentes, si leges glossis, judices consiliis obruerent. Quemadmodum igitur Theologi illorum temporum ad Sententias & *Thomam*, Philosophi ad Summulas & *Aristotelem*, ita ipsi ad Juris Corpus sua allinebant. Quin imò videntur pro certo habuisse, methodo legum semper esse utendum, quasi eæ & in Logicam exercerent imperium. Idque & cultissimo hoc ævo nonnullis insignibus viris placuit. *Ægidius Mommerius* in dissertatione *de studio juris*, negat alios haberi debere locos communes, quàm leges; aliam methodum, quàm legum; solas illas in numerato habendas, cætera negligenda. *Meierus* quoque, Collegii Argentoratensis director, in præfatione obliquè illis irascitur, qui suam methodum audent Imperatoriæ præferre. Et *Antonius Matthæi* in *collegio fundamentorum juris*, ex professo disputat, novam juris methodum inutiliter, imò damnosè hoc rerum statu concipi. Fateri sese, Justinianeam optimam non esse; sed quid si, inquit, nec tua sit; fateri, optandum, ut aliud publica autoritate juris corpus extet: Nunc verò quamdiu ad hoc recurrendum sit, novæ methodi commento laborem in duplum crescere, quia præter Justinianeam nova quoque methodus memoriæ imprimi debeat.

§. 10. Sed nos contra *methodi Justinianeæ vitia*, novæ utilitatem explicabimus. Primùm in ipsa methodo Justinianea labor crescit in duplum, dum alia est Institutionum, alia Digestorum Codicisque methodus. *Institutionum* methodus per *personas*, *res* & *actiones* primum superflua est; actiones enim tam ex jure personarum, quàm rerum descendunt; & ipsæ personæ, v. g. *servi* & *filii familias*, habentur pro rebus, datur enim non minùs servi quàm equi vindicatio. Et in filios familias etiam est dominium, sed certis a republica modis restrictum. Et ut breviter dicam, est hæc methodus non ex *juris* sed *facti* visceribus sumpta. *Personæ* enim & *res* sunt facti, *potestas* & *obligatio*, &c. juris termini. Et si semel methodum *facti* eligere voluit, cur non continuavit, cur non subdivisit personas & res ex physicis & ethicis, v. g. *Personas* in surdos, mutos, cœcos; hermaphroditos, perfectos; viros, fœminas, impuberes, minores, adultos; divites, pauperes; nobiles, magistratus, rusticos, peregrinos; hæreticos, schismaticos, &c. *Res*: in dividuas, individuas, pretiosas, viles, mobiles, immobiles, se moventes, thesauros, nummos, res fungibiles; quadrupedes, equos, feras, &c. Cur, inquam, non ita titulos juris distribuit, & in singulis quid juris esset, explicuit? Agnovit scilicet, hac ratione secuturas infinitas repetitiones, nec posse rem ad universalia redigi. Perinde ac si Geodæta non formæ sed materiæ ratione doctrinam suam partiretur, & ageret de dimensione agrorum, pascuorum, camporum arenosorum, argillosorum, saxosorum. Quis non hunc novum *Euclidem* rideret? Ita igitur Jurisprudentiæ divisio a concreto

creto sumpta, omnis confusionis principium est, & ad eos potiùs pertinet; qui vel tractatus vel indices scribunt, hi possunt ex variis titulis colligere jura fœminarum, mutorum, surdorum, &c. Illud quoque negari non potest, methodum legum hodierno ævo planè non esse accommodatam: Nullibi *jura ecclesiastica*, nullibi *feudalia*, nullibi materia *concursus creditorum* commodè inseritur. In *Digestis* certè & *Codice* perpetua ordinis causa est veteris juris ratio, quæ tantum ad hodiernam, quantum sus ad Minervam.

§. 11. Methodus verò nova incredibilia commoda afferet, si accurata erit; ita enim primum mirabile orietur *compendium discendorum*, dum generalibus regulis infinitæ speciales simul discentur, & præmissis generibus gradatim descendetur ad species, dicenturque ea tantum, quæ nuda generalium subsumptione non constant. Nam ut rectè animadvertit *Feldenus* in præfatione *elementorum*, quid opus est specialiter inculcare, minorem indigere curatore, alio loco furiosum, alio absentem: Cùm generalis regula sit, ex ipsis Politicæ principiis manifesta: Qui negotiis suis ipse præesse non possit, eum indigere curatore. Deinde *memoria* ipsa illa naturalissima rerum ex se fluentium connexione summopere *juvabitur*, si nempe ex terminis in generis definitione positis, seu ex ipsa generis differentia sumantur differentiæ specierum sibi contradistinctæ. Denique, cùm accurata methodus non esse possit sine accuratis terminorum *definitionibus*, (definitio enim generis velut clavis est differentiarum species constituentium) imbibetur eadem opera solida juris cognitio; & via patebit, per rationes universales casus in jure indecisos determinandi. Ut ita tam memoriam, quàm judicium appareat a methodi perfectione pendere.

§. 12. *Antonii Matthæi* emplastra, causæ desperatæ non medebuntur. Fatetur Tribonianeos methodi lapsus, ergo fatebitur, optandam meliorem, breviter: Novum juris corpus. Quid igitur methodos aversatur, si nihil aliud saltem novi corporis συνγραφίας? Quod de duplicato labore argutatur, nihil est, nam methodum naturalem discere, non est labor; imò dum rerum accuratæ definitiones percipiuntur, eadem opera methodus perfecta aliud agendo hauritur. Erit verò illa vel ut index corporis Justinianei; decebitque, ad marginem loca legum correspondentia allegari.

§. 13. Methodum juris varii variè iniere. Omnes non persequar, non *Corasium*, aut *Matth. Stephani*, differt. de arte juris, non *Hug. Donelli* in com. methodum, non *Chopium* de vera philosophia juris; non *Hopperi* Seduardum, non *Martini Del-Rio* principia; non illum Sulsbaci, cura junioris *Helmontii*, nuper latinè germaniceque recusum *Octavii Pisani* egregium Lycurgum; non quæ *Feldenus*, aut *Pufendorfferus*, aut *Rich. Zoucchæus* laudabiliter tentavere; non *Grotii* ordinem, Cl. *Thomasii* judicio si non optimum, certè nec pessimum: faciliùs enim carpere quàm emendare. Saltem de *Theod. Althusio* & *Herm. Vultejo* admonebimus, quorum ille in *Dicæologia*, hic in *Jurisprudentia Romana*, jus in artem redigere

redigere non verbis solum, sed facto tentavit. Verum uterque, quod in methodo Tribonianea desiderabam, factum juri miscuit. Nam *Althusii* prima hæc statim divisio est, Jurisprudentiam esse duplicem, aliam de facto, aliam de jure: Quasi verò Jurisprudentiæ sit, de facto agere; aut quasi detur Jurisprudentiæ species, quæ de jure non agat. *Vultejus* verò inter alia in eo displicet, quod obligationem referat ad jus personarum, tanquam contradistinctum juri rerum; cùm tamen, ut infra ostendemus, in ipso jure rerum intercedat personæ possidentis obligatio, ex facto ejus tanquam quasi contractu, possessione nempe, orta, qua tenetur ad restituendum. Cætera particularius non persequemur.

§. 14. Sed quia de aliis judicium nobis sumsimus, eandem in nos potestatem publicatione nostrarum meditationum faciemus. Demus igitur operam, ut solidam methodum ex ipsis rerum definitionibus eruamus. *Jurisprudentia* est scientia actionum, quatenus justæ vel injustæ dicuntur. *Justum* autem atque *injustum* est, quicquid publicè utile vel damnosum est. *Publicè*, id est, primum mundo, seu rectori ejus Deo, deinde generi humano, denique reipublicæ: Hac subordinatione, ut in casu pugnantiæ, voluntas, seu utilitas Dei, si ita loqui licet, præferatur utilitati generis humani, & hæc utilitati reipublicæ, & hæc propriæ. Hinc Jurisprudentia *divina*, *humana*, *civilis*. De propria autem utilitate dicere, non *Jurisprudentiæ*, sed *Politicæ* est.

§. 15. *Moralitas* autem, seu justitia, vel injustitia actionis oritur, ex qualitate personæ agentis in ordine ad actionem, ex actionibus præcedentibus *orta*, quæ dicitur: *Qualitas moralis.* Ut autem qualitas realis in ordine ad actionem duplex est: potentia agendi, & necessitas agendi; ita potentia moralis dicitur *Jus*, necessitas moralis dicitur *Obligatio*.

§. 16. *Subjectum qualitatis moralis* est *Persona* & *Res*. *Persona* est substantia rationalis, eaque vel *naturalis* vel *civilis*. *Naturalis* Deus, angelus, homo. Sed Deus est subjectum juris summi in omnia, nullius verò obligationis. Persona *civilis* est *Collegium*, quod quia habet unam voluntatem certo signo dignoscibilem v. g. ex pluralitate votorum, sorte, &c. ideo obligare & obligari potest. *Res* quoque subjectum juris est & obligationis, v. g. si officio aliquid legetur, jus erit apud omnes successores; Si quis in officio existens, qua talis est alicui damnum det, ipsum officium tenebitur, transibitque in successores obligatio. Ita si equo aliquid legetur v. g. phaleræ, dubitandum non est, ad dominum equi, alienato equo, rem transire: idem de servo juris est, qui ipse non pro persona habendus, sed re. In omni verò jure reali res est subjectum obligationis. Porrò ad subjectum pertinet tota *Successionum* materia. Quia successio est motus juris vel obligationis de subjecto in subjectum. Tractandum & hic de iis, quæ pluribus *communia* sunt.

§. 17. *Objectum juris & obligationis* est *corpus* subjecti, *res*, *persona* tertii. Jus *in corpus* meum, tanquam subjecti, dicitur *Libertas*. Jus *in* rem

rem dicitur *Facultas*, & habet ſpecies: Dominium directum in rei materiam; utile, ſeu jus utendi fruendi in formam; jus ſervitutis in partes formæ ſeu qualitates; jus detinendi, uſucapiendi conditionem; & alia jura realia. Jus *in perſonam* dicitur *Poteſtas*, & multis modis variat, interdum vitæ & necis, interdum caſtigationis, interdum increpationis, &c. *Obligatio* eſt, ne alterius libertas, facultas, poteſtaſque impediatur: Quæ impeditio dicitur *Injuria*. Et obligatio, ne poteſtas alterius in me impediatur, eſt poſitiva, qua teneor aliquid facere vel pati, & dicitur κατ' ἐξοχὴν obligatio. Cæteræ obligationes, ne alterius libertatem impediam, vel arripiam rem, ſunt magis privativæ. Objectum porrò juris mei eſt, quicquid mea intereſt, idque vel ipſummet, vel æquipollens ſeu æſtimatio: Quo pertinent pretia rerum.

§. 18. *Cauſa Qualitatis Moralis* eſt *Natura* & *Actio*. *Natura* eſt cauſa libertatis & facultatis & correſpondentis in alio obligationis de non impediendo. *Actio* eſt cauſa poteſtatis in perſona agente, ad aliquid faciendum, vel in ſeipſa, aut rebus ſuis patiendum; eſtque vel *poſſeſſio*, vel *injuria*, vel *conventio*. *Poſſeſſio* tribuit *jus reale* primum in corpus meum, quia hoc ante omnia poſſideo; hinc *libertas*: deinde in res alias, quæ ſunt nullius; hinc *facultas*. Unde mihi jus oritur, rem meam, ubi invenio, vindicandi: Et alteri obligatio, hoc non impediendi. *Injuria* in ſtatu mere naturali dat læſo jus libertatis, facultatis poteſtatiſque omnimodæ, ſeu jus belli in lædentem ſocietatis ruptorem. Sed in rebuspublicis, imo & æquitate duce, ita reſtricta eſt hæc licentia, ut æſtimatione debeat eſſe contentus, reſervata reipublicæ pœna, ſi damnum conſulto datum eſt. *Injuria* igitur fons eſt delictorum & quaſi delictorum. *Conventio* verò promiſſiones acceptationeſque omnes in ſe continet, quo pertinet doctrina *de verborum interpretatione*, *conditionibus*, &c. Quaſi contractus verò ad jus reale pertinent. Multa verò, quæ ex his naturæ fontibus non videntur deſcendere, ſed ex lege, illa omnia eo ipſo ex eorum uno, nempe ex conventione deſcendunt, quia populus in legislatorem compromiſit.

§. 19. Quare & omnes obligationes publicorum judiciorum, ſive ad pœnam corporalem ſive pecuniariam tendant, pertinent ad pactorum fontem: promiſit enim quilibet ſubditus reipublicæ, ſe decreta ejus vel univerſalia, ut leges: vel ſingularia, ut ſententias; rata habiturum. Decrevit autem lex, ut, qui hoc faciat, illud perſolvat. Ex ipſo igitur pacto promiſſæ fidelitatis tenetur. Ita patet, ad hunc locum reduci *die Policey Ordnungen*, ordinationes nempe politicas, quibus vita, converſatio, ſumtus veſtium, conviviorum, omnes denique ſubditorum actiones formantur: Nec minus *criminalia*, quæ circa majora, pacem nempe publicam, ſecuritatem civium, honoremque Dei, & magiſtratus occupantur. Ex eodem pactorum fonte eſt *jus publicum*, & ipſe denique proceſſus tam civilis quàm criminalis. Cujus finis eſt executio, quæ eſt realiſatio qualitatum moralium, ſeu

ut,

ut, qui habet potestatem vel necessitatem moralem, habeat & naturalem.

§. 20. Ita igitur *universi juris* summa capita deduximus. Nam modi acquirendi juris sunt: 1) *Natura*, libertatis nempe & facultatis in res nullius agendi, §. 18. 2) *Successio* §. 16. quæ non producit novum jus, sed vetus transfert. Succedunt autem ab intestato mero jure soli descendentes, in stirpes, sed ita in ea tantum bona, quæ parentis erant, cùm nascerentur, quia anima eorum per traducem ex anima parentis orta est: cæterorum successio ab intestato pertinet ad fontem pactorum, quia ex lege descendit. Testamenta verò meo jure nullius essent momenti, nisi anima esset immortalis. Sed quia mortui revera adhuc vivunt, ideo manent domini rerum, quos verò hæredes reliquerunt, concipiendi sunt ut procuratores in rem suam. 3) Tertius acquirendi juris modus est *Possessio* rei nullius, animo imposterum quoque possidendi. Ex quo jus imposterum quoque possidendi tractandique oritur, quod est reale. 4) *Conventio*, velut traditio incorporalis, per signa rei æquipollentia, seu verba; quo pertinet, quicquid ex jure civili seu lege descendit, ut criminalia & processus. Potest tamen conventio reduci non solum ad possessionem, sed & ad injuriam; quia fallere, est damnum animo dare. 5) *Injuria*, velut ruptio societatis humanæ in statu merè naturali omne jus mutuò tollens, imò alteri in alterum resque ejus jus absolutum tribuens, quod tamen in republica legibus est restrictum.

§. 21. Causæ autem juris in uno, sunt modi amittendi juris in alio, seu acquirendæ obligationis. Modi autem amittendæ obligationis, sunt causæ recuperandi juris, seu liberationis. Qualis est 1) mors sine hæredibus; 2) solutio, quo reducitur compensatio; & 3) conventio, quo iterum reducitur lex. Ita igitur arbitror, summa juris capita ex meri juris evidentissimis principiis a me satis digesta esse. Neque enim alia juris obligationisque causa aut contrarium seu destructivum reperiri potest, quod in his non contineatur. Specialius rem deducere, peculiari operæ debetur. Hæc autem, quæ de methodo disponendi juris diximus, meritò hoc loco præmittenda erant, quia non solùm Jurisprudentia didactica, sed & polemica, accurata hac methodo disponi debet.

§. 22. Nec omittenda hoc loco, quæ de Jurisprudentiæ polemicæ inclusione in pomœria didacticæ magni viri consuluere: Si extantiores controversiæ publica autoritate decidantur, formeturque novum juris corpus accuratè dispositum. Quam in rem illustrissimi *Baconi*, tum in *sermonibus fidelibus*, tum in *augmentis scientiarum* præclaræ meditationes extitere. Mihi breviter videtur, *tria* in novo corpore requirenda: Ut scilicet conscriptum sit *plenè*, *breviter*, *ordinatè*. Ita aberit repetitio, obscuritas, contradictio.

§. 23. Tempus est, ut ad nostra *juris elementa* redeamus, hæc supra §. 6. divisa sunt in *definitiones* & *præcepta*. *Definitiones* includi possunt libro, qui ob formam appellari potest: *Partitiones juris* (quo nomine &

A a 2 Cl.

Cl. vir, Dn. *Joh. Otto Tabor* suum aliquem laborem insignivit) in eo declarentur termini usitatiores, eorumque definitiones & divisiones explicentur methodo, quam dixi. Omittantur verò curiositates philologicæ, synonymiæ. Æquivocationes verò, sed insignes, & quæ confusionis principium esse possint, non quælibet obviæ colligantur, significatioque famosior eligatur. Interea Cl. *Rebhanii hodegeta juris* poterit non inutiliter legi, qui in vocabulorum explicatione inprimis operam posuit. Causæ verò, contraria, effectus, objecta, subjecta, non pertinent ad definitiones seu terminorum explicationes, sed ad regulas seu præcepta.

§.24. *Præceptorum* Jurisprudentiæ videamus *Materiam* & *Formam*. Materiæ ratione: Inserantur ea tantum, quæ in legibus expresse extant, & certi minimeque *controversi* juris sunt: item ea tantùm, quæ adhuc in usu versantur, minimeque *abrogata* sunt; ab hodierno enim jure tironi incipiendum esse, infra ostendemus. Omittantur item ea omnia, quæ ex ipso jure naturæ & sanæ rationis principiis ita constant, ut vel rusticus perceptis terminis (quos propterea præmisimus in definitionibus) agniturus sit. Nam tota ferè conventionum doctrina ex jure naturæ fluit; sed hæreditates, processus & criminalia positivis scatent. Omittantur denique, quæ non tam sunt quæstiones juridicæ, quàm vel historicæ, v. g. cur *Justinianus* dicatur Alemannicus, Francicus; vel philologicæ, v. g. an testamentum rectè derivatum sit a testatione mentis; vel philosophicæ, v. g. rectène *Justinianus* definierit iter, actum, viam; an mutuum sit alienatio. Ponantur ea tantùm, quæ decidunt, quid proposito aliquo facto sit juris. Omissis igitur his omnibus, nempe 1) incertis, 2) abrogatis, 3) manifestis, 4) alienis, mira erit hujus *elementorum libelli* brevitas facilitasque.

§. 25. *Forma præceptorum* consistit tum in dispositione *titulorum*, tum *subtitulorum*. Titulorum dispositio primùm ea sit, quæ definitionum; unde non erit incommodum, si præcepta definitionibus aliis saltem typis interserantur. Deinde observetur inprimis, ut, quantum fieri potest, abstrahantur universalia. Sunt enim præcepta primùm generalissima, quæ dicuntur *Brocardica*, & hæc a variis materiis etiam toto genere diversis abstrahunt, v. g. *Omnis modus amittendi juris est voluntarius*, seu *nemini jus suum invito auferri potest*. Hæc regula tam est universalis, ut nullam penitus patiatur exceptionem. Cur igitur, inquies, vulgo excipiunt: *Nisi pœnæ loco a superiore*? Sed ideo illi hoc excipiunt, quia moralium principia non penetrarunt. Nam quod a superiore aufertur, volenti aufertur; quia in superioris actiones ratas habendas jam olim consensum est. Sed datur tamen superior, inquies, in quem consensum non est, v. g. Deus jure creationis. Is igitur Ægyptiis penitus invitis, jus suum abstulit. Sed sciendum, in comparatione ad Deum nullum dari jus, ideo nec juris ablationem. Mors propriè non est amissio juris, quia ipsa

ipsa persona amittitur. Nec solutio (invito enim solvi potest) non magis, quàm ususfructus perit consolidatione. Nuditas juris perit, non jus: jus potius perficitur. Possem aliis infinitis exemplis ostendere, quoties Brocardica ejusmodi multis exçeptionum spinis sine necessitate muniantur. Interdum verò formantur Brocardica quædam, plurimas exceptiones necessariò habentia, sed talia ego inepta judico. Quoties enim regula in uno vitiatur, perdit officium suum. Officium enim regulæ, tranquillare animum, ut certus sit in omnibus speciebus subjecti prædicatum obtinere. Quòd si regulæ habent exceptiones, frustraneæ sunt, quia fidi illis non potest. Quod igitur vulgo jactatum est: *Nullam regulam esse sine exceptione*, mihi perinde esse videtur ac illud: *Nunc ego mentior*; vel illud scepticorum: *Nihil scitur, ne hoc quidem, quod nihil scitur*. Qualia nos collegimus in *Specim. Quæst. Philos. ex Jure*, quæst. 12. Nam hæc regula seipsam simul probat & improbat. Quia enim nulla regula sine exceptione, & hoc ipsum axioma est regula; ideo ipsum quoque non erit sine exceptione. Ergo aliqua regula sine exceptione. Quia igitur nulla regula sine exceptione est; ideo falsum, nullam regulam sine exceptione esse. Sed hoc obiter. Interea pro certo habendum, ignaviæ, ignorantiæque in dicterio isto latibulum esse. Nam & in grammaticis (unde ortum habet) olim *Sanctius*, postea *Scioppius* regulas tales exhibuere, quarum non datur exceptio: Sed quicquid vulgo pro exceptionibus habitum est, aut ellipsis est, aut pleonasmus alicujus vocabuli. Idem vitium & in philosophicis vulgo regulis regnat, unde & in juridicas manavit. Nam, ut Cl. vir *Joh. Adamus Scherzerus* in *manualis philosophici* præfatione monuit, dicta quædam inter regulas reposita sunt, quæ plures habent limitationes quàm exempla; v. g. *Qualis causa, talis effectus.* Quod ubi multis distinctionum sæpibus defendere conati sunt, tandem tamen huc recurrunt, scilicet: *in causis univocis.* Quid autem est causa univoca? Ea nempe, ubi qualis causa, talis effectus est. Regula igitur sic concipienda erit: Ubi qualis causa, talis effectus; ibi qualis causa, talis effectus. Spectatum admissi, risum teneatis, amici! Quare regularum philosophicarum accuratam explicationem non inutiliter molitur Cl. *Thomasius*, &, uti spero, propediem publico donabit. Nos quoque, si Deus vires dederit, *reformationem Brocardicorum* quàm primùm concipiemus, redigentes ad perfectam universalitatem omnia, & quæ hoc non patientur tanquam inepta rejicientes. Interea illas limitationes non est opus regulæ allinere, quæ ex aliis regulis in eodem libro traditis aut tradendis, per *combinationem* sumuntur, v. g. Qui promisit, præstet; nisi præstiterit, nisi liberatio ei legata sit, nisi compensare possit, &c. Quid hæc addere opus est? Per se ex regulis postea tradendis constant, & coacervantur hac ratione tantùm inutiles repetitiones & grandes libri. His malis hactenus occursum non est, ideo nescio, quem inprimis *regularum juridicarum* autorem commendem:

A a 3 mendem:

mendem, laudantur tamen *Barbosa* & *Diaz*, ut eos prætersam, qui regulas juris grandibus in folio lexicis complecti voluerunt.

§. 26. Et hæc de *præceptis* generalissimis seu Brocardicis. Sequuntur *intermedia* ad certas materias restricta, nondum tamen specialissima, v. g. *Cuicunque debetur reverentia, ille non est in jus vocandus*, v. g. parens, patronus, magistratus coercendi jus habens, &c. Idque demonstratur ex natura vocationis in jus. Quæ fit per vim; obtorto enim collo nolentes trahebantur. Cuicunque autem debetur reverentia, ille non est violandus. Quod est principium ex mero jure naturæ vel rusticis constans. Danda igitur opera est, ut ubicunque fieri potest, regulæ generales concipiantur, ad compendium discendi. Imò tentetur, an concipi possit regula aliqua habens gradum necessitatis, qui dicitur: καθόλου πρῶτον ab *Aristotele*, seu reciproca, ut subjectum æquale sit prædicato, nec possit subjectum generalius ad hoc prædicatum reperiri. Quo pertinent ea, quæ *in arte nostra combinatoria* meditati sumus, v. g. Omnis & solus, qui res alienas in potestate habet, tenetur ad inventarium aut juratam specificationem. Et contra, qui tenetur ad talem certam specificationem, ille res alienas in potestate habet. Nam & hæres, hæreditatem, quæ solvendo non est, resignaturus ad ejusmodi specificationem tenetur, quia ex postfacto apparet aliena possedisse. Similiter in materia *torturæ* hanc mihi generalem regulam concipio: *Omnis & solus qui condemnaretur rebus sic stantibus si causa esset civilis, ille in causa criminali est torquendus.* Quia in causa criminali nemo condemnatur, nisi confessus. Ad confessionem igitur cogendus est, qui criminis convictus est. Unde ille etiam torqueri debet, qui exceptionem suam probare non potest, *sondern er muss sie auf der Tortur erhalten.* Quia qui in civilibus exceptionem probare non potest, condemnatur. Hæc una regula est instar multarum, quæ de indiciis ad torturam sufficientibus vulgo extant. Ita in plerisque materiis res ad talem propositionem reciprocam reduci posset. Qua de re multa admonuit Cl. *Feldenus* tum in notis ad *Hugonem Grotium*, tum in elementis Jurisprudentiæ. Et hæc de præceptis intermediis. *Specialissima* verò ut plurimum juris positivi sunt, & in solennitatibus consistunt, suntque generalibus demtis admodum pauca. Sæpe enim una regula, aut altera, totus aliquis titulus absolvetur. Specimen hujus rei Deo juvante daturus sum aliquando in *Menochii* & *Mascardi* libris de præsumtionibus & probationibus, qui quanticunque sunt, poterunt tamen in paucas vix plures quàm 100. naturalissimas regulas ita contrahi, ut liceat inde cætera omnia, manifesta consequentia derivare. Laborem illum nostrum: Compendium *Menochii* & *Mascardi* de probationibus & præsumtionibus, inscribemus.

§. 27. A titulis eorumque dispositione veniamus ad *Subtitulos*. Subtituli autem hi sunt: Forma seu definitio, subjectum, causa, effectus, contrarium seu destructivum. Non ignoro, variè a variis hæc assignari,

sed

sed si accuratiùs dispexeris, omnia ad hæc reducuntur. In his digerendis inprimis diligens est *Wesembecius*, & illi quoque qui classes actionum scripsere: *Oldendorpius* & *Haersolte*. Sed de subtitulis fusiùs dicere ad doctrinam topicam pertinet. Hi igitur subtituli in quolibet titulo seu materia sunt observandi.

§. 28. Et hæc de Jurisprudentia didactica, seu elementis juris, quæ non JCtis solùm, sed & Theologis Medicisque tenenda sunt. Nam Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinamque didacticam decet Theologos, JCtos, Medicos, singulos cunctas scire; etsi interea necesse non sit unum in controversias & subtiliora alterius se intromittere, quæ ad partem cujusque polemicam pertinent. Et scio magnos viros in senectute pœnitentiam egisse spretæ in juventa Jurisprudentiæ, quæ quantum Theologo prodesse possit, demonstravimus supra §. 5.

§. 29. Tantùm de *Jurisprudentia didactica*, nunc ad *historicam* pes promovendus. Jurisprudentia historica est vel *interna* vel *externa*: Illa ipsam Jurisprudentiæ substantiam ingreditur, hæc adminiculum tantùm est, & requisitum. *Historia juris interna* est, quæ variarum rerumpublicarum jura recenset: qualia extabant olim opera *Aristotelis* & *Theophrasti*, sed quibus ad nostram usque ætatem vita non superfuit. Habemus *leges Mosaicas* in sacra scriptura, quarum cum Romanis comparationem paulo post *Justinianum* Græculus aliquis instituit, hodie verò diligentiorem ea in re operam *Zepperus* navavit. Legum *Ægyptiarum*, *Persicarum*, *Scythicarum* extant reliquiæ apud *Herodotum*, in *fragmentis Ctesiæ* & *Diodoro Siculo*. *Græcorum* instituta diligentissimè persecutus est *Pausanias*, & nostri ævi velut alter *Pausanias*, *Meursius*. Jura *Romanorum* satis cognosci ex variis eorum monumentis possunt, de quo mox. *Gentium* primò *barbararum* postea excultarum jura, scilicet Longobardorum, Gothorum, Francorum, leges Salicæ, aliaque id genus vetustatis monumenta collegit unoque volumine edidit *Lindenbrogius*. Nihil dicam de bullariis Pontificum, nihil de Gallico codice, *Land-Recht* & *Weichbild* Saxonum, statutis Polonorum, corpore juris Prutenico, consuetudinibus Italorum magnam partem collectis a Cardinali *Tuscho*, nihil de juribus Saxonum Hungaricorum, consuetudinibus Marchicis, aliisque id genus gentium moribus prope infinitis. Ex his aliisque omnibus undecunque collectis, Deo dante, conficiemus aliquando *theatrum legale*, & in omnibus materiis omnium gentium, locorum, temporum placita παραλλήλως disponemus. Historia juris Romani in specie etsi a *Forstero* in *historia juris*, & *Jac. Gothofredo* in *manuali* adumbrata sit; desidero tamen specialiorem recensionem, quid a quolibet tribuno per plebis scita, aut a quolibet consule per SCta, prætore per edicta, & Imperatore per constitutiones ordine innovatum sit, donec in hanc formam jus Romanum crevit. Hoc igitur nos, libello: de *autoribus juris Romani* aliquando exequemur, qui libenter ab aliis neglecta aggredimur.

§. 30. *Histo-*

§. 30. *Historia externa* ad Jurisprudentiam necessaria est. *Historia Romana* ad intelligendum jus civile; *ecclesiastica*, ad intelligendum jus canonicum; *medii ævi* ad intelligendum jus feudale; *nostrorum temporum*, ad intelligendum jus publicum.

§. 31. *Historia Romana* est quadruplex: *Reipublicæ liberæ*, historia *Augusta*, historia Imperatorum *Græcorum ante Justinianum*, & denique *post Justinianum*. *Historia reipublicæ liberæ* per compendium tradita est tum a *Lucio Annæo Floro* in compendio rerum Romanarum, per *Freinshemium* exornato; tum in alio *Floro Livii* epitomatore, de quo *Martialis*:

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea vix totum bibliotheca capit:

denique in *Justino* epitomatore *Trogi*, quem *Matth. Berneggerus* accuratè perpolivit. Fusiùs verò res Romanas ante *Augustum* descripsere: *Titus Livius Patavinus*, *Dionysius Halicarnasseus*, *Plutarchus* in *parallelis*. *Dio* verò *transitum Romæ a democratia ad monarchiam* memoriæ consecravit. Nec inutiliter recentiores addentur: *Joh. Zamoscius*, *Carolus Sigonius*, *Fr. Robortellus*, *Manutius*, *Turnebus*, *Lipsius*, *Joseph. Scaliger*, *Th. Demsterus a Muresk*, *Octavius Ferrarius*, *Fortunius Licetus*, *Janus Gruterus*, inprimis ejus *fax critica* (velut tractatus tractatuum philologicorum,) & *inscriptiones*, quarum supplementis Cl. vir *Th. Reinesius* immortuus est. Nihil de *Salmasii pallio* & *militia romana*, *Budæi asse*, *Gronovii sestertio*, *Bartholini penula*, *Barthii adversariis*, variis denique variorum in rem Romanam curis dicam. Addi poterunt ii, qui in notis ad autores sua collectanea per occasionem effuderunt. Ex hac historia haurientur *leges* XII. *tabularum*, *jura prætoria*, *origo JCtorum*, & quæcunque *Ciceronis* ævo vel antea apud Romanos obtinuerunt. Illo tempore Jurisprudentia Romana nihil a naturali recesserat, quia nondum ad libidinem dominantium leges inflectebantur.

§. 32. *Historia Augusta* est ab *Augusto* usque ad *Constantinum* magnum. Unde & ita inscribuntur variorum Historicorum libri a *Frid. Sylburgio editi*, & in Belgio aliquoties aliter formati. Hanc nobis reliquere *Dio Cassius*, *Suetonius*, *Tacitus*, *Vellejus*, *Herodianus Græcus scriptor*, *Ælius Lampridius*, aliique minutiores. Nec parum ad illustrandam illam conferunt *panegyrici* variorum, qui nunc ut plurimum *Plinii junioris* epistolis adjunguntur. Addendi, qui sub Imperatoribus floruere: *Philo*, *Josephus*, *Martialis*, *Statius*; & scriptores ecclesiastici: *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Eusebius*. Sub Imperatoribus autem jura Romana multum a prisca simplicitate recesserunt. Primus *Augustus fideicommissa* introduxit & *codicillos*; sub *Hadriano edictum perpetuum* concinnatum est; quid *Marcus*, *Verus*, *Commodus*, *Severus* & *Antoninus*, *Diocletianus* denique & *Maximianus* contulerint, partim *codex*, partim Jurisconsultorum reliquiæ docent.

§. 33. *Histo-*

§. 33. *Historia Græca ante Justinianum* a *Constantino* magno usque, hauriri potest ex scriptoribus historiæ ecclesiasticæ, & profanis: *Ammiano Marcellino*, *Zonara*, *Orosio*, *Jornande*, *Procopio*, tum in *historia* dudum vulgata, tum inprimis in *historia arcana*, ubi *Justiniani* vitia detexit, quæ a *Nic. Alemanno* primùm edita, a Cl. *Eichelio* Helmestadii revisa est. *Th. Rivius* Anglus scripsit apologiam *Justiniani* contra *Procopium*, & *Paganinus Gaudentius* tractatum elegantem de moribus seculi Justinianei. Legantur huc *Sidonius Apollinaris*, *Ausonius*, *Claudianus*, *epistolæ Symmachi*. Addatur *notitia imperii orientalis & occidentalis* per *Guidonem Pancirolum* cum notis edita, ad intelligendum *librum* I. 10. 11. 12. *Codicis*. Nec inutiliter legetur *Fr. Hottomanni Anti-Tribonianus*.

§. 34. *Historia sequioris Græciæ* sumenda inprimis ex *Cedreno*: status aulæ ex *Curopalatæ* libro de officiis. Addantur & duo autores græci, quorum unus scripsit *historiam Mauritii*, alter *historiam captæ Constantinopoleos*, quos edidit cum notis Jesuita *Pontanus*. Nominum non recordor, quia sine libris sum. Denique *originem & gesta Turcarum* persecutus est *Laonicus Chalcondylas* Græcus. *Saracenorum* historia ab *Elmacino* scripta est. *Expeditiones in Palæstinam*, seu *bellum sacrum* grandi libro exponuntur, titulus est: *Gesta Dei per Francos*. *Jura* verò *sequioris Græciæ* ex *Basilicis* constant, & *epitome Harmenopuli*, aliisque reliquiis diligenter recensitis a *Jac. Gothofredo* in *manuali*, quem non exscribo. Jus hoc Græcum admodum illustravit *Jac. Cujacius*. Nostris temporibus multum in eo posuit operæ *Carolus Hannibal Fabrotus*. *Josephi Mariæ Suaresii notitia basilicorum*, recentissimæ Gallicæ *basilicorum* editioni addita est. Multa adhuc latent non in Oriente tantùm, sed & in bibliothecis Europæ; quemadmodum spes facta est, Budensem nuper Viennam translatam, nonnulla hujus generis attulisse: quæ paulatim omnia dies producet.

§. 35. Post *historiam* Romanam ad intelligendum jus civile, sequitur *ecclesiastica*, ad intelligendum jus canonicum. Quæ est vel *totalis* vel *partialis*. *Totalis* est vel *compendiosa* vel *fusa*. *Fusa* est in *centuriatoribus Magdeburgensibus*, *annalibus Baronii*, *annalibus Bzovii Baronium* continuantibus: Addantur *Torniellus* & *Salianus*. *Compendiosa* est *Pappi*, *Joh. Henr. Hottingeri* indigna nuper morte defuncti, *Gothana* nupera; *Joh. a Laet historia universalis*, cujus dimidiam semper partem rebus ecclesiasticis magno studio impendit; *Spondani* epitome Baroniana, *Osiandri* epitome centuriatorum Magdeburgensium.

§. 36. Historia ecclesiastica *partialis* est rituum, martyrum, patrum, dogmatum, conciliorum, hæresium, regiminis, pontificum, ordinum ecclesiasticorum. De *ritibus* habemus *Joh. Baptistam Casalium*. Adde inprimis, quæ in commentario ad dictum *Tertulliani*: *Fiunt*, *non nas-*

cuntur Christiani, part. I. ordine alphabetico collegit Cl. *Zimmermannus*. Huc legenda: *Casauboni animadversiones ad Baronium*, *Richardi Montacutii* & *Baronio* & *Casaubono* adversantis scripta, *Salmasii apparatus*, varii tractatus *Joh. Dallai*. De *martyribus* sunt variorum *martyrologia*, ut *Bedæ*, *Usuardi*, *Molani*, *Baronii*: huc pertinet tractatus *de suppliciis veterum Christianorum Nic. Gallonii*; item *vitæ sanctorum* per *Laurentium Surium* grandibus tomis comprehensæ. In *Patribus*, qui scripta nobis reliquerunt, variorum diligentia se exercuit: Olim *Hieronymus* scripsit *de scriptoribus ecclesiasticis*, hodie *Bellarminus* ex Romano Catholicis; *Joh. Gerhardus* Lutheranus reliquit *patrologiam*, *And. Rivetus* Reformatus *criticum sacrum*. Eodem argumento occupatur censura *Coci*; & *Raynoldi de apocryphis*, & *contra Hartum* liber. Quo pertinent *scripta patrum orthodoxographa* simul edita, & cujus hæc præludium fuere, ipsa *bibliotheca Patrum* recusa aliquoties, & nunc demum Parisiis vasto labore edita.

§. 37. Historia *dogmatum ecclesiasticorum*, seu quid quolibet tempore & loco quisque in quolibet articulo senserit, diligenter collecta est a *Dionysio Petavio* ex Romano-Catholicorum sententia in grandi illo *de dogmatibus* opere totam Theologiam complexo; a *Joh. Gerhardo* in laboriosissima *confessione catholica* pro Lutheranis, quam filius *Joh. Ernestus Gerhardus* in compendium contraxit; quo pertinet & *catalogus testium veritatis Matth. Flacio* directore collectus. Pro Reformatis verò in colligenda Patrum harmonia laboravit *Joh. Forbesius* in nobili opere *instructionis historico-theologicæ*. Dogmata autem utplurimum in conciliis stabilita sunt: hujus igitur loci est historia *conciliorum*, quam contraxere *Fr. Longus Coriolanus* in *summa conciliorum*, & *Barth. Caranza* in *summa conciliorum & pontificum*. Ipsi verò *tomi conciliorum* Coloniæ primùm editi sunt; postea aliquoties in Gallia, & postremum sumtuosissimo illo opere, regia pecunia exarato. Aliam, ut audio, editionem minùs splendidam sumtuosamque Galli compressioribus literis moliuntur, ne planè destituatur utilissimo opere, cui arctiores paulo res sunt. Dogmatum in his conciliis rejectorum seu *hæresium catalogum* scripsit olim *Augustinus* ad *Quodvultdeum*, cui notas addidit *Lamb. Danæus* Reformatus; scripsit & *de hæresibus Alphonsus a Castro* Romano-Catholicus, & *Conrad. Schlüsselburgius* Lutheranus in *catalogo hæreticorum*.

§. 38. Historiam *regiminis ecclesiastici* seu hierarchiæ fuse pertexuit *M. Antonius de Dominis* in *republica ecclesiastica*. Adde scripta *de potestate Papæ Roberti Bellarmini*, & contra *Bellarminum Guilielmi Barclaji* & ipsius regis magnæ Britanniæ *Jacobi*, cui se opposuit *Matthæus Tortus* personatus scriptor pro *Bellarmino*, quem excepit edita pro rege *tortura Torti*. Addantur varii scriptores de *hierarchia ecclesiastica* Romano-Catholici; item qui scripsere de *libertate & privilegiis ecclesiæ Gallicanæ*,

næ, quorum posset texi catalogus ingens. Item, qui *pro Ludovico Bavaro imperatore* contra potestatem Pontificum scripsere: *Marsilius Patavinus*, *Guilielmus Occam*, aliique, quorum reliquias in unum volumen collegit *Melchior Goldastus*. Historia *Pontificum* extat *Platinæ*, *Onuphrii Panvinii*, *Stellæ*, *Dieterichii*, *&c.* Huc pertinet *historia Cardinalium*, & prodiit sanè nuper *de Cardinalibus commentarius*: extat & tractatus *Freinshemii*, in quo ventilatur quæstio *præcedentiæ inter Sac. Rom. Imperii Electores*, *& Cardinales*. Episcopatuum, monasteriorum, templorum, aliorumque quæ posterioribus ecclesiæ temporibus invaluerunt, historia collecta est a *Rud. Hospiniano* Reformato in libris *de origine templorum & monasteriorum*: Cui jungi potest *Himmelius de canonicatibus*. Et historia *academiarum Joh. Middendorpii*, *Lansii*, *Limnæi*. Quo pertinet *historia theologiæ scholasticæ*, quam in prolegom. ad *Petr. Lombardum* perstrinxit *Lambertus Danæus*. Possem hic longum catalogum eorum texere, qui variorum *Ordinum* in specie *annales* scripsere, v. g. Minoritarum, Dominicanorum, Cistercienſium, Carmelitarum, Augustinianorum, Carthusianorum, Minimorum, Societatis Jesu, &c. si necessaria esset Jurisconsulto specialis horum cognitio. *Societatis* tamen *Jesu historia* inprimis digna legi, ea maximè, quæ Romæ in folio prodiit & toties continuatur, quoties aliquis Generalis decessit. Item *bibliotheca societatis Jesu*, quam edidit *Phil. Alegambius*. Ita igitur historiam ecclesiasticam absolvimus Jurisconsulto Politicove hodierno accuratè cognoscendam, ne plebis more imperito zelo rapiatur, sed ut, cognitis omnium opinionum principiis, possit sine affectu defæcata mente judicare; multum enim negotiis civilibus religionis tractatio immiscetur. Plerumque autem in singulis historiæ ecclesiasticæ capitibus ex omnibus Religionibus in Imperio approbatis, autores adduximus, ne quis ab adversæ partis homine sibi imponi vereatur.

§. 39. Historiam ecclesiasticam ad intelligendum jus canonicum sequitur *historia rerum Germanicarum*, seu medii ævi ad intelligendum jus feudale. Huc pertinent plurimi illi minuti scriptores, quales *Otto* Frisingensis, Abbas Urspergensis, *Adamus* Bremensis, *Albertus* Stadensis, *Gobelinus Persona*, *Luitprandus*, *Guntherus* in Ligurino, *Sigebertus* Gemblacensis, *Saxo* Grammaticus, aliique passim a *Simone Schardio*, aliisque in tomis rerum Germanicarum editi. Nil dicam de iis, quos in Anglia eruit *Seldenus*, quos in Polonia recensuit *Starovolscius* in *hecatontade scriptorum Polonicorum*. Nec inutiliter accedent chronica: *Lehmanni* Spirense, *Kyriandri* Trevirense, *Nic. Serarii* Moguntinum. Item annales Danici *Joh. If. Pontani*; & omnino res septentrionales *Olai Magni*, res Islandicæ descriptæ per *Jonam Arngrin*; res Anglicæ per *Cambdenum*, Scoticæ per *Buchananum*, Hybernicæ in edita non ita pridem *lyra Hybernica* Gallicæ per *Paulum Æmilium*, *Joh. Tilium*, *Serranum* in

inventario; Hispanicæ per *Marianam*, Lusitanicæ per *Osorium*; Bohemicæ per *Dubravium*, Polonicæ per *Cromerum*; Misnicæ per *Fabricium Chemnicensem*, Frisicæ per *Ubbonem Emmium*, Westphalicæ nuper per *Joh. Justum Winckelmannum*, Belgicæ per *Ant. Thysium*, Silesicæ per *Curæum*, Carinthiacæ per *Megiserum*, Austriacæ per *Cuspinianum* & *Gerhardum a Rhoo*; Helveticæ per *Stumpfium*, Slavicæ per *Helmoldum*; Venetæ per *Bembum*, Siculæ per *Fazellum*; Suevicæ per *Crusium*, Bavaricæ per *Aventinum*; Ungaricæ per *Ortelium*, & *Nadastii* Florum Ungaricum. Omnes congerere nihil opus. Addantur, quod res Germanicas attinet, scripta *Freheri*, *Goldasti*, *Meybomii*, *Lindenbrogii*, *Conringii*, & *Besoldi*. Addantur, qui de originibus feudorum scripsere, inprimis *Cujacius* & *Hottomannus*. *Hottomanni* item Franco-Gallia, multique alii gloriæ nunquam intermoriturae viri: Item lexica Germanica, de quibus in Jurisprudentia exegetica infra.

§. 40. Sequitur *historia hodierna* ad intelligendum jus publicum. Hodiernam autem appello, quæ proximum & præsens seculum; XVItum & XVIImum complectitur. Superioris seculi res plerumque religioni involutæ sunt. Eas descripsere *Sleidanus*, & æmuli *Sleidani*: *Gennepius* & *Laurentius Surius*. Huc pertinet *Cochlæi* apud Romano-Catholicos, & *Mathesii* apud Augustanæ confessionis socios historia *Lutheri*. Epistolæ *Erasmi*, item *Philipp. Melanchthonis*, non sine fructu legendæ, fuit enim vir ille pacis amantissimus. *Chytræi* historia augustanæ confessionis, *Hospiniani* concordia discors, & contra *Hutteri* concordia concors; Historia concilii tridentini *Petri Suavis Polani*, id est *Pauli Sarpii Veneti*, de qua judicium suum exposuit *autor dissertat. de tribus historicis concilii Tridentini*. Instar omnium est *Jac. Aug. Thuanus*, vir veterum laudibus nihil cessurus, *Livius* nostri ævi, in stupendo historiarum volumine. In rebus Belgicis excellit *Em. a Meteren*, & nulli veterum virtute secundus, *Tacitus* nostri seculi: *Hugo Grotius* in annalibus Belgicis. Bellum Cyprium a fœderatis cum Turca gestum descripsit *Petr. Bizarrus*. Nostro seculo legendus est *Grammondus*, & de bello Germanico *Caraffa* in Germania sacra restaurata; & brevis, sed elegantissimus *autor compendii rerum Germanicarum anonymus*, qui a primis Bohemicis initiis ad Lipsiam usque a *Torstensohnio* captam pervenit; nec prætereundus *Bogeslaus a Chemnitz*, si verum hoc ejus nomen est, qui fuse res Germanicas explicuit. *Grammondi* quædam de proximis temporibus adhuc premuntur ut audio, edenda cùm periculum absuerit. Commendatur & historia horum temporum *Vict. Syri*. Nihil dicam de *Theatro*, nihil de *Diario Europæo*, vastis operibus semperque crescentibus. Vigilandum verò inprimis est in colligendis, scriptis publicis varia occasione prodeuntibus: Manifestis, pasquillis, aliisque, ex quibus singularis rerum cognitio hauriri potest. Talia collegit *Hortlederus* in libro

bro *von Ursachen des Kriegs in Teutschland*, *Lundorpius* in Actis publicis nuper recusis, ejusque continuator *Meyerus.* Inprimis quoties controversiæ Jurispublici scriptis editis ventilatæ sunt, danda JCto opera est ut potiatur, quales: Causa tutelæ Palatinæ, Donawerdensis, Brunswicensis, Erfordiensis, Wildrangiatus, juris coronandi inter Moguntinum & Coloniensem, aliæque publicè celebratæ, consulantur, quæ nuper Cl. vir *Joh. Th. Sprengerus* de prætensionibus illustribus & alias juri publico illustrando, composuit. Etsi autem & *Dominicus Arumæus* & *Joh. Limnæus* de jure publico grandibus libris disseruerint, tam multa tamen aliena immiscuere, ille ex jure privato, hic ex historia & philologia, ut ego non dubitem, quin omnia quæ revera juris publici sunt, ex iis in brevem libellum contrahi possint: unde molior *compendium juris publici ex Arumæo & Limnæo*, nihil superflui admissurum, nihil necessarii omissurum. Interea *Lampadius* legatur, in quem notas egregii viri *Herm. Conringii* dudum expectamus. Præ *Hippolyti a Lapide* de ratione status famoso prope in domum Austriacam libello legatur commentarius de ratione status Cl. viri *Joh. Wolffg. Textoris*, & *Stephani de Monzambano* nuperrimus, ambo lectu digni.

§. 41. Hoc loco operæ pretium esset conscribi *historicam irenicam* a primis schismatis initiis ad nostra usque tempora. Tentarunt enim conciliationem *Erasmus Roterodamus*, *Phil. Melanchthon*, *Mart. Bucerus*, *Julius Pflug* Episcopus Naumburgensis, cæterique, quorum consilio, bono sanè si successum habuisset, interim confectum est. Inde concordiam moliti sunt, rationesque ejus ineundæ partim ediderunt *Georg. Cassander*, *Georg. Wicelius*, *Andreas Fricius Modrevius*, *Cardinalis Lotharingius* in Colloquio Possiaceno cum *Theod. Beza* recensente *Thuano*; deinde *Jac. Acontius*, in libro de stratagematis satanæ, *Marcus Antonius de Dominis*, *Pareus* in Irenico, ipse *Thuanus* in præfatione Historiarum, *Grotius*; *Calixtus*, in Helmestadiensi, *Dreierus* in Regiomontana academia; autor, sed minimè ferendus, *irenici irenicorum* cum *Comenio* velitatus; *Joh. Duræus* Scotus, *Joh. Matthæi* Episcopus Suecus in ramo olivæ septentrionalis; denique proximè collocutores *Rintelensis* & pacificatores *Marchici.* Hi, ut iterum dicam, propterea JCto cognoscendi sunt necessariò, ut discat distinguere controversias, desinatque in alios ob qualemcunque opinionis vel cæremoniarum dissensum fulminare.

§. 42. A Jurisprudentia historica pergo ad *exegeticam.* Nam etsi exegetica quodammodo historica sit, enarrat enim, quis de facto sensus fuerit legislatoris; tamen, quia latissimè fusa est, meritò separatim tractatur. Duplex autem est, alia *ex textu*, alia *ad textum.* Illa ex variis textibus simul, non ordine textuum, sed alio aliquo colligitur; hæc κατὰ πόδα ad ipsos textus accommodatur, librisque immediatè alligata est.

eſt. Illa pertinet ad *Philologiam juris*, ad imitationem Philologiæ ſacræ *Sal. Glaſſii*; hæc ad *commentarios juris*.

§. 43. *Philologia juris* conſiſtit in applicatione Diſciplinarum ad Jurisprudentiam; & dividitur in Grammaticam, Didacticam, Rhetoricam, (quo pertinet & Poëtica) Hiſtoriam, Ethicopoliticam, Logico-Metaphyſicam, Phyſicam denique legalem: de quibus pluribus in noſtro *ſpecimine quæſtionum philoſophicarum ex jure collectarum*. Add. Cl. viri *Chriſt. Woldenbergii* JCti Roſtochienſis manipulos juris. Si cogitata nobis exequi licuerit, cujus rei tunc ſpecimen dedimus, totam aliquando tentabimus elaborare, ac titulo: *Philologiæ ac Philoſophiæ legalis*, in medium producere; quam in rem multa non vulgaria a nobis ſunt obſervata.

§. 44. *Grammatica legalis* ante omnia requirit *Concordantias juridicas*. Ea enim in parte hactenus Theologi JCtos vicerunt. Nolim tamen rem ad eam nimietatem, qua Theologi ipſi nunc laborant, excreſcere. Poſſent & theologicæ & juridicæ concordantiæ eſſe *portatiles*, ſi obſervarentur tantùm loca inſigniora, & in iis uſus vocis ſingularior, quid enim opus, omnia penitus ſimilia colligere? Obſervetur autem vocis 1) *ſignificatio*; 2) *derivatio*; 3) *appoſita*, quando ſubſtantiva conjunguntur, v. g. voces: *vis & poteſtas*, ſæpe conjungi obſervatum eſt, ut in definitione *Tutelæ* vulgo annotant; 4) *epitheta*, quando adjectiva conjunguntur; 5) *oppoſita*; 6) *conſtructio* vel *declinatio*, v. g. *vis* in genitivo apud JCtos uſurpatur: hujus *vis*. Sunt igitur hæ juris Concordantiæ nihil aliud, quàm index verborum.

§. 45. Has ſequitur *Lexicon juridicum*, quod refert ea quoque ad vocem, quæ in libris legum reperta ad eam pertinent, etſi non nominetur, v. g. quoties vocabuli ſynonymia vel periphraſis, non ipſum vocabulum ponitur, hoc non poteſt in Concordantias, ſed in Lexicon ſub illud vocabulum referri. Huc pertinent & homonymiæ ex variis legum locis colligendæ. Lexicon etiam non ad ſolos juris libros reſtrictum eſt, ſed per omne interpretum genus volitat, uſumque vocabulorum ex iis obſervat; Quia hodie communis doctorum modernorum opinio magis ſæpe in decidendis controverſiis, quàm vetus Romanorum lex, valet. Lexicon autem juridicum non tam opus eſt novum confici, quàm augeri vetera, qualia ſunt: *Oldendorpii*, *Schardii*, *Calvini*, *Speidelii* Latina; ex quibus ſequens ut plurimum præcedentem exſcripſit, auctoque parum ejus labore, minimè laudanda ambitione ſuum nomen indidit: Deinde *Wehneri* in obſervationibus, *Beſoldi* in theſauro practico, *Speidelii* in notabilibus; Germanica. *Speidelius* verò cæterorum ſupplementis auctus, titulo *ſpeculi*, in folio prodiit; *Beſoldum* quoque Clar. *Dietherrus* revidendum augendumque Noribergæ nunc ſub manibus habet. Cumque voces in his Lexicis occurrentes ut plurimum ſint aut Germanicæ,

manicæ, aut barbaræ ex Germanicis in Latinas detortæ: hinc legendi, qui de Germanicis vocibus commentati sunt, quales *Joh. Goropius Becanus* in variis operibus, *Joh. Isaacus Pontanus* in originibus, *Schottelius in der Teutschen Sprachkunst*, multique alii *Schottelio* citati. Voces Latino-Barbaras collegit *Gerb. Joh. Vossius* in opere de vitiis sermonis; Græco-Barbaras *Meursius* in glossario.

§. 46. Sunt & alia grammatica ex jure observanda, v. g. Orthographia legalis *Olingeri* prodiit; & pretium operæ est, considerare *rationem scribendi* in *Pandectis Florentinis* mirè diligentem, & accuratam, & retinentem antiquitatis. Nec prætereundæ notæ veterum, quarum hinc inde fragmenta supersunt; Memini, videre me peculiare veteris cujusdam autoris *de notis* opusculum. Addatur & *Justi Lipsii* elegans de notis epistola, ac super eam Comm. *Meisneri* in Misnia rectoris. Nec negligendæ singulares quædam in jure loquendi rationes examinatæ a *Laur. Valla*, defensæ a *Budeo*. Priscianismos quin etiam juris observare sibi visus est *Ant. Matthæi* in collegio fundamentorum juris. Nec abludunt ab hoc loco derivationes quædam juridicæ ridiculæ, v. g. *Varronis* de fundo, qui mitti possit funda; *Accursii* de irenarchis, quod iram arceant; nescio cujus de ecclesia Laterana, quæ dicatur quasi latens rana, quam ibi *Nero* evomuerit, &c.

§. 47. Nec contemnenda ad *Rhetoricam* colligi ex JCtis veteribus possent. Quemadmodum enim de Tropis Scripturæ scripsit *Barth. Westhemerus*, ita de *tropis legum* neminem adhuc scripsisse miror, nisi, quod Cl. *Woldenbergius* quasdam juris metaphoras, adagia, versusque Glossæ collegit. *Formulas* etiam *ex jure* operæ pretium esset colligi, v. g. inchoandi, finiendi, increpandi, refutandi, laudandi. Ita posset Jurisconsultus in scribendo, stylo legum uti, quemadmodum Theologi sacro, quod esset ei ornamentum insigne. Huc pertinerent *adagia juris*; vid. *Dn. Brandes*, id admonentem in tract. de vera Jurisprudentia: Specimen dedit Dn. *Woldenbergius*, quemadmodum adagia sacra scripsit *Martinus Del-Rio*, & *Zehnerus*, adagia Patrum *Aloys. Novarinus*. De charactere etiam seu forma orationis in legibus multa non contemnenda dici possent, quæ alia est in Digestis & Constitutionibus Imperatorum veterum; & alia prolixior longè & loquacior in Constitutionibus Imperatorum Græcorum. Unde insignes viri sæpe latentem sub veterum Jurisconsultorum nomine Tribonianum, præminentibus velut Arcadici pecoris auribus, styli judicio deprehenderunt. Ad *poeticas* h. l. observationes pertinent versus casuales, seu qui autoribus præter opinionem excidere. Tales nonnullos ex jure *Bachmannus* & *Helvicus* observavere in poëtica Giessensi. *Gothofredus* quoque nonnunquam in notis, *Barthius* in adversariis, & *Vossius* in institutionibus oratoriis.

§. 48. *Didactica juridica* est hæc ipsa quam nunc scribimus, in qua metho-

methodus disponendi, docendi, discendi juris explicatur: quo pertinent variorum reperta *mnemonica*, vel per versus, v. g. memoriale juridicum *Buckſylberi*, vel per figuras picturasque. Quidam virginem commenti sunt vario ornatu, per cujus lacinias & mundum muliebrem tituli juris concordantes justo ordine diffundebantur. Fuit & qui asini figura omnes juris materias repræsentare conatus est; posses hanc verè pontem asinorum dicere. Sed tutissimum mnemonicæ genus est: Methodus solida & accurata. Pertinent ad *didacticam* & *gradus legum*, qua in re prodiit non ita pridem opusculum Heidelbergæ, mira diligentia concinnatum, cujus autor, perlectis expensisque legibus, omnes totius Corporis in 5. gradus distribuit necessitatis & utilitatis. Qui labor mirè poterit juvare eum, qui Juris Corpus perlecturus est; habet enim in illo libello δακτυλοδεικτῶν utiliorum & maximè necessariorum. Operæ pretium esset, si in nova aliqua editione Corporis Juridici pro singulis gradibus certa legibus signa adderentur; ita haberet lector uno obtutu, quid quando sibi legendum vel transiliendum esset. Add. catalogum legum difficiliorum, & ut ipse vocat, candidatoriarum in manipulis Cl. *Woldenbergii*.

§. 49. *Historia legalis* dudum prælibata est §. 29. ubi occasione historiæ externæ, quæ magis requisitum quàm pars Jurisprudentiæ est, internam quoque præoccupavimus: Hoc tamen loco addenda, quæ ad *exegeticam* immediatè pertinent, *cohærentia legum in Digestis apud suos autores*, quam ope τῶν ἐπιγραφῶν magno studio in *indice* suo concinnavit *Jac. Labittus*, cujus opera effectum est, ut *Paulum*, *Ulpianum*, *Cajum*, *Modestinum* non laceratos, sed continuos habere nobis videamur. Quatuor ejus usus per exempla demonstravit *Labittus*; potissimus est, quod cognita hac ratione συνάφεια textus, lex legem explicet, & ἐναντιοφανείας tollantur. Pertinet & ad historiam legum catalogus *abrogatorum* Bigonii. Et ἁμαρτήματα μνημονικὰ multis insignibus viris non vitata, qualia in *tit. de orig. jur.* nonnulla admisit *Pomponius*, aut potiùs quod volebat *Hottomannus*, sub ejus nomine *Tribonianus*.

§. 50. *Ethica* & *politica legalis* sequitur, qua de re *Olingerus* in ethica legali, *Vincentius Turturetus* in parallelis ethico-juridicis, *Ad. Keller.* in Offic. jurid. polit. *Bodensteinius* in Jurisprudentia politica. Multa etiam ad ethicam politicamque pertinentia in suo Commissario requisivit & explicuit *Rutgerus Rulant. Jacobus Gothofredus* quoque in suo manuali per totum Juris Corpus axiomata quædam magnam partem ethico-politica collegit, quibus ordo tantùm certus systematicus, facili negotio addendus, deest. Add. sententias ethico-politicas in Cl. *Woldenbergii* manipulis. *Physica* verò juris fuse explicata est in *Pauli Zacchiæ* quæstionibus medico-legalibus, & *Joh. Bapt. Codronchii* methodo testificandi in quæstionibus medico oblatis. *Geometriæ juridicæ* specimen dedimus in ratione reddenda *l. ult. D. fin. regund. specim. Quæst. Philos. ex jur.*

jur. quæst. 3. *Arithmetica juridica* copiosa in Legibus est messis, addatur *Budæus* de asse, & *Joh. Bapt. Costa* tr. de quota & rata. Et nos in *arte combinatoria problem.* 3. *n.* 16.

§. 51. Sed Logica inprimis & Metaphysica juris omittenda non est, seu regulæ quædam philosophicæ in jure obtinentes, quas regulis juris vulgo malè immiscent. In regulis talibus studium posuere autores plurimi logicarum juridicarum: *Fr. Hottomannus* in institutionibus dialecticis, *Joh. Th. Freigius* in Logica Jurisconsultorum, *Mart. Schickardus* Logica juridica; *Nic. Vigelius*, *Matth. Stephani* & *Dan. Otto* in Dialecticis juris; *Nic. Everhardus* in locis argumentorum legalibus, & *Georg. Adamus Brunerus* in synopsi topicorum *Everhardi*; *Joh. a Felde* manuscriptis notis ad topica *Aristotelis*, ubi cunctas ferè in illis regulas longè supra millenarium numerum excrescentes, selectis exemplis juridicis illustrat. Dignum opus, cui ab autoris manu ultima lima accedat, & typis publicis digna vestis. Hi igitur ex professo regulis philosophicis ex jure abstrahendis operam dedere. Idem obiter ac passim fecere barbari illius ævi JCti in suis ad leges commentariis, quorum non minima pars erat regularum generalium ex lege eliciendarum cura, adeo ut ad extremum nimia ac pene superstitiosa esset. Quid barbarius, quàm ex *L. Barbarius. D. de offic. præt.* exsculpere regulam: *Quòd error communis faciat jus*? Non tamen ob hos nævos veterum nobis regularum & Brocardicorum studium planè abjiciendum est, quod *Jac. Cujacius* & *Claudius Cantiuncula* nimio vehementius suaserunt. Ad hanc Logicam juris pertinent Jurisconsultorum rationes definiendi, dividendi, casus formandi per artem combinatoriam; quæ *Jac. Gothofredo* in manuali, *artis casuandi* nomine veniunt: *Pauli Busii* subtilitates juris. Item legum παροράματα logica & petitiones principii, quarum aliquas peculiari dissertatione, *collegio fundamentorum* inserta collegit *Ant. Matthæi.* Observavimus & syllogismos eorum nonnullos in forma peccantes. Huc pertinet & methodus in qualibet materia tractanda seu titulo observata, quæ in Digestis satis bona est, in Codice nulla, ibi enim *Tribonianus* non rerum sed temporum secutus est ordinem.

§. 52. Ad hanc Logicam juridicam pertinet & *conciliatio antinomiarum.* Hic vexatissima quæstio: denturne in jure antinomiæ? De quo ego non magis dubito, quàm de veritate *Horatianæ* sententiæ: *Atque opere in magno fas est obrepere somnum.* Præsertim cùm plures operis socios non iisdem semper credibile sit consiliis usos. Imò quicunque vestigia juris veteris in Digestis superesse tradunt, eo ipso admittunt antinomias. Volebat enim *Justinianus*, & profitebatur *Tribonianus* vetera omnia sublata. Quid dicam de contrariis inter se Jurisconsultorum sectis? Et sunt leges quædam, ubi in terminis unus alium dissentientem allegat, cujus deinde dissensus alio in Digestis loco expresse repe-

ritur. Idem Cl. JCtorum docent, ab aliis longo agmine introducti: Solius sacræ scripturæ est, sibi ubique constare. Ars solvendi antinomias consistit in eo, ut tueamur, aliud subjectum vel prædicatum esse in hac aliud in illa lege vel propositione, vel utrumque esse idem. Quibus autem modis probari *Aristoteles* diversitatem & identitatem posse ostendit, tot modis solvi possunt antinomiæ. Quod nos in *peculiari commentario de arte solvendi antinomias* pleniùs ostendemus. Antinomias porrò juris nóbilissimas jam olim plerasque glossatores veteres ante aut circa *Accursium* collegere: non ita multæ a posterioribus JCtis inventæ & superadditæ sunt, sed contra conciliatio solida ut plurimum recentiùs reperta est. *Accursius* conciliationibus abundat, sed incertissimis, quod ipse perpetuo illo suo, *vel dic*, fatetur. Sed magni illi Jurisprudentiæ restauratores *Duarenus*, *Cujacius*, *Hottomannus* Gordios hosce nodos plerosque secuerunt. Ex quorum scriptis conciliationes in unum collegere *Hub. Giphanius*, *Pacius* centur. ἐναντιοφανειῶν. *Nicol. a Salis* in Sicilimentis juris, *Nic. de Passeribus* in suo illo libro, ubi se jactat antinomias omnes solvisse; & reliqua ignobilior turba. Nos desideramus brevem antinomiarum recensionem vix quatuor plagulis constantem, ubi addatur una solum primaria solidaque solutio, allegeturque ejus primus inventor; aut si insolubilis antinomia est, id quoque magni alicujus viri autoritate breviter admoneatur. Tale breviusculum, opus, sed discentibus utilissimum, cùm otium erit, *Antinomici minoris* titulo moliemur; *major* enim est, qui fuse varias autorum solutiones rationesque earum ac difficultates enarrat.

§. 53. Philologiam ac philosophiam legum absolvimus tanquam interpretationis præliminaria. Sequitur *Interpretatio legum* ipsa, quæ est vel *simultanea*, unius legis cum alia, vel *solitaria* cujuslibet pro se. *Simultanea* est, quando vel *series* legum ostenditur vel *summa*, vel *paratitla* conficiuntur. *Series* legum haberi non potest, nisi habita *serie titulorum*. *Series titulorum* a multis adumbrata est in suis œconomiis juris, ut a *Wesenbecio* & *Giphanio*: Tabellis usus est *Wilh. Schmuccius* in nervosa synopsi juris civilis & canonici, cùm cæteri plerique posterius neglexerint. Ex recentioribus laudantur tum tabulæ Cl. viri *Joh. Ottonis Taboris*; tum series titulorum juris civilis inserta egregio manuali *Jac. Gothofredi*, ubi ille plurimos nodos ex historia & edicti perpetui ordine dissolvit. *Series legum* cujuslibet tituli in *Digestis* & *Decreto* ad certam aliquam ex re sumtam rationem, atque ita ad tabulas reduci potest; quod non patiuntur Codex & Decretales, in quibus temporum ordine Rescripta locantur. Sed nec illic quisquam huc processit, ut ipsas leges in tabulas redigeret, qua in re Theologorum diligentia victi sumus, qui tabellas & analyses suas ad ipsos usque versiculos produxere.

§. 54. Seriem *Summa* sequitur, quæ est vel *universalis* vel *particularis*. *Universalis* omnium juris librorum, nempe Pandectarum, Codicis, Novellarum, Juris Feudalis, Pontificii, Recessuum Imperii simul. Hanc voco *Institutiones juris universi*: Quæ in eo differunt ab Elementis juris §. 23. *seqq.* descriptis, quod hic etiam abrogata & vetus jus breviter recensetur, quod & in suis Institutionibus fecit *Justinianus*; illic tantum usu recepta hodierno. Methodus interim eadem esto quæ Elementorum. Quod perpetuò observandum censuimus, ne methodorum varietate discentes turbentur. *Juris universi institutiones* qui hactenus composuerit, non recordor.

§. 55. *Summa particularis* est vel *librorum* seu operum, vel *titulorum*. *Summa librorum* est varia pro librorum juris varietate. Compendium *Institutionum Justinianearum* elegans præmittitur in Corpore juris *Gothofredi*. Sed cùm ordinem titulorum legumque servet, legum potius in Institutionibus, quàm ipsarum Institutionum summa dici debet. *Digesta* & *Codicem* separatis aphorismis egregiè contraxit *Arnoldus Corvinus* V. Cl. Jus novissimum seu *Novellarum* in unum collectum est per *Gudelinum*. Institutiones *juris canonici* confectæ primùm a *Lancelloto* privato studio, a cujus morte, accedente approbatione publica, insertæ sunt Corpori canonico. Extant & institutiones juris canonici *M. Ant. Cucchi* & aphorismi J. canonici ejusdem *Arn. Corvini*. Institutiones *juris feudalis* dedit omnium optimè *Herm. Vultejus*, quas ipsas iterum sub finem in brevissimam synopsin contraxit. Desiderantur adhuc Institutiones *juris Cæsarei*, seu compendium *Recessuum Imperii Ordinationisque Cameralis* &c. Desiderantur item institutiones *juris Saxonici* methodicè ex Corpore Juris Saxonico collectæ. In quibus conficiendis tamdiu cessatum esse, semper miratus; Sed quia dum alius alium exspectat, » intermittunt omnes; nos propediem, si Deus adjuverit, tum Cæsa- » rei, tum Saxonici Juris Institutiones moliemur; nisi interim aptior aliquis prævenerit. Interea pro Jure Cæsareo legi possunt, inprimis quod Processum attinet, Pandectæ Camerales *Rodingeri*. Pro Saxonico verò *Geo. Schulzii* synopsis institutionum Justinianearum, quibus loca parallela ex jure Saxonico adjecit.

§. 56. *Summa Titulorum*, quæ in Glossato Corpore reperitur, & manca & superflua & inordinata est. Quemadmodum & *Gothofredea* superflua & inordinata, dum legum in titulo ordinem persequitur; manca, dum ponit tantùm terminos simplices, non totam propositionem. Optimæ in hunc finem sunt *Julii Pacii a Beriga* analyses, nuper in Belgio auctiores recusæ. Nos specimen tituli contracti dabimus, tum ex Digestis & Codice, tum ex Novellis. Talis titulorum summa omnium maximè necessaria est in Codice & Novellis, in quibus Constitutiones a sequioribus Imperatoribus confectæ; nam garrulitate, longis proœ-

 miis,

miis, & nescio quibus rhetoricationibus, lectorem non detinent modo, sed & confundunt.

§. 57. Ex *Digestis* placuit tit. 3. lib. 3. de Procuratoribus & Defensoribus diffusus per leges 78. brevissimo sermonis genere scriptus. Nos tamen universalia abstrahendo sic contraximus, ut omnes tituli leges ex nostris regulis liceat derivare. PROCURATOR est, qui alterius consentientis negotia administrare consensit. Inprimis autem h. l. sermo erit de judiciali. *Dare eum potest*, cui suis rebus præesse jure licet l. 8. 33. 35. §. 1. l. 43. §. 1. *Dari*, qui non prohibetur, l. 43. pr. §. 1. Prohibetur in litibus miles, (nisi agat nomine sui numeri vel in rem suam l. 8. §. 3.) fœmina, (nisi pro parentibus in casu necessitatis) l. 41. duplex pro uno, l. 31. §. 1. 2. l. 33. unus pro pluribus in ea causa adversis l. 43. §. 6. *Constituitur* mandato domini l. 27. 47. cum consensu Procuratoris, l. 1. §. 2. l. 3. 5. 6. 7. 8. §. 1. vel litis contestatione, post quam sera est exceptio procuratoria, l. 8. §. 3. l. 40. §. 3. l. 57. §. 1. *In causis* civilibus omnibus nisi exceptis, exceptæ sunt: Actio popularis quando privatim agentis non interest l. 42. 45. §. 1. l. 74. & plerumque famosa l. 39. §. 7. *Oritur* hinc 1) Obligatio Procuratoris erga Dominum Mandati, l. 42. ad administrandum l. 15. & quæ consecutus est ex hac causa, restituendum, l. 46. §. 4. Erga Adversarium ad suscipiendum judicium, si consentiente ipso Dominus cavit judicatum solvi, l. 8. §. 3. l. 17. nisi utrobique necessitate d. l. 8. §. 3. l. 9. 19. 21. vel majore utilitate sua l. 10. 20. vel inimicitia cum domino l. 14. 21. vel dignitate l. 8. §. 3. vel præsentia domini liberetur l. 10. 11. nisi & his casibus periculum sit in mora l. 12. tenetur & adversario judicati; si in rem suam egit, si se obtulit sciens cautum non esse l. 61. Oritur hinc 2) Obligatio Adversarii, ut cum Procuratore velut Domino, judicio congrediatur, vide tamen l. 29. 43. §. 5. si, cùm pro Actore est, de rato caveat l. 39. §. 1. nisi sit ex liberis, parentibus, fratribus, affinibus, libertis l. 35. pr. l. 40. §. 4. aut dominus rata se habiturum gesta ejus testetur l. 65. aut si pro reo, judicatum solvi l. 39. §. 4. porrò mandatum ad finem continet media necessaria l. 56. 62. non tamen generale transactionem l. 60. Oritur hinc quoque obligatio Adversarii vel fidejussorum erga Dominum, ut utilem in eos actionem habeat l. 27. §. 2. l. 28. nisi procurator sit in rem suam l. 56. Oritur hinc 3) Obligatio Principalis erga procuratorem, mandati l. 42. 46. §. 5. 6. nisi procurator (qui non est in rem suam ex necessitate l. 33. §. 5. l. 34. adde l. 79.) defendere recusavit l. 33. §. 4. l. 35. pr. §. 2. inprimis l. 43. §. 4. Defendere potest quivis l. 34. §. 2. convenibilis facile l. 54. cum tuto effectu l. 51. absentem d. l. 34. §. 2. l. 64. si de rato caveat l. 39. §. 7. l. 40. §. 2. l. 76. & satisdet judicatum solvi l. 28. 46. §. 2. l. 53. 76. posterius si fecit etiam cogitur defendere l. 43. §. 6. nisi talis intercedat causa, quæ alias a procuratore

curatore liberat l. 43. §. 6. l. 44. defendere autem est eandem vicem cum reo subire l. 35. §. 3. l. 51. §. 1. *Finitur procuratio* excusationibus procuratoris, de quibus supra. A Domino verò liberè ante litem contestatam l. 16. tum aliis modis, tum si alium postea, vel simul in solidum prævenientem, dedit l. 31. §. 1. l. 32. Lite contestata non nisi decreto Prætoris, ob eas causas quibus alias se procurator excusat, item ob suspicionem l. 17. sqq. usque ad l. 27. planè autem removere procuratorem non potest, si in rem suam est, vel retentionis jure utitur l. 25.

§. 58. Ex *Codice* delegimus titulum 50. l. 6. de CADUCIS TOLLENDIS, & rerum difficultate & multiloquentia *Justiniani* oneratum. Hujus nucleum (reliqua enim verborum sunt cortices) sic extraximus: Si relicta a defuncto §. 14. deficiant, id est, fiant impossibilia, morte nempe honorati, vel defectu conditionis, (nam quæ ab initio seu tempore testamenti conditi talia sunt, *pro non scriptis* habentur) fit hoc vel vivo testatore, quæ olim *in causa caduci* esse, vel mortuo, antequam dies relicti cedat, quæ proprie *caduca* dicebantur, jure veteri dies cedebat non nisi apertis tabulis. Hæc ex §. 2. Ast *Justinianus* constituit, ut morte testatoris; nisi quod in diem incertam relicta cedunt existente demum die §. 7. Hæreditas eorum qui sui non sunt §. 5. & libertates §. 6. aditione, quam *Justinianus* & ante apertas tabulas admisit §. 1. Cæterum jure veteri *lege Papia Poppæa*, sub *Augusto* caduca redigebantur in fiscum exhausto bellis ærario *pr.* §. 1. Sed *Justinianus*, quæ pro non scriptis, in causa caduci & caduca dicebantur, omnia jussit ad substitutum vel conjunctum venire, §. 3. 4. 5. ad substitutum & verbis conjunctum, & cohæredem cum onere §. 11. personæ non affixo, sed vicarii patiente §. 9. ad cohæredem verò & necessariò si cohæres esse vellit, & pro portione (non, ut alias virili §. 11.) sed hæreditatis. §. 10. Ad re conjunctum sine onere §. 11. sed præfertur ei verbis conjunctus §. 10. His deficientibus manent apud eum, a quo relicta sunt §. 8. & hoc quoque deficiente demum cedunt Fisco §. 13.

§. 59. Ex *Novellis* contraximus tertiam de MONACHIS. Monachus esse quivis potest, si triennium in monasterio fuerit, sine vestitu ut Laicus, ut appareat an ipsi monasterium & contra, placeat; Sed servum ob scelera in monasterium fugitivum dominus retrahere hoc tempore potest. *c.* 2. Triennio elapso monachus esse incipit, & bona, quæ quis tum habuit, fiunt monasterii *c.* 6. ita tamen ut quarta ad liberos perveniat. *c.* 5. Monasterium ædificatum sic consecrabitur: Episcopus tollat manus ad cœlum, locumque oratione & signo Crucis consecret *c.* 1. Monachi cœnobiorum unum habeant cœnaculum & dormitorium *c.* 3. Abbas, ex monachorum grege ab episcopo eligatur *c.* 9. Monachus esse desinit, qui voluntarie redit in seculum (sed pœnæ loco inter officiales Judicis provinciæ statuetur) *c.* 6. Item qui uxorem ducit, quod

ei licet, qui cantoris & lectoris gradum non excessit, sed pœnæ loco ab officiis & militia excludetur. *c.* 8. Transitus autem de monasterio in monasterium planè prohibetur. *c.* 17.

§. 60. *Paratitla* sunt systema legum ad eandem materiam pertinentium ex variis titulis contractarum. Talia Paratitla non habent summæ rationem, sed ipsis interdum legum libris magnitudine non cedunt. Suntque aut *universalia* aut *particularia*. *Universalia* sunt, quæ ex toto corpore Juris sunt, (qualia pauca esse arbitror. Omnium tamen maximè quadrant huc *Hug. Donelli* commentarii juris civilis; & *Nic. Vigelii* methodus juris civilis, utilissimus liber & ordinatissimus. *Particularia* paratitla sunt *Wesembecii*, *Cujacii*; Super Digesta & Codicem separatim: & diligentissimum *Meieri* collegium Argentoratense, super Digesta tantùm; quod tamen non minimam partem *Vigelii* vitula exaratum est. In Codicem habemus *Peresium*. *Wesembecio Bachovius Hahniusque* supplementa adduxerunt. Nolo enumerare innumerorum prope similes curas; quia eos tantùm nominare certum est, quibus utendum suaserim.

§. 61. Sequitur *Interpretatio Solitaria* ipsius Textus, cujuslibet pro se; seu Commentarii. Tales ad *Instituta* sunt innumerabiles vel freto Danico sternendo suffecturi. Commendantur *Hottomannus*, *Balduinus*, *Bachovius*, *Vinnius*, *Ludwellus*. Sed si verum amamus rectè *Cujacius*, Institutiones vix interprete indigere, nisi breviusculo marginali & merè textuali annotatore, quemadmodum parvula editione tum *Crispini* & *Pacii* tum etiam *Arnoldi Vinnii* factum est.

§. 62. Super Digesta Codicemque habemus grandes commentarios veterum, *Bartoli*, *Baldi*, *Jasonis*, *Decii*, &c. In quorum stercore multa latent aurea sagaci ingenio eruenda. Restaurata eruditione prodiere annotata *Budæi*, *Zasii*, *Duareni* ad plerasque leges. *Cujacius* alia via collegit in unum unius alicujus JCti Responsa, & super eum commentatus est, ut super *Paulum*, *Papinianum*, *Modestinum*, &c. Posteriores raro sunt textuales, sed vel Paratitlis vel controversiis exercentur. Nisi quod nuperrimè *Dn. Brunnemannus* V. Cl. egregio diligentiæ exemplo omnes Codicis leges ordine est persecutus, idemque in Digesta promittit. Cæterum effecit diligentia *Dion. Gothofredi*, viri immensorum in Romanam Jurisprudentiam meritorum, (quod de eo elogium est *Casp. Barthii*) ut commentariis novis textualibus vix indigeamus. Ille enim pleraque tum glossatorum commentatorumque veterum, tum eruditissimorum superioris ævi hominum observata mirabili diligentia congessit. Unde non tam decebat novos commentarios cudi, quàm supplementa mitti *Gothofredo* ex JCtis inprimis hujus seculi, quod & in Batava editione Corporis *Gothofredi* factum titulus promittit. Sed nec illud laudo, quod aliorum observationes novis *Gothofredi* inseruntur editionibus, ita enim

aut

aut priores fiunt inutiles, aut posterior habenti priorem, non emitur. Decebat potiùs, ad imitationem florum sparsorum *Hug. Grotii*, separatim, velut supplementa *Gothofredi*, ordine textuum imprimi, quæ in eo non extent. Antequam hinc abeam, observandum est, cùm in cæteris Theologi nos vicerint, *Dion. Gothofredum* effecisse, ut aliquando saltem superiores simus. Neque enim tales perpetuas marginales ad Scripturam notas tam plenas simul & breves, unquam habuerunt. Incepit aliquid in Nov. Test. *Walaus*, sed multum a fine abest. Sed contra habent illi *Biblia numerata*, ex quibus inprimis *MSta Dorscheana* in multorum hodie manibus versantur. Nos verò *leges numeratas*, id est, in quibus singulis annotentur autores, qui eam legem, vel titulum, vel librum explicuerunt, nondum habemus, nisi quod magnus vir, *Dn. Marci*, cancellarius Martisburgensis, & senior scabinatus Lipsiensis, Codicem numeratum possidet.

§. 63. *Interpretatio* autem alicujus textus est vel *realis* vel *textualis*. *Realis* est, quæ elicit certas propositiones ex lege, easque absolutè tractat, *probando* & *objiciendo*, objectionesque solvendo, si ita videtur. Illic legem offensivè, hic defensivè propugnant. *Probatio* fit per *autoritates* & *rationes*. *Autoritates* sunt leges aliæ seu *loca parallela*, item *opiniones doctorum*; tanquam autoritates universales, particulares sunt historiæ, seu *res judicatæ* in variis dicasteriis, quo pertinent & *consilia*. *Objectio* fit iisdem modis; leges autem obstantes in specie constituunt *antinomiam*. *Rationes* utrobique pro & contra variæ sunt.

§. 64. *Interpretatio textualis* est κατὰ πόδα, ad legis verba; & vel *totalis* ad totam legem, vel *partialis* ad singula verba. *Totalis* agit de *connexione* legis cum aliis legibus, summa & partitione legis, de *autore* & *historia* legis, & *occasione* qua lata est. Quo pertinet *inscriptio* & *subscriptio*, quarum illa Autorem, hæc *locum* & *tempus* complectitur. Ad historiam pertinet & enarrare, quid ea lege profectum sit, quamdiu duraverit, quid alioqui circa eam notabile acciderit, quomodo aliquis veterator ea callidè sit abusus; quo pertinent alia memorabilia, v. g. ubi in legibus recensentur tria juris præcepta: *Honestè vivere*, *neminem lædere*, *suum cuique tribuere*; annotari potest acutum illud dictum *Barclaji* in Euphormione; moliri se ille ait catalogum legum abrogatarum, in quibus has tres primo loco positurus sit. Item ubi in legibus dicitur, *licere servo in corpus suum sævire*; ex quo nonnulli probare volunt autochiriam jure Romano esse licitam. Ibi annotari potest: insignem aliquem virum Norebergæ non multis abhinc annis Theologo mœrorem suum melancholicum solanti objecisse textum hunc & licentiam αὐτοχειρίας probare voluisse; Cumque Theologus nihil ad textum responderet, sed aliud jure divino & naturali dictari diceret, confirmatus ille in sententia mortem sibi paulo post conscivit.

§. 65.

§. 65. Et hæc de Interpretatione totali. *Partialis* consistit *in textu constituendo*, & constitutum *explicando*. *Constitutio textus* absolvitur: Variis lectionibus, & arte critica in specie sic dicta, de qua insignis extat commentatio *Scioppii*, in qua regulæ traditæ sunt constituendi textus. *Constituti explicatio* est vel per aliam linguam necessariò seu *versionem*; vel per quamlibet. *Versio* legum nostrarum græca ad interpretationem multum facit. Græci enim paraphrastæ & scholiastæ vetustiora nostris exemplaria habuere, historiasque legum accuratius pernovere. Unde versio Institutionum *Theophili* valdè commendatur. *Basilica* verò sunt Græca quædam reliqui juris versio. Ut de Novellis nihil dicam; quarum textus originalis est Græcus. Ex quibus collectæ sunt *Authenticæ* per *Irnerium*, ut vulgo putant: sed contrarium ostendit magnus JCtus, *Dn. Joh. Strauchius* in diss. *Irnerius* non errans, quam *Wissembachii* erroribus *Irnerii* opposuit. Germanicam juris versionem dudum moliti sunt egregii viri, & promovit valdè institutum ERNESTUS Princeps Saxo-Gothanus, pietate ac prudentia inclytus. Difficilis labor, inprimis in Digestis ob inimitabilem prope styli, in tanta simplicitate brevitatem. Sed quoties velocissimos historicorum eosdemque acutissimos sententiis: *Salustium* ac *Tacitum* non incommodè Germanos factos cogito; apparet rem vastam magis quàm arduam esse. Præsertim cùm terminos juridicos Latinos plerosque satis bene Germanicis expresserint Speculum vetus Saxonicum & Suevicum, Recessus Imperii, & hodiernus Curiarum Stylus. Et scio, in celeberrimis quibusdam dicasteriis studio caveri, ne qua Sententiis vox Latina inseratur.

§. 66. *Interpretatio per linguam quamlibet* sive eandem, sive diversam, vel sensum explicat & dicitur *Paraphrasis*; vel artes dicendi ad verba applicat, & dicitur *analysis*. *Paraphrasis* ita se habet ad orationem, uti definitio ad vocem. Neque enim ad paraphrasin sufficit, ut fiat per verba synonyma, nisi fiat per clariora. Huc pertinet inter alia *casus formatio*, ob quam *Accursius* meritò commendatur. Cæterùm præcepta verum sensum eruendi, hic enim potissimus est exegeticæ Jurisprudentiæ finis, diffusa sunt admodum. De quibus diligentissimè *Justus Brauen* in commonefactione logica per *Gerh. Boddenium*, & *Bernard. Gosmannum*, Rostochiæ edita, ubi sub specie tradendæ logicæ nihil aliud quàm ars hermeneutica, specialissimè, sed breviter nimis ac sine exemplorum luce, diducitur. De eadem re accuratè admodum autor anonymus Arminianus, ut videtur, in *Philosophia Scripturæ interprete* nuper in Belgio edita. Nec spernenda, quæ *Steph. de Phedericis* in lib. de ratione interpretandi leges, & *Alciatus* in libris de verb. sign. tradidere. Consulentur quoque non inutiliter *Rhetores*, ubi de genere judiciali περὶ ῥητοῦ καὶ διανοίας, περὶ ἀντινομίας, aliisque locis affinibus, docent.

§. 67. Mihi breviter Hermeneuticæ totius fons sic aperiri posse videtur.

Para-

Paraphrasis, ut diximus, est ita ad orationem, uti definitio ad vocem. Ad faciendam igitur paraphrasin seu ad interpretandum ponantur primùm omnium vocum definitiones: cumque una vox possit esse homonyma, seu habere definitiones varias; tentetur cum quibus combinari possit, seu quot fieri possint combinationes definitionum in unam paraphrasin utiles, seu quarum singulæ possibiles sunt; inutiles rejiciantur. Ut verò ex hactenus retentis veræ eligantur, fiat porrò combinatio cum verbis antecedentibus & consequentibus, locis parallelis, historia, loco, tempore, ratione; quia in dubio autor, nisi alia id probent, præsumitur non errasse: & si autor est sacer, certum est eam interpretationem rejiciendam, quæ cum ratione & historia, seu cum veritate pugnat. Fiat item, & quamprimum quidem, applicatio ad mentem autoris, affectus, ingenium, voluntatem, v. g. prudens non præsumitur ineptum aliquod & frustraneum, neque exitum habens in testamento, constituisse: Unde semper actus interpretandus, ut valeat potiùs, quàm infirmetur. Item interdum mens est autoris obscurè loqui, explicatè interdum. Obscurè v. g. dedita opera loquebantur oracula, veteres Pythagorici, autores ænigmatum, Philosophi chymici. Quoties hi explicandi sunt, fugiendus sensus obvius. Attendatur item ad accentum loquentis, manum scribentis. Quod si verò his complicationibus fiat, ut nulla denique paraphrasium tolerari possit: Ibi necesse est, transponi literas, & quæcunque sunt artis *steganographicæ* vel cryptographicæ præcepta; Observari, an corruptus sit textus vel distinctio, an non voces trajiciendæ, an non aliquæ omissæ vel superfluæ; adhibendique alii tropi seu immutationes probabiles & possibiles non jam dictionis, sed orationis. Quod si jam nulla paraphrasis seu sensus est tolerabilis, oratio dicitur obscura. Si verò multæ simul, ambigua; plerumque tamen una aliqua ex combinationibus cum circumstantiis capta est probabilior. Ex quo patet breviter, fontem hermeneuticum esse duplicem: 1) combinationem variarum cujusque dictionis, phraseos, commatis, periodi; inter se & cum circumstantiis; ut appareat, quæ possibilis, & si plures possibiles, quæ probabilior; 2) si verò nulla tolerabilis significatio illa combinatione emergat, levem ac probabilem immutationem seu tropum, orationis interpretandæ.

§. 68. *Analysis* est applicatio regularum alicujus ex artibus dicendi ad orationem præsentem. Estque *grammatica*, *rhetorica*, *logica*. *Grammatica* voces in se, earum orthographiam, prosodiam, etymologiam, syntaxin, distinctiones ad syntaxin pertinentes ejusque velut signa, (uti accentus signa sunt prosodiæ) persequitur. Voces autem *in se* cùm considerat, enarrat earum significationem, derivationem, apposita, epitheta, opposita, synonyma, periphrases. vid. sup. §. 44. 45. 46. Analysis *rhetorica* est troporum dictionis, orationis; schematum, omniumque de quibus supra §. 46. motorum item affectuum. Analysis *logica* est: Occurrentium defi-

definitionum, divisionum, propositionum, syllogismorum, ordinis; & singulorum non solùm ratione inventionis seu locorum ex quibus sumta sunt, sed & ratione judicii seu maximarum ad quas exigenda sunt consideratio. Non mirandum est hic quædam recucurrisse supra in Philologia juris monita, quia illic ex variis textibus colliguntur, hic ad unum textum annotantur. Quemadmodum in *antinomico* colliguntur omnes antinomiæ, in singulis tamen textibus fusius & separatim solvendæ, ut ex illo in textum saltem digitus intendi possit. Et ita in universum in Philologia juris & Philosophia æquum est loca legum saltem allegari & colligi, non verò singula fusè tractari, quod ipsi textui reservandum.

§. 69. Ita omnes *interpretationis fontes breviter*, sed *dilucidè* ut spero, & *profundè* (claritate enim & altitudine fontes commendantur, magnitudo ex iis vel lacus vel amnes efficit) aperuimus, iisque, ut spero, facem præluximus, qui Philosophia levius tincti ad textum aliquem explicandum, ut academiarum mos est, accedunt. Nam vulgare carmen:

Præmitto, scindo, summo, casumque figuro,
Perlego, do causas, connoto & objicio:

quo in textibus explicandis vulgo utuntur, in nostram methodum resolvitur. *Præmitto* pertinet ad interpretationem textualem totalem §. 64. *Scindo* ad analysin logicam. §. 67. *Summo* est species interpretationis simultaneæ §. 53. *sqq.* *Casum figuro* ad paraphrasin §. 65. 66. *Perlego* ad analysin grammaticam, rhetoricam §. 67. *Do causas* & *objicio* ad principalem textus propositionem; *connoto* ad secundarias ex textu propositiones, utrobique interpretatione reali §. 63. Nunc admoneamus coronidis loco quando quibus ex his fontibus utendum sit. Et arbitror *analysin* logicam, grammaticam, rhetoricam tum demum cùm aliquod singulare & observatu dignum occurrit adhibendam; nam specialior omnium analysis ad informationem puerorum pertinet, qui vulgaria etiam grammaticæ, logicæ, rhetoricæ præcepta adhuc imbibere debent. Et optandum, ut illi qui Jurisprudentiæ præparantur, etiam grammaticam, logicam, rhetoricam ex libris juris discerent; Theologi ex Bibliis *Castellionis*, libris ecclesiæ cujuslibet symbolicis; Medici ex *Galeno*, *Celso*, & recentioribus quoque, quia & illorum stylus spernendus non est. De *interpretatione reali* distinguendum, vel enim commentarius scribitur super textum tantum, v. g. *Beust* ad l. admonendi de jurejur. *Del-Rio* ad l. transigere. *Jac. Gothofredi* ad L. Rhodiam de Jactu. *Richteri* ad Auth. Habita. C. ne filius pro Patre; quo casu permissum est ob inopiam alioqui dicendorum, effundere se in materiam, quæ in textu continetur, eamque absolutè & realiter tractare: talem interpretationem quondam dicebant *solenni apparatu* factam; vel commentarius scribitur super totum librum, quo casu propter multitudinem alioqui dicendorum tantùm permissum est pro-

propositiones ex textu elicere, & controversias quæ occasione textus moventur, annotare. Sed ratione propositionum permissa est tantùm probatio per locorum parallelorum adductionem, & defensio per locorum obstantium solutionem. Ratione verò tam propositionum, quàm controversiarum licitum est interpreti, tantùm remittere lectorem ad autores, qui quæstionem absolutè & realiter tractarint: Exceptis controversiis de sensu legis, quæ propriè ad munus interpretis spectant & ab eo accuratè sunt pertractandæ. Antinomiæ solutio fiat ad eam legem, quæ inter pugnantes maximè obscura est, & sedes difficultatis. In altera fiat tantùm ad illam remissio.

§. 70. Ita tandem Jurisprudentiæ exegeticæ pelagus emensi sumus; sed videmur nobis ad fretum Gaditanum pervenisse, ubi ex mediterraneo mari in oceanum transitus panditur. *Jurisprudentia* enim *polemica* ita infinitum diffusa est, ut exhauriri non possit, novi enim quotidie casus emergunt. Interea danda Jurisconsulto opera est, ut cognitas saltem regiones lustret, id est, casus jam ventilatos colligat & decidat; ita cùm ad nova littora tempestate deferetur, id est, in novos casus incidet; ope magnetis, id est, juris naturalis facilè se explicabit.

§. 71. Dicemus autem tum de *principiis decidendi*, tum de *collectione decisionum. Principia decidendi* sunt *ratio ex jure naturæ*; & *similitudo, ex jure civili certo.* Nam si accuratè rem consideremus, omne jus civile magis facti est quàm juris: Quia probandum est non ex natura rerum, sed ex historia seu facto. Probandum enim est, legem esse promulgatam, consuetudinem introductam; deinde probandum etiam est, qui legem tulit, ejus rei potestatem facto & pacto sibi acquisivisse. Unde patet, legem ex conventione populi valere. Cumque certi juris sit, in iis ubi pactum non intercessit, obtinere jus merum; patet in iis casibus, de quibus lex se non declaravit, secundùm jus naturæ esse judicandum. Quemadmodum in casu cessantium statutorum judicatur secundùm jus commune. Si observarent hoc decisionarii, faciliùs se extricarent; verùm illi ad similes potiùs materias jure civili decisas respiciunt, & ex illis ad has argumentantur, quæ res illis magnam perplexitatem parit; sunt enim plures uni similes & unus ad hanc alius ad aliam similitudinem confugit. Ideo tutius arbitror, referre se ad merum immutabileque jus naturæ. Et perinde mihi videtur, ac si quis quæ in statutis passim de equorum evictione placuerunt, velit & ad asinos trahere. Ad mulos tamen trahi an possint, dubium est. Et puto non posse: Mulus enim magis est asinus quàm equus, quia partus sequitur ventrem, mater autem est asina. Confugiendum tamen nonnunquam ad alias leges civiles *similes*, vel *ex verbis*, vel *mente legislatoris. Ex verbis*, quando legislator vel *semel in universum*, vel *in certa materia* declaravit se hoc velle. *Semel in universum*, v. g. in jure Saxonico longa consuetudine dicasteriorum re-

ceptum est (qui mos valet pro lege) casus dubios decidendos potiùs ad similitudinem aliarum legum Saxonicarum, quàm juris communis. *In certa materia*, v. g. jure civili cautum est, ut quæ de viris dicuntur, eadem de fœminis intelligantur, nisi singularis lex vel ratio impediat. *Ex mente legislatoris*, quoties eadem ratio subest, v. g. Jus Saxonicum vetus dicit: *Der Pfaff nehme Gerade.* Quæritur jam an Canonici sumant geradam, qui propriè non possunt dici *Pfaffen*, quia eos sacramentum Ordinis accipere necesse non est. Et respondendum est: Sumere illos quoque per rationem legis. Quia gerada in compensationem iis data est, qui non sunt capaces supellectilis castrensis, *des Heergeräthes*, quales sunt fœminæ & ecclesiasticæ personæ. Canonicis enim interdictum bellum esse, inde patet, quia effuso sanguine humano contrahitur irregularitas, qua tollitur præbenda. Cùm igitur duo sint principia decidendi: Jus naturæ & lex similis; & a materia una ad aliam valere argumentum, quoties siluit legislator, non aliunde constet, quàm ex similitudine rationis, ratio autem legis pendeat ex Politicæ illa parte, quæ dicitur nomothetica; apparet Jurisconsulti in dicasterio sedentis duos oculos esse *scientiam juris naturalis*, & *scientiam nomotheticam*. Quemadmodum casus jam tum decisi per *historiam* retrò actorum, & *exegesin* legum cognoscuntur; de quibus supra.

§. 72. *Juris naturalis* non minutissima quæque, sed *principia* tantùm persequemur. Eaque primùm *ex sententia aliorum*, deinde & *nostra*. *Alii* qui circa jus naturæ philosophati sunt, videntur esse hi potissimum: *Plato*, *Aristoteles*, *Epicurus*, *Cicero*. Et temporibus recentioribus: *Hugo Grotius*, *Sfortia Pallavicinus*, *Th. Hobbes*, *Joh. a Felde*, *Rob. Scharrok*. *Plato* passim juris fundamentum statuit, τὸ κοινῇ συμφέρον, publicam utilitatem. In libris de republica *Thrasymachus* disputat *justum* esse: Potentiori utile. *Aristoteles* & cum eo *Stoici* statuere juris naturæ esse fundamentum: Naturæ convenienter vivere; & quicquid naturæ rerum, id est, statui earum optimo & perfectissimo conveniat, id justum esse. *Epicurus* statuit juris naturæ esse, quicquid mihi revera utile est, quicquid nempe producit voluptatem animi & tranquillitatem mentis. *Cicero* in libro de officiis & alibi eo inprimis utitur fundamento: Neminem sibi soli natum, partim patriam, partim parentes, partim amicos sibi vindicare.

§. 73. *Recentiores* ita tradunt: *Hugo Grotius*, juris naturæ esse, quicquid convenit cum natura societatis ratione utentium, seu quicquid cum societate compatibile est; sumit igitur quod ab *Hobbio* negatur, hominem esse natura socialem. *Sfortia Pallavicinus* in libro eleganti de *bono*, post multas disceptationes ita statuit: Justum esse, quicquid naturæ placet. Naturæ autem nomine intelligit: Principium motus & quietis in mundo, quod necesse est sapiens esse, quia motus tam pulcher ordinatusque est. *Th. Hobbes* in subtilissimis de cive elementis sic procedit: Statum hominum

num eſſe vel extra ſuperiorem, vel ſub ſuperiore ſeu in civitate. Illic eſſe jus merum omnium in omnia ſeu jus belli; ſed cùm ſtatus belli ſit exitioſus, teneri quemlibet ſana ratione duce, *ut ſe diſponat ad pacem*, ſeu ſtatum in una civitate, *quantum in ſe eſt*; conſtituta autem civitate, ſimpliciter juris eſſe, *quicquid civitati placuit*, neque aliud ibi naturæ jus obtinere. *Joh. a Felde* in elementis Juriſprudentiæ principia *Ariſtotelis* reduxit & expolivit. *Rob. Scharrok* in lib. de officiis ſecundùm jus naturæ ita arbitratur: Summum bonum, *cum Epicuro* eſſe voluptatem animi: Peccata autem ideo fugienda, quia ſunt contra voluptatem animi, eſſe enim velut verbera incorporalia. Unde κριτήριον injuſtitiæ eſſe, ſi quid animo quodammodo repugnante fiat. Putat igitur Deum ſic creaſſe animum noſtrum, ut naturalis quædam inter ipſum & ea quæ peccata dicuntur, ſit ἀντιπάθεια.

§. 74. Hos facilè inter ſe conciliabimus, explicata *noſtra ſententia*. Scilicet *juris naturæ* tres ſunt *gradus*: *Jus ſtrictum*, *æquitas*, *pietas*. Quorum ſequens antecedente perfectior, eumque confirmat, & in caſu pugnantiæ ei derogat. *Jus ſtrictum* ſeu merum ex terminorum definitione deſcendit, & eſt, ſi rectè expendas, nihil aliud quàm jus belli & pacis. Nam inter perſonam & perſonam tamdiu eſt jus pacis, quamdiu alter non incepit bellum, ſeu læſit. Inter perſonam autem & rem, quia res non eſt intelligens, perpetuum eſt jus belli. Et licet leoni hominem diſcerpere, & monti hominem ruina opprimere: Contra homini frenare leonem, perfringere montem. Victoria autem perſonæ ſuper rem reique captivitas dicitur poſſeſſio. Poſſeſſio igitur dat perſonæ jus in rem, jure belli, dummodò res ſit nullius. Nam ſi res eſt alicujus, non magis illam lædere aut auferre licet, quàm alterius ſervos occidere, aut alterius perfugas recipere. Si igitur alterum alter vel in *perſona*, vel *rebus* ſuis læſit, dat ei jus quod habet in rem ſeu jus belli. Eſt autem & inter læſionis ſpecies deceptio pernicioſa, qua damnum datur *menti*, ex quo deſcendit ſervandorum promiſſorum neceſſitas. Ex quo patet juris naturæ meri unicum præceptum eſſe: *Neminem lædere*, ne detur ei jus belli. Huc pertinet juſtitia commutativa, & jus, quod *Grotius* vocat facultatem.

§. 75. *Æquitas* ſeu æqualitas, id eſt, duorum pluriumve ratio vel proportio conſiſtit in harmonia ſeu congruentia. Et coincidit cum principiis *Ariſtotelis*, *Grotii* & *Feldeni*: Hæc requirit, ut in eum qui me læſit, non bellum internecinum inſtituam, ſed ad reſtitutionem; arbitros admitti, quod tibi nolis, alteri non faciendum; item ut puniatur non tam imprudentia, quàm dolus & malitia; item ut infirmentur contractus ſubtiles, & circumventis ſubveniatur. De cætero jus ſtrictum obſervari ipſa æquitas jubet. Huc pertinent *Hobbii* diſpoſitiones ad pacem. Sed æquitas dat ſolum jus laxe dictum, ſeu *Grotii* ſtylo aptitudinem uni, alteri verò

obligationem plenam, v. g. *Æquum est*, ut qui dolosis subtilitatibus se a meo debito liberavit, mihi nihilominus teneatur, sed mihi non datur in eum actio persequendi; actio enim vel exceptio, vel quæcunque postulatio ex jure mero descendit (nisi aliquid Lex addat) ille tamen est obligatus ut mihi det. Hinc illud præceptum: *Suum cuique tribuere.* Sed lex aut superior dat æquitati exitum, & ex ea nonnunquam actionem vel exceptionem tribuit.

§. 76. Tertium juris principium est voluntas Superioris. Et huc quæ *Trasymachus* apud *Platonem* supra dicebat: Justum esse potentiori utile. Superior autem est vel natura, Deus: Ejusque voluntas iterum est vel naturalis, hinc *pietas*, vel lex, hinc jus divinum positivum; vel superior est pacto, ut homo hinc jus civile. Pietas igitur tertius est gradus juris naturæ, tribuitque cæteris perfectionem & effectum. Nam Deus, quia omniscius & sapiens est, jus merum & æquitatem confirmat; quia omnipotens, exequitur. Hinc coincidit utilitas generis humani, imò decor & harmonia mundi, cum voluntate divina. Ex hoc principio jam ne bestiis quidem & creaturis abuti licet. Huc reducuntur meditationes *Sfortiæ Pallavicini*. Ex hoc fundamento, ne se ipso quidem abuti licet, quia nos ipsimet sumus Dei, cui omnipotentia tribuit jus in omnia. Hinc illud præceptum: *Honestè vivere*. Cumque jus strictum & æquitas careat vinculo physico; Deus accedens efficit, ut quicquid publicè, id est, generi humano & mundo utile est, idem fiat etiam utile singulis; atque ita omne honestum sit utile, & omne turpe damnosum. Quia Deum justis præmia, injustis pœnas destinasse, ex ejus sapientia constat: Et quæ destinavit, perfecturum, omnipotentiæ ratio evincit. Existentia igitur Entis alicujus sapientissimi & potentissimi, seu Dei, est juris naturæ fun-
» damentum ultimum; quæ a nobis mathematica certitudine demonstrata,
» cum prodibit in publicum, disjectura est penitus nebulas ab atheis veritati offusas.

§. 77. Alter Jurisconsulti in casibus decidendis oculus est *nomothesia*, cujus principium utilitas reipublicæ, quæ ita est ad rempublicam, uti pietas ad mundum & rempublicam universalem. De nomothesia præclarè disseruere *Hopperus* in *Seduardo*, *Conringius* tum in præfatione *Hopperi*, tum in civili prudentia & propolitico. Consistit autem salus populi, suprema reipublicæ lex, in bono ipsorum civium tanquam materiæ, & conservatione regiminis tanquam formæ. Nam & *Lipsius* duo ait inspicienda: naturam populi & naturam regni; quod commendat *Boeclerus* in diss. de politica Lipsiana. Bonum regiminis consistit in jure publico, & tali cæterarum quoque legum formatione, ut mutatio præcaveatur. Bonum civium consistit in εὐδαιμονίᾳ & αὐταρκείᾳ, seu bonis animi & fortunæ: Quanquam egestas homines non solum ridiculos, ut ait poëta, sed & improbos facit. Ad εὐδαιμονίαν, seu virtutem pertinent omnes ordina-

dinationes politicæ, inprimis quibus educatio & converſatio, tanquam principia malorum & bonorum morum formantur; item præmia virtutibus, pœnæ vitiis. Ad αὐτάρκειαν pertinent leges de commerciis, manufacturis, ſumtuariæ, &c. Ad utramque ſimul pertinent leges, quæ jus privatum & Judicia formant; nam ſi cuilibet jus ſuum tribuitur, evitantur peccata retinentium, & paupertas amittentium. Danda autem opera non ſolum, ut cuilibet jus ſuum tribuatur, ſed & citò. Quo pertinent *ordinationes proceſſus*. In his omnibus præclaræ ſunt meditationes *Octav. Piſani in Lycurgo*, qui docuit, quomodo formata converſatiene & educatione in ipſa radice poſſint evelli ſcelera; & quomodo, ſi omnia coram magiſtratu autoritate publica gerantur conſignenturque libris publicis, ut Venetiis in Banco, poſſint evitari Proceſſus. Sed huc perfectionis non veniemus; det tamen Juriſconſultus operam, ut ad eam, quantum poteſt, accedat.

§. 78. Hactenus diximus de principiis decidendi. Dicamus nunc de *collectione deciſionum* ſeu controverſiarum: Ubi facilior res dictu eſt, quàm in exegetica, ſed difficilior factu. Nam non tam multa puncta ſunt, nec tam multi conficiendi libri, ſed quo pauciores, tanto grandiores. Collectio controverſiarum eſt vel *brevis*, vel *diffuſa*. Collectio *brevis*, videamus *quomodo fieri debeat*, & *quomodo facta ſit*. *Fieri debet* libro, qui vocari poteſt *breviarium controverſiarum*; quale eſt in theologicis manuale *Becani*, aut breviarium *Hülſemanni*. *Breviarii Juridici* videamus *materiam* & *formam*. *Materia* conſiſtit in quæſtionibus 1) *dubiis*; ita excluditur pars didactica, ea nempe quæ legibus expreſsè deciſa ſunt; 2) *juridicis*, ita excluduntur philologicæ, philoſophicæ; 3) *hodiernis*, ita excluduntur abrogatæ; 4) rariores quoque *Pandectis* infra explicandis reſervantur. Ponendæ enim hic ſunt *illuſtriores*, diſſenſionibus nobilitatæ.

§. 79. *Forma* conſiſtit in *ordine* & *modo tractandi*. *Ordo* ſit idem, qui Elementorum §. 7. *ſeqq.* uſque ad §. 26. & Inſtitutionum §. 54. *Modus tractandi* conſiſtit in *rationibus dubitandi* & *decidendi*. Utrobique allegentur tantùm loca Elementorum & legum, quæ vel obſtare, vel pro nobis eſſe videantur. Elementa enim ita comparata eſſe debent more mathematico, ut ex iis omnes quæſtiones poſſint decidi. Et quemadmodum *Iſaacus Barrovius* in ſua *Euclidis* editione Cantabrigienſi, certis ſignis brachygraphicis utitur: Ita h. l. ſi argumentum ex textu Elementorum vel legum ſit a ſimili, contrario, cauſa, effectu, genere, toto, parte, alioque loco topico, pro quolibet ſit certum ſignum; ita qui textum evolvet, & ſignum intuebitur, vim argumenti facilè perſpiciet, eoque ipſo ingenium exercebit, nec quicquam brevitas ei officiet. Sed hæc aliquando exemplo magis & factis, confecto tali Breviario, quàm nunc verbis oſtendemus. v. g. pro loco a contrario eſto ſignum)(. a ſimili (). a cauſa O—. ab effectu —O. a genere ⌒. a ſpecie ⌣. a toto ⌓. a parte ⏝̄.

Et quoties duæ leges vel duo loca Elementorum conjuncta demum vim concludendi ostendunt, ibi potest adhiberi signum †, v. g. l. 20. D. V. O. † l. 10. D. de Leg. Ex autoribus verò citentur ii tantùm, qui quæstionem præclarè tractarunt, & argumenta pro & contra plurima firmissimaque collegerunt; item, qui plurimos alios citant.

§. 80. Diximus, quomodo *Collectio Controversiarum* brevis fieri debeat; videamus, *quomodo facta sit*. Et sanè habemus multorum libros exercitationum, controversiarum, decisionum, resolutionum, quæstionum, disputationum; sed qui scopo nostro accommodati sint penitus, si verum amamus, nullum. Nam si quæstiones philologicas v. g. de origine & usu vocabulorum; historicas v. g. de titulis Imperatoris *Justiniani*, de legum autoribus, tempore, &c.; philosophicas de definitionum, divisionum, methodi rectitudine, physicas & ad factum pertinentes, v. g. de partu octimestri, de notis virginitatis, de purgationibus vulgaribus; item vetustate abolitas, quid *Justiniani*, *Theodosii*, *Constantini* ævo in usu fuerit, demas: sæpe dimidius liber & ultra, simul auferetur. Quid autem opus, tantopere his rebus occupari, quæ substantiam juris non ingrediuntur; aut quid opus, tantopere abolita jura curare, nisi veremur fortasse, ne aliquando revoluto anno Platonico, sub *Arcadio*, *Honorio* & *Justiniano*, judices, assessores, antecessores & advocati fiamus? Quos igitur potissimum commendem, non invenio: eligant, ut cuique placet, *Forsterum*, *Sutholt*, *Ludwellum*, *Treutlerum*, curis *Bachovii* & *Hunnii* nobilitatum, resolutiones ipsius *Hunnii*, *Hackelmanni* quæstiones illustres ad allegandos inprimis autores accommodatas. Nihil de *Arumæo*, *Fromanno*, *Locamero*, cæterisque dicam, continua exscriptione eandem serram reciprocantibus. Ut taceam, esse autores plerosque mixtos, ut præcepta, exegesin, historiam controversiasque conjungant, in quibus Cl. *Struvii* syntagma commendatur. Inprimis verò Cl. viri *Joh. Strauchii* Proto-Syndici h. t. Brunsvicenses dissertationes placent, quibus ille, deserta methodo Justinianea, naturalem secutus est, & elementa a controversiis typorum forma separavit. Hunc ego cum *Ludwello* ac *Treutlero* maximè suaserim. Nec contemnendus est *Schnobelius* velut *Treutleri* epitomator.

§. 81. *Collectionem Controversiarum* brevem excipit *diffusa* & *plena*. Eaque iterum, tum *qualis facta est*, tum *qualis fieri debet*. *Qualis facta sit*, nimis manifestum est. Huc enim pertinent grandes libri decisionum ex variis dicasteriis, rotis, Parliamentis, v. g. rotæ Romanæ, Genuensis, senatus Pedemontani, Tholosani, *Sandæi* Frisicæ, *Guil. Grotii* Belgicæ, *Molinæi* consuetudines Parisienses, *Royz* decisiones Lithuanicæ, *Fabri* Sabaudicæ, *Gailii*, *Mynsingeri*, *Gylmanni* Camerales, *Schepliz* consuetudines Marchicæ, decisiones Facultatis juridicæ Lipsiensis in *Sigism. Finckelthusii* observationibus, & Scabinatus Lipsiensis in *magni Capzovii* variis.

Jenen-

Jenensium responsa collegit *Richterus*: Huc aliarum Facultatum academicarum consilia, Tubingensium, Ingolstadiensium, Marpurgensium, Altorphinorum. Et consilia privatorum: *Pauli a Castro*, *M. Ant. Nattæ*, *Coleri*, *Klockii*, *Wesembecii* junioris, *Mundii*, & quis omnes fando comprehendat? Sed verum est judicium *Hug. Grotii*, præf. lib. de jur. bell. ac pac. Autores consiliorum magis ad gratiam consulentium, quàm æqui bonique naturam responsa sua accommodasse. Prætereo jam multos alios per omne jus diffusos, ut opera *Prosperi Farinacii*, *Menochii* arbitrarias judicum quæstiones, & variorum: Communes opiniones, ut *Villalobii*, *Vivii*, eorumque ex quibus suum jus controversum contraxit *Nic. Vigelius*, unus omnium maximè adhibendus; nec spernendus *Petr. Greg. Tholosanus* in syntagm. jur. univ.

§. 82. In his autoribus *laudabile* est, quod novos emergentes casus perpetuæ memoriæ consignant, orbemque juridicum continua auctione locupletant, quod non faciunt autores exercitationum & commentariorum, semper vetera ruminantes; quapropter & Practico atque in rerum usu versanti, hi parciùs legendi, illi diligentissimè pervolutandi sunt. Sed *desidero* ratione *materiæ*, quod immiscent etiam casus pervulgatos atque aliis dudum decisos, item casus per se manifestos, & ex generalium, quæ certi juris sunt, subsumtione mera determinabiles. Deceret potiùs, ad alios autores tantùm supplementa addi, ne inutilibus repetitionibus orbis oneretur; aut, si quid ab iis dissentias, vel novam aliquam rationem objectionemque habeas, id quoque admoneri; non omnia denuò exscribi, sumtusque typographis & lectoribus sine necessitate conflari. *Ratione formæ*, ordinem illis optarem, qui vel nullus esse solet, vel non naturalis. Nec nimis fuse una quæstio tractanda est, ut faciunt autores consiliorum, qui ut tanto grandiorem & pretiosiorem, si diis placet, laborem suum reddant, in omnibus propositionibus obiter occurrentibus tamdiu distinentur, quàm in quæstione principali. Unde fit, ut in vulgatissimis certissimisque axiomatibus, textibus & autoritate doctorum stipandis desudent, propositionem verò principalem & maximè controversam sæpe sine ulla probatione relinquant, aut jejunis frigidisque tantùm ratiunculis topicis, non accuratis demonstrationibus muniant. Quod jam olim admonuere *Conr. Summenhart* in lib. de contract. & *Thomingius* Facultatis juridicæ Lipsiensis quondam Decanus ordinarius, in sua oratione de studio juris. Utinam imitarentur illos, quos toties citant & crepant, Jurisconsultos veteres, qui paucissimis sæpe lineis magnam argumentorum vim presserunt. Ego non dubito, responso aliquo *Ulpiani* vel *Scævolæ* vix paginam occupante, nostros illos bonos decisionarios supra 10. plagulas impleturos. Ab hoc tamen vulgi grege sejunxit se *Anton. Faber* in codice Sabaudico, egregieque nostris hominibus præluxit facem, quomodo solidè simul breviterque disputari possit. Laudabilis quoque & ad veterum Jurisconsultorum dicendi rationem

tionem compositus mos est, quo Facultates Scabinatusque Saxonici, Lipsiæ inprimis, in suis consiliis Germanicis, (vocant *Informat-Urtheil*,) rationes utrinque summa brevitate & nervositate ventilant.

§. 83. Huc pertinent & tractatus variorum de variis materiis: Iisque vel juris, v.g. de fideicommissis *M. Ant. Peregrinus*, de mutuo *Salmasius*, de pignoribus *Negusantius*, de pactis *Alexander ab Exea*, de matrimonio *Th. Sanchez*; vel de terminis facti sed ad jus applicatis, ut de surdis, mutis *Michalorius*, de fœminis *Carpzovius*, de molendinis *Hering*, &c. Interdum non certum aliquem titulum, sed aliquid a variis materiis tam juris quàm facti abstractis tractant: Uti *Corsetus* de geminatione, *Joh. Bapt. Costa* de retrotractione; ut innumeras id genus disputationes taceam, quales collectæ sunt in *tomos disputationum Basileensium*. Tractatus veteres omnes ferè collecti sunt in *tractatum tractatuum*, vastum opus aliquoties editum. Additus est plenus admodum & diligens index, totum unus volumen absolvens. Sed desidero nimias repetitiones, dum non nucleus autorum insertus est, sed integri. Cùm tamen sæpissimè inclusi sint plures autores de eadem materia, quorum unus pleraque cum altero eadem habet. Recordor, me in tractatu tractatuum aliquando legisse duos de ludis tractatus, unum *Paridis de Puteo*, alterius nomen non succurrit: Horum unus alterum ad verbum exscripserat. Ita fit, ut in certis materiis nimis dives sit opus, in aliis verò pauperrimum. Quare imposuit *Drexelio*, qui ei persuasit, ut ipse narrat in Aurifodina, hoc opus in jure, aliorum librorum omnium instar esse. Operæ pretium esset, si reformarentur hi tractatus tractatuum, omitterentur aliena, contraherentur varii autores de iisdem materiis in unum; & adderetur nucleus ex plurimis tractatibus, de variis materiis interim, hoc inprimis seculo, editis. Id olim potuisset facilè fieri, eadem opera, qua index cum summariis contextus est, nunc quoque index ad eam rem multum adjumenti præstare potest. Sunt speciales tractatus tractatuum, v. g. tractatus de pactis uno volumine editi sunt, item de testamentis, &c. Tractatui tractatuum juridicorum apud Theologos quodammodo respondent *Biblia critica Anglicana*, in quibus variorum selecti tractatus theologici, ad loca Scripturæ sunt collecti. Est & aliud opus juridicum, tractatui tractatuum non absimile, quod vocatur: *Repetentes*. Angli, ut audio, moliuntur in Philosophia curiosa simile aliquid, quod inscribent *Bibliothecam philosophicam*, in quam variorum scripta philosophica, physica, mechanica, mathematica, curiosa, selectis contemplationibus & experimentis plena compingent. Sed ut ad tractatus juridicos redeam, confectis illis Pandectis juris, de quibus mox, poterimus tractatibus facilè carere; præsertim cùm in iis sæpissimè vix dimidia pars ad ipsam materiam pertineat. Legat mihi aliquis ex. gr. *Th. Sagittarii* de Comitibus Palatinis tractatum, mirabor, si decimam partem de proposita materia agere dicet.

§. 84. Di-

§. 84. Diximus de *collectione controversiarum diffusa*, qualis facta est; dicamus, *qualis fieri debeat*. Ubi iterum videamus tum de præparatoriis, nempe *repertoriis*; tum de syntagmate ipso, quod dicemus *Pandectas Juris*. *Repertoria ab aliis varia confecta sunt*: *quid nobis videatur*, subjiciemus. *Aliorum conatus* quod attinet, extat *Brederodii* repertorium juris civilis, tanquam index legum Justinianearum, quem utilissimum sanè ad usum quotidianum, miror non recudi. Ex doctorum placitis collectum est repertorium *Bertachini*, & conclusiones *Cardinalis Tuschi*. Huc pertinent lexica, ut *Speidelii* thesaurus, *Reigeri* loci communes, *Brunoni a Sole* cum additionibus *Jac. Schultes*. Huc pertinet bibliotheca juris, extruenda magis de novo, quàm ab ullo pro dignitate fundata. Nam quod olim *Nevisanus* & *Freymonius* tentarunt, exiguum admodum & mancum est. *Bolduani* & *Draudii* bibliothecæ juridicæ (illius separata, hujus in bibliothecam classicam inserta) sunt ex catalogis librorum confectæ, ubi multi recensentur libri, neque editi, neque unquam edendi, ova nunquam posita, *ungelegte Eyer*, ut ille dicebat. Deinde, cùm libros ipsi non aspicerent, sed tantum titulos in catalogis, effectum est, ut sæpe quid in libro tractaretur, non assequerentur; sunt enim tituli librorum haud rarò nimis magnifici multumque a materia abludentes. Erant præterea uterque Jurisprudentiæ imperiti, unde etsi liber revera extaret, & titulus libro correspondéret, ignorabant tamen, sub quem titulum in sua bibliotheca referrent. Unde tutissimè se facturos crediderunt, si referrent sub titulum ab autore præscriptum, sed revera ineptissimè egerunt, quia tituli autorum libris præfixi, utplurimum sunt oratorii magis & pomposi, quàm technici & accurati. „Optandum igitur esset, ut bi„ bliotheca *Draudii* classica non continuaretur solùm (pervenit enim ad annum 1625.) sed & reformaretur. Continuationem ejus molitus est *Meisnerus*, Torgaviæ Rector, sed reformationem addidisse non puto; mortuus opus interruptum reliquit. Bibliothecam practicam promisit *Jac. Gothofredus*, in sui manualis partem practicam adhuc edendam inserturus, sed nihil aliud, quàm promisit. Miror verò, nullum Jurisconsultorum præstitisse, quod in scriptoribus medicis *Joh. Antonides van der Linden*, & in bibliotheca theologica *Gisb. Voëtius*. Promisit tale aliquid *Paul. Busius* in præfatione commentarii sui ad Pandectas, sed nec ille fidem suam liberavit. Interea aliquid huc faciunt vitæ Jurisconsultorum Germanorum *Melch. Adami*. Et hæc de *bibliothecis juris*. Quibus affines sunt *sedes materiarum*. Solebant enim Jurisconsulti sequioris ævi ad certas leges materiam aliquam plenè & solenni apparatu tractare; indicem igitur talium habere, operæ pretium est, ut quærendi labor absit. Talis index, sed nimis brevis insertus est Institutionibus *Julii Crispini*, plenior ordine alphabetico in Cl. *Woldenbergii* manipulis. Deceret, similem indicem apud Philosophos condi, ut hæc obiter dicam, ut constet, ad quæ loca *Aristotelis*, *Magistri*, & *Thomæ*, quæ quæstiones a commen-

tatoribus ex professo tractentur. Respondent proportione *loca classica* Theologorum. Hæc possent in allegando singulari aliquo charactere vel nota ad differentiam, tam apud Theologos quàm Jurisconsultos designari.

§. 85. De repertoriis vidimus aliorum conatus. Dicamus, quid nobis videatur *de locis communibus juris instituendis*. De quorum videamus *causa efficiente*, *modo causandi*, *materia*, *forma*, *fine* seu usu vel effectu. Disserunt alioqui de locis communibus præclarè *Bartholomæus Keckermannus*, sed maximè in ordine ad Politicam. *Causa efficiens* esse debet societas aliqua ex multis correspondentibus conflata, neque enim unius hominis opus est. Quemadmodum igitur in Italia conspirant academiæ, seu collegia eruditorum, de quibus vide *Sachsium* in præfatione ampelographiæ, & *Besoldum* in diss. de universitatibus, corporibus, academiis: in Gallia celebre est collegium illud nobile aliquantisper silens, nunc redivivum, *de l'esprit*: in Anglia collegium Londinense Medicorum, & nobilis illa Societas Britannica cui primarii quique totius regni eruditissimique viri intersunt, ex qua nuperrimè prodiit *R. Hooke micrographia* seu de rebus non nudo, sed armato per microscopium visu spectabilibus: in Germania collegium Medicorum naturæ curiosorum; nomine, *Curioso* illi Gallico, cujus meditationes in Germanicum nuper versæ, consonans: Ita decebat & JCtos per Germaniam, præsertim qui in academiis otio fruuntur, ad rem tam præclaram, qualis est index juris universalis, seu loci-communes juris, conspirare. Neque enim facile creditu est, quantum conjunctæ vires possint. Hinc Romano-Catholicis præclara edendi, magna commoditas est, in libro enim, qui unius hominis nomine prodit, sæpe laborant tota monasteria. Ita *Dav. Doringius* bibliothecam juris universalem laudabili magis voluntate quàm facto molitus, variorum manibus usus est, sed ultra literam A non pervenit in suo alphabeto.

§. 86. *Modus causandi* in eo consistit, qua ratione labor inter eos distribuendus sit. Quidam statuere materias aliis alias assignandas, unum debere omnia colligere, quæ ad tutelam & curam, alium, quæ ad hæreditates ab intestato, alium, quæ ad substitutiones pertinent &c. Nam ita & olim moris fuisse in Italia, ut quidam doctor in certa aliqua materia excelleret, in aliis esset planè infans: quemadmodum de quodam narrant, qui omnes pernoverit substitutionum difficultates, in cæteris hæserit. Et decere hodie quoque, ut in academiis Professores non ratione librorum juris, sed ratione materiarum distribuerentur: alius haberet materiam successionum, alius juris inter vivos; alius criminalia, feudalia, ecclesiastica quasi semi-publica; alius Processum; alius denique Institutiones seu synopsin omnium. Ego, quod ad rationem distribuendi Professiones, non reprehendo, nam & Medici sic distribuere: Sed in locis communibus colligendis obstare judico, quod ita singulis collectoribus pervolutandi sint omnes libri. Decet igitur potiùs, non materias, sed libros in eos distribui; hac ratione, ut aliis assignentur autores

autores veteres *Bartolus*, *Jason*, *Alexander*; aliis recentiores: aliis theorici, aliis practici; aliis Germani, aliis Itali; aliis consilia, aliis dicasteriorum decisiones; aliis tractatus, aliis commentarii. Adde, quæ suasit *Janus Cæcilius Frey* in via ad scientias & artes.

§. 87. *Materia*, seu objectum sunt autores, & quæ ex iis excerpuntur. Autores adhibeantur ante omnia ii, qui alios solent citare, & allegationibus paginas complere; ex iis allegationes transcribantur, vel saltem ad eos fiat remissio. Deinde fiat gradus ad eos, qui libros miscellaneos scribunt, v. g. observationes *Cujacii*, *Salmasii* ad jus Romanum & Atticum, *Hottomanni* quæst. illustr., emendationes *Anton. Augustini*, &c. Quod enim in his boni reconditum est, non facile apud eos quæritur. Deinde promoveatur pes ad scriptores tractatistas: Et ex iis annotetur sub titulum quidem materiæ, de qua agunt, nihil aliud, quàm nomen autoris, qui de hac materia scripserit; de cætero nihil excerpatur ad illam materiam pertinens, sed ea potiùs, quæ aliena interseruntur. Similiter ex commentatoribus nihil aliud excerpatur, quàm sicubi aliquid ad textum annotant, quod ad eum non pertinet. De cætero annotetur ad *leges numeratas*, (de quibus sup. §. 62.) quis de eo textu in specie scripserit. Nam si ad totum librum scripserit, ad totius quoque libri frontispicium hoc annotetur.

§. 88. *Forma* excerpendi est, ut perlegatur primum autoris index (vel summaria); qui si diligens est, excerpatur ipse, & perlegi liber cursoriè tantùm deinde potest. Annotentur autoris non libri & capita, hoc enim nimium, sed paginæ; dummodo prænotes, qua editione sis usus. Et potest deinde & alius facilè obiter supputare in sua editione. In titulis autem maxima diligentia est adhibenda, ut accuratè assignentur; sed bene fieri poterit ex *Elementis*, ubi in partitionibus termini juris enarrantur. Addatur *Bern. Lavinheta*, monachus ordinis Minorum, in Com. ad artem magnam *Lullii*, ubi terminos juridicos non ineptè recenset: Ut tamen titulos assignari denuò necesse non sit, commodissimum est, Dictionarium charta pura distingui, & cuilibet voci in latere annotanda adscribi. Porrò quoties autor de materia tota agit, annotetur locus ad vocem simpliciter, v. g. de dominio. Sin de certo aliquo subtitulo, ad illum annotetur, v. g. de modis acquirendi dominii seu causis. Vel denique de certa in aliquo subtitulo quæstione, v. g. sitne donatio modus acquirendi dominii. Et cùm formantur tales quæstiones, ut plurimum duobus locis fieri debet annotatio, v. g. ista proxima annotari debet ad dominii causam, & ad donationis effectum. Ideo ex uno loco ad alium fiat remissio, ne idem bis annotari debeat. Quæstioni addatur signum A. vel N. vel D. ut sciamus, num autor affirmet, neget, an dubitet: Item signum, unde sciamus, tractetne suse, accuratè, &c. quod & admonet *Drexelius*, in aurifodina.

§. 89. *Usus*, *finis* & *effectus* locorum communium hic esto: Ubi quilibet

libet pensum absolverit, fiat deinde collectio in unum; sed ita, ut jam fiant tot libri, quot personæ in conficiendis ipsis *Pandectis* adhibebuntur, & quot distributiones. Cùm enim Pandectarum confectio fieri debeat secundum materiarum distributionem, sit v. g. uni assignata materia institutionum, alii legatorum, alii codicillorum; ita in unum librum conscribantur collectanea de legatis, in alium de codicillis, &c. & cuilibet suum detur, ut evolutis autoribus ex iis nucleum conficiat in Pandectas referendum.

§. 90. Syntagma ipsum juris universi, seu *Pandectæ* fiant, ut dixi, ex locis communibus, eodem ordine, quo Elementa, Institutiones, Breviarium. Ponantur propositiones, quantum fieri potest, universales, & controversiæ casusque tantùm ii, qui sunt dubii. Addantur rationes demonstrativæ ex elementis, & sicubi difficilis objectio est, illa solvatur, leves omittantur. Si casus in legibus decisus est, non allegetur alius autor, nisi ille rationem aliquam egregiam decisionis afferat, aut objecta diluat. De cætero in qualibet quæstione vel casu annotetur unus tantùm autor, qui primus eum attulit ac determinavit; addantur illi tantùm, qui novas quasdam rationes de suo attulerunt, aut solverunt. Et allegata quidem addantur margini. Nec erit incommodum, si in uno libro Elementa, Breviarium, Pandectæ imprimantur, sed diversis typis. Talem pandectarum librum certus sum, supra duo volumina in folio non impleturum; quia in nulla disciplina & Facultate plus librorum, minùs rerum est quàm in Jurisprudentia, & cumulantur repetitiones in infinitum. Perfectis jam Pandectis fastigium impositum erit Jurisprudentiæ. Jamque silere cogentur loquacissimi illi exscriptores & consarcinatores tractatistæ, quia index harum ff. instar omnium tractatuum erit. Ii tantùm audebunt aliquid in jure scribere, qui novum aliquem dubium casum observarunt. Nam theorica ad Jurisprudentiam exegeticam & historicam pertinentia propriè ad jus non spectant, ideo nec Pandectis inserenda. Quicunque autem aliquid in jure confectis Pandectis scribet, non repetet quæ in Pandectis continentur, sed supplementa tantùm novasque observationes emittet. Hæc, quæ de conficiendis locis communibus & Pandectis diximus, ridebunt illi, qui ignorant, quid diligentia & ordo possint. Ego verò certus sum, 30. homines opus hoc, quantumcunque est, triennio absolvere posse. Sed, quod rectè in alio argumento suasit *Janus Cæcilius Frey*, incipiatur ab autoribus vetustissimis ordine temporum, ut haberi semper ac consecrari memoriæ primus inventor possit. Nisi verò quamprimùm suscipitur negotium, vereor, ne, succrescente quotidie nova segete, ita oneretur denique, suffoceturque inutili librorum mole Jurisprudentia; ut facilior nunc labor, omnem tandem humanam diligentiam vincat.

§. 91. Delineavimus *ideam Jurisprudentiæ perfectæ*, absolvimusque, quod difficillimum erat, magnitudinem rei vel votis assequi. Sequitur, ut etiam

viam grassandi ad ejus adyta designemus. Illic diximus, quæ doctori; hic, quæ discipulo necessaria sint, dicemus. Illic explicata sunt, quæ ad perfectissimum JCtum, in dicasterio aliquo operæ pretium facturum, requiruntur; hic enarrabimus, quæ ad ponendum tyrocinium & prima boni advocati rudimenta pertinent. Quemadmodum & in parte generali didactica primò in idea de ipsis subjectis, causis, objectis seu speciebus habitus usque ad §. 41. in reliquis 4. paragraphis tanto brevius de ipsa discendi ratione usque ad finem sumus meditati: Ita hoc loco imperfectius, methodum nempe discendi docendique, prout cujusque intentio est, vel ad summa contendendi vel in secundis tertiisque consistendi, restat sub finem explicemus. Toties autem aliquis sibi ipsi præceptor esse potest, quoties non admonebimus præceptore indigere, adhibito tamen manuductore & illa jucundiùs faciliusque discet. Cæterum *tria* erunt *Curricula* hujus viæ: unum *elementare*, alterum *exegeticum*, tertium *polemicum*.

§. 92. Notandum hic, cùm certum tempus assignabimus, 1) non exactè sed circiter definiri; 2) hoc esse pro mediocribus ingeniis, neque enim tardos subsistere, neque celeres prævenire veto; 3) non debere aliquem esse assiduum & accubuum. Satis erit & plus satis, si quotidie horæ juri impendantur ad summum *sex*. Cujus duæ horæ cum præceptore, si quis est; duæ ruminationi; reliquæ duæ lectioni volitanti maximè historicæ impendantur. Lectio autem *historica*, de qua inposterum non ampliùs dicemus, instituatur hoc modo: Historia universalis studiose cognoscenda est: deinde historia nostrorum temporum, & hæc tempore curriculi elementaris, inprimis historia religionis hodierna §. 34. 40. & dogmatum §. 37. Imperii, status rerum publicarum per orbem hoc tempore. §. 39. Quando verò gradus fiet ad compendium librorum authenticorum, seu tempore curriculi exegetici, legatur diligentius historia Romana. §. 31. 32. 33. 34. Denique cùm ad breviarium controversiarum, seu curriculum polemicum perventum erit, legatur historia juris interna seu leges variarum rerumpublicarum §. 29. historia ecclesiastica regiminis §. 38. historia rerum Germanicarum & medii ævi §. 39. Ita singula singulis accuratè correspondebunt.

§. 93. Nunc age, ad ipsa curricula studii juris progrediamur. *Curriculum elementare* continet *historiam juris rudem*, *terminos usitatiores*, & *præcepta elementaria*. Diximusque suprà §. 69. optandum, ut pueri, qui Jurisprudentiæ destinantur, prima Latinitatis rudimenta discant ex libris juridicis, v. g. Institutionibus Justinianeis, tit. de origine juris, verborum significatione, & regulis juris. Sed cùm hoc vulgo non fiat, de ordinariis saltem dicamus. Diximus enim *parte generali* §. 42. ab anno 12mo usque ad 18vum primario exercendos in ea professione, ad quam destinantur. Ut autem reliqua studia ibi enumerata ne omittantur, studio juris ut §. 92. dixi, non dabuntur horæ quotidie plures quàm quatuor.

tuor. Unde non omnia hæc tria curriculi elementaris membra conjungenda, sed ita separanda sunt, ut *historia juris rudis* ante omnia cognoscatur, ab urbe Roma condita ad nostra tempora usque deducta, exemplo tituli de origine juris. Poterit hæc in tres plagulas contrahi, & ita accuratè pernosci duabus septimanis. Interea in defectum alterius legatur *Jac. Gothofredi* & *Guil. Forsteri historia*; sed deest illis historia juris recentis. Sic cognoscet nomina, tempora, autores & differentias librorum authenticorum. Libros autem authenticos voco, ut semel in universum moneam, non tantùm leges veteres, sed & recentes, ut recessus Imperii, corpus Saxonicum, & cujusque reipublicæ statuta vel reformationes.

§. 94. Historiam sequuntur *termini usitatiores*: & incredibile est, quantum in qualibet disciplina valeat terminorum cognitio, quos Mathematici non immeritò præmittunt. Hi quomodo dispositi esse debeant; per *partitiones*, diximus §. 7. & 22. In defectum verò *libelli* sic, ut optamus, confecti, adhibeatur *compendium jurisprudentiæ Vulteji*, in Belgio forma 12. editum; sed desunt hic quoque termini juris Germanici medii & recentioris. Hic præceptore opus est, qui ad meliorem definitionis intellectionem *casum* aliquem, eumque maximè notabilem ridiculumve, ex historiis veris data occasione confingat, v. g. ad exemplum *testamenti inter liberos*, introducat regem *Philippum* inter filium *Demetrium* & *Persea* controversias testamento componentem; & similiter de cæteris. Nam notæ, quo sensibiliores sunt & notabiliores, hoc plus valent ad memoriam per §. 14. & 23. *part. general.* Nec incommodè *termini* inter discentes a præceptore sic distribuentur, ut unus hujus, alius alterius termini historias memoriter recitare possit. §. 13. *part. general.* & quia interrogando excitatur judicium, (*v. præfat. ubi de exemplo Socratis*, unde *Jonstonus* in *idea Hygieines* collegia interrogatoria commendat) jubeantur ipsi, casus applicare ad terminos & contra. Detur & opera, ut pro pluribus terminis fiat unus casus, ut tanto plus connexio memoriam juvet. His poterunt impendi menses duo cum dimidio.

§. 95. Post terminos sequantur *præcepta elementaria*: ea, cùm omittenda sint, quæ ex terminis ipsis manifesta sunt, & cuilibet rustico patent, si terminos intelligeret; remanebunt pauca ferè, in solennitatibus tantùm consistentia. Omittendum præterea est *Jus vetus & abrogatum* (ut diximus suprà §. 24.) Cujus rei ratio reddenda est hoc loco; Erunt enim fortasse nonnulli, qui vulgari modo a *Justinianeis institutionibus* incipiendum, deinde ad *digesta codicemque* progrediendum putabant. Quorum mihi nunquam placuit ratio. Sic enim 1) oriuntur inutiles repetitiones: 2) singuli hi libri juris veteris proprium ordinem habent, hinc confusio discentium: 3) sæpe ille ordo est ineptissimus: 4) illi libri continent multa ab usu remota; nemo autem, alicui *Latinam linguam* traditurus, incipit a fragmentis obsoletis. *Ennii* & *Pacuvii*; tametsi tempore

pore

pore priora *Cicerone* fuerint, & eorum, qui cum judicio usum a non usu separare possint, stylum juvent. Imò volunt præclari quidam docendi magistri, in Latinitate instillanda a recentioribus incipiendum, quorum & phrases & res nostro ævo commodiores. Frustra respondent, leges veteres originem hodiernarum esse, quæ ex illis fluxerint; nam & obsoleta Latinitas *Ciceronianæ* origo est. In discendo autem non semper natura rerum, sed *commoditas spectanda est.* Originem judicio confirmato deinde facilè discent. 5) illi libri ob multa vetustatis vestigia statumque reipublicæ a nostro abhorrentem sunt difficiliores; hinc 6) confusio fit Jurisprudentiæ exegeticæ & didacticæ, & 7) tiro præter rerum difficultatem etiam verborum obscuritate oneratur: 8) imò inseruntur juventuti falsæ opiniones de republica hodierna & regimine Romani Imperii, ut eundem cum veteri esse arbitrentur statum, nempe monarchicum; in quem errorem lectio juris veteris, & hodierni ignoratio plurimos JCtos duxit, quod non malè conqueritur pessimus alioquin autor *Hippolytus a Lapide.* Quem verò librum potissimum commendem interim, qui in defectu conficiendorum *elementorum juris* legatur, quique *jus hodiernum* methodicè breviterque tractaverit, non invenio; magno, nescio, an pudore meo, an jurisprudentiæ dedecore. Porrò, ut *præcepta elementaria* hodierna tanto meliùs retineantur; detur opera præceptori inter explicandum, ut cuilibet placito juris, etiam arbitrario, rationem assignet, aut congruentiam quandam interdum ridiculam excogitet, v. g. testes in testamento requiri septem, quia 7. sint syllabæ horum verborum: *testes in testamento.* Talibus utuntur Judæi in docenda lingua Hebraica. Porrò tam in definitionibus, quàm præceptis allegentur ad marginem *loca legum classica*, eaque inter docendum evolvantur, ut paulatim assuescant stylo legum, & acquirant memoriam in illis localem, promtitudinem evolvendi, & confusam cognitionem. Cognitis igitur *terminis*, impendentur *præceptis elementaribus* 3. menses. Et ita curriculum elementare anno dimidio absolvetur.

§. 96. *Curriculum exegeticum* sequitur. Sed ne nunc quidem ad ipsorum juris librorum ordinatam totalemque perlectionem tiro ducendus est, antequam combiberit *breviarium controversiarum*, seu curriculum polemicum absolverit: Quia alioqui nullo usu leget, non intelligens, quo quid collimet. Sed si controversias pernoverit: non solum scopum videbit, sed & inter legendum, proprio marte nova ab aliis non deprehensa ipse, ad hujus vel illius controversiæ decisionem spectantia observabit. Ut tamen quoad summa rerum capita perinde sit, ac si libros legum authenticos legisset, proponantur. 1) *Series titulorum*, 2) *Institutiones juris universi*, seu compendium librorum authenticorum, 3) *Antinomiæ. Series titulorum* per tabulas optimè discetur, imaginando sibi fortiter *methodum Triboniani*; &, quantum fieri potest, titulos unius libri sub

unum genus commune redigendo. Adde supra §. 52. Nos certè libros Codicis 12. versibus sic complexi sumus, unoque sic cujuslibet titulos comprehendimus, ut, qui hos teneat, facile e vestigio judicare possit, ad quem librum pertineat quilibet titulus, cùm tamen in Codice tam multi sint unius libri tituli. Series titulorum *Jac. Gothofredi* maximè placet; & poterit mense absolvi, dum accedat postea evolvendi exercitatio.

§. 97. *Institutiones juris universi* seu *compendium librorum authenticorum* quomodo conficiendum sit, diximus §. 54. Hoc jam Juris cultori pervolvendum est, ut non solùm, *quid juris sit*, sed & quid juris *fuerit*, discat; quorum illud ex *elementis*, hoc ex *institutionibus* hauriet. Institutionibus enim his, seu *compendio* inserenda erunt *& abrogata*, quemadmodum in suis *Institutionibus Justinianus* ipse eorum non obliviscitur. *Alleganda* sunt ad marginem & evolvenda *loca legum*, non solum *classica*, ut in *Elementis* §. 95. *fin.* sed omnino *omnia* ad rem pertinentia, ita tamen, ut classica singulari signo vel charactere dignosci a cæteris possint. Pro *institutionibus juris interni* in defectum adhiberi poterit Jurisprudentia Romana *Vulteji*, non brevis illa in Belgio forma 12. edita, de qua §. 94. sed grandior in forma 8. edita Marpurgi, quæ munus hoc non incommodè implet. Quia verò plurima *elementis* præoccupata sunt, poterunt tribus mensibus absolvi *Institutiones*; evolutio enim non in *collegio* fiet, sed domi. Præceptor aliqua tantùm loca extra ordinem huic vel illi evolvenda proponat in ipso *collegio*, diligentiæ excitandæ causa. *Antinomiæ* quomodo in brevem libellum colligendæ, quem diximus *Antinomicum minorem*, explicatum §. 52; sed sic tractandus. Primò evolvantur juris loca, & tentet juris studiosus, an possit proprio marte penetrare, tum in quo leges obstent, tum quomodo conciliandæ. Deinde consulat alios, qui antinomiam solverunt; non quod eorum solutionem memoriæ mandare necesse sit, sed ut artem solvendi ipsis exemplis discat, assuescatque leges etiam ab aliis non conciliatas ad harmoniam redigere. Sed eas, quas magni viri insolubiles judicant, diligenter memoriæ mandet. Igitur poterit *antinomicus* mense uno non difficulter absolvi. Sed talis, qualem requiro, scriptus non est, poteritque quatuor plagulis comprehendi. Quare totum *exegeticum curriculum* itidem semestri finietur. Interim durante curriculo exegetico, poterit juris cultor *collegiis disputatoriis* paulatim assuescere, *Curias* etiam & *Judicia* frequentare, & *Acta publica* evolvere, quæ res incredibiliter ad praxin & realia præparat.

§. 98. *Curriculum polemicum* sequitur, quod alterum studii juridici annum sibi deposcit. Nunc igitur ad *breviarium controversiarum* accedat studiosus juris; non quasi jam *judex*, sed hactenus ut cognitor tantùm. Breviarium quomodo conficiendum & ab alienis segregandum sit, diximus

diximus §. 78. (sed cùm tale nondum confectum sit, cogemur interim in gratiis nostris *Treutlero* uti.) Quomodò autem adhibendum sit, nunc dicemus, remque planè singularem in publicum proferemus: Mixturam nempe *collegii disputatorii* & *practici* in isto super *breviarium* collegio experiundam. Scilicet sint discipuli ad minimum 12. horæ diei impendendæ duæ. Quæstiones quolibet bihorio tractentur 12. 6. discipuli sint respondentes, 6. opponentes, seu 6. actores & 6. rei. Quilibet 2. quæstiones minimum defendat vel oppugnet. Modus tractandi non sit diffusus syllogisticus, sed Germanicus practicus, ut in *judicio*. Inde discent *vom Mund aus in die Feder verfahren*, seu oretenus proponere, & ex tempore respondere & replicare. *Actor* formet casum *in seinem Satz*, in sua propositione, & afferat argumenta pro; *Reus* respondeat & afferat argumenta contra, brevissimè sine inutilium verborum coacervatione: hæc reciprocatio bis fiat. Præses verò, tanquam *judex*, concipiat sententiam, eique rationes decidendi inserat. Ita aderit hoc compendium quod multa argumenta simul congerentur in unum, non proponentur syllogisticè, nec invitationibus tempus teretur, aut assumtionibus, aut gratiarum actionibus. Et quia in foro, aut deliberationibus, orationibusque publicis argumenta non proponuntur syllogisticè; discet ita juris cultor vim argumenti percipere, & latentem errorem detegere, etsi non sit syllogisticum. Neque enim Logicæ, neque Latinæ linguæ discendæ causa tale *collegium disputatorio-practicum* habetur. Erit & hæc utilitas, quòd in responsionibus & replicationibus extemporaneis, quolibet suum sermonem sine alterius interpellatione, ut in publicis magnorum virorum orationibus moris est, deducente, meminisse necesse est multorum alterius argumentorum vel responsionum; quod, nisi assuetus, non potest, assuescet autem optimè juvenis tali collegio disputatorio-practico. Vulgaris enim in Academiis disputandi mos in communi vita non est usitatus, tum quia Latinus, tum quia interruptionibus creber: Sed in publicis consessibus, deliberationibus, concertationibus *senatorum*, *legatorum*, & *advocatorum* non licet alterius sermonem interrumpere; Quare & juvenes in Academiis paulatim ad usum communis vitæ sunt præparandi. Porrò *actor* casum formatum *reo* ac *judici* communicet die proximo antecedente. Brevitate autem summa opus est, ut qualibet hora possint absolvi 6. Quæstiones. Sed hic abhiberi potest egregium artificium; nempe plures quæstiones cognatæ ejusdem materiæ possunt commodè in unum casum compingi, quemadmodum & in *Judiciis* multæ controversiæ simul concurrunt. Ita res facillimè exitum sortietur, poteritque anno absolvi *breviarium*, etsi 3600. quæstiones contineat. Ad argumentum autem pro & contra habenda, *disputantes* loca *legum* & *doctorum* in *breviario* citata evolvent; ita poterit unus alterius rationes prævidere.

§. 99. Atque ita totum ſtudium juridicum biennii ſpatio finietur, & plus fortaſſe efficietur, quàm quinquennio illo vulgari, quod autor *Menippi* anonymus, ſed, ut conjicio, *Joh. Valentinus Andreæ* in *magia Chriſtiana* ad tam exiguum temporis ſpatium, ſi inutiles occupationes ſubtrahantur, reduxit, ut me luſtri hujus pudeat miſereatque. Decurſo hoc biennio, deſinet ſtudioſus juris diſcipulus eſſe, jamque ipſe ſibi controverſiarum judicium arrogabit, &

tandem cuſtode remoto,
in aprici gramine campi

per Juriſprudentiæ vaſta ſpatia volitabit, leget *libros legum authenticos* pedetentim, *titulos legeſque* maximè neceſſarias prima vice; cæteras pro gradibus in libro illo ſuprà §. 48. laudato aſſignatis, ſubinde addet; eliciet inde, quæ ad variarum *controverſiarum deciſionem* faciunt, & novas regulas, nova univerſalia, ab aliis neglecta fabricabit; adhibebit *commentarios*, penetrabit in *rationes legum*, & ſibi paulatim ipſe *legislatoris* prudentiam ſaltem, niſi & perſonam ſumet. Deinde in vaſtum *controverſiarum pelagus* progreſſus, obſervabit *dicaſteriorum conſuetudines*, traditaſque eis a majoribus ſententias, pugnas diſſenſuſque invicem & pro ratione populorum, pro rerumpublicarum diverſitate variantia jura notabit; diſcetque ex immotis juris naturæ principiis & utilitate publica continuo nexu firmas demonſtrationes deducere, & inanes pragmaticorum argutias, & allegatiunculas, & contortos ex *doctorum* autoritate impertinente, & applicatione Brocardicorum inepta nodos, ſcientiæ invictæ gladio ſecare. Hunc ego verum *juris philoſophum*, hunc *juſtitiæ ſacerdotem*, hunc *juris gentium* & quod ex eo pendet, *publici* atque *divini conſultum* dixero; cui poſſit committi reſpublica, quem neque ineptæ *ſtatus ratiunculæ* ad novandum impellant, neque a promovenda publica ſalute inanis juridicarum quarundam ſpinarum metus deterreat; concident ſponte ſua *Macchiavelliſtarum* convicia, (ipſi ſe *Politicos*, & ſi diis placet, etiam *Statiſtas* vocant) qui Juriſconſultos rerum imperitos, cautelarum ſcientes, ineptos *Legulejos* vocant; deſinentque Principes gulonum quorundam *aulicorum conſilia*, aut verius jugum pati, quando egregius vir autoritate & eloquentia munitus, conſiliis ſuis non æquitatem magis quàm utilitatem, (inſeparabiles rectè æſtimanti ſocias) circumponet.

§. 100. Hoc omine finiremus, niſi præſtaret *diſperſa* quædam in ſuperioribus in unum contrahi; primum *computationem temporis*, deinde *catalogum deſideratorum* ad imitationem *Fr. Baconis* in augmentis ſcientiarum.

Computatio

Computatio temporis hæc eſt:

Anni, menſes, ſeptimanæ	A.	M.	S.
Pro hiſtoria juris rudi	-	-	2
terminis juris	-	2	2
præceptis elementaribus	-	3	-
Summa curriculi element.	-	6	-
Pro ſerie titulorum	-	1	-
inſtitutionibus univerſ.	-	4	-
antinomico minore	-	1	-
ſumma curriculi elementaris & exegetici ſimul.	1	-	-
Pro curriculo polemico ſeu breviario controverſiarum.	1	-	-
Summa ſtudii juris	2	-	-

Reliquum tempus lectioni liberæ, peregrinationibus, praxi, & negotiis vitæ tribuendum.

CATALOGUS DESIDERATORUM HIC ESTO:

Ad perficiendam juriſprudentiam fiant

1) *Partitiones juris* §. 7
2) *Sciagraphia juris in artem redigendi* 21
3) *Novum juris corpus* 22
4) *Elementa juris* 23
5) *Reformatio Brocardicorum* 25
6) *Compendium* Menochii *&* Maſcardi *de probationibus & præſumtionibus* 26
7) *Theatrum legale* 29
8) *Hiſtoria mutationum juris* 29
9) *Hiſtoria irenica* 41
10) *Philologia juris* 43
11) *Philoſophia juris* 43
12) *Concordantiæ juridicæ* 44
13) *Tropi, formulæ, adagia juris* 47
14) *Arithmetica juris* 50
15) *Antinomicus minor* 52
16) *Inſtitutiones juris univerſi* 54

Plura nunc non succurrunt, & aliquid mihi servandum est; revelavi tamen plura quàm destinaram. Nullus prope paragraphus sine nova vel inventione, vel contemplatione abiit. Non gloriam, sed utilitatem quæsivi publicam, alioqui nomen præscripsissem. Si quid me effecisse video, tentabo minuere propositum proximè *catalogum desideratorum*: Sin minus; ego me invidiæ nota absolvi. Contemtoribus satis supplicii ignorantia erit. Veniet fortasse aliud tempus dignius nostro, quo debellatis odiis, veritas triumphabit. Hoc mecum opta, Lector, & vale!

EPISTOLA AD AMICUM

DE NÆVIS ET EMENDATIONE

JURISPRUDENTIÆ ROMANÆ.

Ex Actis Erudit. Germ. P. XXIII. p. 287.

Notum satis est, quanta confusione tam in scholis, quàm in dicasteriis laboret justitia, cùm nec clarè in illis sæpe tradatur, quid justum sit, nec in dicasteriis brevi via ille finis possit obtineri. Quanquam autem in illis, quid juris sit, diligenter, & prolixè traditur, in his autem, quid facti sit, magna providentia lentè perquiritur; non tamen ad declarationem quæstionis, sive transitum ex facto ad jus in scholis,

ſcholis, neque ad proceſſus deciſionem, ſive tranſitum juris in factum, ſive executionem, citò, brevique perveniri poteſt, ut quid juſtum ſit, ipſo quoque facto juſtum appareat.

Quamvis autem privati hominis non ſit de modo executionis contra contumaciam facti conſilia dare, quoniam in eo punctus ſecuritatis internæ regnorum verſatur, a quo pendet tota regiminis conſtitutio: attamen, cùm proceſſus non tantùm in executione, ſed potiùs in cognitione cauſſæ verſetur, poſſunt omnino conſilia dari, quomodo brevi, juſtaque via id queat obtineri: non quidem in ſummis Imperii tribunalibus, attamen in terris hæreditariis, & principalibus exercenda: quaque ratione remedia queant excogitari, ut utraque pars ſtatus controverſiæ a confuſione arceatur, & poſthabitis propriis præſidiis impediatur alteram variis tecturis implicare: id quod eam quàm maximè gravat, atque premit, ſilentio præterire, & tranſeundo negligere, nebulas inducere, vel obiter tantùm tangere; ſua verò ſæpius repulſa, ſuppreſſa reſponſione repetere, remque centies dictam recoquere; ut acta inde in infinitum augeantur, tenebris autem argumentum rei involvatur, ſi æque judex tandem delaſſatus cedat, quibus remediis præclarè uti norunt, qui cauſarum patrocinia multoties ſuſceperunt: Eo effectu, ut ne in Judicis quidem inferioris, vel teſtis falſi poteſtate ſitum eſſe poſſit, actori rei ſuæ vindicias impedire, vel rei, atque inquiſiti innocentiam obnubilare, vel avaritiæ, odio, aliiſque mentis pravæ affectibus locum facere. In hujus generis rebus conſiſtit natura, & ſubſtantia proceſſus, & inquiſitio veritatis; quamvis ad eas nec ordinationes judiciorum, nec auctores, qui de proceſſibus in arctum contrahendis ſcripſerunt, multum reſpexerint, ſed in externis, fatalibus, formalibus ſolemnitatibus tantùm fuerint plerunque verſati. *Octavius* autem *Piſani* vir intelligentiſſimus, qui præ aliis ad hæc, & ſimilia attendit, non docuit, quomodo proceſſus tractandi, ſed tollendi, & vitandi ſint, nec oſtendit, quomodo abſolvi, & perfici; ſed quomodo prorſus proſcribi ex orbe, introducta diſciplina, & ordine juſto queant: id quod nec ad præſens argumentum pertinet, nec ita facilè, quàm hæc noſtra conſilia poteſt in actum deduci.

Sed de his omnibus mentem declarare meam prolixum nimis eſt; omittam itaque, quæ ad formam proceſſuum, factum, judicia, & praxim debent referri; & in quæſtione tantùm juris, & theoria, conſiſtere ſtatui, quoniam hæc, conſilia privata faciliùs admittunt, & ſine mutatione, legibuſque, ſola diligentia privata poſſunt emendari.

Notum eſt jura Romana in corpore juris comprehenſa, per omnem ferè Europam, & in primis in toto Imperio Romano Germanico legis auctoritatem obtinere, niſi illis expreſſa ſtatuta, vel conſuetudines notoriæ derogentur, quare in omnibus etiam dicaſteriis ad ea attendi ſolet.

let. Itaque in tollendis nævis juris ab illis, tanquam reliquorum fundamento, & quæ emendatione omnium maximè opus habent; initium faciendum est, reliquis particularibus suo loco relictis.

Duæ autem virtutes cardinales, atque primariæ omnium legum sunt, perspicuitas, atque brevitas; justas enim esse, & rationi convenientes præsupponimus: licet sæpe melius sit injustas leges habere, quàm incertas & obscuras, id est reipsa nullas. Utraque autem virtus nimium quantum legibus Romanis deest, quæ quanquam quoad maximam partem cum rationis præceptis consentiant; attamen per obscuram prolixitatem tegendis multis injustitiæ exemplis inservierunt; Et obscuritas quidem inde oritur 1°. quia compilatores leges istas sæpe ex constitutionibus Imperatorum inter se pugnantibus, diversorumque temporum collegerunt, quo non potuit non diversorum principiorum, statusque Reipublicæ, & jurium mutatorum enasci confusio. 2°. quia illa è sede, locoque suo, quo ex antecedentibus, & consequentibus illustrabantur; abrupta, & in peregrinum locum translata sunt: & hinc sæpè explicatio edicti perpetui, aliarumque legum, sine ipsis legum verbis, & commentariis sine textu deprehenditur, ex quo innumeræ corruptelæ, malæque applicationes sunt exortæ. Ut taceamus, compilatores interdum auctorem, quem adhibuerunt propter ritus, & formulas non intellexisse, immo propter notas, & compendia verborum tunc usitata ne legere quidem potuisse. Tandem 3°. quia excerpta sua ordine malè cohærente, & intricato descripserunt, ita ut vix intelligi queat, quid sibi velit textus, quamvis in se clarissimus: Lex enim sæpe hoc, & ejus mutatio alio loco deprehenditur, textus alibi, quàm explicatio, apparet, fundamentum in ultimis libris, consequentiæ, & applicationes ejus in primis quærendæ sunt.

Augetur obscuritas legum Romanarum, fitque ferè invincibilis propter rationes sequentes. 1°. Quòd res eadem in diversis locis repetitur multoties: 2°. quòd innumeræ reperiuntur, quæ planè per novas leges in corpore humani juris sunt abrogatæ; ex parte quoque: 3° ipso facto se abrogant, quoniam res, de qua agitur non est in rerum natura; e. g. multitudo veterum officiorum, hodie planè obsoletorum, & alia plura, quæ non in certis libris collecta, sed per totum juris corpus dispersa deprehenduntur, quæque multi hodie obtorto collo statui hodierno applicant. Quæ eo magis ad imitationem veterum, quorum vis ingenii ibi emicat, in scholis quidem, & bibliothecis poterant, quoniam in usus judiciorum possunt adhiberi, sed ab aliis utilibus argumentis debebant separari. 4°. Quoniam multa insunt isti legum collectioni, quæ revera, & si dicendum quod res est, planè leges non sunt: nam innumera multitudo casuum particularium per rescripta Imperatorum, & responsa Jureconsultorum decisorum, (quorum aliquot centena simul

simul sumpta paucis verbis, & una regula generali, legeque vera possunt comprehendi) inserta majorem totius corporis partem constituit; quas omnes in legum censum referre, idem esset ac hodie recessus Imperii millenis præjudiciis Cameralibus augere, aut institutiones arithmeticas multis mercatorum rationariis multiplicare: 5°. quia haud exigua pars definitionibus, divisionibus, etymologiis, discursibus, observationibus historicis, criticis, & scholasticis, non in legislatoris, sed doctoris Academici, dissertationem meditantis solum consumitur: quod quidem sua utilitate non caret, absurdum autem, & damnosum efficitur, si pro legibus talia habentur, & cum iis confunduntur, ut tanto ἀτέκων mari paucæ quædam veræ leges innatent. Tacemus 6°. disputationes de αντινομι quæ ad quæstionem juris videntur pertinere, examinatæ autem, riteque exploratæ in fumum abeunt, patetque de solo nomine, & formula actionis, aut interdicti pugnam fuisse, re interim eadem manente. Præterimus 7°. sæpe de subtilitatibus quibusdam, & apice juris contentiose disputari, & in fine tandem palam feri, alium jurisconsultum a tota ista molestia nos liberare, ostendendo, æquitatis causa aliquid receptum esse. Nec hoc 8°. multum movebimus, sæpe res faciles, & naturales istorum veterum formulis, & terminis, casuumque, & circunstantiarum plurimarum anfractibus ita præpeditas esse, & obscuras, ut magnum momentum habere videantur, quæ extricata ritè maximo labore, adeo trita sunt, & facilia, ut ab attento agricola vernaculo sermone explicata non aliter decidantur.

His nævis tollendis, quantum quidem constat, manum neminem adplicuisse, audacter assero. Inter tot enim, quot habemus juris methodos, ne una quidem est, quæ efficiat, ut quælibet lex, propositio, decisio, consequentia ad propriam rationem, atque fundamentum, ex quo fluit, referatur, quæ tamen *unicaria* est, radios luxuriantes, per dioptram quasi coarctandi, & nucleo puro potiundi. Innumera habemus compendia, & tamen ne unum quidem est, in quo juris nucleum invenire possemus gloriari, ita ut in casu necessitatis omnibus, quæ inde fluunt, possimus carere, & tamen quid juris Romani communis sit, constanter definire queamus.

Itaque totum opus tum ad collectionem omnium legum brevem, atque dilucidam, tum ad earum justificationem revocari potest. Et illa quidem, sive elementa juris Romani, hodieque attendendi brevis, & certa constare potest unica tabula, ad modum mapparum Geographicarum, in qua omnes regulæ universales comprehenduntur, ut ex earum combinatione omnes quæstiones, quæ possunt occurrere, decidi, fundamentaque omnium actionum, exceptionum, & replicarum velut in *imitamine edicti perpetui* digitis possint ostendi, quale specimen hactenus nemo vidit, nemo tentavit unquam.

Justificatio horum elementorum ipsis Romanarum legum verbis quærenda est, quæ secundum hæc elementa debent disponi, distribui, deduci, & illustrari, atque confirmari. Ejus duo gradus sunt, nempe nucleus legum, & deinde ipsum corpus juris reconcinnatum. Utrumque ipsa legum verba retinet, hoc tamen servato discrimine, ut nucleus compendium verborum exhibeat propria, & commoda ratione, verbum nec addendo, nec subtrahendo, sed servatis iis tantùm ex toto corpore, quæ vera sunt, & nativam legis rationem, vimque novi alicujus dispositivam continent, quæ in summam redacta cum tabulis elementorum ad confirmationem possint comparari. Corpus juris reconcinnatum autem, nihil addat, vel demat legibus necesse est, sed servatis præcisè verbis, leges secundum ordinem elementorum, & nuclei disponat: &, quod primum esse debet conclusiones sub principiis suis, sc. legem quamvis, vel etiam paragraphum sub regula in tabula elementorum posita, a qua pendet, & deducitur, collocet, quo pacto simul rationes legis afferuntur, ex quibus sensus, & explicatio, extensio, vel restrictio (in casu cessantis, vel similis rationis) clarè dependet, nihilque eorum omittitur, quæ ad emendationem juris Romani pertinent, quamdiu hoc non mutatur, sed observatur.

Et talia quidem sub manibus habemus, partim effecta, partim affecta. Ex quo enim a primis cursus mei juridici annis hæc mecum agitavi, incidi Moguntiæ in *Hermannum Andream Lasserum*, Elect. Mog. a consiliis aulicis, & judicii aulici electoralis assessorem, cui eadem ferè mens, & scopus insederat. Nec displicuere Eminentissimo Electori cogitationes hæ nostræ, iisque urgendis, & juvandis manum liberalem se porrecturum clementer significans. Itaque rem aggressis inter innumera impedimenta, & obstacula, eo tamen res perducta est, ut non tantùm tabula, quæ nucleum continet, quoad præcipuam partem absoluta sit, & quotidie in relegendo novis supplementis augeatur, & perficiatur: sed & dimidia ferè pars nuclei legum, qui verba ipsa continent, extracta, ultimam manum, sive corpus reconcinnatum, dispositionemque omnium legum, earumque reductionem ad fontes suos expectet, regulas tabulæ exhibendo, quarum una multarum sæpè legum summam continet, cum reliqua non nisi subsumtiones sint, casusque particulares. Ita verò omnes leges difficiles, & obscuræ, quarum ratio non in oculos illabitur, & cum fundamento pugnare videntur, percurrendo totum corpus, ad formandum nucleum, ad legitimum sensum, atque rationem fundamentis legum Romanorum conformem revocantur. Audemus dicere, aliquot centenos textus difficiles, quorum enodatio apud alios frustra quæritur, examinatos, locisque suis restitutos esse, ita ut spes certa sit, fore ut rationalis legum ferè omnium explicatio sine ullis nodis, nævisque in posterum exsurgat.

RA-



RATIO CORPORIS
JURIS RECONCINNANDI.

§. 1.

JUS ROMANUM vocamus tam quod à *Justiniano* Romano Imperatore, quàm quòd à Romanis Pontificibus profectum est; illud *Justinianeum* dicitur, hoc *Pontificium*.

§. 2. Utrumque habet per Europam ferè totam, spontaneâ quadam receptione vim *Juris Communis*, & quasi *Jurisgentium Christianarum*; ut valeat quatenus ei speciali Regni, Regionis, Provinciæ, Loci alicujus Rege, Statuto, vel Consuetudine non est derogatum.

§. 3. Hanc *Autoritatem* hoc rerum statu necessariò retinebit.

§. 4. Quia omnes ei assueverunt: Scriptores in allegando, & fundamentis ex eo petendis; Scholæ in legendo & disputando; Forum in judicando, consulendo, patrocinando. Adeò, ut eæ quoque gentes, quamvis paucæ, quæ usu fori excluserunt, Scholas tamen ei aperuerint.

§. 5. Ideò Juris Romani authoritas sine totali Rei Juridicæ mutatione tolli non potest; tolli tamen Vitia ejus & possunt & debent.

§. 6. Juris igitur Romani consideranda sunt: *Vitia*, *vitiorum effectus*, *Vitiorum Remedia*.

§. 7. Juri Romano objiciuntur hæc VITIA: *Superfluitas*, *defectus*, *obscuritas*, *confusio*.

§. 8. *Superfluitas* Juris Romani consistere putatur in Abrogatis.

§. 9. Sed ABROGATA ex Juris corpore, si universale variis gentibus manere debet, ejicienda non sunt (quia alia aliis gentibus sunt abrogata) *v. g. in Hispaniâ* adhuc viget vera *Servitus*.

§. 10. Perlegantur modò illi, qui Abrogata colligere conati sunt; reperiemus, quæ unus pro universaliter abrogatis asserit, alterum nonnisi, de illius patriâ concedere, de suâ verò vel aliorum contrarium demonstrare.

§. 11. Imò in omnibus abrogatis manet nihilominus vera propositio Conditionalis nempe: quòd stante illâ hypothesi, quæ olim fuit, etiam stare jus vetus deberet.

§. 12. Contrà, quòd stante hodiè hypothesi, quæ veteri similis, vel contraria est, etiam ob similem, vel contrariam decidendi rationem, jus hodiernum juri veteri simile vel contrarium esse debeat.

§. 13. Et ita Abrogata præbent in hypothesi proportionali hodie vigenti, fundamentum decidendi proportionale *v. g. Materia de famulis, de Operis Rusticis, Hominibus propriis hodiernis, ex materiâ Servorum Veterum; Materia de unione prolium hodiernâ, ex Adoptionibus veteribus capit fundamentum.* Nos tamen operam dabimus abrogatis communioribus & suis locis, & sigillatim unius Schematis aspectu simul, repræsentandis.

§. 14. *Defectus* Juris Romani consistit in Antinomiis, & quòd casus plurimi, in eo non satis decisi sunt.

§. 15. Sed hæc vitia omnibus legibus communia sunt, nunquam enim possunt comprehendi omnes casus.

§. 16. Audemus tamen dicere, nullum extare librum Legum in Orbe terrarum qui plures, & insigniores in omnibus materiis, comprehendat, & decidat casus, quàm *Corpus utrumque juris Romani.*

§. 17. Antinomiæ veræ, si quæ sunt, paucæ sunt, à nobis & ipsæ repræsentandæ.

§. 18. Et multa controvertuntur, quæ ex Legibus modò confusis sic apparent, nec tamen sunt, verùm exercitii tantùm causâ proponuntur.

§. 19. Optandum tamen, *Casus*, adhuc *controversos* insigniores publicâ authoritate hodiè decidi, & ita *Corporis Juris pomæria velut proferri*, sed hoc alterius disquisitionis est, & Legibus secundùm institutum nostrum in ordinem redactis, *Casibus indecisis* eâ ratione clariùs elucescentibus, quin etiam à nobis simul indicatis Autorum eos colligentium locis, magis magisque patebit.

§. 20. *Obscuritas* juris Romani consistit in Styli & Historiæ veterum ignoratione.

§. 21. Sed obscuritas hodiè satis dispulsa est per *Juris Consultos Recentiores Cujacios, Contios, Hottomannos*, aliosque imprimis postquam potissima ex iis selecta *Dionysius Gothofredus* in notis suis Textui addidit.

§. 22. Curatus igitur est morbus hic Legum, nisi quatenus adhuc à confusione trahit alimentum. Interim plurima egregia ad illustrationem, ornatum, perfectionem pertinentia desiderari adhuc posse, non diffitemur, de quo plura infrà §. 142. *& seqq.*

§. 23. *Confusio* autem sola adhuc maximè regnat, & omnia turbat. Ea enim & sustentat superfluitatem, & defectum & obscuritatem.

§. 24. Quia quamdiu omnia confusa sunt, non possumus certò secureque nosse & in numerato habere, quid in legibus positum sit, quod poni non debuisset; nec, quid in iis omissum, quod omitti non debuisset; nec quæ Lex aliam explicet, aut emendet.

§. 25. CONFUSIO est *Operum Materiarum* & *Legum.*

§. 26.

§. 26. CONFUSIO OPERUM consistit tam in varietate Operum, quàm in varietate Ordinis.

§. 27. *Varietas operum* est, quòd de eâdem re agitur sæpissimè in diversis *Operibus Corporis Juris*, nempe & in *Digestis* & *Codice*, & *Institutis*, & *Novellis* &c.

§. 28. Hæc debent inter se conjungi *paralleliter*.

§. 29. Et tale opus verè *Basilicum*, & Regium jam tùm annis abhinc circiter 800. moliti sunt Imperatores Orientis: *Basilius*, *Macedo*, *Leo Philosophus*, & *Constantinus Porphyrogeneta*; quod vocatur Corpus BASILICORUM, constabatque ex Libris sexaginta.

§. 30. Sed non pervenit ad nos integrum (in postremâ enim *Caroli Hannibalis Fabroti* editione quæ in Galliâ ex MS. Bibliothecæ Regiæ prodiit, desunt libri novemdecim) & loca Juris *Justinianei* in eo detruncata, non, ut desiderantur, integra relicta sunt; & admixtæ sunt Novellæ sequiorum in Oriente Imperatorum, nunquam in Occidente receptæ; ideò *Basilica hæc* exemplum magis illustre, quàm exemplar perfectum præbent.

§. 31. Conjungi tamen ex variis libris Parallela sic debent, ut non unum fiat Crama, sed in qualibet materiâ DIVERSITAS JURIUM, seu quid *Digestis* inductum, *Codice* suppletum: & ex his iterum velut compendio: Institutis repetitum; *Novellis* denique, & *Canonico Jure* correctum sit; successivè in conspectu esse possit. *Adde infrà* §.90. 125. 139.

§. 32. *Varietas ordinis* est, quod alia Jura alium habent ordinem. Alius enim est in *Digest.* alius in *Codic.* alius in *Institut.* alius in *Decretal.* in Novellis verò & *Decreto*, planè nullus.

§. 33. Sed in Decretalibus laudandum, quod eodem ordine dispositæ sunt, & *Decretales Gregorii*, & *in Sexto Bonifacii*, & *Clementinæ*, & *Extravagantes tam Joannis quàm Communes*; ubi sequentes collectiones neque alios titulos, neque aliam eorum seriem, quàm præcedentes habent.

§. 34. Hæc varietas Ordinis tollitur sublatâ varietate Operum.

§. 35. Sed quæritur utrum opus, uti in commixtione sit accommodandum?

§. 36. Et res ipsa loquitur, non cætera *Institutis accommodanda* esse quia magnum parvo accommodari, sine nimiâ partium majoris divulsione, ac contorsione, vix congruè potest.

§. 37. Nec *Codici* sed *Digestis*, quia in *Digestis* materiarum principia traduntur in *Codice* tantùm supplentur, & specialius, per *titulos particulariores* diducuntur.

§. 38. CONFUSIO MATERIARUM, est vel *Generalium* vel *Subalternarum*, vel *Specialium*.

§. 39. MATERIÆ GENERALES sunt, in quas totum Jus dividitur, *V. G.* hoc modo: *Generalia Juris & Actionum*, *Personæ Judicia*, *Jura*

Realia, *Contractus*, *Successiones*, *Delicta*, *Jus publicum*, *Jus Sacrum &c.* quam *Dividendi rationem* praxi & usu communi ob commoditatem receptam nos imprimis tenebimus.

§. 40. Horum in *Digestis* & *Codice* ordo *aliquis ad Edictum perpetuum* compositus, & ita in fundamento similis; sed sæpiùs interruptus, & non uno loco dispersus, tum quia Edicti perpetui ordinem hodiè conjecturis tantùm assequimur; tum quia *Tribonianus*, regulam ejus sibi propositam, non adeò religiosè ubique servavit. Hanc confusionem monstravimus *duobus separatis Schematibus*, *calci Dissertatiunculæ hujus subjectis*, *sub signis* ☉ & ☽. Ex quibus & apparet, *Divisionem Digestorum in* 7. *partes* à *Triboniano* factam, uti per se arbitrariam, nec certo fundamento nixam ita instituto nostro commodam esse non posse.

§. 41. Sed earum quidem in locum substituimus *nostras novem partes* ex rei naturâ sumptas jam jam §. 39. enumeratas; nihilominus tamen (quod ex Tabulâ collatoriâ ordinis vulgaris, & nostri aliquando ad oculum patebit) ordinem Digestorum principaliter retinentes, iis tantùm quæ à sede suâ propria omnium confessione distracta sunt, ad eam reductis; ut singulatim Jura personarum, Judiciorum item, Contractuum &c. uno certo loco collati, quærentem non amplius fatigent.

§. 42. MATERIÆ SUBALTERNÆ sunt mediæ inter generales & speciales, *v. g. in materia Personarum generali*, *subalternæ sunt materiæ*: *potestatis patriæ*, *Servorum*, *Libertorum*, *Matrimoniorum*, *Tutelæ & Curæ.*

§. 43. In Materiis subalternis retineri plerumque potest ordo *Digestorum*, v. g. in *Digestis* (interjectis licet aliis) *Materia Personarum* eandem ferè seriem habet, quam §. *præcedenti* posuimus. Nisi quòd *materia Libertorum & Manumissionum* paulò serius ponitur.

§. 44. Et generaliter observandum duximus, ut ordo Corporis Juris vulgaris retineatur & in Corpore Juris reconcinnando, quantum fieri potest; idque memoriæ & reflexionis ad ordinem vulgarem, & commoditatis in evolvendo causâ.

§. 45. *Materiæ Speciales* sunt ipsi TITULI in Corpore juris, qui in specialiores non diducuntur, *v. g. de manumissis vindictâ*, *de pactis dotalibus &c.*

§. 46. Titulis autem æquiparandos duximus novâ, sed necessariâ ratione & PARAGRAPHOS INSTITUTIONUM & CAPITULA NOVELLARUM: *Paragraphos* quidem, tùm quia uni sæpè *Paragrapho Institutionum* respondet integer *Tit. Digestorum & Codicis*, & ille hujus velut *Summarium* continet; tùm quia nonnulli Commentatores eâ occasione ad Paragraphos istos integras materias absolvere consuevêrunt.

§. 47. CAPITULA verò NOVELLARUM secundùm Editionem *Gothofredi* itidem titulorum instar & suis quæque locis inseruimus, & peculiaria ipsis, prout aliis, Summaria dedimus, quia plerumque una No-

Novella multa *Capitula*, ex variis materiis inter se sine connexione mixta continet; cùm tamen eæ ipsæ Capitulorum materiæ in Rubricâ Novellæ vulgari, non planè enumerentur, sed adjiciatur sæpissimè Clausula illa Generalis: *& aliis Capitulis.*

§. 48. *Titulorum* consideranda Conceptio, & Series.

§. 49. *Titulorum Conceptionem* in Corpore Juris improbârunt, novosque sibi titulos finxerunt METHODISTÆ, *v. g. de homine relatè spectato, de potestate privata, &c.*

§. 50. Hoc autem, licet per se non improbandum in *Reconcinnando tamen Juris Corpore* fieri nequit, sed retinendi sunt tituli Corporis Juris. Alioqui corruerent omnia allegata Doctorum, in quibus semper citatur *Lex & Titulus.*

§. 51. *Series Titulorum* Specialium in Corpore Juris posita, satis bona est. v. g. *in materiâ manumissionum retineri potest series Titulorum Specialium, quæ est in lib. 40. Digest. & in lib. 8. Cod.*

§. 52. Quia in eâ non multum situm est, nec interest, v. g. *an prius agatur de manumissione per testamentum, an de manumissione per vindictam.*

§. 53. Series enim Titulorum, non ad subtilitatem philosophicam sed *commoditatem practicam* exigi debet, quanquam ubi vel Nigrum plus Rubro continebit, vel illinerunt alia, quæ hoc ampliùs declarare possint, singularibus signis & charactere in ipsis Tit. admonebimus.

§. 54. Post Confusionem titulorum sequitur longè major *Confusio Legum.* LEGEM appellamus, quamlibet propositionem vel enunciationem in Corpore Juris principaliter positam, quæ cum annexis, unam perfectam & per se stantem Periodum constituit, quo sensu & *Paragraphi Legum* communiter dictarum plerumque etiam sunt LEGES.

§. 55. *Principaliter* cùm dicimus, non excluduntur omnia quæ indirectè obiterque ad aliud confirmandum, probandum, illustrandum apposita sunt; ea enim à principali etiam in Reconcinnatione divelli non debent, sed unam cum eo periodum Legemque constituunt. Alioqui sensus, & vis illationis imperfecta, & mutila redderentur. Propositiones enim obiter emergentes singulas suis locis annotare, *Indicis Alphabetici* & *Digestionis remissivæ*: non verò *Reconcinnationis*, sed Digestionis, Leges justo loco in naturâ, & ut jacent, totas repræsentantis, opus.

§. 56. CONFUSIO LEGUM est partim *Dispersio*, partim *Perturbatio.*

§. 57. DISPERSIO LEGUM est, quòd plures Leges eodem pertinentes non sunt positæ in uno loco seu titulo; sed in diversis.

§. 58. *Interdum enim Lex, ad duos titulos heterogeneos pertinens, in alio ponitur, in alio non ponitur. v.g. in Tit. de jure dotium* ponuntur Leges *de pollicitatione, stipulatione, acceptilatione, usuris, usufructu pignore dotium*, &c. Tales & ad *Titulum de Jure dotium, & ad Tit. de pollicitatione, stipulatione &c.* referri possunt.

§. 59.

§. 59. Hic dispersionis gradus est in toto jure frequentissimus, cæterum in tali casu, ea ipsa lex in uno titulo ponenda est in naturâ, & in altero tantum summarium ejus: illic verba integra exponenda, hîc numerus tantùm & verba legis initialia alleganda.

§. 60. *Ponenda autem est integra Lex in eo titulo ex quo ratio decidendi pendet, & cui magis propria est.* v. g. Si legis alicujus *de stipulatione dotis decisio pendet ex natura stipulationis, & ita non solum in dotis, sed & alia v. g. pœnæ stipulatione obtinet, referenda Lex est ad Titulum de stipulatione, seu verborum obligatione; Sin aliter, referenda ad Titulum de dote.* Eâque in re magna cautio ponenda est, ne primariæ sæpè materiarum sedes alienis Titulis per occasionem inspersæ loco non suo peregrinentur, fugiantque quærentem.

§. 61. *Interdum Lex non ponitur in Titulo ad quem pertinet, sed in titulo homogeneo.* v. g. *in tit. Cod. de appellationibus* ponuntur quæ pertinent ad *Tit. Cod. de temp. Apell.* & contrà. Huic dispositioni in jure neque rarissimæ, neque frequentissimæ, faciliori negotio occurri potest.

§. 62. *Interdum Lex non ponitur in Tit. ad quem pertinet, sed in planè heterogeneo.*

§. 63. Adeò ut sæpe multorum librorum intervallum intercedat Leges quæ se tamen invicem explicant, supplent, limitant, ampliant, emendant, abrogant. Quas potiùs immediatè sibi jungi decêret. Hoc dispersionis genus, ut rariùs præcedentibus, ita emendatione maximè indiget.

§. 64. *Interdum unius Legis Paragraphi ad varios titulos pertinent.* Quæ omnia ita notoria & passim obvia sunt ut non indigeant demonstratione.

§. 65. PERTURBATIO LEGUM est, quando eæ quidem positæ sunt, in uno titulo; sed ordine confusissimo, *cujus rei specimen in tit. ff. de Proc. itidem ad calcem adjecimus. sub signo.* ☿.

§. 66. Quin imò de Legibus Titulorum disponendis *Tribonianum* curâ quandoque vacasse luculenter monstrant duo illi *de verb. signif. & Reg. Jur. Tituli* ex professo Miscellanei, modò generalia modò specialia continentes, qui propterea & peculiari studio nostro magis parebunt.

§. 67. Debent autem Leges quolibet Titulo disponi secundùm LOCOS materiæ TOPICOS, quales sunt: *Forma, Finis, Efficiens, Subjectum, modus causandi, objectum, effectus, contrarium.*

§. 68. Quo pertinent CIRCUMSTANTIÆ: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

§. 69. In compilando respiciendi quidem sunt *loci Topici*, sed potiùs exprimendæ *circumstantiæ.*

§. 70. Nam populariùs, clariùs, accuratiùs tractabimus: *Quis Procuratorem dare possit, quis dari, quomodo constitui; quid facere possit, quid debeat, quomodo esse desinat*; quàm si ejus formas, causas, effectus, subjecta, objecta, aliaque metaphysica ambigua & remota ingessisse accusemur.

§. 71.

§. 71. Hactenus de Juris Romani *vitiis*, EFFECTUS horum VITIORUM sunt omnia illa mala, quæ nunc in rem Juridicam incurrêre, quæ omnia enumerare neque instituti nostri, neque spatii est.

§. 72. Illud tantùm quasi per saturam adjiciemus, à *Confusione Corporis Juris* ortam esse & *neglectionem* Lectionis ejus; &, si quis eam forte accessisset, difficultatem reperiendi conjunctamque cum incertitudine ac molestiâ ex variis locis combinandi necessitatem.

§. 73. Ab his porrò ortum est, quòd paulatim *Doctores magis* in foro attendi & in scholis citari cœpêre, *quàm* ipsæ *Leges*.

§. 74. Præsertim cùm Stylus eorum & Genus loquendi, & Exempla Casusque, Opiniones denique, nostro ævo accommodatiores iis appareant, qui parum non æquè solliciti sunt in indaganda Historiæ antiquitate & genuinis verbis ipsarum L.L.

§. 75. Patefactâ semel Doctoribus authoritate, cœpêre numerari sententiæ, & è contra, crepari *Communes Opiniones*, imò *Communes contra communes*.

§. 76. Ita Jus infinitum, incertum, imperceptibile, arbitrarium, antiquum denique chaos reddi clamarunt plurimi.

§. 77. Et sunt quidam in ipsam Jurisprudentiam ejusque cultores contumeliosi adeò, ut jactare audeant, omnia pro, & contrà defendi posse, nulla esse principia justitiæ certa, quò nihil miserius, nihil ad perniciem Reipublicæ validius.

§. 78. Ut taceamus retardationem Juventutis in Scholis, cumulationem Litium in Foro, acervum infinitarum allegationum non ipsarum LL. tantùm sed & DD. eorumque opinionum in Libris, ex hac unicâ scaturigine duci quæ, quanto magis nundinatim augentur, tanto magis jura confunduntur.

§. 79. Atque hinc simul apparet, cui Nobiliora, & ad res regendas nata ingenia, indignatione quadam, & velut nauseâ conceptâ, secessionem à Jure-Consultis jamjam moliantur, magisque inclinent juris naturalis & historiarum jucundiorem potius ductum sequi, quàm hærere inter tot ambages obscuri juris.

§. 80. Aliud haud dubiè factura, si quis eis viâ securâ brevique & amœnitatem JURIS ROMANI, & cum naturali ratione Harmoniam satis ac facilè degustandam præbeat.

§. 81. Quod non toties repetitis Disputationibus, perpetuis controversiis, prægrandibus commentariis, innumeris allegatis, animum generosiorem & ad alia properantem, deterrentibus; sed rei ad ipsa principia reductione, accedente selectarum amœnitatum, velut condimento, effici tandem speramus.

§ 82. Hæc enim copia nimia, hic torrens sisti non potest, nisi fonte obstructo id est sublata *Juris Confusione*, quod unicum tot vitiorum remedium restat.

§. 83. Confusio ea, tolletur reductis, redactisque in ordinem ipsis Legibus, id est CORPORE JURIS RECONCINNATO.

§. 84. *Reconcinnationem bono cum Deo* »sic paramus: (I.) *Retinebitur* » *Textus* Corporis Juris, ut jacet, nullo neque dempto, neque addito, » neque mutato.“

§. 85. Neque enim institutum nostrum est Leges excerpere, truncare, controvertere, applicare, *Argumenta Textus* abundanter nimis, & sæpè minus ad propositum extendere.

§. 86. Nec animus est *Paratitla*, *Analyses*, *Syntagmata*, *Dispositiones*, *Ideas*, *Introductiones*, *Collegia*, *Exercitationes*, & tot alia nomina condere, quæ AUTORES SYNTHETICI suis laboribus, sat laudabilibus hactenus indidêre.

§. 87. Nam si quisque sibi sumit *Leges* jam ex *ff.* quidem, jam ex C. *digerere*, nec tamen omnes exhaurit; nec ea tantùm, quæ manifestissimè & in terminis dicunt, adfert; neque etiam à Controversiis aut DD. sententiis abstinet; tùm & multiplicatur res in infinitum, & nihilominus labor manet imperfectus.

§. 88. Quia nulla *perfectionis*, nulla *certitudinis* spes est, quam diu deest (quæ hactenus defuit) *Proba securitatis*, quæ nos dubitare non sinat, de omnibus *Titulis*, omnibus *Legibus*, omnibus denique Legum *Paragraphis* exhaustis, & injustum locum redactis.

§. 89. Id verò præstabitur in *Corpore Juris reconcinnato*, quod unicum infinitorum ejusmodi *Paratitlorum Analyseon*, &c. instar erit.

» §. 90. (II.) *Libri* juris in unam consonantium jungentur, sic ta- » men, ut uno obtutu apparere possit, quid Codice vel Digestis &c. » haustum sit. Adde quæ diximus §. 23. - - 31.

» §. 91. (III.) *Retinebuntur Tituli*, seu Rubricæ in Corpore Juris jam » extantes, per ea quæ diximus §. 48. 49. 50.“

§. 92. Hi Tituli (IV.) primùm à nobis digerentur in Materias generales velut partes principales juris universi & totius operis nostri, ad imitationem illarum 7. Partium, in quas ipsos Pandectas, quamvis sine ullo doctrinæ vel memoriæ juvamine hactenus cernimus divisos. Et erunt quidem hæ nostræ partes numero *Novem* ipsi Ordini Digestorum perpetuò currenti ejusque rationi simul ac praxi receptissimæ satis consentaneæ, junctis tantùm securitatis causa iis *Titul. Libris*, *LL. &c.* quos jam à principio jungi decuisset, quique non juncti, præsentem nunc nobis quam omnes plangimus generarunt obscuritatem; veluti: (I.) Generalia Juris & Actionum, (II.) Jura Personarum, (III.) Judicia, (IV.) Jura Realia, (V.) Contractus, (VI.) Successiones, (VII.) Delicta, (VIII.) Jus Publicum, (IX.) Jus Sacrum. *v. etiam* §. 40. *supra.*

» §. 93. (V.) Materiæ generales digerentur in *subalternas* ordine, ve- » teri Corporis Juris partim servato, partim ubi opus, mutato; per ea » quæ diximus §. 42.

» §. 94.

» §. 94. (VI.) *Materiæ* ſubalternæ digerentur in *Speciales* ſervato ordine » vulgari Corporis Juris, per ea quæ diximus, §. 51. 52.

» §. 95. (VII.) Ordo Corporis Juris vetus ſervabitur, ubi ſervari com» modè poteſt, *per* §. 54. *&* §. 92. In primis autem *Digeſtorum*, ita ut » tituli Digeſtorum *Directores* ſint, cæteri ex *Cod. Inſt. Novell. Decretal.* memoriâ locali quantum fieri poteſt invicem etiam ſervatâ, *ſubordinentur.* per §. 36. 37.

» §. 96. (VIII.) *Leges* vel Paragraphi ad eundem titulum ſpectantes » colligentur in unum, per §. 56. *ſeqq.*

» §. 97. (IX.) Diſponentur ſub eo ordine naturali *circumſtantiarum* » per §. 67. 68. 69. 70.

» §. 98. (X.) Si Lex *ad plures titulos* referri poteſt, ponetur ſub eo, » ex quo pendet ejus *ratio decidendi.* Sub altero tantùm citabitur per » verba initialia §. 5.

» §. 99. (XI.) Res per *Indices* ſic dirigetur, ut Tituli & Leges Cor» poris Juris ita ut nunc à Doctoribus citantur, mutato licet ordine, » etiam in Corpore Juris reconcinnato facilè inveniri poſſint.

» §. 100. (XII.) Denique *proba ſecuritatis* velut Arithmetica habebi» tur, quæ in eo conſiſtet, ut certò ſciamus nullum à nobis Titulum, » nullam Legem Paragraphumque omiſſum, omnia obſervata, digeſta, ſuo loco inſerta eſſe. Quâ de re ſatis proſpectum eſt per ſupputationem, & velut Arithmeticam calculi ſubductionem. de probæ hujus forma infrà §. 137. 138. 139. 140. ampliùs.

§. 101. Satis delineavimus quale futurum ſit CORPUS JURIS RECONCINNATUM, *id eſt*: nihil aliud quàm Syſtema Legum omnium, prout ſingulæ in Corpore Juris verbotenus jacent, & in naturâ reperiuntur, juſto ordine digeſtarum.

§. 102. Sed antequam integræ Leges ita digeſtæ excudentur, præmittemus *Repræſentationem Corporis Juris Reconcinnati*, velut Ideam, Schema, Diatypoſin ordinis juſti.

§. 103. Idque imprimis ut aliorum Judicia exploremus, ac ſi quæ cordatè & candidè admonebuntur, re adhuc integrâ emendemus.

§. 104. Publico verò calculo accedente & favore principali corroborante poterunt faciliori negotio ipſæ Leges integræ (quem Scopum inde uſque ab initio reſpeximus.) Verbotenus, eo quo repræſentabimus ordine, ipſis Typis, bono cum Deo, exhiberi.

§. 105. Quo tamen labore nobis primariò propoſitum eſt, non Corpus Juris vulgari ordine conceptum è Scholis tollere, ſed declarare; non authenticâ vi & approbatione fori privare, ſed ad ipſam praxin accommodatius reddere; non omnem ejus authoritatem, & fundatas in eo Doctorum allegationes ac omnia eorum ſcripta hactenus divulgata uno quaſi ictu evertere, ſed ordinis ſplendore illuſtrare; denique illud efficere ut *Corpus reconcinnatum veteris* non *Succeſſor*, ſed *Comes* habeatur.

§. 106. In hac CORPORIS JURIS RECONCINNATI REPRÆSENTATIONE erunt quædam principalia, quædam *Accessoria*. *Principalia* erunt Legum expressio, Legum Dispositio, Summarium Tituli, Proba securitatis.

§. 107. Nam & enumerabuntur Leges, ut nobis videntur disponendæ, & inseretur eàdem operâ disponendi Ratio Legumque Nervus; denique Proba adjicietur.

§. 108. Ut ita *Repræsentatio* hæc ab ipso *Corpore* Juridico *Reconcinnato* non aliter differat, quàm quòd repræsentationi integra Legum verba desunt; etsi ea ita comparata sit, ut, qui velit, ipsas Leges in naturâ substituere non difficulter possit.

§. 109. *Expressio* & *Allegatio Legum* omnis fiet & literis initialibus, & numeris; *literis initialibus* solis veteres *numeris* solis plerumque moderni citant.

§. 110. Prius molestiæ, posterius incertitudinis caussâ est.

§. 111. Sentimus hodiè & conquerimur omnes, quàm summè lubrica sit per numeros citatio, quàm erroribus Typographorum & descriptorum lapsibus obnoxia, præsertim impressionibus Operum sæpe repetitis vitia augentibus magis, quàm tollentibus, in quibus nonnunquam vix tertiam allegatorum partem veram esse, evolventes non sine molestiâ experiuntur. Quæ res maximè in præclaris *Dionysii Gothofredi* ad universum Juris Civilis Corpus *notis* deploranda est.

§. 112. Ideò nos utramque, & per *numeros* & per *initialia verba citationem* perpetuò conjungemus; & in numeris ipsis citandis novâ quadam, & hactenus non visâ, commodissimâ tamen, & securissimâ ratione utemur, omni lapsûs metu, & revidendi necessitate præclusâ.

§. 113. Sed quoniam in variis *Juridici Corporis editionibus* Leges variè numerantur, inchoantur, dividuntur; quod in Paragraphis Legum imprimis elucet, olim planè non numeratis, sed ex Allegantium arbitrio distinctis; ideò semel in universum profitemur editionem *Corporis Civilis Gothofrediani* à nobis perpetuò respectam esse. Hæc enim cæterorum editorum omnium *Haloandri*, *Hervagii*, *Hugonis à Porta*, *Torrentini Pandectarum Florentinarum* primi Emissoris, *Russardi*, *Contii*, *Baudozæ* &c. luminibus offecit; & elegantiâ & commoditate princeps.

§. 114. Etsi hanc quoque (add. §. 111.) appareat laborare quibusdam nævis; sic in Distinctione Paragraphorum vel versuum debuisset toties inchoari & numerari novus, quoties novus casus novâ periodo decidi incipit; quod tamen cùm factum non sit, auxit operis nostri difficultatem, v. g. *in L. filius familias. 8. principio. Quatuor periodi ponuntur, prima continet: Filius familias ad agendum dare procuratorem potest; secunda; item ad defendendam; Tertia; item filia familias ad agendum; Quarta; Filius procurator dari potest.* Cùm autem in Digestione necesse sit separari eum qui procurator dari potest, ab eo qui eum dare potest; manifestum

festum est, Quartam minimùm periodum, peculiarem Paragraphum constituere in numerando & inchoando, debuisse.

§. 115. Apparet autem *Varietas editionum* in *Novellis* maximè, has enim Veteres aliâ prorsus ratione, & ut ipsi vocant per *Collationes* & *Titulos* diviserant, *capitulis* etiam peculiari rubrica carentibus, & in *Paragraphos* commutatis; quam ad rem opus erit peculiari Indice ac *Schemate* comparationis, suo loco producendo.

§. 116. Præterea Novellas quasdam veteribus ignoratas primùm *Jacobus de Bello Visu*, deinde *Haloänder*, *Scrimgerus*, *Cujacius*, & ad extremum *Contius* addidêre, donec in hanc formam excrescerent, quâ nunc utimur. Unde factum est, ut aliæ *Novellæ Latinæ tantùm*, aliæ & Græcæ habeantur; ut taceamus variè à variis *Rubricas* concipi, aliter enim *vulgata*, aliter *Haloändrina*, aliter *Index Cujacio* adhibitus, Novellarum Capitulorumque inscriptiones expresserunt. Quæ omnia à nobis suo loco exhibentur.

§. 117. Et hæc de ratione enumerandarum atque exprimendarum Legum in repræsentatione Corporis Juris Reconcinnati à nobis faciendâ, quæ tamen non cruda & nuda erit, sed una eâdemque opera & ratione disponendi per locos, & circumstantias (vid. supra §. 66. 67.) & ipsius Legis velut nervo & summario vestita.

§. 118. Non tamen ea allinemus quæ Lex, per consequentiam tantùm dicit; hoc enim ad Controversias & Notas pertinet; neque quæ obiter dicit, id enim Indicis est; sed quæ ex professo dicit, ita ut ipsa integris verbis huc transferri possit.

§. 119. Talia Summaria Legum ejusdem propè brevitatis erunt cujus Gothofrediana; sed quod Gothofrediana non faciunt, integrum sensum constituent. Gothofrediana enim summaria tantùm indefinitè concepta sunt, & *Rubricæ* potius vel *Indicis*, quàm *Summarii* rationem habent, quod contrà est in nostris.

§. 120. *Verbi gratia*: Leges quædam, Procuratoris Causam efficientem continentes à nobis si proponuntur: *Procuratorem dare potest filius*, *&, filia familias*, L. filius familias 8. princ. l. servum 33. princ. D. de Procurat. *qui de statu suo litigat.* §. Eum verò, 1. *Patronus contrà Libertum*, *& è converso*, *in judicio ingrati* l. sed & hæ. 35. §. Patronus. *non potest*: *servus*, l. servum 33. princ. *non populari judicio agens*, *nisi ejus interest*, l. licet in 42. *non Tutor*, *& Curator*, *& Procurator nomine principalis*, *nisi litem contestatus* l. neque Tutores, 11. C. eod.

§. 121. GOTHOFREDUS verò easdem Leges sic summat: *De filio*, *& filia familias* l. filius familias. 5. princ. D. de procurat. *de pupillis*, *adultis & eorum Tutoribus*, *& curatoribus*. l. neque Tutore t. 11. C. eod. *de servi & filii familias Procuratore* l. servum quoque 33. princ. D. eod. *de eo qui de statu suo litigat* d. l. servum quoque 33. §. eum verò 1. *de liberti ingrati accusatione*. l. sed & hæ. 35. §. Patronus 1. *ad quas actio-*

nes procurator dari potest, (*addi debuisset: de actionibus popularibus*, *quæ sola in ea lege tractantur*) l. licet in 42. princ.

§. 122. Sed *Gothofredus* vix potuit aliter, nisi voluisset *Summaria* sua nimis excrescere, quia eadem alias sæpissimè repetere debuisset, ob Leges, licet eodem tendentes, in ordine vulgari variè dispersas.

§. 123. Nobis verò, redactis in ordinem Legibus, eâdem brevitate multò plus complecti licuit, quia ob rerum sibi rectè connexarum seriem possumus idem prædicatum multis subjectis simul collectis, vel è converso, præfigere, ut ita singulari compendio & claritate tota Sententia emergat, quod in exemplo præmisso patet.

§. 124. Sed præter summaria Legum, ex ipsa earum repræsentatione & dispositione velut aliud agendo emergentia, præfigetur cuilibet Titulo Summarium tituli ipsius, idque à Legum Summariis tùm formâ differt, tùm magnitudine.

§. 125. Formâ, quia Leges ejusdem materiæ *ex Digest. Codice*, *Novellis* inter se jungentur; sed Titulis Dig. & Cod. Capitulis item Novellarum separata singulis Synopsis præfigetur; idque ut in ipsâ commixtione Jurium (veteris, novi, novissimi) originis diversitas elucescat magis, de quo suprà §. 31. *&* 90.

§. 126. Magnitudine, quia in Summario Tituli unâ sæpè Sententiâ plurimarum Legum nervus continebitur, v. g. in exemplo proximo Summarium tituli hoc tantùm dicet : *Procuratorem dare potest in rebus suis qui præesse iis jure potest*; *in alienis liber homo ex Speciali mandato.* Ex quo omnes illæ Leges §. 120. enumeratæ, & plurimæ aliæ ibi omissæ sponte fluunt.

§. 127. Necessarium hoc est, ne dispersus per speciales Legum casus animus rem difficiliùs ad universalia revocare possit, cùm tamen ad solidè judicandum, & scientiam consequendam nihil sit universali regulâ optabilius.

§. 128. Complectuntur autem Summaria : Tituli vel capituli continuationem, Rubricæ explicationem, Materiæ denique principia.

§. 129. Continuationem Tituli inseruimus quam is habet in Corporis Juris ordine vulgari, sicubi ea singularis, nec statim obvia est, quia ex ea apparet, quam variè idem titulus variis materiis applicari possit, & ipsa memoria localis, ac reflexio ad ordinem vulgarem tantò meliùs excitatur.

§. 130. Ita tamen, ut ab anxiis quibusdam & longiùs petitis methodi Justinianeæ excusationibus, quas Œconomiarum, Tabularumque Scriptores (à nobis suo loco referendi) in minimè quibusque salvandis, ex professo susceperunt, abstineremus.

§. 131. Complectemur quoque Explicationem Rubricæ, quam eum in finem in partes secuimus, ut singula verba, cùm merentur, commodius illustrare liceret.

§. 132.

§. 132. Ea occasio vocum Etymologiæ notabiles, *Definitiones* item & Homonymiarum exclusiones, ad intelligentiam Tituli necessariæ accesserunt: nec omissi sunt *Ritus Veteres*, sicubi ad intelligentiam termini requirebantur.

§. 133. In summariis Tituli exponemus principales ejus regulas, & velut *Principia Materiæ*, undè decisiones casuum omnes pendent.

§. 134. Hinc necessarium duximus ea imprimis in illis annotare, quæ non naturali ratione & æquitate constant, sed *arbitrio Legislatorum sunt recepta*; quia talia memoriæ sunt, non judicii: atque ideò diligenter animis imprimenda.

§. 135. A *Controversiis* verò abstinuimus, purum hunc Juris fundum, quasi purgatum quoddam Novale, omnis generis frugi ferendo accommodatum, omnibus præstituri.

§. 136. *Allegata* Legum summariis Tituli non inseruimus, quia ipsæ Leges iis subjectæ, & per notas quasdam applicatæ, eam vicem sustinebunt.

§. 137. PROBA SECURITATIS denique Repræsentationi adjicietur, ea erit tam *particularis* quàm *universalis*:

§. 138. PARTICULARIS præfigetur cuilibet Titulo, ac separatim *Titulo Digestorum* separatim *tit. Cod. &c.* quia nihil aliud erit, quàm recensio omnium Legum, & Paragraphorum tituli eo ordine, quo in ipso vulgariter jacent; & ostensio in singulis facta, quòd & quo loco à nobis nostræ Reconcinnationi sint insertæ.

§. 139. Quâ ratione, & certi erimus, de toto titulo exhausto; & apparebit, quid à nobis in quâlibet materia ex *Digest.* quid ex *Cod. &c.* sumptum sit, de quo supra admonuimus. §. 31. 90. 125.

§. 140. PROBA UNIVERSALIS subjicietur operi universo, quæ universalem omnium Legum secundum ordinem vulgarem recensionem, & ad ordinem novum applicationem continebit; tùm, ut certò sciamus totum Juris Corpus in digerendo exhaustum esse; tùm, ut leges secundùm ordinem Corporis vulgaris a Doctoribus citatæ, statim inveniri possint & in Reconcinnato, *Add.* §. 98. *seqq.*

§. 141. Hæc igitur *principaliter* REPRÆSENTATIONEM CORPORIS JURIS RECONCINNATI ingredientur. Nunc Accessoria quoque, quæ ejus commendandæ & illustrandæ causâ supervenient, breviter perstringamus.

§. 142. ACCESSORIA hæc partim ad *Titulum*, partim ad *Leges*, partim ad *materias*, partim ad *universum* applicabuntur.

§. 143. TITULI ipsius Rubricam ac summarium illustrabunt: Contenta Tituli *ultra Rubricam*, *Actiones* ex eo manantes, diversitas *rubri* à *nigro*, diversitas circa Titulorum *Conceptionem Codicis à Digest. &c.* quæque in uno materiæ ab altero neglectæ; *differentiæ* item Juris veteris, novi, novissimi; civilis & Pontificii: item *variæ* Titulorum *Lectiones*,

ctiones, variæ eorundem cum aliis titulis, *cognationes*, & differentiæ: varii Titulorum *Indices* alphabetici, verborum initialium, materiarum, utriusque; varia Titulorum *Schemata* & *Tabulæ* repræsentantes eorundem in diversis Corporis Juris voluminibus harmoniam inter se, Rationem *Ordinis* Corporis vulgaris, Rationem ordinis variorum *Methodistarum*, Rationem quoque justificatoriam *ordinis nostri*, singulis denique titulis peculiari modo Autores, qui *materias cognatas* singularibus tractatibus complexi sunt, adjicientur, quæ res parvæ cujusdam *Bibliothecæ Juridicæ* vim continebit.

§. 144. LEGIBUS ACCEDUNT *Antinomiarum*, *concordantiarum*, *Parallelismorum*, Subordinationum, Illustrationum mutuarum observationes, quem in usum nec *Sacra Scriptura*, nec *Caji*, *Pauli*, *Ulpiani*, cæterorumque JCtorum veterum fragmenta; nec *Codex Theodosianus*, nec *Novellæ sequiorum* in Græciâ *Imperatorum*, nec *libri Basilicorum* (quorum ultima editio, *Gothofredo* posterior nova multa suppeditare potest,) nec alii Legum veterum ac Recentiorum celebriorum libri negligentur.

§. 145. In ipsis autem Justinianeis Legibus distinctiones *graduum* per signa quædam exprimentur, ut appareat quæ Leges sint magis necessariæ, ac velut Classicæ, sed *sedes materiarum*, *quæ* utiliores & πραγματικώτεραι; contra, quæ difficiles, & ut quidam notant: *Candidatoriæ*; quæ minus usitatæ, quæ planè *abrogatæ*: unde eâdem operâ differentiâ Theoriæ & Praxeos elucebit.

§. 146. Circa MATERIAS *ideæ* quædam & *Synopses*, in singulis partibus generalibus compendiosè à nobis exhibebuntur; ita præsto erit brevissima synopsis juris universi, Magistratuum, Pœnarum, Delictorum, Processus, Actionum, Matrimonialium, Contractuum Feudalium &c.

§. 147. Huc & *Recentiorum* quarundam famosarum *Legum*, uti Nemeseos Carolinæ, Constitutionis *Maximiliani* de pace publica: item de Notariis &c. illustratio, & repræsentatio referetur.

§. 148. In his igitur diversis selectis & curiosis novâ quâdam ratione veri ac varii ut sic dicam *Tractatus Tractatuum* veterum & recentiorum velut *in nucleo* exhibebuntur, & hodierna jura ac mores quasi in tabula apparebunt, suamque cum veteribus harmoniam ostendent, quod in jure quoque publico & utile erit, & jucundum.

§. 149. Lucem denique UNIVERSALEM toti inferent omnia *Schemata*, *Indices*, *Ideæ*, *Synopses*, Tabulæ per varias materias titulosve diffusæ. Quales plurimæ jam præparatæ sunt, & sub manibus in dies nascuntur, applicantes jus nostrum ad *jus naturæ* hodie per *Grotium* & similes alios resuscitatum; ad jus Divinum *Theologiam*, *Historiam*, *Geographiam*, *Philosophiam*, *Philologiam*, *Oeconomiam*, *Politicam*, *Rem militarem*, *Medicinam*, *Mathesin*, *Poësin* quoque & rem Metricam variis carminibus hinc inde insertis, & memoriæ utilibus, & Lectioni jucundis, materias & titulos juris nostri illustrantibus.

§. 150.

§. 150. Erunt fortè qui nos in Aulâ & apud Judicia suprema versantes, tantùm nobis sumere mirabuntur, sed hi sibi persuadeant: animos ad universalia respicientes, & omnium Harmoniam attendentes, & variorum Authorum instituta, & methodos inter se comparantes facilè commoditates quasdam advertere potuisse, quibus difficultates etiam insuperabiles vulgò visæ complanentur.

§. 151. Credant potiùs, nos tot scientiarum Affinitates non ad ostentationem, verùm ad condimentum imò & complementum junxisse, quo sanè carere non possumus, si quam, & vel maximè nostram hanc juris ac justitiæ, ne dicam universalis, artem perfectam appetamus.

§. 152. Ita habes *Benevole Lector* Instituti nostri in antecessum quidem, & *Rationem*, & *Formam*; videbis facilè, si tibi Librorum hujus temporis cognitio est, Rem, si vota omnium spectes, veterem, si executionem, imò & si ipsam Ideam & modum consideres Novam.

§. 153. Ubi si qua adhuc obscurius dicta videntur, sententiam continet, usque dum Opus ipsum introspexeris; cui quædam reservanda fuisse, ipse facilè cogitabis.

§. 154. Hoc interim contestamur sincerè, nos, quibus & majorum continuâ Doctrinâ, & studio nostro honestè vivere concessum est, non alio stimulo impulsos fuisse, quàm nostra hæc statim ab ingressu cursus Juridici agitata, publico communicandi lubentissimè; gratulaturi nobis, si modò hunc velut Indicem puri denique ordinatique Juris nostri videbimur subministrasse.

§. 155. Omnem sanè operam ac laborem impendemus conatibus hisce nostris in lucem proximè emittendis, quantùm gratia cœlestis, quantùm principalis indulgentia affulserit, quantum denique concesserit valetudo. Tu tantùm, *Lector optime*, quæ probas, ne carpe, quæ improbas, his meliora admone, agnoscemus & assentientis candorem, beneficium & emendantis; stimulabimurque ad alia æque nova, ac præparata (horum modò fortunam exspectantia) producenda.

§. 156. Summis verò illis ac Terrarum Moderatricibus Animabus nobiscum à DEO & perpetuam pacem inter se, & in eâ justitiæ, ad *Theodosii*, *Justiniani*, Imperatorum vel uno hoc conatu famæ æternitatem meritorum exemplum, restituendæ otium curamque: nobis verò & earum in labores nostros propensionem constantem & valetudinem secundam precare; ac quandò hoc unum superest, Vale.

APPENDIX.

SCHEMA I.

Sub Signo ⊙. pertinet ad §. 40.

Partes.	*Libri.*	*Series* Digestor.	*Tituli.*
I. - - -	(1.)	Generalia -	1. - 4.
		Personæ - -	5. - 7.
		Realia - - -	8.
		Jus publicum	9. - 22.
	(2.)	Judicia - - -	1. - 13.
		Contractus -	14. 15.
	(3.)	Judicia - - -	1. 3. 4. 6.
		Delicta - - -	2.
		Contractus -	5.
	(4.)	Generalia	
II. - -	(5.)	Judicia - - -	1.
		Successiones	2. - 6.
	(6 - 10.)	Realia	
	(11.)	Judicia - - -	1. 2.
		Realia - - -	3. - 8.
III. - -	(12.)	Contractus -	1. 4. 7.
		Judicia - - -	2. 3.
IV.	(13 - 21.)	Contractus	
	(20. 22.)	Contractus -	1. 2.
		Judicia - -	3. - 6.
V.	(23 - 27.)	Personæ	
	(28 - 36.)	Successiones	
VI.	(37.)	Successiones	1. - 13.
		Personæ - -	14. 15.
	(38.)	Personæ - -	1. - 5.
		Successiones	6. - 17.
	(39.)	Realia - - -	1. 2. 3.
		Jus publicum	4.
		Contractus -	5.
		Successiones	6.
	(40.)	Personæ	
	(41.)	Realia	
	(42.)	Judicia	
	(43.)	Realia	
	(44.)	Generalia -	1. - 5. 7.
		Judicia - -	6.
VII.	(45. 46.)	Contractus	
	(47.)	Delicta	
	(48.)	Delicta	
	(49.)	Judicia - -	1. - 13.
		Publica - - -	14. - 18.
	(50.)	Publica - - -	1. - 15.
		Generalia -	16. 17.

SCHEMA II.

Sub Signo ☾. pertinet itidem *ad* §. 40.

Lib. ff.	Lib. Cod.	Series Cod.	Tit. Cod.
	(1.)	Jus Sacrum	1. - - 13.
I. - - - -		Generalia	14 - - 17. 23.
		Judicia -	18 - 22. 44.
		Jus publicum	24-43.46.47.
		Judicia -	44.45.48-54.
		Jus publicum	55 - 58.
II. - -	(2.)	Judicia -	1. 2.
		Contractus	3. 4. 5.
III. - - -		Judicia -	6 - 18.
IV. - - -		Generalia	19. - 54.
		Judicia -	55. - 58.
V. - -	(3.)	Judicia -	1. - 27.
		Successiones	28. - 31.
VI. - XI. - -		Realia -	32 - 38. 40 - 44.
		Judicia -	39.
XII. - XIX. XXI. XXII. }	(4)	Contractus	1. - 9.
		Generalia	10. - 17.
		Contractus	18.
		Judicia -	19. - 22.

Lib.

Lib. ff.	Lib. Cod.	Series Cod.	Tit. Cod.
		Contractus	23. - 58.
		Publica	59. - 63.
		Contractus	64. - 66.
XXIII.- XXVII.	(5.)	Personæ	1-52. 54-75.
		Judicia -	53.
XXVIII.- XXXVIII.	(6.)	Personæ	1. - 8.
		Successiones	9-37. 39-62.
		Generalia	38.
XL. - -	(7.)	Personæ	1. - 24.
XLI. - - -		Realia -	25. - 41.
XLII. XLIX.	- -	Judicia -	42. - 75.
XLIII. -	(8.)	Realia -	1. - 10.

Lib. ff.	Lib. Cod.	Series Cod.	Tit. Cod.
		Publica -	11. 12.
XX. - - -		Realia -	13. - 34.
XLIV. - -		Generalia	35.
		Judicia -	36.
XLV. XLVI. -		Contractus	37. - 45.
		Personæ	46. - 48. 51.
		Jus publicum	50.
		Generalia	52.
XXXIX. - -		Contractus	53. - 55.
		Successiones	56. - 58.
XLVII. XLVIII.	(9.)	Delicta	
XLIX. L.	(10.)	Publica.	
	(11.)	Publica.	
	(12.)	Publica.	

SCHEMA III.

Sub ſigno ☿. pertinet *ad* §. 65.

Speculum Legum Confuſarum, exhibitum in *Tit. Dig.*

DE PROCURAT.

VUlgaris ejus Tituli ordo huc redit: ponitur in *Lege* 1. Definitio, Objectum, modus cauſandi, Finis, modus cauſandi. *Lege* 2. ſubjectum, modus cauſandi, Subjectum. *Lege* 3. Objectum, tempus *L.* 4. tempus. *Lege* 5. 6. 7. modus cauſandi. *L.* 8. Efficiens, modus cauſandi, Subjectum. Effectus. Contrarium. *L.* 9. 10. 11. Contrarium. L. 12. 13. Contrarium & Effectus. *L.* 14. 15. Effectus contra Procuratorem, pro Adverſario. *L.* 16. Contrarium, Effectus pro Domino contra Procuratorem. *L.* 17. idem. Effectus pro Procuratore. *L.* 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. idem. *L.* 25. 26. modus effectuandi. Effectus pro Domino contra Procuratorem. 27. Effectus contra Dominum, modus effectuandi. Effectus pro Adverſario. Effectus pro Domino contra Adverſarium. L. 28. idem. L. 29. Effectus pro Adverſario contra Dominum. L. 30. Effect. pro Procuratore contra Adverſarium. *Lege* 31. effect. pro Adverſario contra Procuratorem, & pro Procuratore contra Dominum. Subjectum, modus cauſandi, contrarium. L. 32. modus cauſandi. L. 33. efficiens, ſubjectum. efficiens. ſubjectum, cognata. L. 35. 36. 37. 38. Effect. contra Procuratorem. L. 39. Idem. modus cauſandi. L. 40. objectum. modus cauſandi. cognata. L. 41. Subjectum. L. 42. Objectum. Effect. pro & contra Dominum & Procuratorem. Subjectum. Efficiens. Cognata. L. 43. Efficiens. ſubjectum. Efficiens, Effect. contra Procuratorem. L. 44. idem L. 45. Idem. Efficiens. Effect. contra Procuratorem. L. 46. Efficiens,

ciens, modus causandi, cognata. Effect. pro Domino contra Procuratorem. Effect. pro Procuratore, contra Dominum. Subjectum. L. 47. 48. Subjectum. Effectus pro Procuratore contra Adversarium. L. 49. Effect. pro Adversario contra Dominum. L. 50. Effect. pro Domino contra Adversarium, L. 51. cognata. L. 52. 53. 54. 55. Effect. pro Procuratore contra Dominum. L. 56. Effect. pro procuratore contra Adversarium. 57. Effect. pro Procuratore. L. 58. idem. L. 59. idem. L. 60. idem. L. 61. Effect. pro Adversario contra Procuratorem. L. 62. Effect. pro Procuratore, contra Adversarium. L. 63. idem L. 64. cognata. L. 65. modus causandi. L. 66. Effect. contra Dominum. L. 67. Effect. contra Procuratorem. L. 68. Effect. pro Domino contra Adversarium. L. 69. Effect. pro Domino. L. 70. cognata. 71. Objectum & Efficiens. L. 72. Effectus pro Domino contra Adversarium. L. 73. Effectus pro Adversario. L. 74. Efficiens. L. 75. modus causandi. L. 76. cognata. L. 77. idem. L. 78. idem. Effect. pro Procuratore contra Adversarium.





XV. EPISTOLÆ

AD

HENRICUM ERNESTUM KESTNERUM

Juris in Academiâ Rinthelenſi Profeſſorem.

Ex Kortholti collectione depromtæ.

EPISTOLA I.

I. Magna emendatione juriſprudentia civilis indiget. II. Quomodo hæc juriſprudentiæ correctio inſtituenda?

I. Excurſiunculæ in Weſtfaliam fructum non exiguum cepi, notitiam tui, viri præclari ac mihi dudum æſtimatiſſimi, quem bona quædam fortuna Detmoldiæ obtulit. Acceſſit cumulus ex litteris tuis humaniſſimis quibus præclarè cogitata de emendandâ juriſprudentiâ & decennalium in Jure laborum indicem adjeciſti, ex quo intelligo, quàm paucula tuorum ad me pervenerint, quæ tamen ſemper cum fructu & voluptate legi. In ſumma autem tecum ſentio; ſenſique ſemper, magnâ juriſprudentiam noſtram reformatione indigere. Quum jure ſæpè incerto, non rarò etiam iniquo utamur. Leges romanæ, ne quid jam dicam de canonicis, pro baſi habentur juris noſtri, quibus ſtandum ſit, ubi aliud uſu introductum non eſt. Sed quàm multa in eo obſcura, perplexa inutiliaque ſint, quam ipſa ſuâ magnitudine laboret, nemo neſcit. Sed difficilius adhuc eſt, definire, quid ejus abrogatum ſit, vel potiùs non admiſſum? Equidem mutatâ penitus Republicâ moribuſque, ad veteres Germanicarum gentium leges redire, in quibus multa admodum ſunt barbariei veſtigia, fuerit inventâ fruge glandibus veſci. Video etiam alicubi ubi patriæ leges ſolæ, exiguis voluminibus comprehenſæ pro normâ ſunt, breviores quidem eſſe Deciſiones, ſed ſæpè deteriores, quando nec volumina illa ſatis ad normam æquitatis exaſciata, plerumque etiam in comprehendendâ caſuum varietate valdè

hiulca sunt. Ita res passim ad arbitrium judicis redit, vel pravum affectu aut lucri cupiditate vel præceps imprudentiâ, uti illud gallicum proverbium habet: *Fol juge, promte sentence.*

II. Non malè in Germaniâ passim provisum est, ut acta mittantur ad collegium non suspectum nec partibus cognitum. Ita spes foret æqui judicii, nisi jure incerto & formâ judiciorum laboraremus. Equidem ordinem processus reformare non foret difficile, & lites contrahere saltem in Principis ditione, qui hoc vellet. Neque enim aliud est judiciarius processus, quàm quædam logicæ artis accommodatio ad caussas mixta cum cogendi potestate. Sed juris incertitudini mederi difficilius est: Cogitavi aliquando, si Jurisconsulti celebres Germaniæ studia communicarent, posse aliquid confici, quod postea Domini non difficulter comprobarent. Sed multi ex eorum numero, quibus est auctoritas, incertitudine juris in sinu gaudent tacitè, quod indè amplissimam & ditissimam habeant messem casuum pro amico. Aliquando velut tabulas quasdam brevissimarum legum concepi animo, ad speciem decemviralium Romanarum, in quibus simul eluceret æquitas & comprehensio, omni casuum varietate per rationum amplitudines tamquam indagine cincta, ut nullum esset allegationis, id est actionis, exceptionis, replicationisque cujuscunque caput, cujus fundamentum in iis tamquam in albo Prætoris, digito monstrari non posset. Quod si aliquando perficiendi otium fuerit, ubi labore quodam defunctus fuero, communicabo, cum intelligentibus talium viris insignibus, tecum imprimis, ut specimen aliquod ad posteros extet, quo excitari ad meliora possint. Cæteroquin ego, Digestorum opus, vel potiùs auctorum unde excerpta sunt labores admiror, nec quidquam vidi, sive rationum acumen, sive dicendi nervos spectes, quod magis accedat ad mathematicorum laudem. Mira est vis consequentiarum, certatque ponderi subtilitas. Quanquam non ideo conclusiones semper probem, quæ sæpè ducuntur ex quibusdam veteris persuasionis apicibus opinione consecratis, veluti quod nemo possit pro parte testatus intestatusque discedere, quæque alia sunt id genus multa, non æquitatis sed formulæ partus. Sed prolixior de his sum, quàm constitueram. Quod superest vale & fave. *Dabam Hanoveræ 5. Sept.* 1708.

EPISTOLA II.

I. De Ph. Burcardi *libro de juris defectibus. De Parallelis Juris naturalis & civilis, & de pacto nudo. II. De Danicis legibus. III. De præscriptione.*

I. Dissertationem tuam de juris communis defectibus in Republicâ Germanicâ cum doctissimis litteris tuis accepi, & pro munere eximias

eximias gratias ago. Inſpexi ſtatim, viſuſque ſum multa rectè & utiliter monita animadvertere: ſed opus lectionem attentam poſtulat. *Philippi Burcardi* quod adjeciſti, ſimilis argumenti opuſculum videre antea non memini, nec autorem novi. Sed nec vidi Compendium tuum juris univerſi, quod tamen quæram. Parallela juris Naturalis & Civilis inprimis optanda forent. Eſſent tamen in eam rem dubia quædam certis rationibus definienda: exempli gratia, de pacto nudo, quod in literis attingis. Sanè nulla ratio efficit, ut omne pactum nudum præciſe adimplendum ſit; cùm ſcilicet nulla ſubeſt cauſa debendi, nullus fons obligationis in rebus ipſis. Equidem promiſſis alios ludificans, injuriarum tenetur naturæ jure: qua actione generatim complector læſionem alienæ tranquillitatis, oppoſitam læſioni patrimonii: atque hanc rationem jam olim in Methodo reddidi. Sed nec imprudentiam hac in re planè impunè feret ineptus & levis pactator in alios peccans; dabitur enim actio quaſi injuriarum. Sed etſi omnis culpa abſit, paciſcens indemnitatem quandam ei debet, qui pacti fiducia ad aliquid ſibi noxium inductus eſt. Sed in his omnibus συνάλλαγμα ſubeſt. Ut verò ex nudis verborum laqueis ad exitioſas rebus ſuis præſtationes teneatur aliquis, adeo non admitto, ut coërcendum etiam putem aliquando, tanquam inſidiatorem vel calumniatorem, qui inde in aliorum perniciem graſſatur. Nec video, quomodo ex natura voluntatis ab uno declaratæ, ab alio acceptatæ, demonſtrari poſſit, neceſſe eſſe, ut alius fiat locupletior ruina rerum tuarum. Reſpublica certè tueri homines etiam contra ſe ipſos debet, & cavere, ne rebus ſuis utantur peſſimè, & cum everſione familiarum. Itaque neminem ex nudis verbis teneri puto ultra id, quod commodè facere poteſt, aut ad id, quo ſibi, quo ſuis valdè incommodet. Ceterum de minoribus in pactum deductis lex civilis per compendium rectè ſtatuere poterit, ut ex pacto exigantur, ne in re parva diſcuſſione difficili de ſynallagmate ſeu de læſione vel tranquillitatis, vel patrimonii opus ſit.

II. Multa olim videre viſus ſum, quæ ad Danicas leges (cùm in Latinum tranſlatas nactus ſum) moneri poſſent. Codicis etiam Ludovicei conſtitutiones in multis haud placuerunt. Quod Romani ad Teſtamenta probanda duobus teſtibus contenti non fuêre, haud omnino ineptè feciſſe videntur. Conſtat paſſim falſorum teſtium non exiguum eſſe proventum, & totius patrimonii tranſlatio viſa eſt digna cautione majori.

III. Tecum ſentio per præſcriptionem jure naturæ actionem non tolli: neque præſumtionem derelictionis, id eſt, jactati juris ſui agnoſco; neque enim ſi furem, ſi rem amiſſam perſequi deſino, juri meo renuntio. Aliquando tamen quoddam præſcriptionis ſuccedaneum locum habet. Nam ſæpe fit, ut quidam actiones ſuas ſive ſtudio, ſive neglectu,

tu, sive etiam casu, in longa tempora differant, quibus rerum notitia intercidere solet. Ex eo igitur capite exceptionem dari puto rei obscuratæ. Habes quædam principia Jurisprudentiæ meæ.

De successione Ducatus Brabantini altiore discussione opus foret, ex Historia & jure locali. Quod superest, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 21. *Septemb.* 1708.

EPISTOLA III.

I. Pacta quousque servanda sint? II. De patrimonii donatione inter vivos. III. De Thomasii *opusc. de feudis.*

I. Diu absens domo, nunc demum literis tuis ante aliquot menses missis, & inter alias repertis respondeo, quod rogo, ut boni consulas. Ut quæ semel, seria quantumvis voluntate, placuere, semper placeant, non potest exigi in rebus humanis, non magis quàm pontificia votorum observatio. Non facilè admittendum est, ut acta inania reddantur, potest hoc tamen magna ratio exigere, & tunc sufficit, eos, quorum interest, indemnes præstari, ita nemo habebit, cur queratur: Damnum autem hic latius sumo, & illud quoque computo, ne illusus videatur, cui non servatur data fides. Deus promissa inviolabiliter servat, quia errori obnoxius non est. Ceterum, ut dixi, non de simplici substantiæ diminutione agitur (ubi præstat damno puniri imprudentem, quàm longa ejus quod interest, discussione utrumque) sed de magna jactura, ubi injuria est imprudentiæ pœna, præsertim si alter non nisi de lucro certet. Itaque hic non valet illud jactatum: imputet sibi qui erravit. Jura ad servandos, non ad perdendos homines nata sunt. Atque hic quoque summum jus summa injuria foret. Constat etiam alias subinde non malè receptum, ut non teneantur homines nisi in quantum facere possunt. Ex his opinor intelligi potest, post tot præclaros de jure naturæ labores non pauca adhuc monenda superesse: Et qui in rationem regulæ inquiret, quod pacta sint servanda, facilè deprehendet, quousque valeat.

II. Romani bene ad testamenti factionem numerum testium solito majorem voluere; melius fecissent, si idem etiam in aliis magni momenti negotiis, velut patrimonii donatione inter vivos exegissent.

III. Amplissimi *Thomasii* nostri opusculum de feudis non supinè scriptum est, & multa habet auctore digna, ne quid de prima editione veteris libri dicam. Dominum *Kæmpferum*, egregium Medicum & peregrinatorem ex Batavis rediisse puto. *Dabam Hanoveræ* 17. *Martii* 1709.

EPIS-

EPISTOLA IV.

De Kestneri *Prælimin. Juris Hassiaci in Ducatum Brabantiæ*, *&* *de* Blondelli *scripto de success. Neap.* *&* *de libro* Puteanor. *de juribus Regis Galliæ.*

DIssertationem tuam eruditam, præliminaria juris Hassiaci in Ducatum Brabantiæ tractantem, de qua sententiam meam quæris, legi cum voluptate & fructu. Viris doctis & Principis sui amantibus, jura ejus conservare in memoria hominum, & proferre ad posteros, vitio verti non debet. *Tremollii* Duces, etsi non ex Principe domo, tamen invenere, qui successionem illis Neapolitanam scripto vindicaret, quod in congressu Westphalico distribui curavere; autorem *Davidem Blondellum* fuisse comperi. Nuper fuit, qui Domui Saxonicæ successionem eandem dissertatione asseruit; alius Juliaco-Clivensium Ducum titulos in Geldriam renovavit. *Puteani* fratres, viri eruditionis & probitatis opinione præstantes, magno volumine, nec sine eruditionis apparatu, jura, quæ vocant, Regis Galliæ in multas terras aliis possessas explicuere. Et verò si non armis sed rationibus agatur, viaque judicii, aut arbitrii, aut amicæ transactionis ineatur, culpari hæc cura non potest. Sed, ut ad argumentum tibi tractatum veniam, meritò intra præliminaria nunc stetisti, pro modulo dissertationis Academicæ: & licet egregium jam specimen dederis, ad rem tamen totam pro dignitate explicandam, insigni ex Archivis, ex Historia, ex ipso denique jure apparatu comportato opus erat. Et pleraque tibi non deesse aut certè non defore apparet, sed non erant hujus loci. *Henricum* Primum ejus nominis Hassiæ Landgravium, *Henrici II.* Brabantiæ Ducis, ex altera conjuge *Sophia Thuringa*, filium fuisse convenit inter omnes. Devolutionis, quod vocant, jus non ita pridem Gallis pro filiabus ex primo matrimonio contra liberos ex secundis nuptiis natos, eorumque posteros jactatum, meritò cum *Stockmanno* JCto Brabantino explodis. Brabantiæ Ducatus successio jure feudorum Imperialium, non privatorum consuetudinibus, aut statutis locorum regitur. Quod verò in Anglia, Hispania aliisque nonnullis regnis filiæ masculos collaterales excludant, hoc apud Brabantinos nullo exemplo ante factum quod refellis, defendi potest, nec rationes hactenus apparent, quibus nitatur. Et mirantur, qui Historias legunt, posteritatem *Henrici* Primi Hassi in *Henr. Ferreo* nepote ipsius a *Johanna Johanne III.* Brabantino (ejusdem Primi *Henrici* fratris majoris pro nepote) nata, successione fuisse privatam A. D. 1355. Nupta erat *Johanna Wenceslao*, Duci Luzelburgico, fratri *Caroli IV.* Augusti; cumque sine liberis decessisset A. D. 1406, neglecto

iterum Hasso (qui tunc erat *Hermannus* ex *Henrici Ferrei* fratre natus) ad alterius sororis posteros itum est. Nempe *Johannæ* soror *Margareta* nupta erat *Ludovico*, Comiti Flandriæ, & eorum filiam matri cognominem duxerat *Philippus* Burgundiæ Dux *Caroli V.* Galliæ Regis frater, natusque inde *Antonius Johannæ* successit. Ita Flandria pariter ac Brabantia Burgundiæ accrevit; tantaque fuit Burgundi potentia & negligentia vicinorum, ut *Ludovicus* Hassiæ Landgravius *Hermanni* filius frustra in eum armarit. Multa tenebrosis illis temporibus pro jure obrepsere, quæ hodie non concederentur. Simili planè prætextu eodem ferè tempore Brunsvicenses Duces, *Carolo IV.* Imperatore adversarios etiam fovente, Luneburgicis ditionibus pulsos constat, quas ægrè recuperavere. Ista succedendi ratio filiabus contra familiam favens, talis profectò non est, ut valere debeat, nisi ubi ritè introductam certò constat. Quod *Philippus* Rex Romanorum egit, Philippinæ constitutionis nomine, ut memoras, citatum, id meo judicio non constitutio est, sed pactum, A. D. 1207. cum *Henrico* Brabantiæ Duce initum, quo Rex rem filiæ suæ agit, quam Ducis filio destinabat. Cavetur enim, ut ipsis, de quorum conjugio agebatur, mortuis, *proles*, SICUT JUSTUM EST, *in legitimam parentum succedat hæreditatem*: non ergo jus novum constituitur, sed vetus, qualecunque erat, firmatur. Duo potissimum tibi objiciuntur, sed ambo odiosa, & magis restringenda quàm amplianda: Renuntiatio *Henrici* Primi, Hassiæ Landgravii, & præscriptio remoti temporis. Quantum liberis cæterisque descendentibus noceant renuntiationes Principum, agitatissima quæstio est. Equidem eorum, qui jam exstant, consensus meritò exigitur: de posteris fatendum est, nullas Transactiones aut pacificationes umquam certas ac firmas fore, nisi essent aliquando graves causæ, ob quas juri eorum futuro derogari possit. Tibi ea discussione non est opus. Inspecta enim renuntiatione illa *Henrici* Landgravii, Bruxellis A. D. 1297. in literas redacta, qualem Brabantini producunt, planè eam nihil ad rem facere deprehendo: neque enim renuntiat ille juri successionis in Ducatum Brabantiæ, cujus nec casus evenerat, nec mentio ulla fiebat; sed juri tunc controverso, de quo cum *Johanne I.* Duce Brabantiæ, filio fratris natu majoris, ipsi lis erat; nempe actioni in certa bona allodialia, hæreditaria & noviter acquisita (*en aucuns allois*, *en aucuns héritages*, *& en aucuns acquêts*). Ineptum ergo fuerit renuntiationem ad ea extendere, de quibus non quærebatur. Restat de præscriptione temporali disputatio. Finis hujus præscriptionis est, & communi Jurisconsultorum sententia, ne dominia rerum sint in incerto, litesque immortales. Ea res movit Legislatores, ut tempus actionibus præscriberent, quemadmodum appellationibus aliisque juris remediis fatales terminos præscribere potuere. Sed si de mero jure naturæ agatur, non sufficit aliquid

quid utiliter constitui posse, ut ideo constitutum intelligatur, nec natura ullum certum annorum numerum definire potest. Itaque, si hujus solius dictamen sequamur, alio definiendi temporis principio opus est. Plerique ergo ad præsumtam derelictionem cum *Hugone Grotio* summo viro confugiunt: sed præsumta derelictio non facilè locum habet, quia nemo suum jactare præsumitur. Ubi verò probata derelictio fuerit, jam non tempore sed remissione elisa erit actio; neque adeo præscriptioni temporali locus erit. Itaque unum jus naturæ sequendo, hanc præscriptionis temporalis rationem invenio, quòd longa actionis dilatione rerum notitia amittitur. Ita facilè fieri potest, ut actor fundamenta juris sui conservet, reus autem nullam actionem exspectans, exceptionum suarum fundamenta amittat. Itaque jure naturæ præscriptio temporalis nihil aliud erit, quàm exceptio rerum per moram obscuratarum. At verò in causis Principum hæc exceptio non ita crebrò locum habet, cùm partim Historiæ, partim Archiva, rerum non remotissimarum memoriam servent. Sanè Brabantini actionem ab Hasso exspectare potuere: Itaque conservare debebant, quibus elideretur; & certè renuntiationem illam supradictam, quam profuturam credebant, conservavere. Suspicor ipsum, *Henricum Ferreum* movisse aliquid, protestatumque de suo jure fuisse, ubi primùm mortuo *Johanne III.* Brabantino dies ei hæreditatis cessit; quod fortasse Archiva suppeditabunt. Cæterùm quæ jura sint præscriptionis inter Principes Imperii, tum quæ olim fuerint passim jura successionis in Principatibus, altioris rem indaginis censeo: ita tamen ut probandi onus in adversarios tuos transferatur, ubi a jure communi feudali naturalique recedunt. Cæterùm non dubito, quin tu argumentum porrò, si res ita ferat, juris & Historiæ luminibus egregiè sis illustraturus. Vale. *Dabam Hanoveræ* 18. *April.* 1709.

AD DOMINI PROF. KESTNERI PRÆLIMINARIA.

Ad §. 1. *Sophia Henrico* Magnanimo Duci Brab. nupta non fuit *unica* enata s. filia *Stæ. Elisabethæ*, hæc etenim tres filias reliquit, quarum *Sophia* primogenita fuit, reliquæ duæ in Monasteria, Altenburgense juxta Wetzflaniam, & Kitzingense missæ sunt.

§. 10. Mallem, ut vocabulum *Brabantiæ* omitteretur, & in ejus locum *Comitatus Lovaniensis* reponeretur, cujus revera Comes exstitit *S. Ansfridus*: Filius enim fuit *Lamberti* Comitis Lovaniensis adhuc anno 948. florentis, qui in eodem Comitatu successit usque ad annum 992. quo monachus, & deinde anno 994. Episcopus Ultrajectensis factus fuit.

§. 14. & 15. *Henricus* hic, cujus diploma de anno 1230. adducitur, non fuit Imperator, sed Rex Romanorum a Patre & Imperii Principi-

bus electus & coronatus anno 1222. d. 8. Maii Aquisgrani, tandem ob rebellionem concitatam, & quod vitæ patris sui insidiatus fuerit, anno 1235. mens. Aug. Moguntiæ proscriptus Regno privatus, iterum Ratisbonæ sententia 70. Principum Parricidii, quod esset accusatus, condemnatur, & *Ottoni* Rheni Palatino, infensissimo ejus hosti, Heidelbergæ ad custodiendum traditus, tandem mandato Imperatoris in Apuliam ad carcerem perpetuum missus, ubi in Castro Colentz miserè periit anno 1247. vel ut alii 1241. d. 20. Maii.

EPISTOLA V.

Leibnitius Kestnerum *poscit disquis. in Comp.* Lauterb. Schutzianum.

QUalemcunque de vestro in Brabantiam jure epistolam meam tibi non displicuisse, gaudeo, & gratum erit aliquando ex te discere, quid Cassellis aut alibi sentiant. Interea rogo, ut si commodum est, aliquot exemplaria dissertationis tuæ ad me destinare velis. Quæ ad Jurisprudentiam emendandam, illustrandamque moliris, & subinde producis in publicum, non possunt non perutilia videri: Et sanè compendium *Lauterbachio-Schutzianum* materiam disquisitionum optimarum præbere potest. *Dabam Hanoveræ* 5. *Junii* 1709.

EPISTOLA VI.

I. De Leibnitii *annotat. in diss. de jure in Brabant. II. de Ejusd. epistola ad Abbat.* Molanum. *III. de* Kempero *Medico.*

I. GRatias ago, quòd exempla aliquot dissertationis tuæ præclaræ de jure in Brabantiam Hassiaco ad me misisti: & gratum est, non omnino displicere in Aula qualemcunque Annotatiunculam meam.

II. Mitto tibi nunc programma celeberrimi *Boehmeri*, Politices & Eloquentiæ in Julia nostra Professoris, cui inseruit Epistolam, quam ad Reverendissimum *Molanum*, Abbatem Luccensem, avunculum ipsius scripseram, de qua judicium tuum desidero. Quanti Serenissimum Landgravium faciant Fœderati, ostenderunt luculenter in articulis paci præliminaribus, dum juri ejus in Rheinfelsam, simulque per ipsum securitati publicæ consultum voluere.

III. Diu nihil intellexi de Dno *Kempero*, Medico Lippiaco, egregio Viro & præclara moliente. *Dabam Hanoveræ* 27. *Junii* 1709.

EPIS-

EPISTOLA VII.

I. Leibnitii *definitio Justitiæ, qua efficaciorem non dari putat.* II. Leibnitius Pufendorfium *Jus nat. ad externa restringentem lacessit.* III. *Laus* Hertii & Tolneri.

I. PUto tibi mecum convenire, cùm justitiam colloco inter perfectiones divinas & distinguo a potentia, cùm pendeat a sapientia & bonitate. Unde patet, justitiam non oriri ex præscripto superioris, nisi quis Deum, qui est summæ potentiæ, ut adeo superiore careat, ac puniri & in ordinem redigi non possit, ideo quidvis rectè facturum, atque etiam innocentem damnare posse arbitretur. Hinc porrò manifestum est, universalem Juris scientiam non tantùm ad res hujus vitæ non contrahi, sed nec restringi ad genus humanum; cùm omnem substantiam intelligentem, & maximè Deum fontem æqui bonique, & ceteris mensuram complectatur. Est ergo justitia perfectio sapientiæ conformis, quatenus persona se habet erga bona malaque aliarum personarum. Cuivis equidem licet, Jurisprudentiam suam ad res humanas, solamque hujus vitæ considerationem restringere, quia & scientiam universalem mutilare per me cuivis licet. Theologiæ naturalis, quæ existentiam Dei & immortalitatem animæ tradit, pars practica (de Christianismo, revelatione & judicio extremo non loquor) revera Jurisprudentia est quædam divina.

II. Omnem virtutem nostram, quatenus aliorum interest, ad Jurisprudentiam pertinere dubium nullum est, ut patet ex definitione justitiæ, quam attuli, & qua efficaciorem datum iri non puto. Ethicæ est docere virtutem: Jurisprudentiæ hunc quem dixi usum ejus ostendere. Politica Viro egregio *Jacobo Thomasio* non ineptè olim Jurisprudentiam & rationem status complectebatur; sed per me licet, Politicam strictiùs accipi de utilitate status, & a Jurisprudentia distingui. Opinio, quæ jus naturæ ad externa restringit, nec veteribus Philosophis, nec JCtis olim gravioribus placuit, donec *Pufendorfius* Vir parum Jurisconsultus, & minimè Philosophus, quosdam seduxit: Est ejus non magna apud me auctoritas, quum ferè popularia tantùm de suo adferat, & in cortice hæreat. Etiam in foro sæpe interna per conjecturam indagare conamur, & ob interna jusjurandum adhibetur. Cetera epistolæ meæ argumenta non repeto, quum nihil iis reponi videam, & sanè plerasque objectiones ibi præoccupari deprehendet, qui attentè leget. Inclusas literas statim *Freitagio* misi.

III. Successio Brabantina a pluribus illustrari meretur. *Hertius* & *Tolnerus* sunt Viri egregii & rei pares. *Dabam Brunsvigæ* 21. *Augusti* 1709.

EPISTOLA VIII.

I. Leibnitius *tenet virtutes internas a recta ratione doceri.* II. *Legum conscribendarum delineatio an a privato tentari possit disquirit.* III. *Agit de quaest. utrum & quat. praescriptio inter Principes Germ. habeat locum?*

I. CUm modestia & gravitas sint inter laudes scriptoris, ego dictum illud audacius, (de quo nuper) expungerem, vel temperarem certè, si incudi typographorum reddendus esset juvenilis ille labor meus. Virtutes internas, pietatemque & probitatem animi, etiamsi revelatio abesset, a recta ratione doceri, manifestum arbitror: Legislatorisque prudentis est, dare operam, ut homines inde a pueritia ad virtutem non fucatam ducantur, nec tantùm judici, sed & conscientiæ satisfacere doceantur.

II. Quod ad Leges attinet, vereor, ut eæ nostris meliores sint multo, quibus Angli, Gallique utuntur. Legum conscribendarum delineationem privatus prætentare potest, fortasse tamen e re erit, ut consulat complures in Reipublicæ administratione jurisque usu versatos, nec minus judicio & doctrina validos, ne res tanta non satis circumspectè agi videatur.

III. Quæstio, utrum & quatenus præscriptio temporalis inter Principes Statusque Germaniæ locum habeat, facilem decisionem recipit, si res mera ratione agatur: sed cùm ad praxin & judicia imperii deveniendum est, scis etiam autoritatem in consilium adhiberi: itaque sententiam auctoritatibus confirmari desiderabam. *Dabam Guelferbyti* 18. *Nov.* 1709.

EPISTOLA IX.

De codicibus MSC. Marq. Gudii *bibliothecæ Guelferbyt.* a Leibnitio *vindicatis.*

SIngulari quadam infelicitate contigit, ut litteræ tuæ & *Bierlingianæ* disparuerint inter fasciculos meos. Itaque tarditatem respondendi ut excuses peto. Hac æstate usque in Holsatiam excursionem feci, redimendis pro Serenissimo Guelferbytano Duce *Marquardi Gudii*, insignis viri, Codicibus Manuscriptis, antiquis plerisque omnibus, & dignis, qui non dissiparentur aut e Germania exportarentur. Itaque nunc non spernendam partem faciunt Bibliothecæ Augustæ, ibique, ut spero, in usum publicum, & memoriam collectoris perennem conservabuntur. *Dabam Guelferbyti* 24. *Octob.* 1710.

EPI-

EPISTOLA X.

I. Leibnitius *commendat enodationes juris* Kestneri. II. Hertium *JCtum laudat.* III. *de Duce Brabant.* IV. *de virtutibus ad justit. univers. pertinentibus.*

I. MUltas pro labore laudabili ad me transmisso gratias ago. Plurima præclarè mones circa juris enodationem & multiplicium ambiguitatum rescissionem. Et quamvis nonnulla admisceantur altioris indaginis, in summa tamen plerisque accesserim; & quantum video principia tua non multum abibunt a meis, quod etiam epistola mea indicat, quam tuo operi adjicere dignatus es. Ejus pene dememinerám; nihil tamen ei inesse video, cujus me pœnitere debeat. Rem utilem feceris, si complura, quæ indicasti tantùm aut perstrinxisti, distinctim exponere & elaborare perrexeris.

II. *Hertium*, Virum insignem, amissum doleo, nec video, quî facilè reparari jactura possit; quod nuper etiam illustris *Camezkius*, Consiliarius intimus Darmstadiensis, apud nos agens cognoscebat. Multam certè omnigenæ doctrinæ copiam cum insigni Juris peritia conjunxerat; sed plerumque tum demum homines nostra agnoscimus bona cùm amisimus. Deum precor, ut te nobis diu servet.

III. Ni fallor, cum Principe Brabantiæ, se Ducem ferente, non nisi coram tribunali imperii agi posset, cujus etiam forum ut Vasallus & Jurisdictioni obnoxius agnoscere tenetur, neque ea res ad exterum Regem pertinet, cum hic jure Regis Hispaniæ non utatur.

IV. Etsi virtutes ad justitiam universalem pertineant, non tamen semper actio forensis ex obligatione ad virtutem datur; itaque credo, nullum hic inter nos dissensum esse. Scis etiam, *Grotium* inter facultatem & aptitudinem distinguere. Quis auctor *des Reichs-Staats*, quem memoras? Quid facit Dominus *Kempius*? quem præveniet Batavus ex Oriente redux, Persepolitana amplè daturus, si diutius sua proferre ille differt. Eum rogo a me salutes, aut salutari cures. *Havelmanniana* per posthumam optimi *Wasserbachii* curam prodiisse intelligo. *Dabam Hanoveræ* 9. *Novembr.* 1710.

EPISTOLA XI.

I. *De allegationibus in controversiis juris.* II. *de Brocardicis.* III. *de parte Logicæ, qua verisimilitudinem gradus constituuntur.* IV. *de* Brandii *libello de vera & simulata JCtorum philosophia.* V. *de* Thomasii *origin. feudal.* VI. *Laus* Hertii, *&. de* Thomasii *philosophia judicium.*

I. DIstractus, atque itinere etiam Guelferbytano impeditus, nondum ad novissimas tuas respondi, quod nunc facio, & pro transmissa dissertatione docta & utili gratias ago. Utiles sunt autorum in Juris controversiis allegationes, tum maximè cùm de usu aut receptione legum aut consuetudinum quæritur; prosunt etiam, cùm lectorem ad scriptores remittimus, qui rem exquisitius tractavere; sed plerumque inanes & frivolæ allegationes apud Autores regnant.

II. Brocardica quæ vocant, vel sunt ipsa solida Juris principia, vel regulæ quædam topicæ: Priora necessaria sunt: posteriores utiles forent, si satis examinatæ, explicatæque haberentur: pertinent enim ferè ad facti quæstionem, artemque conjiciendi, ad quam refero etiam interpretandi artificium.

III. Ea verò pars Logicæ, qua sc. gradus verisimilitudinum & argumentorum pondera constituerentur, nusquam hactenus reperitur tradita. Ego juvenis aliquando aggressus sum, sed per varia dissipatus, ferè intra voluntatem steti. Topica *Aristotelis* scopo meo non respondet. Congerit regulas, quæ occasionem aliquam præbere possunt de argumentis cogitandi, sed quæ non possunt docere, quantum cuique argumento aut judicio ponderis insit. Optarim inquiri apud amicos *Hertii*, nihil-ne ejus posthumum sperare liceat?

IV. *Brandium* autorem libelli, de vera & simulata JCtorum philosophia, olim videre memini, quando Wormatiæ agebat, Secretarius, ni fallor, civitatis, & libellum ejus legi, sed qui mihi paulo tenuior videbatur. Ceterum qui habeat, non novi.

V. Celeberrimus *Thomasius* in suis novissimis videtur mihi agere multo accuratiùs, quàm olim: Edidit nuper dissertationem eruditam de originibus feudalibus, in qua multa sunt optimæ frugis.

VI. Controversia ejus cum *Hertio* mihi planè ignota fuit, nec utrimque scripta vidi. *Hertius* sese in Jure Germanico publico versatissimum ostendit. *Thomasius*, si perget, qua nuper cœpit via in Historia Germanica, sese & alios multis dubiis expediet. Sed philosophia ejus adhuc sylvestris est, ut sic dicam, & archipodialis. *Dabam Hanoveræ 30. Januarii* 1711.

EPI-

EPISTOLA XII.

I. *De* Kestneri *Diss. de valore Digestorum.* II. *de* Thomasio *judicium.* III. *de justo, latissime & strictiùs sumto.* IV. Leibnitii *epigr. de Columba alba Guelferb.* V. *de ruinis Persepol.* VI. *de studiorum methodo* Bierlingii.

I. Diuturna absentia mea commercium nostrum literarium interrupit. Nam & Berolini, & in Saxonia partem hyemis & veris egi. Reperio literis tuis additam dissertationem sextam de valore Digestorum, quæ mihi perutilis videtur, & docta; etsi, fortasse non ubique idem dicturus fuissem. Ubi absolutum erit opus, multum poterit prodesse studiosis.

II. *Thomasiana* multum habent egregii, sed tecum sentio multa adhuc in eis moneri posse; quamquam fateor, mihi, aliàs occupatissimo, dogmata viri satis expendere non vacasse.

III. Ego olim in justos latissimè sumtos gradus distinxi, jus strictum, æquitatem, probitatem. Justum strictius sumtum credo tam jus strictum, quàm æquitatem comprehenderit, probitas honesto respondebit: sed decorum ab his distinctum ab hominum opinione pendebit.

IV. Dominus *Eccardus* a me accepit historiolam de Columba alba Guelferbytana, unà cum hoc Epigrammate meo:

Blanckenburgiaci Museo in Principis, orbem
Signat olivifero læta columba pede.
Hinc Scythiæ in campis, illinc Atlantis in undis;
Scilicet & natus utraque regna colent.

Ille materiam hortatu meo eleganti carmine Germanico diffudit.

V. Dominum *Kemperum*, si nimis tardat, præveniet *Bruynius* Batavus, qui cum alia, tum ruinas Persepolis accuratè descripsit.

VI. De Domini *Meindersii* opere multa præclara nobis promitto. Elegantem libellum de studiorum methodo mihi misit Dominus *Bierlingius*: ego vicissim quasdam ei meas annotatiunculas mitto. *Dabam Hanoveræ* 8. *Julii* 1711.

EPISTOLA XIII.

I. *De* Kestneri *Papizante Jurisprud.* II. *De* Thomasii *irriganda ex Historiæ fontibus juris crimin. doctrina, & de jure constituendo, ut certius reddatur.*

I. Multum profecto magis magisque tibi obstringis Cultores Jurisprudentiæ dissertationibus, quales nuper binas ad me misisti. Inprimis delectatus sum *Papizante Jurisprudentia*. Fatendum enim multum pontificum decretalibus debere hodiernam. Et ipse optimè observas multa addi potuisse. Canon *redintegranda*, in quo fundant doctrinam summa-

rissimi, quod vocant, possessorii, non parvi etiam momenti est. Perge, quæso, Rempublicam demereri tam luculentis opusculis, & exornare rationalem Jurisprudentiam. Etsi enim interdum diversum a te sentiam, non eo minus æstimo, quæ a te proficiscuntur. Veniet fortasse aliquando tempus, reddita quiete publica, ut de emendanda Jurisprudentia cogitent potentes, & tunc curabuntur ista, quæ nunc negliguntur.

II. *Thomasius* noster nunc in irriganda ex Historiæ fontibus Juris Criminalis doctrina versatur, & specimen dedit, cui valde applaudo. Vellem interim, dum potentes aliud agunt; JCti eruditi, prudentes, bene animati conferrent capita privatim, cogitarentque de jure constituendo, ut reddatur certius, quàm nunc. Posset is labor præludere Principum autoritati. *Dabam Hanoveræ* 12. *Aug.* 1711.

EPISTOLA XIV.

I. *De Comitiva Palatina.* II. *De* Thomasii *diss. de Concubinatu*, *& de* J. P. Ludovici *opere in Auream Bullam.* III. De *Dn.* Buddei *Dissertat. de Origine Mali.*

I. NOn memini, abs te a multo tempore recipere literas, præter nuperrimas, unde te valere, & mei meminisse, lætus intelligo. Jurisprudentiam tuam paganizantem, aliasque dissertationes, quibus hæc studia ornas, videbo lubens, ubi domum, Deo bene volente, rediero. Comitiva palatina nemini digno, & constitutum solventi hic denegatur: nec constitutum remittere ipse Imperator potest, damno Officiorum, nisi ipse in se solutionem recipiat, quod expetere longinquum & ambiguum foret. Elector Archiepiscopus Moguntinus unus potest δικονομεῖν, sed peculiari illius Aulæ gratia opus foret, & illic sic onerari remissiones aiunt, ut plerique a petendis illis absterreantur. Constituti modum in scheda adjecta sub Officii Taxatorii sigillo vides. Eam mihi attulit Dominus *de Dortmund*, qui se promtum rebus tuis juvandis ostendit, si quid hic desideres, & Domino Parenti tuo plurimum se tribuere confirmat.

II. Audio litem, nescio quam, Illustri *Thomasio* nostro cum Theologis de Concubinatu fuisse. Sunt etiam, qui aiunt, doctissimi viri *Joh. Petri Ludovici* insigne opus in Auream *Caroli IV.* Bullam mox proditurum. Ego ab ipso aliquid non vulgare exspecto, etsi enim sententiæ ejus soleant habere aliquid παραδοξότερον, monstrat tamen doctrinam & curam. Perguntne præclari Viri in vicinia tua, Dominus *de Meinders* in Antiquitatibus Westfalicis, & Dominus Medicus Lippiacus in Amœnitatibus exoticis proferendis? *Daban Viennæ* 1. *Novembr.* 1713.

P. S. Plurimum me obstringes, si per otium methodum meam percurrens, quæ e re videbuntur particulatim adnotes; præsertim in juridica parte seu speciali.

III. Dn.

III. Dn. *D. Buddeus* dissertationem sub præsidio suo defensam de Origine Mali etiam ad me misit. Sed, ut verum fatear, auctor & respondens rem levi brachio tractavit, nec mihi ulterioris discussionis occasionem dedit, quod etiam respondi. Defendit etiam sententiam, meo judicio, planè absurdam, etsi *Puffendorfio* eam tueri in mentem venerit, justitiam non æternis veritatibus & rerum naturæ, sed voluntati & arbitrio nudo Dei legislatoris inniti. Qui ita sentit, non habet, cur de divina justitia tuenda sit solicitus: nam talis Deus posset esse principium maleficum, & nihilominus dicendum foret, eum justè egisse, quia apud eum staret pro ratione voluntas & potentia. Et hic est despotismus quorundam supralapsariorum, meritò ab omnium ferè partium Theologis hodie profligatus, quem quum *Baylius* ex parte revocare velle videretur, librum ei meum opposui, ostendique, justitiam consistere in sapientiæ bonitatisque connubio, & hinc facilè omnibus difficultatibus obviam iri posse.

EPISTOLA XV.

I. *De* Kestneri *diss. de valore Digestorum.* II. *Quòd Romani in omni genere doctrinæ Græcis cedant, excepta Jurispr.* III. *Quòd Romani ex pacto nudo simpliciter actionem non concesserint.* IV. Leibnitius *desiderat Novum Codicem Legum auctoritate publ. concinnandum.*

I. CUm id agas ab annis compluribus, ut jurisprudentia nostra emendetur, orneturque, & nunc per omnes Digestorum *Justiniani* libros usum, & ut appellas valorem, divini illius operis ostendas; meum certè applausum habes dudum, publicum haud dubiè habebis opere toto absoluto. Ego semper admiratus sum, scripta veterum Jureconsultorum Romanorum, quæcunque nobis sive in Digestis illis, sive alibi, velut ex naufragio Tabulæ pretiosæ supersunt.

II. Romani in omni genere doctrinæ Græcis cedunt. Ab iis Philosophiam, Medicinam, studia Mathematica mutuo sumserunt, de suo vix quicquam magni momenti adjecerunt: in una Jurisprudentia regnant; hujus etsi semina a Græcis acceperint, inde tamen hortum excitarunt amplissimum pulcherrimumque, eaque in re una, omnes populos, quod constet, vicerunt.

Excudant alii spirantia mollius æra,
Credo etiam vivos ducant de marmore vultus;
Tu regere Imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes!

Dixi sæpius, post scripta Geometrarum nihil exstare, quod vi ac subtilitate cum Romanorum Jureconsultorum scriptis comparari possit: tantum


tum nervi ineſt, tantum profunditatis. Et quemadmodum remotis titulis & cæteris operis integri indiciis, demonſtrationem Lemmatis alicujus Geometrici ex *Euclide*, aut *Archimede*, aut *Apollonio* ægrè diſcernas, & ad auctorem ſuum referas; adeo omnium idem ſtylus videtur, tanquam ipſa recta ratio per horum virorum ora loqueretur; ita Juriſconſulti etiam Romani ſibi gemelli ſunt, ut ſublatis judiciis, quibus ſententiæ aut argumenta diſtinguuntur, diſtinguere ſtylum aut loquentem vix poſſis. Nec uſpiam Juris Naturalis præclarè exculti uberiora veſtigia deprehendas. Et ubi ab eo receſſum eſt, ſive ob formularum ductus, ſive ex majorum traditis, ſive ob leges novas, ipſæ conſequentiæ, ex nova Hypotheſi æternis rectæ rationis dictaminibus addita, mirabili ingenio, nec minore firmitate deducuntur. Nec tam ſæpe a ratione abitur, quàm vulgo videtur.

III. Et (ut exemplum afferam) quod ex pacto nudo ſimpliciter actionem non conceſſere, plus rationis habet, quàm paſſim ab iis percipitur, qui Juris Naturalis Conſulti habentur. Hominem verbis ſuis obligari cùm nulla ſubeſt ratio obligandi, quod Synallagma appellant, vel ex animo donandi, vel ex deceptione, naſci debet: neutrum eouſque porrigendum eſt, ut in magnum promittentis detrimentum cedat. Sanè qui ludificandi animo promiſit, actione tenetur, ſed tali, quæ affine aliquid habeat cum actione injuriarum, qua nos ab iis vindicamus, qui tranquillitatem noſtram non tam nocendo, quàm ægrè faciendo turbant, quod ſi verò non contemnendi animus, ſed levitatis culpa ineſt, qua nobis illuſit aliquis; ſcimus dari aliquam in eum etiam ex culpa actionem, eſto ea inferiorem, quæ ex dolo conceditur. Itaque qui alterius promiſſis inaniter ſuſpenſus eſt, habet naturali ratione actionem, non qua ſimpliciter condicat quod ſibi promiſſum eſt, ſed qua ſe a ludibrio vindicet. Equidem in minoribus breviſſimum eſt, ut reus a judice ad promiſſa implenda adigatur: at ſecus ſe res habet, cùm promiſſum rationis expers ſine magno damno promittentis impleri nequit; quo caſu, qui totum petit, etiam exceptione doli repelli poterit, cùm ex alterius damno lucrum quærat. Hactenus ergo valebit ejus actio, ut obtineat, non quantum promiſſum eſt, ſed quantum ſufficit, ut haud impunè illuſus videatur. Hæc ſunt rectæ rationis dictata, Romani autem Jureconſulti ut hæc diſcutienda minutius, velut per averſionem deciderent, noluere ex pacto actionem dari, niſi ſolennitate quadam, aut alio legis adminiculo veſtiretur. Cæterum ut exceptio ex pacto nudo daretur, magna etiam ratione conſtituerunt; ibi enim ſynallagma eſt in cauſa actionis, in quam pactum ſubit, atque, ut ſic dicam, inde veſtitur. Quæ cùm ita ſint, ne noſtro quidem recepto jure ſimpliciter concedendum puto, ut homines ex imprudenti vel temerario promiſſo fortunis ſpolientur, & ut ſic dicam, de ſtatu honeſti civis cum totius familiæ ſuæ ruina in miſeriam dejiciantur: quod profectò æternis æquitatis rationibus repugnat; eaque nimia

nimia foret pœna peccantis, nimium præmium ingeniosioris vel fortunatioris, qui alterius stultitia vel infortunio in rem suam uti vellet. Ejusque exemplum in ludentium sponsionibus habemus. Sed hæc fusius deducere hujus loci non est. Attigi tantùm, ut intelligatur, altiùs in hæc penetrasse Jurisconsultos veteris Romæ, quàm illis nunc videtur vulgo, qui neglecta Romana Jurisprudentia naturalem profitentur.

IV. Interea fateor optandum esse, ut veterum legum corpus apud nos habeat vim non legis, sed rationis, &, ut Galli loquuntur, magni Doctoris; & ex illis aliisque patrii etiam juris monumentis, usque præsenti, sed in primis ex evidenti æquitate novus quidam Codex brevis, clarus, sufficiens, auctoritate publica concinnetur; quo jus multitudine, obscuritate, imperfectione legum, varietate tribunalium, disceptationibus peritorum, obtenebratum, & ad miram incertitudinem redactum, in clara tandem luce collocetur.

Huic operi tui, aliorumque egregiorum nostri nuperique temporis Jurisconsultorum labores præludere & prodesse possunt. Itaque ut in præclaris cœptis strenuè pergas, magnopere hortor. Vale. *Dabam Hanoveræ 1. Julii 1716.*





OBSERVATIONES DE PRINCIPIO JURIS.

I. *De dissertatione quadam de hoc argumento* 1699. *edita.* II. *De juris naturæ ratione.* III. *De jure positivo universali.* IV. *De jure gentium.* V. *De principio cognoscendi juris naturæ.* VI. VII. VIII. *De voluntate creatoris.* IX. *De justitiæ definitione.* X. *De justitiæ normâ.* XI. *De humanæ societatis custodiâ.* XII. *De jussu supremæ rationis.* XIII. *De Deo, juris naturæ auctore.* XIV. *de moralitate actionum intrinsecâ.* XV. & XVI. *De præmiis atque pœnis actionum humanarum.*

I. Dissertatio anno superiore (1669.) edita est, de principio juris naturalis unico & adæquato, quam ob nova jacta fundamenta celebrari intelligo, atque ita majore solito attentione mihi perlegendam putavi, præsertim quum etiam pietatis & morum hic fundamenta tangantur.

II. Principio quæri Cl. Auctor ait (§. 1.) de communi aliquo universi generis humani vinculo, seu jure, quod omnes ad parendum obligat, & quod ut *Cicero* ait *pro Milone*, non didicimus, legimus, accepimus, verum a naturâ ipsâ arripuimus, hausimus, expressimus. Inde notat (§. 2.) Romanos naturali sub jure gentium complexos, non minus quam jus gentium secundarium, voluntate populorum receptum, quod primario, id est naturali, opponi solet. Nec jus naturale differre a jure divino morali, (§. 3.) quum hoc sit tantùm naturale in Scripturam divinam redactum.

III. Addit (§. 4.) nullum dari jus divinum forense universale, a morali diversum. Nam, inquit, si Deus voluit, ut ad omnes homines pertineret; jam est ipsissimum jus morale seu naturale. Sed in hac ratiocinatione fateor me hærere. Nam jus naturale est, quod ex sola ratione naturali sciri potest, sine revelatione. Quid verò prohibet, Deum revelatione promulgare jus positivum universale seu legem omnibus hominibus observandam? Et talia, qualia dicuntur præcepta Noachidarum.

IV. Nec satis intelligo, quod dicitur (§. 5.) Jus Gentium secundarium esse jus positivum, sed quod summas potestates (quæ aliarum gentium potestatem legislatoriam in se non agnoscunt) non obliget. Sanè quemadmodum tunc, quum constituitur respublica ex hominibus antea solutis,

solutis, quisque sese obligat communi vinculo; ita plures summæ potestates, tamquam totidem personæ liberæ, commune vinculum recipere possunt, sive lege seu expressa voluntate, sive more. Imò sive inter summas potestates, pars multo maxima & sine controversia multo superior, ad recipiendum jus ceteros cogere potest soletque.

V. Jus naturæ (inquit §. 6.) didicere gentes tum a ratione, tum a traditione primorum parentum. Sane quod per rationem sciri potest, id solum naturale jus est, licet fortasse per rationem non sciatur, sed per traditionem. Attamen quod traditione divinæ voluntatis sola, non autem ratione sciri potest, id est jus divinum positivum. Atque ita hactenus doceri suevit, unde, cur aliter dicendum sit, non vides.

VI. Quæritur deinde (§. 7. seq.) utrum custodia societatis humanæ sit principium juris. Id negat Vir egregius, contra *Grotium*, qui societatem, *Hobbesium*, qui mutuum metum, *Cumberlandium* & similes, qui mutuam benevolentiam, id est, semper societatem, adhibent; & statuit principium juris naturæ adæquatum esse jussum creatoris §. 9. Nam id principium debet tale esse, §. 10. ut omnia juris naturæ præcepta inde ultimo per legitimam consequentiam inferri possint. Rectè: Sed talis (inquit §. 11.) est voluntas creatoris. Hanc autem omnes obligare ita probat, §. 12. quia creatoris absolutum est in creaturam suam imperium, quippe quam potuit creare vel non creare, & quacunque placuit lege creare. Et quum in confesso sit creatoris omnipotentia, nihil certius est, quam eum, qui potestatem in omnia habet, etiam eam in hominum actiones habere, easque suo arbitrio legibus coërcere posse.

VII. Sed mihi hic multa monenda occurrunt. Primam istam propositionem probare oporteret, creaturam creatoris voluntate obligari. Nam si fingeretur, creaturam tantarum virium esse posse, ut a creatore semel producta, deinde non posset cogi, habenda esset pro manumissa, uti liberi possunt eo pervenire potentiæ, ut a parentibus, a quibus generati sunt, cogi non possint: Vir autem Clar. a sola coactione jus videtur derivare. Ut ergo generatio, ita & creatio jus non dabit, sed potentia. Missa igitur creatoris denominatione, in Deo omnipotentia, vel saltem summa nocendi juvandique potestas supererit; & ideo Cl. Auctor diffisus, ut videtur, qualitati creatoris, omnipotentiam adjunxit. Quamquam, ut obiter notem, apud ipsum a sola summa nocendi potestate, seposita facultate juvandi, ut infra patebit, jus sit petendum. Nam justum putat id solum, ad quod aliquis per pœnas cogi potest: id verò, ad quod quis impelli solet præmiis, refert ad virtutem; negat autem, nos ad virtutem obligari: contra quam etiam veteres Ethici, ni fallor, sensere. Sed si omnipotentia, & maximè, si nocendi potestas (cujus gratia diabolum adorare dicuntur quidam populi) sufficit ad jus constituendum, recurrendum erit ad principium tyrannicum, quod apud *Platonem* urget *Trasymachus*, justum esse, quod potentiori placet. Nec abhorret

abhorret *Hobbesius*, qui jus in potentia fundat. Itaque si fingeretur, Deum quemdam esse malum, qualem Manichæi introducebant, potentia ejus sufficeret ad pessima quæque justa reddenda, quod nostris de naturali jure notionibus repugnat.

VIII. Periculosa etiam alia ex his dogmatibus consequuntur, qualia a quibusdam minùs circumspectè jam dudum sunt jactata, veluti: nullam esse ipsius Dei justitiam, nam si jus est nihil aliud, quàm jussum creatoris, vel ejus, qui potentia sua cogere potest, manifestum est, in ipso Deo justitiæ rationes cessare, quum cogi nequeat; & posse eum jure damnare innocentem, beare sceleratum, quibus admissis in justitiæ consideratione restabit timor Dei, amor cessabit.

IX. Alia ergo sublimiora & meliora juris principia quærenda sunt, non tantùm in voluntate divina, sed & in intellectu, nec tantùm in potentia Dei, sed & in sapientia. Et justitiam constituet, non voluntas, seu benevolentia sapientis. Unde justitia nuper a quodam JCto definita est: Caritas sapientis, ut virtus ab *Aristotele* mediocritas prudentis. Et si fingeretur, (quod impossibile est) malum quemdam genium summam rerum potestatem habere, non ideo, quod irresistibilis esset, desineret ille malus esse, & injustus & tyrannus: Et justæ superforent querendi caussæ, etsi querelæ irritæ essent: Hæc, ni fallor, communi hominum sensui sunt consentanea.

X. Quòd si tamen aliter aliquis jus & obligationem accipiat, pro eo scilicet, solo, quod præmiis pœnisque extorqueri potest, fateor jus fore, quod potentiori placet, & feliciter tamen in Deo evenire, quod, qui potentissimus est, idem sapientissimus reperitur. Sed ita nulla erit per se justitiæ norma ex natura rerum veritatibusque æternis: aliterque justum naturale accipietur, quàm solet. Quum tamen præstet, ni fallor, in rebus tanti momenti a recepto verborum usu non recedere. Interim Vir egregius debebat, ni fallor, dare definitionem juris & obligationis, quum statim §. 1. a se quæri dicat principium obligationis, per quam quid intelligeret, alicubi exposituram expectabam. Quamquam quod expressa definitione non explicat, reapse satis indicet, nempe solo coactionis metu obligationem juris constare. Sed si voluntas cogere potentis sufficit, non est, cur in legislatore supremo bonitatem exigamus. Sin verò volumus, ut legislator etiam benignitatem erga subditos suam ostendat, jam altiùs voluntate principium juris & justitiæ stabilimus. Nisi forte eo deveniat aliquis, ut bonitatem etiam apud Deum arbitrariam putet, imò, quod hinc sequitur, cum Cartesianis quibusdam veritatem ipsam arbitrio Dei factam velit, & quaternarium parem esse, quia Deus jussit; quibus positis ipsa Dei existentia res arbitraria foret, periitque frons de rebus.

XI. Fateor equidem, humanæ societatis custodiam non esse principium justitiæ. Nam est etiam cum Deo societas nobis, quæ humanæ prævalere

prævalere debet. Sed tamen putem juſtum eſſe, quod ſocietatem ratione utentum perficit. Quod verò objicitur §. 16. ſocietatem utilitati ſuæ renuntiare poſſe, nihil aliud eſt, quàm legiſlatorem inſipientem poſſe ferre leges ineptas & iniquas. Quærit, quæ vis obliget homines, ut utilitati veræ ſtudeant. Quaſi vi opus ſit, ut aliquid juſtum fiat, aut ut, quod amabile eſt, ametur; aut quaſi aliquid magis invitare nos poſſit, quàm expeditio boni aut vitatio mali, quæ facit etiam, ut ſuperiori pareamus. Quæ porrò objiciuntur, eos feriunt, qui jus ſola humana ſocietate hujus vitæ definiunt, ut *Puffendorfius* & ſimiles, non eos, qui rem referunt ad perfectionem ſocietatis divinæ humanæve in univerſum.

XII. Conciliabitur ſententia Eximii Viri cum noſtra, ſi per juſſum Dei intelligatur juſſum ſupremæ rationis, quoniam, ut ipſe citat ex *Hierocle* in aureum *Pythagoræ* carmen, idem eſt rationi parere ac Deo. Supremæ autem rationis eſt id agere, ut boni quantum plurimum poteſt, & in quàm plurimis obtineatur & tantum diffundatur felicitas, quantum ratio rerum ferre poteſt: Sin contra, Deum (quod abſit) ponamus potentiam ita deſpotico exercere arbitrio, ut nihil curet creaturarum intelligentium felicitatem, aut non intelligentium decorem; nec ſapiens, nec bonus erit, nec, ut hactenus juſtitiæ notio habita eſt, juſtus. Quæ doctrina abſoluti adeo placiti, ut ſapientiæ & bonitatis lege non regatur, illa ipſa eſt qua Reformatis rigidioribus (ſed plerumque meo judicio iniquè) imputata, factum eſt, ut tantopere ab iis, tamquam divinæ bonitatis & juſtitiæ hoſtibus, adverſarii abhorrerent. Ita etiam Eccleſiæ Proteſtantium communis intereſt, dogmata, quibus juris fundamenta conſtituuntur, ad ſani ſenſus formam explicari.

XIII. Deum eſſe omnis naturalis juris auctorem (quod ait §. 41.) veriſſimum eſt, at non voluntate, ſed ipſa eſſentia ſua, qua ratione etiam auctor eſt veritatis. Interim uti atheus poteſt eſſe Geometra, ita atheus Jureconſultus eſſe poſſet, nec abſurdè ſtatuit *Grotius*, intelligi jus naturæ, etſi fingatur Deus non eſſe. Rectiſſimè autem idem *Grotius* jure naturæ in intrinſeca bonitate ac turpitudine conſtituit, quicquid contra dicat *Puffendorfius* ſententiæ, cui a Viro docto & prudente contradici potuiſſe miror. Uti proportionum & æqualitatum, ita & æquitatis & convenientiæ regulæ æternis rationibus conſtant, quas violare Deum, & jubere aliquando, ut aliquis ſolius voluptatis ſuæ cauſſa (exempli gratia) alios homines innocentes cruciet, impoſſibile eſt. Et parum dignum Deo eſt, parum dignum gravitate docentis, hoc uti effugio, ut Deus eum, cui talia aliquando ſcelera permiſſurus ſit, ab æterno a juſſu ſuo excepiſſe dicamus, §. 43. ut tale factum ſcilicet hoc ſolo, quia exceptum eſt, ſcelus eſſe deſinat. Rectius dicemus, quæ a Deo permittuntur, aut jubentur, in iis aliunde ipſam malitatis rationem ceſſare, ut quum Hebræi vaſa Ægyptiorum abſtulere: quis enim neget,

get, Deum esse Dominum rerum, & auferre Ægyptiis omnia, Israelitisque donare potuisse. Et incestum inter fratrem & sororem absolutè malum esse non est dicendum, sed in liberis *Adami* ipsa naturali ratione permissum. Ratio enim non minùs dispensatione utitur, quàm Deus. Uti detegi, quæ natura tegi jubet, turpe non est, si salutis caussa fiat. Cessat ergo crimen non nuda Dei excipientis dispensantisque voluntate, sed sublata prohibendi ratione.

XIV. Præclariùs ipse Cl. Auctor differit, quum ait: Actus natura sua alios aliis esse meliores, ut docere præstantius est, quàm vestem facere, & majorem perfectionem virtutis nomine venire. Et §. 47. quum Deus Ens sit perfectissimum & perfectissimus bonorum largitor, sequi, quo perfectius quid agitur, eo magis ei placere, largiusque esse remuneraturum. Sed hinc sequitur perfectionem potiùs & pravitatem actuum intrinsecam, quàm voluntatem Dei justitiæ fontem esse. Nam quæ ratio facit, ut alius actus alio sit sua natura perfectior, facit etiam, ut aliquis actus sit sua natura pravus, qui scilicet perfectiones destruit aut imperfectiones inducit. Et si, concedente Domino Auctore, ex natura actuum venit, ut præmium mereantur, etiam ex natura actuum veniet, ut pœnam mereantur, adeoque debeant prohiberi, neutrum ergo oritur a sola voluntate. Mirum igitur est, Cl. Auctorem in actibus, arbitrio hominum relictis, differentiam bonitatis naturalem agnoscere, &, ut sic dicam, jus naturæ a jussu Dei independens, at in jussis aut prohibitis non agnoscere, quum in his adpareat multo magis; & vel ideo actus sunt jussi prohibitive multo magis, quia præ aliis boni malive sunt; non contra boni malive, quia jussi aut prohibiti sunt.

XV. Et quod eodem §. 47. addit, nullos alios actus ob prohibitionem Deo placere posse, felicitatisque præmia ab eo expectare, nisi qui hominum arbitrio relicti sunt, quia, qui necessitate præcepti impulsus agit, in eo nulla virtutis & perfectionis ratio sit: Hæc valde miror, dici potuisse. Quasi scilicet jussus ob solam præcepti necessitatem pœnæque metum, & non potiùs liberrimo animi ad bonum tendentis nisu agat, lege magis admonente, quàm impellente. Hoc scilicet est, quod Scriptura Sacra ait; justo legem positam non esse. Et postquam lex ipsa jussit Deum super omnia & totis viribus amari, proximum verò sicut nos ipsos, non video, quænam actio bona arbitrio nostro relicta intelligi possit.

XVI. Ceterum humano jure potest aliquid licitum esse, quod non sit honestum; divino & naturali jure non potest, etsi §. 49. contrarium defendi videatur. Unde valde mirum dictu est, quod habetur §. 50. lege naturæ non compelli homines ad exercendas virtutes, contra doctrinam hactenus receptam, quæ justitiam universalem omnes in se virtutes comprehendere notat apud Philosophos. Et omnium, ni fallor, Theologorum ac pietatis studiosorum consensu, qui inutilis est, non tantùm

tùm præmio carebit; sed & pœnam sentiet, & *Christus* dixit, arbores, quæ fructum non ferunt, cæsas in ignem conjici. Unde vulgo inter peccata mortalia Acediam, quam vocant, torporemve in bono, numerare solent. Ex quibus satis intelligitur, Cl. Auctorem dissertationis alio planè quàm hactenus sensu vocabula usurpare; quasi jus in iis tantùm sit, quæ vi quadam & pœnarum necessitate extorquentur, quum contra aliis sapientibus ipsique Scripturæ Sacræ tanto quisque justior habeatur, quanto minus metu aut mercede, quanto magis ipsa præclararum actionum jucunditate commovetur.

MONITA QUÆDAM
AD
SAMUELIS PUFFENDORFII
PRINCIPIA,
GERH. WOLTH. MOLANO
DIRECTA.

I. *De* Puffendorfii *libro de officio hominis & civis.* II. *Finis scientiæ juris naturæ ambitu hujus vitæ non debet includi.* III. *Et illa, quæ intra pectus latitant, nec foris prorumpunt ad jus naturæ pertinent.* IV. *Caussa efficiens juris naturæ in rerum natura, rectaque secundum hanc rationis præceptis non in superioris decreto quærenda.* V. Puffendorfius *sibimet ipsi sæpenumero obloquitur.*

I. Rogasti me sententiam, Vir Summe, in amici gratiam, an commodè prælegeretur juventuti liber viri suo quondam merito celeberrimi, *Samuelis Puffendorfii*, quem de officio hominis & civis inscripsit. Inspexi opus, quod a multo tempore non consulueram, deprehendique principia defectibus non exiguis laborare. Quum tamen pleræque sententiæ in progressu non admodum principiis cohæreant, neque ex iis tamquam caussis deducantur, sed potius aliunde ex bonis auctoribus mutuo sumantur; nil prohibet, libellum multa bona frugis continere, & vicem compendii doctrinæ de jure naturæ iis præstare, qui, levi aliqua tinctura contenti, scientiam solidam non adfectant, quales sunt nimis multi auditores. Optarem tamen exstare aliquid firmius & efficacius, quod lucidas fœcundasque definitiones exhibeat, quod ex

rectis principiis conclusiones veluti filo deducat, quod fundamenta actionum exceptionumque natura validarum omnium ordine constituat, quod denique scientiæ alumnis certam rationem præbeat prætermissa supplendi, oblatasque quæstiones per se decidendi, determinata quadam via. Hæc enim a scientia absoluta & ritè tradita exspectari debent. Et tale aliquid potuisset ab incomparabilis *Grotii* judicio & doctrina, aut a profundo *Hobbii* ingenio præstari: nisi illum multa distraxissent; hic verò prava constituisset principia, iisque nimis constanter institisset. Meliora etiam, quàm vulgo habemus, & pleniora potuisset *Seldenus*, si ingenium & doctrinam majore studio in tale opus conferre voluisset. Plurimum etiam referret parallela addi juris civilis inter homines recepti, præsertim Romani, ipsiusque etiam juris sacri: ita usus juris naturæ apud Theologos & Jurisconsultos pronior futurus esset, quod nunc magis sermonibus celebratur, quàm negotiis adhibetur. Interim verò quia desideratum opus non exstat, & præ aliis Puffendorfianum compendium apud nos vulgo innotuit; hoc saltem è re esse puto, ut quædam lectores auditoresve, in primis circa principia abusibus magis exposita, moneantur: quorum potissima in his summis capitibus consistunt, quòd nec finem objectumque, nec caussam efficientem juris naturæ rectè constituisse auctor videatur.

II. De fine ita disertè pronunciat §. 8. præfationis suæ: finem scientiæ juris naturæ tantum ambitu hujus vitæ includi. Et quoniam objici posse prævidebat, immortalitatem animæ naturali ratione evinci, ac proinde, quæ hinc consequantur, ad juris justitiæque observationem facientia, ad doctrinam juris naturali ratione cogniti pertinere; respondet eodem loco, animum quidem hominis ardenti adfectu immortalitati imminere, suique destructionem vehementer aversari, atque inde apud plerasque gentes inolevisse persuasionem de animæ a corpore separatæ duratione, & quod tunc bonis bene, malis malè sit futurum; ejusmodi tamen circa hæc persuasionem, in qua animus hominis plenè ac firmiter adquiescere possit, ex solo Dei verbo hauriri. Hæc auctor. Verùm enim verò, licet tam verum esset, quàm falsum est, immortalitatis animæ plenam demonstrationem a naturali ratione non suppeditari; sufficeret tamen prudenti, saltem magnum pondus habere argumenta, & spem bonis melioris vitæ eximiam dare, justum verò improbis metum futuræ gravissimæ pœnæ incutere. Ingentis enim mali etiam non magna timendi ratio, ne dicam magna verisimilitudo curam cavendi excitare debet. Neque aut consensus omnium pæne gentium, aut insitum desiderium immortalitatis sperni possunt. Sed firmum argumentum & obvium omnibus (ut cetera nunc prætercam subtiliora) præbet ipsa divini Numinis agnitio, quam rectè admittit auctor, & inter ipsa juris naturæ fundamenta meritò collocat. Neque enim dubitari potest, rectorem universi sapientissimum eundemque potentissimum, bonis præmia, malis

pœnas

pœnas destinasse, & exequi destinata in futura vita, quando in hac præsente pleraque impunita impensataque transmitti constat. Itaque negligere hic futuræ vitæ curam, quæ cum providentia divina inseparabiliter connexa est, & contentum esse inferiore quodam juris naturæ gradu, qui etiam apud atheum valere possit (de quo aliàs dixi) est scientiam pulcherrima sui parte mutilare, & multa hujus quoque vitæ *officia tollere*. Cur enim aliquis pro caritatibus, pro patria, pro re publica, pro recto & justo, discrimen fortunarum, dignitatum, vitæque ipsius subeat, si eversis aliorum rebus ipse consulere sibi, & in honore atque opulentia vitam ducere possit. Nam uni nominis immortalitati famæque posthumæ, id est rumoribus, unde nihil ad nos perveniat, vera ac solida bona posthabere, quid aliud quàm splendida stultitia fuerit? Sublimior est pleniorque disciplina juris naturæ exposita secundùm disciplinam Christianorum (de qua *Praschius*) immo verorum philosophorum, quam ut omnia præsentis vitæ commodis metiatur. Quin amplius, nisi quis ita natus institutusve sit, ut insignem in virtute voluptatem, in vitiis molestiam inveniat (quod non est cujusvis) nulla ratione a magno scelere deterrebitur, quo ingentia bona impunè sibi parare possit,

Sit spes fallendi, miscebit sacra profanis.

At divinam vindictam in futuram usque vitam productam nemo fallet; eaque firma ratio est, qua homines omnem juris obligationem in factum traduci debere intelligant, si sibi ipsis consulere velint.

III. Itaque neque illud admittendum est, quod insinuat auctor, quæ intra pectus latitant, nec foris prorumpunt, ad jus naturæ non pertinere; qua ratione ex mutilato fine juris naturæ, etiam objectum ejus nimis contrahi manifestum est. Quum enim sub exitum §. 8. dixisset, juris naturalis scita ad forum dumtaxat humanum adaptari, quod ultra hanc vitam se non extendat, mox subjicit §. 9. forum humanum circa externas tantùm hominis actiones occupari: ad ea autem, quæ intra pectus latitant, nec aliquem effectum aut signum foras producunt, non penetrare, neque adeo circa ea sollicitum esse. Ulteriora disertè theologiæ morali transcribit, cujus principium revelationem esse docet §. 4. & quæ hominem Christianum informat §. 8. ubi etiam addit, jus naturæ multis in partibus pravè ad forum divinum adplicari, quod theologo maximæ curæ est. Itaque (inquit §. 9.) Theologiæ morali non sufficit exteriores hominis mores utcunque ad decus composuisse (quasi vero philosopho morali, aut juris naturalis doctori sufficiat) sed in eo maximè laborat, ut animorum motus interni ad placitum Numinis fingantur, & illas ipsas actiones improbat, quæ extrinsecus quidem rectè se videntur habere, ab animo tamen impuro promanant. Hæc auctor scilicet solis theologis vindicat, quæ tamen omnia non Christianos tantùm philosophos, sed & veteres ethnicos curasse constat, quorum adeo sobria

bria magis & severa & sublimis philosophia fuit. Ut mirer viro insigni in hac eruditionis luce talia excidere potuisse, non minùs paraloga quam paradoxa. Platonicorum Stoicorumque, immo & poëtarum doctrina fuit, Deos esse imitandos, Diis offerendum,

Compositum jus fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Neque philosopho, sed jurisconsulto civili tribuit *Cicero*, externis contentum esse: leges enim docet curare, quæ manu teneri possunt, philosophos quæ ratione & intelligentia. Adeone degenerabit apud Christianos philosophia, quam ethnici tam sanctam & generosam habuere? De laxitate *Aristotelis* multi veterum questi sunt; ille ipse tamen longè altiùs surrexit, eumque scholæ rectè hic sunt secutæ. Præclarè enim Aristotelica philosophia ad justitiam universalem omnes refert virtutes, debemusque non nobis tantùm, sed & societati, eique maximè, quam cum Deo naturali lege cordibus inscripta colimus, ut animum habeamus veris imbutum sententiis, voluntatemque ad recta constanter tendentem. Neque adparet, quis sit in jure naturæ locus jurijurando (cujus tamen auctor ipse vim in eo magnam esse fatetur) si internorum ibi cura nulla est. Itaque qui educationis aut institutionis aliorum regendæ potestatem habet, jure naturæ obligabitur ad mentes etiam præclaris monitis informandas, curandumque, ut virtutis adsuetudine tanquam altera natura voluntates ad honesta ferantur. Ea tutissima præcipiendi ratio est, nam ut pulchrè monitum *Aristoteli*, plus possunt mores quàm leges. Et quanquam fieri possit, ut aliquis spe metuque pravas cogitationes comprimat, ne noceant (quod tamen ægrè fit) tamen non efficiet, ut prosint. Itaque qui non rectè animatus erit, sæpe peccabit saltem officii omissione. Ut adeo etiam parum tuta aut facilis sit hypothesis, quam auctor noster constituit, animi intus pravi, foris innoxii. Equidem laudandi sunt viri quidam eruditi, Puffendorfianæ alioqui doctrinæ fautores, quod sententiam duriorem & reprehensionibus obnoxiam emendarunt, & quod juri naturæ negant, saltem philosopho morali aut theologo naturali tribuunt, curam scilicet internorum. Sed quum in internis quoque jus & obligationem, peccataque in Deum, & rectas actiones natura constitui, nemo negare possit; ubi quæso tractabuntur hæc naturalis utique juris justitiæque capita, nisi in scientia juris naturalis? nisi quis aliam quandam universalem jurisprudentiam confingat, quæ jus naturale respectu non hominis tantùm, sed & Dei comprehendat, quod inane fore & superfluum nemo non videt. Quin potiùs in scientia juris a divina justitia, tanquam fonte, humanam, ut plena sit, derivari convenit. Notio certè justi non minùs, quàm veri ac boni etiam ad Deum pertinet, immo ad Deum magis, tanquam mensuram ceterorum, communesque regulæ utique in scientiam cadunt, & in jurisprudentia universali tradi debent,

debent, cujus præceptis etiam theologia naturalis utetur. Itaque jus naturale præter rem coarctantibus adsentiri non possumus, quamquam is lapsus periculum non habeat, modo internam probitatem saltem alteri philosophiæ parti serves, nec planè revelatis præceptis transcribas.

IV. Hactenus de fine & objecto; nunc superest, ut de caussa efficiente juris naturæ non bene ab auctore constituta dicam; hanc enim ille non in rerum natura, rectæque secundum hanc rationis præceptis, a divina mente emanantibus, sed (quod mirum & contradictioni obnoxium videbitur) in superioris decreto quærit. Nempe lib. 1. cap. 1. §. 1. officium definitur actio hominis, pro ratione obligationis ad præscriptum legum ritè attemperata. Et mox cap. 2. §. 2. Lex definitur decretum, quo superior sibi subjectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas componat. Quæ si admittimus, nemo sponte officium faciet; immo nullum erit officium, ubi nullus est superior, qui necessitatem imponat; neque erunt officia in eos, qui superiorem non habent. Et quum auctori officium & actus a justitia præscriptus æquè latè pateant, quia tota ejus jurisprudentia naturalis in officii doctrina continetur; consequens erit, omne jus a superiore decerni. Quæ paradoxa ab *Hobbio* potissimum prodita, qui in statu quem vocat naturali, id est, superioris exsorte, omnem justitiam obligantem tollere visus est (etsi ipse variet) miror a quoquam adoptari potuisse. Ergone contra justitiam non faciet summa potestate præditus, qui tyrannicè in suos grassabitur, qui subditos pro libidine spoliabit, affliget, per tormenta necabit; qui bellum alteri sine caussa inferet? Hinc etiam nullum jus gentium voluntarium quidam viri docti ab auctore nostro persuasi admittunt, ob eam inter alias rationem, quod pactis mutuis jus efficere gentes non possint, quia scilicet a nullo superiore valida reddatur obligatio. Quo argumento nimium efficient, ut scilicet nec consensu & pactis homines superiorem sibi constituere possint, cujus contrarium tamen ipse *Hobbius* agnovit. Equidem medela aliqua videtur adferri posse huic doctrinæ, considerando Deum velut omnium superiorem, quod etiam subinde fit ab auctore. Nempe dicet aliquis, dogma offendere tantùm specie pravitatis, si verò profundius introspicias, nihil mali deprehendi; quum semet corrigat, & remedium secum ferat; quoniam status sine superiore fingi quidem possit docendi gratia, existere autem non possit, quod omnes per naturam Deo subdantur. Ita jam & pacta hominum superiorem, & consensus gentium jus facient, Deo pactis validitatem præbente. Atque hoc quidem de Deo natura omnium superiore verissimum est; sed tamen ipsa per se doctrina offensione atque errore non caret, quæ habet, jus decreto superioris nasci, utcunque excuses. Nam ut taceam, quod *Grotius* bene notavit, fore aliquam naturalem obligationem, etsi daretur, quod dari non potest, Deum nullum esse, aut licet divina existentia seponatur tantisper; quoniam certè multa ab hominibus

minibus erga alios exigit propriæ conſervationis commoditatiſque cura; quæ *Hobbius* etiam pro parte annotavit: & hoc obligationis vinculum latronum ſocietates exemplo ſuo confirmant, dum aliis hoſtes, inter ſe quædam officia colere coguntur; quamquam, ut jam notavi, imperfectum ſit valde jus naturæ, quod ex hoc ſolo fluat: hæc, inquam, ut taceam, ſciendum eſt, Deum ipſum laudari, quòd juſtus eſt, adeoque eſſe quandam, immò potiùs eſſe ſummam ipſius Dei juſtitiam; etſi ſuperiore careat, & ſponte naturæ excellentis omnia bene agat, ut nemo de eo cum ratione queri poſſit. Neque ipſa norma actionum aut natura juſti, a libero ejus decreto, ſed ab æternis veritatibus divino intellectui objectis pendet; quæ ipſa, ut ſic dicam, divina eſſentia conſtituuntur: meritoque a theologis auctor reprehenſus eſt, quando contrarium defendit; credo, quòd pravas conſequentias non perſpexiſſet. Neque enim juſtitia eſſentiale Dei attributum erit, ſi ipſe jus & juſtitiam arbitrio ſuo condidit. Et verò juſtitia ſervat quaſdam æqualitatis proportionalitatiſque leges, non minùs in natura rerum immutabili diviniſque fundatas ideis, quàm ſunt principia Arithmeticæ & Geometriæ. Neque adeo juſtitiam aut bonitatem quiſquam divini arbitrii eſſe defendet, niſi qui & veritatem: quod paradoxon inauditum *Carteſio* excidit, inſigni documento, magnos poſſe viros magnoperè labi; quaſi ſcilicet triangulum ſit trilaterum, aut duo contradictoria incompatibilia ſint, aut denique ipſe exiſtat Deus, quia ita Deus juſſit. Sequeretur etiam, quod quidam imprudenter dixere, Deum jure poſſe damnare innocentem, quando hoc ipſum jus facere poterat. Nimirum qui talia excidere ſibi paſſi ſunt, non diſtinxere juſtitiam ab ἀνυπευθυνίᾳ. Deus ob ſummam in omnia poteſtatem eſt ἀνυπεύθυνος; quum nec cogi, nec puniri poſſit, neque rationibus cuiquam reddendis obnoxius ſit; ſed ob juſtitiam ita agit, ut omni ſatisfaciat ſapienti, &, quod ſummum eſt, ſibi. Atque hoc etiam non parum ad praxin veræ pietatis facit: neque enim ſufficit, ita nos Deo ſubmiſſos eſſe, uti etiam tyranno obediremus; nec tantùm timendus eſt ille ob magnitudinem, ſed etiam amandus ob bonitatem: quæ non magis a ſcriptura ſacra, quàm a recta ratione præcipiuntur. Atque huc ducunt meliora univerſalis juriſprudentiæ principia, quæ etiam cum ſana theologia conſpirant, & ad veram virtutem excitant. Tantumque abeſt, ut, qui non ſpe aut metu a ſuperiore, ſed propenſione animi rectè agit, juſtè non agat, ut ipſe potiſſimum juſtè agat, quadam divinæ juſtitiæ humana imitatione. Nam qui amore Dei aut proximi benefacit, in ipſo rectè facto invenit voluptatem, (ea enim amoris natura eſt) neque alio ſtimulo indiget, aut juſſu ſuperioris opus habet: ac de tali dictum eſt, legem juſto poſitam non eſſe. Uſque adeo abhorret a ratione, ſolam legem aut coactionem juſtum facere: tametſi fatendum ſit, eos, quorum animus eo perfectionis non devenit, non niſi ſpe metuque obligari; & in divinæ maximè vindictæ exſpectatione, quam nec morte effugere

effugere detur, necessitatem plenam & in omnes valituram servandi juris & æqui posse inveniri.

V. Ex his intelligi datur, quantum juventutis, immo rei publicæ intersit, meliora scientiæ juris principia constitui. Neque rectè d. c. 2. §. 4. dicitur, superiorem non agnoscenti neminem necessitatem injicere posse: quasi non quædam ipsa exigat natura rerum, curaque propriæ felicitatis & salutis; & multa nobis imperat ipsa ratio, ut naturæ melioris ductum sequamur, ne nobis vel malum adcersamus, vel bonum intercipiamus. Hoc rationis præceptum omne, quum simul alios spectat, quorum id refert, ad justitiam pertinet. Et verò licet quidam officium latius accipiant, de omni scilicet virtutis actu, etiam quum aliorum nihil interest, aut an eorum intersit, non consideratur; quo sensu dici potest ad nostrum quoque officium pertinere fortitudinem & temperantiam; verbi gratia, ut valetudinem curemus, quum culpentur meritò, qui non faciunt: non aspernor tamen usum auctoris nostri, qui officium ad ea restringit, quæ a jure desiderantur. Sed ejus rei rationem habeo parum auctori agnitam: quoniam nempe in generali societate sub rectore Deo, omnis virtus, ut jam plus semel diximus, justitiæ universalis obligationibus continetur, neque actus tantùm externi, sed etiam omnes adfectus nostri certissima juris regula diriguntur; & dignè de jure philosophanti non tantùm humanæ tranquillitatis, sed etiam divinæ amicitiæ ratio habetur, cujus possessio nobis duraturam felicitatem spondet. Non nobis tantùm nati sumus, sed partem nostri sibi alii vindicant, Deus totum. Nec video, quomodo auctor, quamvis acutus, a contradictione facilè excusari possit, quum omnem juris obligationem a superioris decreto derivat, (quemadmodum locis ejus citatis ostendimus) & tamen mox lib. 1. c. 2. §. 5. ad superiorem constituendum requiri ait, non tantùm, ut vires cogendi habeat, sed etiam ut justas habeat caussas vindicandi sibi in me potestatem. Ergo justitia caussæ ipso superiore anterior est, contra quam adseverabatur. Nempe si ad juris originem opus est superiore, & rursus ad superiorem constituendum caussis opus est jure subnixis; circulus orietur, quo nullus umquam manifestior fuit. Unde enim constabit, justas esse caussas, si nullus adhuc superior exstat? a quo (scilicet) jus proficisci potest. Mirum esset, virum acutum secum adeo pugnare potuisse, nisi sciremus facilè evenire paradoxa tuentibus, ut prævalente sensu communi sui dogmatis obliviscantur. Ipsa auctoris verba exhiberi interest, ne quid imponi videatur: „introducitur obligatio in animum hominis propriè a superiore, id est, tali, cui non solùm vires sunt malum aliquod repræsentandi contra nitentibus, sed etiam justæ sunt caussæ, quare postulare queat, ex suo arbitrio voluntatis nostræ libertatem circumscribi. Talia enim ubi in aliquo fuerint, postquam quid velit, signi-

significavit, necesse est in animo hominis oriri metum reverentia temperatum. - - - Qui verò nullam rationem allegare novit, quare mihi invito obligationem velit impingere præter solas vires, is terrere quidem me potest, ut evitando majori malo ipsi tantisper parere satius ducam, sed eo metu remoto, nihil amplius obstat, quo minus meo potiùs, quàm illius arbitrio agam. Contra qui rationes quidem habet, quare ego ipsi parere debeam, a viribus tamen malum aliquod mihi imponendi destituitur, ejus jussa impunè a me possunt negligi, ni potentior aliquis hujus auctoritatem proculcatam adsertum eat. Rationes autem quare quis postulare queat, ut ab altero sibi obtemperetur, sunt: si ab isto in hunc insignia quædam bona sint profecta, si constiterit, tum & bene huic velle, & rectiùs quàm ipse valet, eidem prospicere posse: simulque si actu iste hujus directionem sibi vindicet, & denique, si quis ultro alteri se subjecerit, & in ipsius directionem consenserit. " Hactenus auctor. Sed qui benè hæc examinaverit, satis animadvertet, nec sibi constare auctorem, nec difficultati satisfacere. Sanè si neque coactio sine rationibus, neque rationes citra vim sufficiunt; cur quæso cessante vi, superstitibusque solis rationibus, non redibo ad libertatem, quam dicor habuisse, quum nondum admota vi solæ rationes adessent? Quod enim auctor ait, metu remoto nihil amplius obstare, quo minùs meo potiùs, quàm alterius arbitrio agam; valebit, etiamsi rationes adsint. Quod si verò rationes jam solæ obstant, cur non solæ obstitere etiam ante metum? & quam quæso vim rationibus ultra seipsum metus dabit, quam sine rationibus non præstat sibi? An adfectus iste parum durabilis characterem quendam indelebilem invitæ imprimet menti? Finge hominem, qui alteri ex solis rationibus obedientiam debet, ejusdem mox viribus adigi; & tamen in eo animo perseverare, ut non ultra obedire velit, quàm cogatur; non adparet, cur ideo quia semel coactus est, perpetuò subjiciatur. Velut si æger Christianus a medico Turca capiatur, adeone jam præceptis salutaribus, diu ante cognitis, sed nunc necessitate armatis, obstringetur, ut etiam data aufugiendi occasione magis exinde ad temperantiam obligetur, quàm ante captivitatem? alterutrum ergo dicendum est, vel rationes ante vim obligare, vel nec obligare vi cessante. Hæc satis ostendunt, deesse auctori principia certa, quibus veras juris rationes constituat, quoniam principia pro arbitrio ipse effinxit, quæ sibi sufficere non possunt. Ceterum fundamenta & communia omni juri (etiam quod ex æquo & bono tantùm descendit) & propria stricto (quod etiam superiorem constituit) aliàs indicata sunt. Et ut dicta paucis recolligamus, in universum dicendum est: finem juris naturalis esse bonum servantium; objectum, quidquid aliorum interest, & in nostra est potestate; caussam denique efficientem in nobis esse rationis æternæ lumen divinitus in mentibus accensum. Hæc tam

plana

plana & simplicia, credo, viris quibusdam acutis nimis obvia visa esse, atque inde paradoxotera quædam excogitata, quæ novitatis specie blandirentur, quod neque priorum fœcunditas neque horum imperfectio satis perspiceretur. Hæc ad Te, Vir Summe, perscribenda putavi, ut adpareat, opus Puffendorfianum, etsi minimè adspernandum, in ipsis tamen principiis multiplici emendatione indigere. Ceterum ad particularia nunc descendere non vacat. Vale.

EPISTOLA AD D. BLUMIUM,

Qualem LEIBNITIUS *historiam juris Canonici exoptet, indicans.*

QUæ de historiâ quadam Juris Canonici scribenda judiciosissimè desiderasti [res Verulamiano Paralipomenon catalogo addenda] aliquoties ab eo tempore recogitanti mihi mirificè placuerunt. Rectè advertisti, & *Sigonii* Historiam & *Petri Suavis* exemplum in historiâ inquisitionis multum lucis præbere posse tale quid suscepturo. Apti erant huic operi *Blondellus*, & quodammodo autor Taxæ Apostolicæ Cancellariæ *Laurentius Banck.* Sed deest nostris plerumque ea illarum rerum peritia, quæ huc requiritur. Inprimis opus foret regesto Romano, archivique alicujus lustratione. Galli tamen sic satis liberi oris sunt, etiam qui se Catholicos vocant. Porrò esset hæc historia Canonum rationalis, seu historia rationum, cur illud jus Ecclesiasticum introductum sit. *Historia* nimirum *Juris* est aut *Isagogica*, aut *intima*. *Isagogicâ* vulgò contenti sumus, si noverimus tolerabiliter, quâ occasione quæque juris volumina sint edita. *Intimam* verò illam, in quâ disquiritur, quâ occasione singula sint constituta, eruditiores indagant.

In Romano jure non videtur ita operæ pretium esse, quoniam illorum temporum historiæ minoris nunc usus sunt. Nihilominus tamen si non utilitatis, saltem voluptatis non mediocris est, in *Procopio* & *Agathiâ* [conf. *Grotii Flores sparsos*] intueri, quàm frivolæ sæpè causæ *Justinianum* ad novandum impulerint. Exemplum confer de centenariâ Ecclesiarum præscriptione. At in Canonico jure fructus non potest non esse maximus, cùm eædem respublicæ nunc quoque stent, & iisdem ferè modis administrentur, quam intererat sic vel sic tunc a Pontificibus rescribi. *Cujacius* in suis posthumis passim talia admonet; Plura, ut audio, *Joh. Dand. Alteserra*, Antecessor Tholosanus, vir magnæ eruditionis. Porrò cùm historia rationalis juris scribenda sit, & dictum sit historiam esse duplicem, introductoriam, & intimam, animadver-

Nn 2 ten-

tendum eſt rationes etiam ſeu *cauſas legum* eſſe duplices, ut *Grotii* terminis utamur, alias ſuaſorias alias juſtificas. Suaſoriæ ſunt utilis, Juſtificæ juſti. Suaſoriæ in animo foventur, juſtificæ prætexuntur. Suaſoriæ movent Imperatores ad leges ferendas, Juſtificæ nos movent ad retinendas. Juſtificæ igitur Jureconſulto ſufficiunt, ſed non Legiſlatori. Eodem conſilio *Rationale Receſſuum Imperii* molitus eſt *Goldaſtus*, teſte *Mauritio* in diſſertatione de Receſſibus Imperii, ſed immortuus eſt. Illuſtris *Boineburgius* aliquot epiſtolas ad *Fürſtenerum*, *Conringium*, & *Boeclerum* de hoc argumento ſcripſit, & nunc Dominus *Dedekkennus*, Conſiliarius Moguntinus, natione Batavus, tale quid ex Archivis molitur. Rationalia *Viviani* Juris Canonici ſunt juſtifica, non ſuaſoria.

EXTRAIT D'UNE LETTRE

ſur l'auteur du livre intitulé

Cautio criminalis circa proceſſus contra Sagas.

JE ne ſais ſi vous avez vu les livres du Pére *Spee*, Jéſuite, qui étoit un homme excellent. Le premier que j'ai entendu louer ce Pére a été *Jean Philippe* Electeur de Mayence, qui me le recommanda, juſqu'à me donner lui-même un exemplaire de ſon livre des vertus chrêtiennes, *Güldnes Tugendbuch*, où j'ai tout admiré, hormis les vers allemands, dont le véritable goût eſt encore inconnu dans l'Egliſe Romaine; mais il y a des penſées ſi belles & ſi profondes, & en même tems ſi bien propoſées, pour toucher même les ames populaires, & enfoncées dans le monde, que j'en ai été charmé. Il a ſurtout reconnu & recommandé le grand ſecret de l'effet du véritable amour de Dieu.

Ce grand homme eſt encore auteur du livre qui a fait beaucoup de bruit dans le monde, ſans qu'on ait ſçu d'où il étoit venu, car il falloit ſe ménager pour parler comme il fait. C'eſt *Cautio criminalis circà Proceſſus contra Sagas*. Je ſai de la bouche même de cet Electeur, que ce Pére en eſt l'auteur. Ce livre a été traduit en pluſieurs langues, il a été loué & refuté. M. *Becker* en parle fort dans ſon *monde enchanté*, mais perſonne n'a ſçu à qui il devoit être attribué. L'Electeur me conta, que ce bon Pére lui avoit avoué d'avoir accompagné au feu un nombre grandiſſime de prétendus criminels, en qualité de confeſſeur, qu'il les avoit tourné de toutes les maniéres pour découvrir la vérité, mais qu'il ne pouvoit point dire d'en avoir trouvé aucun dont il eût ſujet de croire qu'il eût été véritablement ſorcier.

G. G.



G. G. LEIBNITII

DE SUO CODICE JURIS GENTIUM DIPLOMATICO MONITUM.

I. De Codice Juris Gentium. II. Ejus contenta. III. Ex Manuſcriptis maximam partem petita. IV. Summa cum accuratione edita. V. De ejus continuatione.

I. MAgnum ad hiſtoriæ fidem ac rerum interiora noſcenda momentum habet ipſe tenor actorum: & quum jura gentium voluntaria uſu ac placitis eorum maximè nitantur, qui participes ſunt ſummæ poteſtatis, aut ab illâ auctoritatem habent; viſum eſt editori promiſſi operis, ab aliquot ſeculis colligere complura *Diplomata rerum magnarum*, inter gentes; aut publico nomine ac publicâ in cauſâ geſtarum. Non Pandectas inſcripſit, neque enim omnia habet; nec Digeſta, quia non materiarum, ſed temporum ordinem ſequitur: ſed *Codicem* non quaſi Juſtinianei ſimilem; ſed uti Codicem Canonum veteris Eccleſiæ, Codicem argenteum *Ulphilæ*, Codicem legum antiquarum, Codicem donationum piarum dicimus. Habet tamen hoc Codici Legum affine, quod ea continet, quæ ſola inter liberos populos legum ſunt loco, vel quas ſibi, ut ita loquar, leges dixere, qui rebus præſunt; quæ interdum & apud alios exemplo valent, certè notitias utiles *politicis* ſuppeditant.

II. Ceterum Codex iſte non Germanicis tantùm aut alterius populi rebus aſtringitur, ſed pleraque Europæa attingit: nec tantùm pacificationum Tabulas & fœdera aliave, quæ vulgo Tractatuum nomine cenſentur; ſed & contractus matrimoniales Principum, teſtamenta, adoptiones, varias obligationes, pacta conventa & alienationes; uniones territoriorum, limitum deſignationes; commerciorum, navigationum, & in eam rem initarum ſocietatum articulos; receſſus conventuum publico-

blicorum, Edicta rem publicam afficientia ac leges fundamentales; atque etiam nonnulla Conciliorum generalium acta singularia, Concordata Nationum, aliaque ad rem publicam Christianarum gentium pertinentia; tum arbitria vel lauda, & res judicatas; belli denunciationes vel diffidationes, protestationes, expostulationes, rerum repetitiones & fecialia manifesta; confiscationes, destitutiones, depositiones; & contra electiones, dominia, investituras, ceremoniarum solennia, dispensationes, privilegia majora, aureasque & plumbeas bullas ad rem facientes; Creationes quoque novarum dignitatum ac principatuum, quin & regnorum erectiones, aliaque id genus plura continebit.

III. Porrò maxima horum pars *inedita* hactenus latuit: itaque proderit consilium ad eos excitandos, qui talia habent in manu, ut producant in usum reipublicæ: Adjecta sunt tamen subinde typis jam edita, sed minùs obvia & *selectiora*. In antiquioribus & ex manuscripto edendis liberalior fuit editor, quod talia rariùs occurrant; in posterioribus severiore delectu utendum sibi putavit.

IV. Curæ fuit, ut diligenter recenserentur omnia, ac lumen a distinctionibus acciperent; quod imprimis necessarium erat, ubi latina dictio barbarizat ac turbida fluit, aut vetus vernacula a præsenti usu diffidens, attentum lectorem postulat. Nam & Gallico sermone scripta occurrent, non hodierno tantùm, sed & qualis aliquot retrò seculis viguit, cujus hodieque supersunt reliquiæ in Gallia & Belgii judiciis, & in Anglia olim jura cum Normannis atque Andegavensibus Regibus transiere. Ut italica quædam, aliave, quæ parciùs occurrent, taceamus. Corrupta loca interdum restituta sunt, quum res dubio carebat; interdum notata tantùm: nec temerè sibi aliquid editor permisit.

V. Postremò rogantur, quibus vel munus, quod in Republica sustinent, vel eruditio, aut curiositas ad talia aditum fecit, ut in communem usum conferre Symbolum velint. Si quid suppeditabitur singulare ad hanc Collectionem ornandam atque augendam, tum in antiquioribus, tum maximè in nostri seculi rebus; sive prorsus ineditum hactenùs, sive etiam impressum typis, sed in scheda evanescente, aut alioqui loco non obvio latens: beneficium editor gratus agnoscet, & prædicabit. Quæ nunc prodeunt, usque ad annum 1500. circiter pertingunt. Recentiora Deo volente mox sequentur. Si quæ seriùs obvenient, supplementis inserentur. Data est opera iis potissimum colligendis, quibus Jura moresque Gentium & locorum, tam historia sacra & profana, Geographia, Genealogia, Glossaria, augeri atque illustrari; & negotia publica tractantium usui, ceterorum etiam curiositati consuli possit.

DISSERTATIO I.

DE ACTORUM PUBLICORUM USU, ATQUE DE PRINCIPIIS JURIS NATURÆ ET GENTIUM PRIMÆ CODICIS GENTIUM DIPLOMATI PARTI PRÆFIXA.

I. De fœderum infirmitate. II. De historiâ publica, & arcana. III. Actorum publicorum tabulæ, sunt pars historiæ certissima. IV. De eorum usu insigni in historiâ. V. In jure gentium. VI. In Chronologiâ. VII. In Geographiâ. VIII. In Heraldicis. IX. In Genealogicis. X. In Glossariis. XI. De jure naturæ & gentium. XII. De tribus juris naturæ & gentium gradibus. XIII. De Pietate. XIV. De jure voluntario. XV. De Jure divino, positivo, Canonico & Romano. XVI. De juribus Ecclesiæ, & Conciliis. XVII. De jure Imperii. XVIII. & XIX. De origine Electorum. XX. De iis, qui personam juris gentium sustinent. XXI. De actionibus Juris gentium. XXII. Conclusio.

I. QUanquam scopus operis ex titulo, adjectoque monito, maximè verò ex Indice Diplomatum appareat; visum tamen est introductionem paulò ampliorem huic vestibulo convenire, ut de publicorum Actorum usu vero rectiùs pronuncietur, & qualia a nostra collectione expectari possint, etiam exemplis appareat; simul & veri juris naturæ gentiumque fontes digito indicentur. Equidem pueros nucibus ludere *Lysander* olim dicebat, senes juramentis; hodie verò de multis non injuriâ dixeris, a potentibus domi chartulis, in republicâ fœderibus ludi. Idque meritò reprehendimus, quum scilicet levitate vel cupiditate a pactis receditur: interdum tamen & bonis variandum est, quum aliena fides jure suspecta fit, neque *cautio damni infecti* præstatur. Hinc *Elementorum de cive* scriptor acutissimus judicabat *inter civitates diversas aut gentes perpetuum esse bellum*; non sanè prorsus absurdè; si modò ea doctrina non ad jus nocendi, sed ad prudentiam cavendi referatur. Ita fit, ut pax cum prævalido hoste, velut duorum gladiatorum respiratio sit, atque interdum ne quidem pro induciis valeat. Inde illud propè ridiculum contigit nostro tempore, ut induciæ fierent paulò post pacem, quod contra oportebat; nam facile est judicare qualem pacem esse oporteat, quæ induciis eget. Neque dubium est, iniquis conditionibus extortis stimulari pudorem succumbentis, victoris verò appetitum irritari. Itaque elegans nugator in Batavis cum more gentis signum pro domo suspendisset, *pacis perpetuæ*, pulchro titulo

tulo figuram *cœmeterii* ſubjecerat. Ibi ſcilicet mors quietem fecit. Et *Aitzema* clarus harum rerum notitia, etiam Epitaphio teſtatus eſt ſententiam:

Qui pacem quæris libertatemque, viator,
Aut nuſquam aut iſto ſub tumulo invenies.

Hæc ſcilicet rerum humanarum conditio eſt: & nonnunquam evenit pro ſitu regionum, aut facie temporum, ut Principi ſemper ſit bellandum, & tamen ſemper de pace fœderibuſque tractandum. Duobus aut tribus prope ſeculis nihil aliud Galli Anglique inter ſe ſe egere, donec Angli continente amiſſo excedentes theatro, locum Hiſpanis fecere. Quare idem poſtea *Carolo V.* Imperatori & *Franciſco I.* Galliæ Regi videmus contigiſſe, quorum tot extant tractatus, ut nullum credas habuiſſe bellandi tempus; tot verò hoſtiliter acta memorantur, ut nunquam pacem feciſſe videantur. Et vir egregius in his ſtudiis, Legati cujuſdam nuperi dictum me docuit, de magno & tota vita negotioſo Principe, facetum ſanè, quanquam totum latinè reddi non poſſet. *Hunc Principem lautè*, inquit, *vivere oportet, car il traite toujours*, Gallia certè inter regnandi hodie artes habet, ubi vix ictum intulit, ſtatim de pace verba facere; Ita ſimul & belli commoda percipiuntur, & ad pacifici animi laudem aſpiratur.

II. Erit fortaſſe, qui mirabitur, de infirmitate chartacei vinculi præfari, Tabulas & pacta edentem; judicabitque actis publicis exiſtimationem detrahi agnoſcendo, quam alia a rerum Dominis in occulto agitentur. Sed mihi ingenuè quod res eſt profiteri, & verum rei pretium ſtatuere conſilium eſt: diverſa enim quæſtio eſt, ſuum quæque momentum habens, quid actum ſit, & quo ſit animo actum. Deinde ex apertis occulta divinantur, & phænomena obſervanda ſunt, ut rationes apparentium inveſtigentur. Itaque libens fateor duplicem *Hiſtoriam* eſſe, unam *publicam*, alteram *arcanam* ſeu (*Procopii* verbo) *Anecdotam*; uti duplices bellorum cauſas *Grotius* agnovit, quas *juſtificas* aut *ſuaſorias* appellat. Quanquam meo judicio & *ſuaſoriæ* rurſus duplices ſint, nempe vel *utilitatis* vel *affectus*: neque enim ſemper vera conſilia prævalent, ſæpius Rex hominem quàm Regem agit, & levibus momentis magna vertuntur. Duæ autem ſunt *Hiſtoriæ leges*, ſed quæ æqualiter obſervari ambæ in utroque Hiſtoriæ genere non poſſunt. Nam Hiſtoriæ publicæ eſt, *nihil falſi dicere*; Arcanæ, præterea *nihil veri non dicere*; ut illa uno pede claudicare videatur. Sed ita poſtulat ratio rerum: & quemadmodum in forenſi controverſia multa per litigantes & ſollicitatores fiunt apud judices, quæ nuſpiam apparent in ſcripturis, neque in acta referuntur; quum & fœminarum blanditiæ, & auri ſplendor ſæpe plus legibus & teſtimoniis valeant: ita pleraque latent in potentum actis,

actis, causisque negotiorum, præsertim quum sæpe exigua & inobservata majorem opinione vim habeant. Sic fortè vox falsior relata vel ficta, Principis aut rerum Ministri animum pupugit, aculeumque reliquit; unde occulti stimuli odiorum & vindictæ, quæsitis in speciem coloribus velati. Et non rarò magnos rerum motus excitat generosum pectus, ideo tantùm, ut nescio quid refutet, quod in sui contemtum trahebat. Sæpè etiam unam noctem principis malè dormientis & inde consilia acerba ex præsenti animi vel corporis habitu capta, mox multa miserorum millia suo sanguine luerunt. Interdum muliebris impotentia maritum vel amatorem impellit; sæpius affectus ministrorum in Dominos contagio transferuntur. Et fatendum est, uti in scenico opere machinas apparere indecorum esset; ita Historiam aliquando nonnihil de pulchritudine amissuram; si causæ veræ semper cernerentur; apparetque Heroas subinde puerili studio, aut muliebri libidine aut etiam servili cupiditate egisse. Scilicet hominum gesta legimus, non Deorum; & sufficit ad decus ipsorum & documenta posterorum, multa graviter & fortiter & sapienter acta extare. Prava exempla interdum rectiùs ignorantur. Itaque nec facilè fides illis adhibenda est, qui de Principibus indigna narrant, sed occultiora; quæ a paucis nosci possunt, nec libenter a noscentibus memoriæ commendantur. Et tamen quum adulatoribus parum credatur, satyram scribentibus nimis pronæ præbentur aures. Et sunt Historici, qui pejores repræsentant homines quàm fuerunt; his tamen scriptoribus etiam commenta ingenii perinde ac si interfuissent, narrantibus, humana malignitas & occulta in potentes invidia auctoritatem facit. Accedunt populorum studia inter se adversa; & multa video passim apud Gallos ineptè fingi credique de *Carolo Quinto*, de *Ferdinandis*, de *Philippis*, quæ ex nescio quibus ramusculis, licentia scribendi, in Historiam irrepsere. Vicissim Germani Hispanique libenter credunt, quicquid de *Ludovico XIII.* contemtim, de *Richelio* verò & *Mazarino* administris pene supra humanam malitiam narratur: quamvis nec ille tam pusillus fuerit, nec isti tanti in utramvis partem. Itaque valdè infida Historia est, nisi quæ commentariis magnorum virorum, aut Actis publicis, superstruitur.

III. Sunt igitur *Actorum publicorum Tabulæ pars Historiæ certissima*, quibus perinde ac Numismatibus, & lapidum Inscriptionibus, rerum fides transmittitur posteritati. Et reperta Typographia factum est, ut tutius chartæ quàm saxis aut metallis credas. Quàm multa enim fœdera vel decreta veterum, quanquam æneis laminis vel lapidibus insculpta, periisse putandum est? quàm pauca in *Arundelianis* aut aliis marmorum fragmentis servata visuntur? sed levem chartam, repertis typis, facilitas multiplicandi defendit. Sunt autem fœderum, pacificationum, concessionum Tabulæ, velut pax illi, quibus statuminatur moles atque interstinguitur ædificium Historiæ. Nam post multa nequicquam acta armis,

poſt ſanguinem fuſum, poſt conſumtas Politicorum artes, fructus belli in pace eſt: nec tam ex prœliis aut obſidionibus, quàm ex pacificationum Tabulis apparet, quantum quiſque peregerit. Uti cùm a ludo ſurgendum eſt, dinumeratis notulis lucrum cujuſque aut damnum apparet, ſuſpenſo eo uſque exitu. Poſt diuturnam Auſtriacorum cum Gallis concertationem, pace Cambreſina *Henricus Franciſci* filius *Philippi Carolo* nati fortunam propè ducentorum locorum reſtitutione agnovit, & longi belli ſumma collecta velut ſubductis rationibus prodiit. Sed & nova exinde rerum facies apparere ſolet; & cùm Vervinenſi tractatu alius *Henricus* eundem *Philippum* verſorum in contraria fatorum admonuiſſet, tum maximè Europa in æquilibrio conſtitui viſa eſt: quod mutavit deinde potentia *Ferdinandi II.* ſed parum diuturna, inclinante mox ad Suecos victoria: poſtremo Weſtphalica & Piranea pace Gallorum res ſuperior evaſit; ex quo in unius *Ludovici* magnitudinem naturæ fortunæque dona confluxere. Sed nunc iterum deliberant fata, poſtquam hinc Anglia alteri parti acceſſit, ſub *Guilielmo* Rege, a cujus efficace genio expectatur Europæ reſtitutio: illinc Turca magnis antea cladibus gloriæ *Leopoldi* ſerviens, vires inſtaurat. Eventum tanti belli proxima demum pace ſciemus.

IV. Ex his intelligitur, *Tabulas Actorum* non minùs curioſo, quàm negotioſo lectori *prodeſſe ad cognoſcenda rerum geſtarum potiſſima momenta.* Sanè qui Rempublicam tractant, in iſtis Monumentis invenient exemplaria, quæ inſpiciant, & ubi artes ſuas vel cum voluptate agnoſcant, vel cum fructu augeant, cautioneſque & formulas obſervent, quæ gentium juri & publico uſui accommodantur: & quod caput eſt, habent in iſtis exempla & auctoritates, quibus in novis ad tractandum congreſſibus inſtrui, & in certaminibus ſententiam tueri poſſint. Neque aliud crebrius invenias in Legatorum commentariis, quàm ut ad acta interiora provocetur. Scio, Miniſtris Regum talia in theſauris fuiſſe, & pro Oraculis conſulta; neque ex editione aliquid bonitati decedet, etſi pretium homines raritate metiantur. Privati autem, quos ad hæc inſpicienda curioſitas impellet, quum aliquando magnam vim Tabularum ſelectarum intuebuntur, in Archivum admiſſi ſibi videbuntur, quaſi in negotiorum partem veniſſent. Quod non eo dico, quaſi hæc noſtra tentamenta tanti putem, ſed, quod ſperem, excitatum iri alios ad ſuppeditanda majora, inſigni in publicum emolumento. Nec tantùm variæ hic apparent rerum humanarum facies, prout *Mars Venus*ve gentibus favit, & victoriis & matrimoniis imperia ampliata ſunt; ſed & intueri licet magnarum rerum origines in ipſo fonte. Jucundum etiam eſt ad ſolennia admitti, ritus obſervare, mutationes rerum, formularum, morum, jurium ab aliquot ſeculis agnoſcere; & in ipſa veterum ſimplicitate & ſolœciſmis, humani ingenii & linguarum viciſſitudines mirari.

V. Sed ut uſum ſummatim comprehendam, *proſunt iſta ad politicas artes*,

artes, ad Historiam, ad eruditionem reliquam, sed imprimis ad intelligenda Gentium jura. De politicis artibus jam diximus, quæ in occulto latent sub tractatuum schemate; sed plerumque in lucem protrahuntur, si Historiarum seriem scriptoresque prudentes adjungas. Ita fiet, ut Historici & Actorum Tabulæ sibi mutuo lucem fœnerentur & reddant. Et verò experiuntur illi, qui in argumento aliquo publico tractando studium collocant, & Principum jura scrutantur, quam *laboret Historiæ fides, nisi acta inspiciantur*: usque adeo mutata est scena rerum ab autoribus, qui sua ex rumoribus, non ex Tabulariis sumsere. Vel unum afferam *Henrici Leonis*, Bavariæ Saxoniæque Ducis exemplum, quem *Fridericus* primus Imperator evertit & feudis privavit; qua de re miræ ab autoribus narrantur fabulæ, sed inspecto monumento insigni, quod nobis Coloniensis servavit Ecclesia, nugæ illæ velut nebulæ a sole dissipantur. Itaque passim hic origines acquisitionum aliarumve mutationum exhibemus: Veluti quomodo Gallia Lugdunensem tractum Delphinatumque sibi adjunxerit; quomodo Angli Andegavensi & Turonensi Comitatu atque Normannia, deinde & Aquitania exciderint; quomodo contra in Caleti & Guinarum ditione jus, absolutum a feudali nexu, acquisierint Bretigniaca pace, qua *Johannes*, Galliæ Rex, captivitatem exuit. Sic damus Tabulas *Johannæ* Reginæ, quibus Avenio pervenit ad Pontificem Romanum: Restitutionem Rossilionis a *Carolo VIII.* Galliæ Regi Barchinonensi fœdere Hispanis factam, ut liberius expeditionem Italicam aggrederetur: Translationem juris *Charlotæ*, Reginæ Cypri, in Sabaudiæ Ducem: Conventionem *Friderici* Imperat. cum *Matthia Corvino*, qua jacta sunt fundamenta quæsiti posteris in Hungariam dominatus: tum varias Ducatuum, quin & Regnorum rectiones: antiquissima Helvetiorum inter se pariter & cum aliis fœdera, aliaque id genus. Passim etiam fabulæ exploduntur, ut quod de conculcato a Papa *Friderico I.* Cæsare narratur, fatis ipsa *Alexandri III.* Epistola, & rerum tunc gestarum monumenta refellunt, sed ea non attulimus, quod fatis obvia sunt. Opinio invaluit, *Henrico VII.* Imperatori venenum fuisse datum in sacra Eucharistia, sed Epistola filii *Johannis*, Bohemiæ Regis, in id ipsum scripta, Dominicanos absolvit, quam *Stephano Baluzio* debeo, excellentis doctrinæ Viro, quum eam jam in MSo quodam Chronico vidissem citari.

VI. Et talia quidem fortasse erunt ad palatum Eruditorum, quemadmodum, & alia, quæ passim notatu digna occurrunt. Sic Chronologia temporum notationibus vel datis Literarum (ut vulgo vocamus) staminatur: nec utile est observare ad solvendos nodos, quibus populis incarnationis aut nativitatis æra, vel alia etiam computandi ratio, fuit recepta. Vide in exemplum mentionem moris Gallicani in dipl. 73. §. 5. computationis Romanæ dipl. 99. §. 5. cursus Pisarum dipl. 118. §. 18. styli & consuetudinis Mediolani dipl. 126. styli Hispaniæ dipl. 142. tempusque novissimorum concordatorum Germaniæ dipl. 158.

VII. Erunt & quæ *Geographis* placebunt veluti quæ de Insulis *Canariis* inter Castellæ & Lusitaniæ Reges pacta sunt dipl. 195. quæ de *Meridiani* separatoris ductu, in diplomate 203. de *novo orbe* ab *Alexandro VI.* Castellanis dato: aut quæ de *Chinea & Nigro fluvio* in concessione Lusitanis facta memorantur dipl. 165; unde apparet jam tum Nigrum habitum pro Nili ramo; de quo etsi amplius deliberandum censeam dignissima tamen consideratu attulit *Jobus Ludolphus* V. Cl., qui latè fusam eruditionem ad res Æthiopicas nobis detegendas applicuit. Hac autem occasione jucundum erit notare, quod ex dipl. prod. 17. apparet, *Christophorum Columbum* sub *Ludovico XI.* stipendia mari meruisse, & navibus Siculorum captis per fecialem Regis Siciliæ fuisse accusatum. Observari etiam merentur, quæ de *Castri rubei Insula* prope Rhodum habentur, quam Regi Siciliæ concessit Papa *Nicolaus V.* dipl. 160. aut de *nova militia* contra Turcas, quam in *Lemno Insula* collocare *Pio II.* consilium erat, ut Hellespontum premeret de propinquo, dipl. 75. Provinciæ Pontificii Dominatus, sive ut loquuntur vulgo Status Ecclesiastici in dipl. 106. §. 5. ita distinguuntur a *Clemente* in sua obedientia dicto VII. anno 1582, ut de parte earum, præsertim ad mare Adriaticum, novum *Regnum Adriæ* Ecclesiæ feudale instituat, in favorem *Ludovici* Andegavensis, Regis Galliæ fratris: Pontifici autem servet Romam cum suo districtu, & Provinciis S. Petri in Tuscia, Campania & maritima ac Sabina, quæ *terræ specialium Commissionum* vocantur. Sed nequicquam liberalem fuisse apparet de eo, quod æmulus tenebat. Dignum etiam observatu est, quod Normannia a Francia distinguitur dipl. 4. contra Saxonia pro tota Germania accipitur diplom. 10. §. 1. quod Italis veteribus non esse infrequens, alibi notavimus. *Belli marini Regem* inter Mauros imperitantem & formidatum Hispanis, sed prope incognitum scriptoribus, deteget dipl. 80. de quo in Manuscripto Anglicarum rerum Chronico hæc verba lego: *Le Roy* Guillaume (*le Conquérant*) *allant en Normandie allencontre de* Robert *son fils, un vent le détourna de son droict chemin & le mena par force arriver en Grenade, où il y avoit alors grande assemblée de Chrestiens contre les Sarrasins; & par l'aide du Roy* Guillaume, *qui y survint si à point, les Sarrasins furent desconfits, & les Chrestiens eurent victoire sur les Rois de Barbarie, de Bel marin, de Bougie, & de Grenade.*

VIII. Qui *Heraldica* amant, invenient non tantùm *solennium* descriptiones, ut in Epistola *Johannis* Regis Galliæ de institutione militum stellæ Dipl. 90. aut in coronatione Regis Siciliæ *Ludovici* Andegavensis a Papa ipso Avenione peracta, Dipl. 107. aut etiam in nonnullis Investiturarum & Diffidationum descriptionibus; sed & insignium explicationes. Ita *Johannæ* Reginæ & Mariti *Sigilla* describuntur Dipl. 104. *Ludovici Bavari* Sigillum Dipl. 81. Et huic Imperatori audio a Viro, in hoc studio insigniter versato, originem bicipitis Aquilæ tribui; hic tamen

tamen binæ quidem Aquilæ adhibitæ sunt, sed non conjunctæ in unum corpus.

IX. Nec minus *Genealogi* habebunt unde suas tabulas emendent, firment vel locupletent: Matrimonia *Austriacorum* tractata (præter Scoticum dipl. 151.) cum Regia Galliæ familia, leguntur dipl. 22, 26, 140 & *Palatinum* quoque, sed credo in herba interceptum, dipl. 103. ubi mirabere tot in uno loco *Rupertos* inter se diversos, quorum unus (qui dicitur Pater infantis) postea factus est Rex Romanorum. Sed & passim testes nominati in diplomatibus, aut Legati vel Procuratores ad tractatus, usui illis erunt, qui familias illustres describunt; neque ad hæc minutiora nunc descendam: duo tamen hic memorabo, unum de *Ciceronum gente*, alterum de *Castrucii* familia. Videas in inscriptione diplomatis 10 nominari quendam *M. Obelium Ciceronem*, qui tabulas pacis inter *Fridericum II.* Imp. Siciliæ & Neapoleos Regem, & *Abbuissac* Principem Saracenorum Africæ ex Arabico vertit, sanè parum Ciceronianè. Notavit autem & *Joh. Mabillonius* Benedictini ordinis vir facilè doctissimus in Itinerario suo Italico quendam *M. Ciceronem* tempore *Gregorii Magni* Monachum Misenatem fuisse; & num apud Puteolos nomenclatores peregrinorum, credo quod verbis valent, *Ciceronum* appellationem sibi sumsere. De *Castrucio* observatu dignum est, *Machiavellum* in vita ejus, insignem de origine viri fabulam narrasse nobis. Nam, si ipsi credimus, incertos parentes habuit, expositusque & a sacerdote quodam educatus, Ecclesiastico muneri destinabatur: quod aversatus puer, tantùm militaria amabat, jamque inter æquales, ut alter *Cyrus* Regem agebat; quum animadversa ejus indole civis quidam inter Lucenses nobilis, *Franciscus Guinigius*, in domum suam recepit, & ad militiæ tyrocinia produxit; ubi ita eminuit virtus adolescentis, ut denique magnis rebus gestis ad summam fortunam pervenerit. Noluisse autem uxorem ducere, ut opes omnes benefactoris suo filio *Paulo Guinigio* relinquere posset; sed hunc tuendæ potentiæ imparem fuisse. Hæc *Machiavellus*, ut, *Xenophontis* imitatione, Heroicam quandam ideam potiùs, quàm veram Historiam nobis daret: nec ipse dissimulat, voluisse exemplo illustri excitare Italos ad antiquam virtutem, excutiendumque externorum jugum: nam *Castrucium* futurum fuisse Italiæ liberatorem arbitratur, si vixisset; quanquam ea res parum verisimilis videatur temporum conditionem intuenti. Ceterùm ex diplomatum nostrorum inspectione omnia alia apparent, quàm ille nobis narrat. Fuit *Castrucius* ex illustri & inter Lucenses patricios primaria gente *Anterminellonorum*, quos parum civilia jam tum agitantes, urbe pulsos domibus combustis refert *Ptolemaus* Lucensis ad ann. 1300. Ex his demum *Castrucius* Gibellinorum studiis sublevatus ad urbis principatum pervenit, & virtute sua favorem Imperatoris *Ludovici* promeruit. Ceterum uxorem & liberos habuisse, atque etiam reliquisse, rur-

ſus ex tabularum fide conſtat, quod etiam Hiſtorici fide digni confirmant.

X. *Gloſſaria Mixobarbari ſermonis* etiam poſt maximos *Caroli du Cange* labores incrementa ex noſtris iſtis capere poſſunt, verbi gratia quod de Eſpaviis dicitur dipl. 191. lucem Ducangianis fœnerabitur. Quum *Murtre* in teſtamento *Philippi Auguſti* Galliæ Regis dipl. 3. inveniam, pro *multrario*, ibidem *murtrarium* lego, id eſt homicidam. *Faraneam* pro more vel conſuetudine (*façon*) accipi apparet diplom. 123. §. 9, 10. Domini dicuntur Principes, *Dompni* Eccleſiaſtici in dipl. 13. Sed video alibi promiſcuè uſurpari: & talia quidem multa congeri poſſent, unum notabo; *rogandi* vocem de Inſtrumentis Notariorum uſurpatam poſterioribus ſcriptoribus quod Notarii rogentur. Ita quum Dux Sabaudiæ Arimini & Urbini Dominis duellum in ſua ditione permiſiſſet diplomate 173 dicitur id factum Inſtrumento ſuper hoc *rogato* & confecto, quod notare operæ pretium eſt, quia hinc *Diplomata* Italis *Rogiti* dicuntur. De *Monetis* quoque nonnulla occurrent, veluti de Marcæ Sterlingorum valore in conventione inter *Philippum* Galliæ & *Henricum* Angliæ Reges anno 1200 dipl. 6. §. 2. *Res marina* antiquorum & vetus, ſtructura navium ante repertam rem tormentariam, & rei nauticæ vocabula, illuſtrabuntur ex contractu cum Venetis de *Ludovici Sancti* exercitu in Palæſtinam transportando dipl. 16. Linguæ etiam Gallicæ Anglico-Normanicæ ſtudioſi non pauca obſervabunt: Video olim Gallicam linguam Italicæ, ut Italicam Latinæ quàm nunc viciniorem fuiſſe. Miramur, unde illud, *de par le Roy*, hoc eſt, *de la part du Roy*. Sed videas olim nihil frequentius hoc articuli abuſu, ut *homme le Roy*, idem eſſet, quod *homme du Roy*; & omnino apparet ante aliquot ſecula linguam nondum ad Grammaticæ regulas exactam fuiſſe. Pro monſtro etiam hodie forent, *lox* pro lege, *Diex* pro Deo, *Cuens* pro comite; *fors paiſes*, abſens; *greigneur*, major, id eſt, grandior, aliaque quorum hic ſeges habetur.

XI. Sed præſtat de uſu hujus operis ad Gentium jura, deque ipſo *Jure Naturæ & Gentium* dicere paulo uberius, nam & Codicem Juris Gentium Diplomatici inſcribere viſum fuit, tanquam huc potiſſimum dirigeretur. Juris doctrina arctis a natura incluſa limitibus, humano ingenio in immenſum diffuſa eſt. *Juris* & *Juſtitiæ* notiones, etiam poſt tot præclaros ſcriptores, neſcio an ſatis liquidæ habeantur. Eſt autem *jus* quædam potentia moralis, & *obligatio* neceſſitas moralis. *Moralem* autem intelligo, quæ apud Virum bonum æquipollet naturali: Nam ut præclarè juriſconſultus Romanus ait, *quæ contra bonos mores ſunt, ea nec facere nos poſſe credendum eſt. Vir bonus* autem eſt, qui amat omnes, quantum ratio permittit. *Juſtitiam* igitur, quæ virtus eſt hujus affectus rectrix, quem φιλανθρωπίαν Græci vocant, commodiſſimè, ni fallor definiemus caritatem ſapientis, hoc eſt, ſequentem ſapientiæ dictata. Itaque quod *Carneades* dixiſſe fertur, juſtitiam eſſe ſummam ſtultitiam, quia alienis

alienis utilitatibus consuli jubeat, neglectis propriis; ex ignorata ejus definitione natum est. *Caritas* est benevolentia universalis, & *benevolentia* amandi sive diligendi habitus. *Amare* autem sive diligere est felicitate alterius delectari, vel quod eodem redit, felicitatem alienam adsciscere in suam. Unde difficilis nodus solvitur, magni etiam in Theologia momenti, quomodo amor non mercenarius detur, qui sit a spe metuque & omni utilitatis respectu separatus: scilicet quorum utilitas delectat, eorum felicitas nostram ingreditur, nam quae delectant, per se expetuntur. Et uti pulchrorum contemplatio ipsa jucunda est, pictaque tabula *Raphaelis* intelligentem afficit, etsi nullos census ferat, adeo ut in oculis deliciisque feratur, quodam simulacro amoris; ita quum res pulchra simul etiam felicitatis est capax, transit affectus in verum amorem. Superat autem *divinus amor* alios amores, quos Deus cum maximo successu amari potest, quando Deo simul & felicius nihil est, & nihil pulchrius felicitateque dignius intelligi potest. Et quum idem sit potentiae sapientiaeque summae, felicitas ejus non tantùm ingreditur nostram, (si sapimus, id est, ipsum amamus) sed & facit. Quia autem sapientia caritatem dirigere debet, hujus quoque definitione opus erit. Arbitror autem notioni hominum optimè satisfieri, si *sapientiam* nihil aliud esse dicamus, quàm ipsam scientiam felicitatis. Ita rursus in felicitatis notionem revolvimur, quam explicare hujus loci non est.

XII. Ex hoc jam fonte fluit *jus naturae*, cujus tres sunt *gradus*: *Jus strictum* in justitia commutativa; *aequitas* (vel angustiore vocis sensu *caritas*) in justitia distributiva; denique *pietas* (vel probitas) in justitia universali: unde neminem laedere, suum cuique tribuere, honestè (vel potiùs piè) vivere totidem generalissima & pervulgata *Juris praecepta* nascuntur; quemadmodum rem adolescens olim in libello de Methodo Juris adumbravi. *Juris* meri sive *stricti* praeceptum est, neminem *laedendum esse*, ne detur ei in civitate actio, extra civitatem jus belli. Hinc nascitur *justitia*, quam Philosophi vocant *commutativam*, & jus quod *Grotius* appellat *facultatem*. Superiorem gradum voco *Aequitatem*, vel si mavis *caritatem* (angustiore scilicet sensu) quam ultra rigorem juris meri, ad eas quoque obligationes porrigo, ex quibus actio iis, quorum interest, non datur, qua nos cogant; veluti ad gratitudinem, ad Eleemosynam; ad quae *Aptitudinem*, non facultatem habere *Grotio* dicuntur. Et quemadmodum infimi gradus erat, neminem laedere, ita medii est, cunctis prodesse, sed quantum cuique convenit, aut quantum quisque meretur, quando omnibus favere non licet. Itaque hujus loci est *distributiva* justitia, & praeceptum juris, quod *suum cuique tribui* jubet. Atque huc in Republica politicae leges referuntur, quae felicitatem subditorum procurant, efficiuntque passim, ut qui aptitudinem tantùm habeant, acquirant facultatem, id est, ut petere possint, quod aliis aequum est praestare. Et

quum

quum in gradu juris infimo non attenderentur discrimina hominum, nisi quæ ex ipso negotio nascuntur, sed omnes homines censerentur æquales; nunc tamen in hoc superiore gradu merita ponderantur, unde privilegia, præmia, pœnæ, locum habent. Quam graduum juris differentiam eleganter *Xenophon* adumbravit, *Cyri* pueri exemplo, qui inter duos pueros, quorum fortior cum altero vestem per vim commutaverat, quod suæ staturæ togam alienam aptiorem reperisset, suam togam staturæ alienæ; judex lectus, pro prædone pronunciarat: sed a Rectore admonitus est, non quæri hoc loco, cui toga conveniret, sed cujus esset; usurum aliquando rectiùs hac judicandi forma, quum ipsemet togas distribuendas esset habiturus. Nempe ipsa æquitas nobis in negotiis jus strictum, id est, hominum æqualitatem, commendat, nisi cùm gravis ratio boni majoris ab ea recedi jubet. Personarum autem, quæ vocatur acceptio, suam non in alienis bonis commutandis, sed in nostris vel publicis distribuendis sedem habet.

XIII. Supremum juris gradum probitatis vel potiùs *Pietatis* nomine appellavi. Nam hactenus dicta sic accipi possunt, ut intra mortalis vitæ respectus coerceantur. Et jus quidem merum sive strictum nascitur ex principio servandæ pacis; æquitas sive caritas ad majus aliquid contendit, ut, dum quisque alteri prodest, quantum potest, felicitatem augeat in aliena; &, ut verbo dicam, jus strictum miseriam vitat, jus superius ad felicitatem tendit, sed qualis in hanc mortalitatem cadit. Quod verò ipsam vitam, & quicquid hanc vitam expetendam facit, magno commodo alieno posthabere debeamus, ita ut maximos etiam dolores in aliorum gratiam perferre oporteat; magis pulchrè præcipitur a Philosophis, quàm solidè demonstratur. Nam decus & gloriam, & animi sui virtute gaudentis sensum, ad quæ sub honestatis nomine provocant, cogitationis sive mentis bona esse constat, magna quidem, sed non omnibus, nec omni malorum acerbitati prævalitura, quando non omnes æquè imaginando afficiuntur; præsertim quos neque educatio liberalis, neque consuetudo vivendi ingenua, vel vitæ sectæve disciplina ad honoris æstimationem, vel animi bona sentienda assuefecit. Ut verò universali demonstrationi conficiatur, omne honestum esse utile, & omne turpe damnosum, assumenda est immortalitas animæ, & rector universi DEUS. Ita fit, ut omnes in Civitate perfectissima vivere intelligamur, sub Monarcha, qui nec ob sapientiam falli, nec ob potentiam vitari potest; Idemque tam amabilis est, ut felicitas sit tali Domino servire. Huic igitur qui animam impendit, Christo docente, eam lucratur. Hujus potentia providentiaque efficitur, ut omne jus in factum transeat, ut nemo lædatur, nisi a se ipso, ut nihil rectè gestum sine præmio sit, nullum peccatum sine pœna. Quoniam, uti divinè a CHRISTO traditum est, omnes capilli nostri numerati sunt, ac ne aquæ quidem haustus frustra datus

datus erit sitienti, adeo nihil negligitur in Republica universi. Ex hac consideratione fit, ut *Justitia universalis* appelletur, & omnes alias virtutes comprehendat; quæ enim alioqui alterius interesse non videntur, veluti ne nostro corpore aut nostris rebus abutamur; etiam extra leges humanas, naturali jure, id est, æternis divinæ Monarchiæ legibus utantur, quum nos nostraque Deo debeamur. Nam ut Reipublicæ, ita multo magis Universi interest, ne quis re sua malè utatur. Itaque hinc supremum illud juris præceptum vim accepit, quod *honestè* (id est *piè*) *vivere* jubet. Atque hoc sensu, rectè a viris doctis inter desiderata relatum est, jus naturæ & Gentium traditum secundùm disciplinam Christianorum, id est (ex Christi documentis) τὰ ἀνώτερα, sublimia, divina sapientum. Ita tria juris præcepta, tresve justitiæ gradus, commodissimè explicasse nobis videmur, fontesque juris naturalis designavisse.

XIV. Præter æterna naturæ rationalis jura ex divino fonte fluentia *jus* etiam *voluntarium* habetur, receptum moribus, vel a Superiore constitutum. Et in Republica quidem jus civile ab eo vim accepit, qui summam potestatem habet; extra Rem publ. vel inter eos, qui summæ potestatis participes sunt (quales interdum plures sunt etiam in eadem Republica) locus est juri Gentium voluntario, tacito populorum consensu recepto. Neque verò necesse est, ut sit omnium gentium, vel omnium temporum; quum in multis arbitrer aliud Indis aliud Europæis placere, & apud nos ipsos seculorum decursu *mutari*, quod vel hoc ipsum opus indicare potest. Unum nunc exemplum suffecerit: quis hodie admittat, vel exigat, quod olim inter Principes in fœdera coeuntes satis receptum erat, ut primarii barones, urbesve pro Dominis non tantùm fidejuberent, sed etiam, uti hodie loquimur, garantiam promitterent; ita ut cum suis pro altera parte contra Dominum stare deberent, qui fidem abrupisset? Unde apparet minùs ampla olim credita regnandi jura. In Conventione inter *Philippum* Galliæ, & *Johannem* Angliæ Reges anno Christi 1200. dipl. 10. Vasalli utriusque partis promittunt cum omnibus fœdis suis venire ad alteram, si Dominus pacta conventa non servet. Idem alias factum est, ut pro inani verborum formula atque insolente habere non debuerit nuper, vir in Historia civili eleganter doctus, quod in Atrebatensi pace anni 1430. inter *Carolum VII.* Galliæ Regem & *Philippum Bonum*, Burgundiæ Ducem, in eundem sensum constitutum erat. Nam quod ille negat hæc subditis convenire, ex nostrorum temporum disciplina est. Ipse Papa consultus aliquando, Regi Galliæ acceptanti similem pacis conditionem injunxerat; ut Vasalli Coronæ promitterent, non adesse Regi Flandriam invasuro. Et ab aliis demonstratum est, regna plerumque antiquis temporibus semihæreditaria fuisse, ut subditi jus eligendi inter hæredes habere sibi viderentur, aliaque id genus, quæ a jure gentium nostri temporis Europæo abhorrent. Futa-

batur olim ante belli denunciationem aut diffidationem renuntianda esse fœdera, & homagia ipsa remittenda; alioqui diffidatio non rectè facta erat, vide dipl. 41. & dipl. 115. §. 5. Aliaque multa juris esse credebantur, quæ nunc ab usu recessere.

XV. Habent autem Christiani aliud quoque vinculum commune *jus*, scilicet *divinum positivum*, quod in sacris continetur. Quibus accedunt sacri canones, tota Ecclesia recepti, & postea in Occidente Pontificia jura, submittentibus sese Regibus populisque. Et in universum (nec sanè præter rationem) ante superioris seculi schisma, placuisse diu video, ut quædam gentium Christianarum Respublica communis intelligeretur, cujus capita essent in sacris Pontifex Maximus, in temporalibus Imperator Romanorum; qui & de veteris Romanæ Monarchiæ jure retinuisse visus est, quantum ad commune Christianitatis bonum opus esset, salvo jure Regum, & Principum libertate. Unde *Gregorius VIII.* Papa ad *Henricum VI.* Regem Romanorum scribens de Ecclesiæ & Imperii concordia (dipl. 4. Prodromi) cavendum esse monet, ne *populus christianus* per contrarias voluntates eorum, *quibus principaliter commissus est gubernandus*, sperata utilitate frustretur. Et *Sigismundus* Imperator Vicariatum quendam Imperii Sabaudiæ Duci concedens anno 1412. dipl. 124. §. 1. æterni Regis dispositione se quamquam immeritum *ad totius Orbis Regimen* vocatum ait. Constat eundem in duobus Conciliis totius Occidentis externo quodam directorio præfuisse; & quum abesset, vices suas gerentem, vel (ut tunc loquebantur) protectorem Synodi reliquisse, qualis in Basileensi Concilio erat *Johannes* Comes de *Thierstein* dipl. 145. §. 2. Itaque *Pius II.* Papa quum bellum in Turcas ad recuperandam Constantinopolin moliretur, *Friderico* Imperatori Mantua 12. Januar. anno 1460. scribit, ad ipsum ex Jure Imperii pertinere, ut toti Exercitui Christiano præesset: De Duce ad tantum bellum cogitantibus tu nobis, inquit, occurristi, cui tantum munus ex officio Imperiali debitum censeatur, cui omnes gentes parere & subesse non dedignentur, dipl. 180. §. 2. Et mox: Cæsarea dignitas ex debito hoc tibi imponit §. 3. Itaque *Ducem ac Capitaneum generalem* exercituum generalium & particularium in auxilium defensionemque Christianorum per quoscunque Reges, Potentatus, & Principes mittendorum declarat; ita ut si ipse adesse non possit per alium Vice-Capitaneum, quem virtute & factis insignem ex Principibus nationis Germanicæ duxerit eligendum, bellum administrare possit. Unde auctor libri de jure suprematus meritò dixit: *Imperatorem esse Ducem natum Christianorum contra infideles.* Advocatus quoque sedis Romanæ & universalis Ecclesiæ sæpissime appellatur Imperator, ut vel ex hoc opere compluribus exemplis prolatis doceri potest. Itaque ob illam quoque connexionem gentium Christianarum, quæ ex veteri Romanorum potentia superfuerat, factum esse vide-

videtur, ut Leges Romanæ prope instar juris Gentium communis haberentur. Unde Angli, qui suas domi proprias habent, tamen quum exteris jus dicunt, Romanas censent sequendas. Et Principes liberos in contractibus & fœderibus in testamentis aliisque Juris Gentium vel publici actibus easdem observare solitos, ex hoc ipso Codice nostro passim apparet; ita ut interdum in formulis juris *nimii* videri possint. Ita video obligasse sese Imperatores & Reges sub hypotheca omnium suorum bonorum & Regnorum; & *Ludovicus* Bavarus rerum suarum & Imperii hypothecam *Philippo Valesio*, Galliæ Regi, in fœdere constituit anno 1337. dipl. 75. nec dubium est, idem vicissim a *Philippo* factum. Cum eodem *Philippo* tractans *Johannes* Rex Bohemiæ de Lucensi civitate, læsioni ultra dimidium renuntiat, 1334. dipl. 73. §. 4. *Carolus II.* Rex Siciliæ dipl. 31. in testamento Falcidiæ & Trebellianicæ detractionem prohibet. Alibi non contenti renuntiare legum auxiliis, etiam renuntiant glossis & summis.

XVI. Sed ut hæc supervacuæ Notariorum cautelæ tribuamus, *Ecclesiæ* tamen *jura* manifestiùs ad omnes porrigi censebantur. Itaque ad Codicem nostrum pertinere judicavimus nonnulla, quæ ad Papam & Concilia referuntur. Quorum ita visa est ad omnes extendi jurisdictio, ut etiam qui Papæ judicium declinabant, tamen Concilium appellarent. Et fatendum est profuisse interdum Pontificum Romanorum curam pro canonibus & Christiana disciplina, dum illi apud Reges opportunè, importunè instantes, sive autoritate muneris, sive metu censurarum Ecclesiasticarum, multis malis obices ponebant. Et nihil fuit frequentius, quàm ut se Reges in fœderibus censuræ & correctioni Papæ submitterent; uti in pace Bretigniaca 1360. §. 36. in fœdere ad Stapulas 1492. §. 28. sed ut in corruptionem proclives sunt res humanæ etiam optimae, nimis cœpere Pontifices fimbrias extendere, & potestate uti licentiùs. *Innocentius III. Philippum Augustum* bello in Angliæ Regem abstinere jussit, & quum Rex se judicio Parium in Vassallum tueretur, vid. dipl. 7. respondit Papa, suam non de feudo sed de peccato cognitionem esse. Sed quis non videt hoc titulo omnes omnium judicum sententias ipsius revisionem passuras? Ut de denario *S. Petri* in Anglia, de Insula Mona a *Reginaldo* dicto Rege, Pontifici in feudum oblata (dipl. n. 6. Prodromi) de Siciliæ regno, de *Mathildis* hæreditate ab Imperio avulsa, nihil dicam. Eo res devenerat, ut Papa vacante Imperio jura ejus ad se rediisse diceret; quo titulo in Hetruria Vicarium Imperii *Carolum Andegavensem*, Siciliæ Regem, constituit; & loco Imperatoris sibi potestatem arrogavit confirmandi, quæ de Comitatu Provinciæ (Imperii adhuc jura agnoscente) *Johanna* Regina in adoptione *Ludovici Andegavensis* statuerat, dipl. 105. Etiam Episcoporum officiales, aliosque Ecclesiasticos Judices, non perjuria tantùm & matrimonia, sed & generali peccati

 obtentu

obtentu caufas pecuniarias inter Laicos ad fuum forum traxiffe, agnofcimus ex querelis *Philippi Valefii* & Baronum regni Franciæ, idque ita mordicus defendiffe, ut, hoc fublato, omnia Ecclefiæ jura tolli dictarent, vid. dipl. 67. §. 9. Unde in fœdere Helveticorum cautum reperio, ne ex talibus caufis ad Ecclefiafticum judicem iretur, dipl. 89. §. 7. His cleri attentatis factum eft, ut poftremò, qui nimia affectabant, etiam jufta amitterent, quæ retinere ipfos è re Chriftiana fuiffet. Habebuntur hic & alia Ecclefiaftica notatu digna, veluti, quod ordines quidam militares Lufitaniæ abfoluti funt a voto caftitatis; commutato in *votum continentiæ matrimonialis*, ut loquitur Pontifex, dipl. 204. fed rationes ejufmodi funt, ut ad multos alios facri ordinis porrigantur. Eoque magis mirandum eft, poftea *Philippum II.* pro iifdem regnis contraria omnia cenfuiffe. Scilicet interdum fatemur mala noftra & vitia, interdum premimus, quum alii exprobarunt. Memorabile etiam videtur, quod ex dipl. 196. apparet, Saracenos in Hifpania fub *Ferdinandi* Catholici ditione publicum exercitium ritus fui, probante Papa, habuiffe; tantum vetitos, *Mahumedis* nomen clara voce proclamare de faftigiis Mofchearum.

XVII. Placet etiam *de Jure Imperii* quædam adhuc notare, quum in Germania hæc edamus. Sacri Imperii nomen Romano foli tribui atque inde *Sacræ Majeftatis* appellationem in folenniore fenfu Imperatori propriam habitam, alibi notavimus. Idque & in noftris iftis apparet, adeo ut in duorum magnorum Regum Galli & Angli tractatu ad ftapulas fupra Mare 1492. diplom. 201. §. 17. & 18. Rex Galliæ Chriftianiffimus appelletur, alii Reges fereniffimi, Principes potentiffimi, Imperatori foli facræ Imperialis Majeftatis titulus adfcribatur. Nam quod idem Epitheton Sacræ Majeftatis & aliis fubinde attribuitur, ita accipiendum eft, quemadmodum quum alicubi Imperatores Chriftianiffimi dicuntur, vel Catholici, & uti in fœdere inter *Carolum VII.* Galliæ & *Johannem II.* Caftellæ Reges pacto, ann. 1434. dipl. 142. §. 2. & 3. uterque Rex fereniffimus fimul & Chriftianiffimus nominatur. Notabimus etiam Comitatum vel Marchiam Provinciæ diu adhuc Imperium Romanum recognoviffe; nam non tantùm *Rudolphus* Imperator de fucceffione in ipfo pronunciavit dipl. 15. Prodromi, fed & multo poft ann. 1380. dipl. 105. Imperii nomine confirmata fuit *Johannæ* Reginæ adoptio, qua deftinabatur ditio *Ludovico Andegavenfi.* Neque apparet, quando aut quomodo hoc jure exciderit Imperium. Itaque & *Carolus Borbonius* ad Imperatorem *Carolum V.* defcifcens, autoritate ejus fucceffionem in Comitatum Provinciæ fibi vindicabat. Simile quiddam de Delphinatu dici poteft, & reliqua illa Rhodani ripa, quæ nunc quoque vulgari fermone pars Imperii appellatur. Quomodo Rex Galliæ Lugdunenfis Ecclefiæ ac ditionis gardiam, feu protectionem in fe receperit certis conditionibus circumfcriptam, apparet dipl. 29. Albigefii & vicinarum Tolofanæ ditionis terra-

terrarum titulus habetur diplomate peculiari, prodromi num. 2. ex jure ſcilicet ceſſo, quod competere poterat Comiti *de Monteforti*. De *Delphinatu* ſpeciatim notatu digniſſimum eſt, ea lege initio ab *Humberto* Delphinorum ultimo in Regiam Galliæ familiam fuiſſe translatum anno 1343, ne unquam Regi ipſi, aut primogenito ejus vel regni hæredi obveniret, ſed alteri proximo; neve unquam Coronæ Gallicæ uniretur vel adjungeretur, niſi planè Imperium & Regnum conjungerentur, ut habet diploma 84. §. 6. Unde cautum eſt §. 28. ne quid inde detrimenti caperet Imperium. Sic Venetias & Maſſiliam ad jura Imperii rationem habere innuitur dipl. 10. Quod, de Venetiis quàm verè aſſeratur, non dixerim; & jam *Caroli M.* tempore foſſa diſcretos Longobardorum & Venetorum limites diſcimus ex Prodromi dipl. 4. Quæ omnia non eo nunc dico, ut de præſenti rerum ſtatu diſputare velim, ſed ut priſtina facies melius cognoſcatur. Placet etiam alia paucula de rebus Imperii hoc loco notare, ut de *Vicariatus Imperii* tam generali 1401. dipl. 113. quàm ſpecialibus, ut Lucæ & Piſtorii dipl. 61. Pedemontii ac vicinarum regionum dipl. 124. de Comite Palatii Imperialis in urbe Roma dipl. 64. de quatuor officiatis feudorum majorum dipl. 78. de creationibus Ducatuum diplom. 65, 78, 94, 109, 125, 189. De Imperii vexillifero, dipl. 64, 65. ſtratore & inciſore dipl. 94. protoveſtiario dipl. 78. de duobus Marchionibus Brandenburgicis ſimul Electoribus dipl. 30. de variato aliquando ordine Electorum, Brandenburgico inter ſeculares primo loco poſito dipl. 77. Sed imprimis colligere hoc loco documenta quædam minus vulgaria placuit, Regum Romanorum Electionem ſpectantia. Nam ad Gentium jura referri etiam publica debent, quæ ſummam poteſtatem formant, afficiuntur.

XVIII. *De origine* igitur *Electorum* difficillimam diſquiſitionem adjurabant Acta Electionis *Conradi*, filii *Friderici II.* Prodromi diplom. 11. Quanquam autem imperfecta ad nos pervenerint, inepto more librariorum, nomina perſonarum locorumque omittendi; ſatis tamen indicare videntur ipſi eligentes, qui ſe ſe patres Imperii & lumina haberi aiunt, non de toto Principum cœtu ſermonem eſſe; & in anteriore electione *Henrici*, fratris ejuſdem *Conradi*, eandem formam ſervatam innuitur. Neque altius mihi aſcendere licuit. Nam *Welbertus* & *Amandus*, neſcio qui, quos unus *Gewoldus* teſtes citat, νόθιαι propè manifeſti ſunt, & ſuomet utique indicio produntur. Sanè quum inter *Ottonem* & *Philippum* tam anceps Electionis controverſia agitaretur, crebræ quidem extant *Innocentii III.* literæ, ſed nuſpiam certi Electores ſatis indicantur; quod tamen maximè intererat ad ſtatum cauſæ. Poſtea verò, quum ſimilis inter *Alphonſum* & *Richardum* quæſtio eſſet, ampla principum Electorum commemoratio fit in literis Pontificum, & numerus ipſe nominatim ac definitè habetur, totaque eligendi forma exponitur, prodromi dipl. 14.

Pp 3 Nec

Nec multo antè in Epistola quadam Pontificia circulari, ad tres Archiepiscopos Electores, impediendæ electioni *Conradini* filii *Conradi* scripta, (quam *Gewoldus* paulo aliter editam de ipso *Conrado* accepit) dipl. 15. primam & antiquissimam, de qua mihi constet, in Actis publicis mentionem deprehendere est appellationis Electorum expressæ. Nam in Decretali *Innocentii III.* (c. venerabilem de Electione & Electi potestate) generaliorem sensum vox Electoris recipit; & Principes illi, in quibus Papa se potestatem eligendi ex jure & antiqua consuetudine recognoscere dicit, intelligi possunt in universum Principes Germaniæ, quod secus est in multo posteriore Viennensis Concilii decreto, extante inter Clementinas, ubi ad certos Germanorum Principes jus & potestas eligendi pervenisse dicitur. Quæ omnia consideranti, apparet sub *Friderico II.* formam aliquam accepisse Electorale munus; forte studio ipsius Imperatoris, filiorum electionem semel atque iterum procurantis; facilius utique per pauciores. Sed tamen jam ante lineamenta ejus aliqua imperfecta fuisse ducta crediderim, alioqui novitati manifestæ utique Pontifices & Principes reclamassent. Hoc partim *Friderici I.* artibus tribuerim, quum *Henricum VI.* filium Cæsarem fecit; aut *Henrici* ipsius, quum filium infantem successorem designari obtinuit; Unde nata est forte de *Henrico* narratio in Magno Chronico Belgico, hæreditarium Imperium facere voluisse. Certè Palatini Rheni magnitudo a *Conrado* fratre Imperatoris *Friderici I.* repetenda est; deficientibus tunc Franciæ Ducibus, in quorum jura Palatinus Ducatus Franciæ, (idem qui & Rheni dicitur) videtur quodammodo successisse. Nam Ducis novi in demortui locum subrogationem verisimile est, in fratris gratiam ab Imperatore omissam vel dilatam. Porrò Moguntini primam vocem ipse agnovit *Fridericus I.* apud *Radevicum*, sub quo & Coloniensis Archi-Cancellarius per Italiam stabilis factus est. *Officia Imperii* quatuor dudum obiri solebant per maximos Principes, sed certam sedem non utique ante hæc tempora invenerunt; Imò nec sub *Friderico* primo satis; ut *Arnoldus Lubecensis* indicare videtur. Et tamen apparet habuisse eam jam sub secundo; medio igitur tempore accepisse consentaneum est. Et quanquam Trevirensis Archi-Cancellarius posterior censeatur, credibile est tamen tres Rhenanos, id est, Francicos Archiepiscopos, consilia facilius communicantes, cæteris, remotioribus prævaluisse. Sanè constat ex *Jordano* & *Petro de Andlo* c. 13. (ubi *Freherus*) & c. 16. in summa celebritate olim fuisse Regium Francorum Palatium Trevirense, quod *Petrus de Andlo* magnum vocat; & *Pipini* ante regnum fuisse, atque Palatino Comiti Rheni sedem vetustam præbuisse credebatur, quem etiam Advocatiam in Trevirensi urbe habuisse scimus. Nostrum quoque Prodromi diploma 14. §. 4. recens electo & apud Aquisgranenses inaugurato Romanorum Regi, inter loca Imperii & castra, *specialiter castrum de Treveles*, id est, palatium

latium de Treveris tradi debuisse indicat. Unde suspicor, ut in Moguntino sedis dignitas ac per Teutoniam Franciamve primatus valuit, & in Coloniensis jus coronationis Aquisgranensis atque inthronisationis in sede Magnifici *Caroli*; ita in Trevirensi Archiepiscopo inter alia magni Francorum palatii apud Treveros, antiquitate ac Palatinorum Franciæ sede celebrati, rationem habitam fuisse; quum id Regi novo specialiter, quasi ad capiendam possessionem rerum Imperii adeundum vel assignandum fuisse, jam durante inter *Richardum* & *Alfonsum* de Imperio controversia creditum sit, ut patet ex Epistola *Urbani* Papæ IV. citata Prodromi diplomate 14. Porro Regni Franciæ primatem Moguntinum; in cujus velut oculis Francofurtum erat, cum vicina *Frankes-erd*, seu Terra Francica (de qua in dicto dipl. 14.) & thronum Regni Carolini Aquisgranensem in Coloniensis Archiepiscopi provinciæ, & Palatium Francorum Trevirense, ad decus Imperii, & novi Regis autoritatem magnum pondus habitura illis temporibus credebantur, quod Teutonicum Regnum, in quod ille inaugurabatur, re vera erat Regnum Francorum Orientalium. Et constat ex diplomatibus, *Ottones*, imò & posteriores quosdam Imperatores, sese adhuc scripsisse Reges Francorum; & Gallos mediis Germaniæ scriptoribus ad discrimen *Francigenas* dictos (vel ut hic dipl. 197. §. 2. *Francigenarios*, quorum neutrum *Ducangio* observatum miror) quasi potius ortos a Francis, quàm Francos; tametsi aliquando, sed rariùs eadem vox & de Francis Germaniæ usurpetur. Quamvis autem paulatim Franciæ Occidentali, id est, Galliæ propria facta fuerit Francorum appellatio, Alamanniæ vocabulo Germanis omnibus per abusum passim attributo (vid. notanter dipl. 158. §. 9.) quod Suevis & Helvetiis proprium erat; diu tamen apud nostros adhuc viguit Francici nominis jurisque memoria; inde de *Frankes-erd*, de sede *Caroli M.* de Palatio Francorum Trevirensi, observationes pene ad superstitionem curiosæ. Ex quibus causis minùs mirum est, ceteros Archiepiscopos Germaniæ, tribus istis, & Francicis & situ inter se connexis, non intercessisse. Nam ut ad Archi-Cancellariatus potissimum respectum dicatur; in Trevirensi locum initio non habebat; quando Viennensis Archiepiscopus Regni Burgundiæ seu Arelatensis Archi-Cancellarius censebatur, sub primo & secundo *Friderico*, quemadmodum *Henr. Gunth. Thulemarius* V. Cl. ostendit in libro de Electoribus, multiplici eruditione referto. Itaque, si quid judico, posterius nata trium regnorum, triumque Archi-Cancellariatuum consideratio est, cum aliis similibus opinionum blandimentis; quæ si non ad originem rei, tamen ad conservationem deinde valuerunt: quorsum etiam refero, quod in quatuor secularibus officiatis, quatuor regalium feudorum dignitates, scilicet Regis, Ducis, Marchionis, Comitis simul repræsentarentur. An voluerit *Henricus Sanctus* vel alius Imperator, ut, qui Imperatori, in solennibus curiis offi-

cia

cia præstarent, simul & Bambergensi Episcopo per Ministeriales suos aliquid honoris exhiberent; aut quæ alia, multo fortè serius, ex traditionibus, vel Scriptuis, nescio quibus, occasio rei sumta fuerit; & quomodo posterioribus temporibus certa Electorum feuda inde sint nata vel oblata, ampliùs inquirendum erit. Cæterùm officiatos eo pronius credo in locum venisse primariorum Ducum regna seu magnos Ducatus, Franciæ orientalis, Lotharingiæ, Bavariæ, Allemanniæ & Saxoniæ administrantium; quod magnos illos Duces olim (sed pro re nata nec fixa quadam juris ratione) iisdem Officiis in curiis solennibus functus, ex *Witichindo* & *Ditmaro* constat. Atque hos in Electionibus quoque plurimum potuisse, non est dubitandum.

XIX. Mihi igitur conferenti omnia, conjectura nata est, scrupulosiorem quandam eligendi formam ab Ecclesia ad Imperium transiisse; ut alioquin scimus judiciorum processum, aliaque multa a Canonistis ad Legistas venisse; præsertim quum initio omnis eruditio, & cum ea rerum moderamen penes cleros esset, scripturæ omnes per ipsos expedirentur, ac negotia formam complementumque eorum opera acciperent. Unde & Imperatores videmus, clausulas Pontificiarum bullarum imitatos, ut alia exempla taceamus. Quum igitur initio studiis Procerum, nempe Archiepiscoporum cum suis Episcopis; & Ducum, Regna sive magnos Imperii Ducatus regentium, cum suis Principibus; & ipsius (ut in Polonia) populi acclamatione, fieret electio, quemadmodum ex *Wippone* discimus; idque mox tumultuosius fortasse videretur; apparet ordinis & tranquillitatis causa, vel specie, posterioribus temporibus cœpisse paucos adhiberi pro omnibus, qui ex *prætaxatione* Principum & *consensu*, ut *Albertus Stadensis* loquitur, eum, in quem studia potiora inclinare compeirissent, velut *scrutinio* facto, *nominarent*. Et speculum Saxonicum, quod *Friderici II.* tempore scriptum creditur, recensitis septem Electoribus (iisdem quos & *Stadensis* habet, & postea usus agnovit) disertè subjicit, quod prædicti, non secundum placitum, eligere debeant, sed quem Principes elegerunt, eundem præ cæteris in Regem nominabunt. Atque haud scio, an huc pertineat, quod in Epistola Principum Germaniæ pro *Ottone IV.* Electioni consensus adjungitur. Clariùs adhuc & disertiùs in Epistola *Alexandri IV.* Pontificis ad Archiepiscopos Electores contra *Conradinum*, aliquoties videas electionem, nominationem & consensum distingui, dipl. Prodromi XI. Quod adeo verum est, ut adhuc *Richardus* apud Francofurtum dicatur consensu Principum a suis Electoribus Coloniensi, (qui Moguntini se vices habere aiebat) & Palatino electus, diplom. Prodrom. 12. Et constat passim receptum esse in Prælatorum electionibus, collectis jam suffragiis, ut unus vel pauci se eligere dicant totius Capituli vice. Quin imò apud Canonistas credi cœpit, ne validam quidem electionem esse, aut ritè factam videri; etsi faverent

faverent suffragia, nisi, quasi ad publicatæ sententiæ instar, juridica quædam promulgatio, &, ut ita dicam, formalis electio ab uno vel paucis pro omnibus celebrata, velut colophonem imponeret: & controversias ex eo capite circa electiones vel postulationes motas constat, cùm fortè discesserant suffragatores, nemine solenne illud, *eligo*, pronuntiante. Factum autem est processu temporis in Electione Imperatoris, ut Electio formalis valeret pro materiali, & qui soli erant Electores solennes, seu nominatores, soli haberentur Electores; sive arte eorum, qui per paucos rem facilius conficiebant, sive ipso seculi genio a realibus ad ritualia declinantis, sive ex conditione Reipublicæ, quæ tunc turbatissima erat, & in transitu versabatur, ac velut in partu novæ Imperii formæ laborabat; multis etiam studio abstinentibus, ut invidiam vitarent, aliis suarum rerum satagentibus; quando constat, a pluribus ipsum Imperium fuisse recusatum, atque adeo etiam ad exteros itum; ita ut præoccupatis jam opinione animis, eo facilius omnis demum auctoritas in officiatos cesserit, qui honestè abesse non poterant. Itaque quod mox ad antiquam consuetudinem provocari cœpit, in re licet nova, facilem intellectum habet; miscebantur scilicet antiqua novis, & alia pro aliis accipiebantur, electio scilicet solennis pro totali, in tanta illorum temporum caligine, & hominum ignorantia; quæ eo maximè seculo apud nostros invaluit, ubi cum vigore Imperii etiam ingenia in Germania cessavere, & bonis Historicis carere cœpimus, & ad fabulas atque romaniscos inclinabatur, traditiunculis quibusdam crebrescentibus; quum præ studiis magis civilibus & bonis literis jam fratres mendicantes Scholasticam, alii canones & leges, suis novitiis subtilitatibus exercerent. Unde miras videas narrationes apud scriptores recipi de rebus vix ante seculum suum actis, quas crederes ignorari ab iis non debuisse. Hinc de vicina Francofurto *Frankes-erd*, aliisque hujusmodi tanquam antiqui eligendi moris, relata dipl. 12. prodromi, certissimæ utique novitatis. Pro quibus deinde aliæ narratiunculæ de Insula Rheni, aut tribunali apud Reensen in Ripa Rheni, unde in quatuor Electorum territoria prospectus, tanquam & ipsæ vetustissimi juris, successerunt. Scilicet inter homines parum peritos & monumentorum negligentes valde antiquum habebatur illud, de cujus origine nihil meminerant ipsi. Et unus alteriusve seculi intervallo dissita ab ipsorum ævo, tam illis remota videbatur, quàm eruditis tempus mythicum Ogygis cataclysmus. Ex his igitur lucem aliquam tam difficili quæstioni intulisse speramus, nec jam ampliùs mirabimur, dissipatis magnis Imperii Ducatibus reliquis, per partitiones debilitatis, extincta Suevicorum Cæsarum familia, longo interregno, vel incertis Cæsaribus ac turbidis obscuratisque rebus, dum plerique ad sua intenti essent, nonnulli etiam bona Imperii diriperent; mutatam denique rerum faciem fuisse, confusamque Electionem forma-

lem cum materiali, & Officiatos Imperii primarios ex nominatoribus solenniter eligentibus, veros & unicos demum Electores, privato quodam jure, prodiisse.

XX. Sed dimissis Imperii rebus, de quibus eo libentius a nobis dictum est, quod universalis quædam ipsi per Christianas gentes auctoritas constat, paucis reliqua gentium jura absolvamus; ut appareat, quomodo ex nostro Codice Diplomatico illustrentur. Basis igitur *juris fecialis inter gentes* ipsum naturæ jus est, cujus principia paullo ante tradidimus. Huic Gentium placita inædificata sunt, variabilia temporibus locisque. De illis ergo, in hujus nostræ Collectionis specimen, circa personas res actusque notare placet ex multis pauca. *Personam juris gentium habet*, cui libertas publica competit, ita ut in alterius manu ac potestate non sit, sed per se jus armorum, fœderumque habeat; quanquam fortè obligationum vinculis superiori sit adstrictus, & homagium, fidem, obedientiam profiteatur. Quod si magna satis ejus sit autoritas, *Potentatus* nomine venit, vocaturque *Souverain* & *potentat*; unde jus nascitur, Gallis dictum *la souveraineté*, latinè *suprematus*, qui tamen superiorem in Republica non magis excludit, quàm in Ecclesia primatus priorem. Recensetur autem inter Potentatus, ac Suprematum habere creditur, qui satis & libertatis & potentiæ habet, ut rebus gentium per arma & fœdera cum auctoritate intervenire possit. Qualis an fuerit Rex Monæ Insulæ (dipl. 5. Prodromi) meritò dubites, etiamsi libertas ei non negetur; adeo territorii parvitate similis videtur fabuloso illi Regi Ivetotiano. In liberis Rebus publicis civilis persona ad instar naturalis intelligitur, quoniam voluntatem habet. Quodsi legibus fundamentalibus non satis provisum sit Reipublicæ, ut ad certam ejus voluntatem perveniri possit, habet aliquid irregularitatis forma ejus, quod rectè docuit auctor doctissimus *Monzambani*, a quo plurimum illustrata est hæc disciplina. Uniuntur interdum plures civiles personæ in unam, ut dipl. 28. quum territoria invicem incorporantur; interdum exstinguitur & civilis persona, sic Comitatus Holsatiæ & Ditmarsiæ extinguere se ait *Fridericus* Imperator Ducatu creato, dipl. 189. Personæ naturales sibi subrogantur successione; & circa eam non inutiliter inspicientur diplomata 31, 106, 132 &c. in qua re jura olim paulo obscuriora fuere, adeo ut etiam de Salica successione Coronæ Gallicæ dubitatum fuisse appareat dipl. 38. & dicto dipl. 132. Porrò quum personæ hic intelligantur publicæ; sequitur rerum nomine etiam subditos & res subditorum comprehendi posse; omnia enim territorio continentur, quæ vox est Universitatis. Subditorum olim laxiora fuisse jura, adeo ut garantiam contra Dominos præstare posse crederentur, supra notavimus; contra *Dominium eminens* in subditos eorumve res, nec olim ignoratum fuisse intelligimus, dipl. 122. jus in perpetuam servitutem redigendi

di barbaros (ne converſione quidem ad fidem excepta) Luſitanis indulſit Pontifex dipl. 165. §. 4. quod mireris ſanè, quum contra *Fridericus II.* Curones Chriſto ſe ſubmittentes liberos eſſe juſſerit. De feudis ſive regalibus, ſive aliis ampliſſimè tractarunt Juris conſulti. Hoc loco notaverim tantùm, abnorme quoddam jus aliquando fuiſſe allegatum, ut ſubditus Vaſalli, qui appellaverat ad ſuperiorem, eo ipſo, etiam in ceteris cauſis planè exemtus eſſet, pendente lite, a Domino ſuo, unde appellarat; & quum Rex Angliæ, idemque Dux Aquitaniæ tale jus non agnoviſſet, refertur hoc inter cauſas primarias abjudicati ei Ducatus Aquitaniæ dipl. 101. Quod *domania* Regnorum *inalienabilia*, & ſemper revocabilia dicuntur, id reſpectu privatorum intelligitur; nam contra alias gentes divino privilegio opus foret. Etiam Gallicæ Coronæ aliqua ſine reſervatione alienata, non Flandriæ tantùm directum dominium ſive allodium *Carolo V.* dimiſſum teſtatur, ſed & Caleti & Guinarum ditio in Anglos plenè tranſlata dipl. 64. Ad ſubditorum res commerciorum ratio pertinet, de quibus inprimis dipl. 128. Notanda etiam explicatio legis de auro & argento non exportando dipl. 123. Interdum in pacto cum exteris nova telonia domi inſtituere prohibitum, ut dipl. 206. §. 5.

XXI. Poſt perſonas & res paucula in ſpecimen de Actibus ſeu Actionibus addemus. *Actus* ſunt vel diſpoſitiones jure efficaces, vel pertinent ad viam facti. Qui juris effectum habent, ſunt extrajudiciales vel judiciales. Atque illi vel ab uno latere fiunt, ut teſtamenta, quorum aliquot noſtra collectio exhibet; vel ſunt conventiones, quorum varias ſpecies non percurro. Tantùm notare placet de fœderibus; aliquando fuiſſe cautum, ut in poſtea pangendis cum aliis, hoc præſens exciperetur dipl. 85. §. 9. alibi contra cautum, ut præſens fœdus præferretur etiam prioribus. Ceterum videas etiam fœdera ad vitam dipl. 148. in annos centum dipl. 136. imo fœdus conceptum in vitam hoſtis, & in annum ultra, dipl. 137. Stipulationum ſcrupuloſitates in eodem dipl. ſocietates quædam militares (*bandes*) ibid. §. 12. Sæpe pœnæ adjectæ ſunt fœderibus, ſic perjurii pœna, quam Rex poteſt incurrere tali caſu, & præterea centena millia marcarum auri dipl. 14. §. 19. & caveri ſolet, ut pœna etiam commiſſa, & toties exacta, quoties peccetur, non ideo minùs duret obligatio. Alienationes, qualis domanii eſt, paulo antè attigimus. Circa matrimoniales contractus obſervatu dignum eſt, Virginem aliquando velut integræ familiæ deſponſatam, ut mortibus priorum intervenientibus quaſi ſucceſſione hæreditaria ab uno ad alium deſcenderet. Hoc placuit in tractatu Matrimonii *Sigiſmundi* Auſtriaci cum filia *Caroli VII.* Regis Galliæ dipl. 140. adeo ſæpè non affectus, ſed ſtatus ratio Principibus habenda eſt. Actus autem (etiam extrajudiciales) interdum *ſolennitatibus* ſuis veſtiuntur: & quædam huc pertinentia

jam suprà attigimus, ubi de Heraldicis, item de dignitatum creationibus & de titulis, sic tres gradus militum: Principes, bannereti & baccalarii, diplom. 90. *Ordo* & collocatio interdum observari meretur, ut dipl. 136. & in diplom. 201. §. 17. Ubi *Dux* & *Domus Bavariæ* ante alios nominantur. In subscriptionibus quædam singularia: ut Hispanis, ego Rex, non adjecto nomine. Apud Anglos Rex ait: teste me ipso. In *formulis* quædam observanda interdum, ut quum Legati plures mitterentur, addi solebat in mandato: ne melior esset conditio occupantis, id est, ne unus alterum agendo præveniret: quod Vir quidam doctus non intellexit. Itaque utile est ad diplomata interpretanda veteres aliquando scripturas inspexisse, & *Styli notitiam habere*. Formulam Galliæ Regibus in concessionibus usitatam: Salvo nostro jure in aliis, & alieno in omnibus; adhibuit etiam *Sigismundus* Imperator dipl. 125. §. 5. Magni Principes in præsentia sua curabant alium in ipsorum animam jurare, præsertim inferiori, ut in dipl. 4. & dipl. 35. Prælati non tangebant Evangelia inter jurandum, sed manum ad pectus admovebant dipl. 84. §. 42. dipl. 69. *Judiciales* quoque *actus* notanda exhibent, vide judicia Parium Curiæ solennia contra Comitem Flandriæ, Comitissam Artesiæ, Ducem Aquitaniæ. *Judicii Stillgericht* vulgo Westphalici mentio 1401. diplom. 113. & fœdus contra ipsum dipl. 124. quædam singularia in *Arbitris*: electi fœderum dictatores seu emendatores dipl. 8. horum dicto controversiæ terminabantur. Conservatores pacis eodem ferè sensu dipl. 201. peculiaria etiam in dipl. 123. Interdum in voluntate arbitri erat, uti vel non uti forma juris dipl. 70. §. 2. interdum cautum erat, ne secundum formam & rigorem juris judicaretur, ut in compromisso de successione Flandriæ dipl. 14. quia stricto jure totus Comitatus ad unum deferre debeat. Dispensationes dipl. 72, 74, 83, 145. De *via facti* veluti repressaliis, *Markis*, *contramarkis* vid. dipl. 58. & alibi passim. De interceptione rerum ad amicos pertinentium & versione in usum nostrum, necessitate excusata, eodem dipl. De prohibitis mercibus & *contrabandis*, ut vocant, occupatis, excusatio, *Christophori Columbi* pro Gallis Siculas naves intercipientibus, Prodromi dipl. 18. Præcursor belli erat diffidatio; talis *Adolphi* Imp. Galliæ Regi missa dipl. 18. alibi passim. Rex Regem ad duellum provocans dipl. 79. conditiones duelli inter duos magnates dipl. 173. De jure in bello servando non malè Helvetii dipl. 108. Triplex pugnæ genus dipl. 115. §. 10. nempe *Corps contre Corps* seu monomachia, *nombre contre nombre* (posses oligomachiam dicere) ut olim inter *Horatios* & *Curiatios*, aut quum centeni delecti ab utraque parte confligunt, quasi facto in eorum fortunam compromisso; denique *pouvoir contre pouvoir*, quum duo exercitus prælium committunt.

XXII. Sed abrumpendum est, ne introductio pro præfatione in libellum

bellum exeat. Indices aliquando, Deo favente, pleno operi dabuntur ampliores, ubi & licebit, per quos profecerimus profiteri. Nam & ab amicis passim quum ab illustrissimis etiam Viris auxilia sperata. Errata nonnulla irrepsere, sed pauciora reperientur, quàm quis in re satis perplexa exspectet. Sequuti sæpe sumus inscriptiones in Manuscriptis repertas, itaque notandum est in annos Hegiræ vitium irrepsisse dipl. 10. nempe pro 628. lego 608. Et in dipl. 17. puto rubricam alteri diplomati debitam per errorem in MSto huic ascriptam. Et dipl. 68. interpretationes Clericorum contra Regis jurisdictionem memorantur, ubi error in eo, quod nescio quis *entreprise*, ineptè interpretationem vertit, literarum convenientiam secutus, cum attentata significentur. Pro *Arnulpho* Archiep. Coloniæ legendus *Adolphus* in dipl. 5. Errata Typographica satis tolerabilia spero reperientur. Ut pro *soit disant* lege *soy disant* dipl. 132. §. 22. pro dissolvate, leg. dissolvatve, dipl. 128. §. 10. & pro quadring septimo, lege: quadringentesimo quadragesimo septimo. Et in inscriptione dipl. 144. pro rectè meritis, lege: rectè metiris, dipl. 196. sed talia non puto tanti fore, ut longo catalogo recenseantur. Obscuriora mihi ipsi, aut lacunosa plerumque *stellulis* notavi, quæ tamen interdum & ad *varias lectiones* subjectas referuntur, ubi opus est visum. Ingenio non indulsimus temerè, ne nobis parum intellecta explicantibus contingeret, quod viro cuidam alioqui doctissimo,* qui in quodam diplomate veteri quum ita corruptè scriptum invenisset: misit nuntios suos ad Seniorem Motau, qui dicitur Asinus, promittens, sibi pecuniam infinitam, ut nostram offenderet Majestatem; Motau pro Moravia accipiens, quendam in Moravia fuisse putavit, qui vocatus fuerit Asinus; cùm designetur Senior Montanus, qui vocatur Assasinus, Princeps superioris Asiæ, vulgo dictus *le vieil de la montagne*; pro quo fortasse potius dici debuisset, *le Seigneur de la Montagne*, ut alibi accipitur Senior, vid. dipl. 10. §. 1. Sed hæc specimini sufficiant: plura & fortasse majora, & magis adhuc rebus præsentibus accommodata Tomi sequentes Deo volente suppeditabunt.

DISSERTATIO II.

DE EADEM MATERIA,

SECUNDÆ CODICIS GENTIUM DIPLOMATICI PARTI PRÆFIXA.

I. *De Codice Juris gentium Diplomatico.* II - VIII. *De viris illustribus, & eruditis, qui cura* Leibnitii *Diplomata huc facientia communicarunt.*

IX. *Ratio instituti.* X. *De amore Dei non mercenario, & tamen a boni proprii impulsu pendente.* XI. *De* Christophoro Columbo. XII. *De* Bellimarinis. XIII. *De* Leibnitii *occupationibus.* XIV. *De controversiis inter Domum Francicam & Burgundicam.* XV. *De Anglorum in coronam & provincias quasdam Galliæ prætensionibus.* XVI. *De ceremoniali sedis Romanæ vacantis.* XVII. *De Concordatis inter* Leonem X. *&* Franciscum I. *Galliæ Regem.* XVIII. *De Ordinibus Regiis.* XIX. *De Conciliis Germanicis.* XX. *De insigni historiæ ecclesiasticæ & Conciliorum in Jure gentium usu.* XXII. *De Actis quibusdam inter Romanos Pontifices & Christianos Principes.* XXIII. *De Ultrajectino Episcopatu a* Clemente VII. *in* Carolum V. *translato.* XXIV. *De Concordia & Discordia Sacerdotii & Imperii.* XXV. *De origine Electorum.* XXVI. *De vetere eligendi succedendique forma lapsu temporum mutata.* XXVII. *De Vicariatu Imperii & de Pontificis Romani in conferendis in republica beneficiis auctoritate.* XXVIII. *De diversis constitutionibus ad jus gentium pertinentibus.* XXIX. *De tractatu Spirensi inter* Carolum V. *Imperatorem &* Christianum *Daniæ Regem.* XXX. *De* Danielis a Nessel *Historia Pacificatoria.* XXXI. & XXXII. *De* Friderici Leonardi *Collectionibus tractatuum Coronæ Gallicæ.* XXXIII. *De Collectionibus Batavis.* XXXIV. *De* Thomæ Rymeri *Actis Anglicanis.* XXXV. *De* Leibnitii *jus gentium illuminandi consiliis.*

I. ANni sunt septem, quod specimen edidi majoris operis, quo Acta publica juris Gentium selecta, & ut verbo dicam, Diplomata majora colligerentur; Unde Codicem Juris Gentium, eumque Diplomaticum appellavi. Quum enim Gentes nulla superiore in terris potestate contineantur, sunt illis pro legibus, quas ipsi sibi dixere; vel scriptis tabulis vel moribus introductis, qui sæpe scripturis istis comprobantur. Gratanter accepta est passim voluntas bene merendi mea a viris doctis & in Republica versatis; ipsisque etiam probata Regibus, Principibus & rerum administris. Itaque ex Archivo Angliæ Regio, Septentrione etiam & Gallia Italiaque submissa sunt non pauca; & in Germania potissimum Serenissimus ac Potentissimus Princeps Elector Brandenburgicus instituto favit, Illustri Viro, quem nominasse pro laude est, *Ezechiele Spanhemio* suggerente: parique boni publici cura in Italia postea Magnus Dux Hetruriæ ex chartophylaciis suis quædam concessit. Nec quisquam tantorum Principum a sapientia sua alienum putavit tabulis, quæ in tenebris olim velut arcano quodam horrore colebantur, permittere publicam lucem, quod in commune id prodesse viderent, & plerumque ad sui Principatus, suæve familiæ jura aut decora pertinere.

II. Cum

II. Cùm verò multi præterea viri eximii post primum volumen editum contulerint symbolas suas, æquum & dignum puto publicè ipsis gratias agi. Neque tamen omnes nunc nominabo, sed tantùm, quorum auxiliis in ea, quam nunc edo, Mantissa sum usus, idque non dignitatis ipsorum ordine, sed ut quisque tempore & officiositate in rempublicam prior fuit, aut rerum se connexio dabit. Jam tum quum in priore collectione versarer, Abbas S. Vincentii *Boisotius* ex Burgundico Comitatu V. Cl. raræque doctrinæ, auxilia pollicitus erat; sed quum mors intercessisset, voluntatem ejus velut ex legato sequutus frater Præses in suprema Vesuntina Curia, Vir insignis, voluit thesauri partem aliquam cedere in usus meos; adjuvantibus ex fraterno monasterio Viris ab Abbate quondam suo, ut apparet, ad optima quæque studia excitatis; intervenitque in mei gratiam Cl. *Nicasius* Canonicus Divionensis, qui doctrina & officiis rem literariam ornat.

III. Ratisbonæ vir Amplissimus *Christophorus Schraderus* jam a multis annis Legatus ad Imperii Comitia Cellensis, qui familiam claram inter literatos in ampliore theatro nova luce perfudit, partim sua promtissima voluntate, partim fratris non imparis domi Consiliarii Aulici hortatu non pauca nec contemnenda procuravit; usus potissimum savore prono Legati nuper Burgundici Dn. de *Neveforge* Senioris; itemque Legati ad Helvetios Batavi *Petri de Valkenier*, quorum ille publici cursus stadium cum vita absolvit, hic adhuc decurrit; ambo magna fidei & prudentiæ laude.

IV. Nec prætereundus est Dn. *de Hornigk* apud Pataviensium sive Laureacensium Principem Consiliarius intimus, qui reconditæ doctrinæ & in patriam studii, non pauca nec vulgaria in publicum specimina suppresso licet nomine dedit. Is de penu sua selecta quædam communia mecum fecit probante Celsissimo Præside, in cujus aula est; qui comitia imperii, quæ Comes illustraverat, nunc Princeps, & Commissarius Cæsaris supremus repetit; unde patriæ communi & melioribus etiam litteris optima quæque ominantur.

V. Sed ut ex vicinia Ratisbonæ discedam, vocant me *Johannes Albertus Dn. de Heugel*, nobilis Silesius, qui generi laudem doctrinæ conjunxit, & liberali communicatione collectiones meas nec provocatus auxit; Tum Theologus Bremensis *Gerardus Meierus*, *Gerardi* filius, paternarum laudum hæres, multifariam doctrinam humanitate condiens, & subinde circa præclaros labores suos mecum communicans; qui integrum volumen collectorum olim Actorum publicorum misit. Inprimis verò memorandus est Dominus *de Greiffencranz*, mirifico Historicarum notitiarum apparatu instructus, & Genealogici studii in Germania facilè princeps; qui intellecto consilio meo, ex Ostfrisia, ubi tunc Consiliarium intimum agebat, libens subsidio fuit, & nunc quoque occasiones ornandi operis non amittit.

VI. Apud

VI. Apud Batavos humanitatis in omnes exporrectæ etiam mihi specimen præbuit vir summa doctrina celebratissimus, *Joannes Georgius Grævius*, quem Germania nostra non minore quàm *Vossium* olim *Gronoviumque* patres, beneficio vicinæ cognatæque regioni concessit. Hic a *Paulo Voetio*, *Gisberti* filio JCto insigni, & in Republica Ultrajectina dignitate ac meritis claro, Tabulas mihi impetravit Ultrajectinæ translationis in *Carolum V.* Imp., quæ nunc prodeunt. Mox in notitiam perveni Il. viri *Dn. de Blesfwyck* in Republica Delphensi ad clavum sedentis, sed & in rebus Fœderatorum Ordinum magna cum laude & existimatione versati, nunc etiam Leidensis Academiæ Curatoris, qui pro eximio suo, & in rempublicam & in litteras studio, & obtinuit mihi nonnulla benevolè, & ad plura aditum fecit, de quibus alias erit pro dignitate dicendi locus.

VII. Ex Anglia misit aliqua *Gilbertus Burnetus*, Reverendissimus Sarisberiensium Episcopus; in quo pro meritis provehendo res publica literariaque certavere, & qui tot aliis doctrinis laudibusque etiam Actorum publicorum perquisitionem conjunxit. Præterea *Stepneius* Ablegatus Regius non minùs gerendis principum negotiis, quàm eorum gestis prosa versaque eloquentia ornandus aptus, obtinuit nobis insignia ex publicis Tabulariis monumenta, quæ quum pleraque Historiam Brunsvicensem aliquando illustrare possint, nonnulla tamen etiam huic præsenti operi convenire sunt visa. Hoc autem præstitit imprimis conciliata mihi benevolentia V. Cl. *Thomæ Rymeri* in lucem proferendis Angliæ tabulis Regio jussu destinari, de quo mox plura dicam: Accessitque solicitationi vir doctrina & aliis laudibus commendatissimus *Thomas Smithius*, Anglicanæ Ecclesiæ Theologus, cui plurimum Græca debet Ecclesia coram spectata, nuperque Cottoniana Gens & Bibliotheca dignum nacta laudatorem descriptoremque.

VIII. Nec prætereundus est *Dn. de Sparvenfeld*, insigne Sueciæ ornamentum; qui magnis in septentrionem & meridiem itineribus, Regio partim jussu susceptis, opima doctrinæ spolia ex Russia Africaque retulit; & dum veteris Gothorum gloriæ monumenta vestigat, multa alia in publicum profutura collegit, & nonnulla etiam in præsentis instituti usum ad me misit: plura quoque tum de suo tum de alieno daturus, præsertim si ex Illustrissimi *Gardiæ* Comitis non ita pridem defuncti relictis schedis impetrari possint, quæ vivus mihi destinabat, & quæ ipsius beneficio debere rempublicam, ad gloriam inclitæ familiæ pertinebit. His alios adhuc Viros egregios addere possem; quibus imputabantur aliquando non pauca, quæ Deo vires præbente in hoc genere proferre spero. Sed debitas iis gratias illuc servo.

IX. Præstito gratitudinis officio, quod pium semper & bono viro dignissimum existimavi, ad rem ipsam a me tractatam præfando accedam:

&

& primum nonnulla circa pristinum volumen seriùs oblata monebo, deinde hujus præsentis consilii rationem reddam; postremò attingam, quæ ab aliis facta sunt promissave, tum quæ ipse Deo volente in rem adhuc afferre spero. Nam & *Leonardi* Collectio Gallica sex Voluminum prodiit forma quarta, & Batava novissimè exiit quatuor in folio, ut vocant, Tomis. Sed & *Th. Rymerus* supra laudatus Pandectis Anglicanarum Tabularum jam titulum in typos præire jussit. Mihique ad nonnulla adhuc Volumina hujus argumenti multæ adest & selectæ varietatis apparatus.

X. Intellexi non defuisse viros doctos (ut nemo omnibus satisfacit) quibus displicuit aliquid in quibusdam cogitatis meis, præfationi Tomi primi inspersis; sed ita jam tum ibi fortasse scripsi, ut tutò permittere judicium Lectori possem. Placet tamen respondere objectioni cuidam mihi factæ circa controversiam, quam attigeram illic, antequàm publicè agitaretur, & quæ nuper in Gallia magnos animorum motus excitavit, donec Regis authoritate & Pontificis maximi pronunciatione comprimeretur; de amore scilicet non mercenario, sed bonum amati spectante, & tamen a boni proprii impulsu pendente. Mihi scilicet ad Codicem juris gentium non nihil præfanti de fontibus juris, quos ex charitate petivi; quum justitia nihil aliud sit quàm charitas sapientis; in mentem ejusdem quæstionis venerat: qui possit scilicet amor dari, qui bonum amati per se quærat, quum nihil nisi boni nostri causa velimus? Responderam quicquid jucundum est per se expeti, & utilibus, id est alterius boni productione bonis, opponi; tale autem esse notavi objectum veri amoris, quum amare vel diligere sit amati felicitate, perfectionibusque delectari. Hic quosdam mihi objecisse intellexi perfectius esse, ita in Deum sese abjicere, ut sola ejus voluntate moveare, non delectatione tua. Sed sciendum est talia naturæ rerum repugnare: Nam conatus agendi oritur tendendo ad perfectionem, cujus sensus delectatio est; neque aliter actio vel voluntas constat. Et ad malè consulta etiam quadam boni seu perfectionis specie percepta movemur, etsi scopo excidamus, aut exiguum bonum malè petitum jactura majoris luamus; neque impulsui a bono suo nisi cum natura sua renuntiare quisquam ultra verba potest. Itaque verendum est, ne illa quorundam malè mysticorum abnegatio proprii, & quam fingunt, actionum cogitationumque suspensio, qua maximè Deo scilicet uniamur, desinat demum in doctrinam mortalitatis animæ; qualem docebant Averroistæ & alii antiqui etiam philosophi, quibus videbatur post hominis mortem mentes non ultra subsistere nisi in oceano divinitatis, unde guttæ olim prodiissent. Cujus doctrinæ semina in *Valentino Weigelio*, & Angelo quodam Silesio & *Molinosio* (fortasse non satis ipsis agnita autoribus) animadvertere mihi visus sum. Itaque merito rejicitur ἀργὸς λόγος hominum ignava opera, Philosopha sententia, qui perfectionem in quiete, id est in cessando collocant, longè

a vera tranquillitate & caritate, longè etiam a *Telemacho* discedentes.

XI. Sed magis hujus loci est attingere nonnulla, quæ ad priorem Tomum circa res facti & Historiæ monenda sunt visa. *Nicolaus Toinardus* Aurelianensis, vir doctrinæ latè fusæ, cujus utinam fructum nobis, nimis differendo non invideret, errorem admissum indicavit in persona *Columbi*, prodromi num. 17. quem communicatæ chartæ inscriptionem sequutus non rectè *Christophorum* appellavi, & eundem cum illo Genuensi fama maximo, nomine & temporum vicinia deceptus, tanto facilius judicavi, quod hunc operam suam Galliæ Angliæque Regibus obtulisse constaret, unde bellicis aliquot e Gallia navibus præfuisse non incongruum videbatur. Sed significavit *Toinardus* sub *Ludovico XI.* Vice-Admiralium fuisse quendam *Guilielmum de Casanova* cognominatum *Coulomp*, cujus & meminit contemporaneus autor libri, qui Chronici scandalosi nomine venire solet.

XII. *Bellimarinorum* mentio fit in Tractatu Legionensi inter Reges Franciæ & Castellæ edito Cod. J. G. Dipl. T. I. n. 86. Hos Maurorum Reges fuisse, formidatos Hispanis, notaveram in præfatione. Unde licet obvii vulgo non essent apud scriptores, ex Africanarum tamen & Hispanicarum Rerum auctoribus, quos tunc excutere non vacabat, plura erui posse, satis manifestum putabam, contentus produxisse, qui fortè ad manus erat, locum Chronici Anglicani Manuscripti. Sed ut plura addam invitat Annotatio Collectionis Batavæ ad eundem Tractatum ex meo transsumtum, cujus verba ita habent: *Je n'entends point ce mot de l'original*: Bellimarini: *je n'en ai pû découvrir la signification, quelque recherche que j'en aye faite. G. G. L. n'en dit rien, je ne sçay si ce ne seroit point quelque nom supposé de la signification duquel les deux Rois fussent convenus.* Huic conjecturæ, quanquam ingeniolæ non fuisset, credo, datus locus, nisi prætervisa fuissent verba præfationis meæ. Ceterum res ita habet: Ante quingentos circiter annos Rex Fessæ moriens *Merin* quendam, (nisi fortè *Merinidem*; suspicor enim jam antè familiæ hoc nomen fuisse) filio tutorem dedit. Is mox, ut fama fuit, occiso puero, regnum invasit, & stirps ejus nomine *Merinorum* aut *Marinorum*, *Ben-merinorum*, *Benimarinorum* ac denique corruptè, apud Europæos *Bellimarini* in regnis Fessæ & Marocci, vicinisque locis per trecentos pene annos rerum potita est; donec a Scherifo, novi imperii conditore, superioris seculi initio everteretur. Ex *Leone Africano* & *Marmolio* constat, *Ben-merinos* Fessam novam exstruxisse multaque alia gessisse magnificè, literasque Arabicas, ac poësin imprimis egregiè fovisse. De Fessa *Marmolius* l. 4. c. 22. *Fessa nova ultra 8000 incolarum habet, structa a secundo Fessæ Rege ex stirpe Benimerinorum, qui Regnum Marocci ultimo Almohadarum generis Regi ademit, sedemque imperii Marocco Fessam transtulit.* Et *Leo* lib. 3. c. 139. hæc habet: *Habdulac, primus Marinorum princeps, Mau-*

Mauritaniæ atque reliquarum Regionum illarum imperium occupavit. Addit; quatuor filios reliquisse, quartum *Jacob* occupasse Maroccum, reliquorum tres partes in septem subdivisas. Et paulo ante c. 131. ita scribit *Tezzotæ oppidi, Conditores Benimerinos fuisse affirmant, priusquam Regnum aliquod possiderent,* Josephus Jacobi *Marinorum Regis filius, ratione, nescio qua, adductus, Tezzotam funditus propemodum delevit* &c. Sed maximè *Leonis* verba lib. 3. c. 38. digna sunt relatu: *Quo tempore,* inquit, *incolumis adhuc Marinorum Regum erat familia, is qui tum regno potiebatur certo anni die in regiam suam vocabat, quotquot in urbe erant, doctos & literatos, quos magnificè excipiens jubebat, ut se præsente e loco eminentiori suum quisque recitaret carmen, qui verò omnium suffragiis optimè dixerat, a rege equo præstantissimo, serva, centum aureis, nec non veste qua tum Rex indutus erat, donabatur. Ceteris omnibus quinquaginta enumerabantur aurei, adeo ut nullus nisi regis expertus munificentiam inde discederet. Verum centum & triginta elapsi sunt anni* (hæc autor sub *Leone X.* Pontifice Romano, aut paulo post scripsit) *ex quo hæc omnia paulatim decrescente Fessanorum imperio, in desuetudinem abiere.* Hactenus ille. Indignum itaque fuerit stirpem tam in literas munificam oblivione transmitti.

XIII. Sed veniamus ad ea, quæ præsenti Collectione continentur. Hanc *Mantissæ* nomine inscribere maluimus, quoniam per fasciculos potiùs, quàm seriem temporum disponi conveniens videbatur. Neque ideo a primo instituto discessimus, cujus exsequendi gratia, aliquot Tomos actorum, serie Chronologica dispositorum, reipublicæ polliciti eramus, quo genere pollicitationis obligatio quædam contrahi censetur. Nam si Deus vires vitamque concesserit, satisque otii nobis fecerit, aut obtulerint sese, qui sublevare possint, promissa complebuntur. Ignoscent verò moræ hactenus interpositæ, qui scient, quàm multa alia nobis sint agitanda: Nam & munus & vitæ officia, & amicorum literæ quotidie ad se vocant; & Historiæ nostræ ingens moles incumbit, quam accessorio quodam labore aggredi, hortatu magnorum Principum, placuit, quod indignum appareret, pleraque tam malè tradi. Dum interea amici & molitionum veterum conscii pene convicium faciunt, tanquam non satis mea tractanti; aliique jubent, ut revocandæ ad rationes Jurisprudentiæ antiquum institutum prosequamur; alii, ut quæ circa principia, quibus fundari videtur vera Philosophia, & Dynamicen, naturæque leges ac phænomena constituisse videmur, juvenili olim specimine non malè excepto, absolvamus; alii, ut quæ adhuc mira latent in novo quodam a nobis proposito Matheseos universalis genere, quam & infiniti scientiam appellare possis, eruere pergamus ipsi, cæteraque in his studiis reperta producamus. Ut alia fortasse magis recondita vel magis ad usum porrecta, taceamus, donec magis provexerimus; hoc loco nec referre præstat.

XIV. *Mantissam* autem hanc in duas veluti sectiones partiti sumus, quod diversis locis impressio typorum facienda esset. Pars prior continet scripta quædam paulo prolixiora, quæ per se libellorum magnitudinem implere possint. Ex quibus initio statim bina occurrent, quæ pene *Manifestorum*, ut vocant, *fecialium* instar habent, scripta a magnorum Principum Administris, jura Dominorum tractantibus, circa tempora *Friderici III.* (vel V. potiùs) Romanorum Augusti & *Ludovici XI.* Galliæ Regis; quæ quum crebrò tangant Tractatus Pacificationum aut fœderum, præcedente Tomo a nobis editos, horumque vim & usum mirè illustrent, pene commentarii in eos vicem subinde præbere possunt. Primum ergo damus N. I. Part. I. opusculum de controversiis inter Domus Francicam & Burgundicam (cui Austriaca successit) quod Cancellario Burgundiæ in nostro Codice Manuscripto tribuitur: quumque *Maximilianus Mariæ* Burgundæ jam maritus, nondum Romanorum Rex appelletur; apparet paulo ante compositum esse. Unde fortasse nomen Cancellarii non difficulter eruent, quibus in hæc inquirendi otium erit. In alio Codice Manuscripto, (nam binos habuimus, alioqui vix intelligibiliter daturi, adeo corrupta multa erant in utroque Codice) inscriptio legebatur hujusmodi a priore quam sequuti sumus diversa, sed quæ scopum scribentis non satis attingit: *Recueil et extraict des traictez par manière de Cronique fort autentique par lequel apperca aux Lecteurs d'icelluy, comme feu mon Sieur le Duc* Charles *au jour de son trespas possidoit et tenoit en son obeissance les Duché et Comté de Bourgongne, Viscomté d'Anxonne & ressort de Sainct Laurens, Comtez de Mascon, Auxerre, Charrolois, les Seigneuries de Bar sur Seyne, la Comté de Ponthieu, Prevostez & Chastellenie de St. Quentin, Henvobayn, Beaul Revoir, & partie de la Comté de Marle, les Villes & Prevostez de Monstreul, Beaulquesne, d'Orlens, Corbie, la Prevosté de Foulloy & S. Requier, les pays & Comtez d'Artois, Boulenois, St. Pol, les Ressorts et enclavements comme Theroenne, et cité lez Arras, & aultres, qui se pourront manifester aux lisans ce present recueil.*

XV. Alterum opusculum n. 2. part. 1. ab Autore Viro in Gallia rebus, ut apparet, gerendis admoto, certè ad publicas chartas admisso, ipsi Regi *Ludovico XI.* inscriptum est, quo Anglorum in coronam & provincias quasdam Galliæ prætensiones, ut vocant, sive tituli juris, examinantur. Si quid vicissim hujus generis ab Anglorum parte habuissemus, adjunxissemus libenter: quemadmodum & Burgundico opposuissemus scriptum Gallicum, si quod fuisset ad manus paris antiquitatis. Nemo ignorat *Ludovici XI.* patrem, urbe Regia & maxima Galliæ parte exutum, vix Puellæ ductu, quasi miraculo, regnum recepisse. Itaque vivente autore recens adhuc in omnium animis Anglicana controversia versabatur; meliusque genuina ejus facies ex vicini autoris scripto apparet, quam

quam ex iis, quæ posteriores dixere. Videas hic Transactionem inter *Ludovicum S.* Galliæ & *Henricum III.* Angliæ Regem, *Eduardi III.* Homagium pro Aquitania, pacem Bretigniacam, Tractatus Troianos, aliaque id genus Acta publica, quæ nos primi edidimus, crebro citari, quemadmodum & dipl. 38. nostri Tom. I. non tantùm ab Anglis legem Salicam impugnantibus, sed & a Burgundis successiones filiarum tuentibus adhibitum apparet.

XVI. Sequitur n. 3. part. 1. *Johan. Burcardi* Argentinensis ceremoniarum Magistri *Ceremoniale Sedis Romanæ vacantis*, quale in usu fuit, quum, *Sixto IV.* extincto, *Innocentius VIII.* subrogaretur. Quod placiturum puto, quum omnia distinctè admodum & minutè ab homine harum rerum peritissimo, & cætera ingenuo describantur. Edideramus olim separatim excerpta ex Diario rerum *Alexandri VI.* ab eodem scripto, ubi quum multa narrentur homine probo, nedum Pontifice maximo, indigna; fuere (sed harum rerum historiarumque parum periti) qui fidem scripti in dubium vocarunt. Quibus facile satis fiet, ubi, idem opus ab aliis suæ communionis allegari cum elogio passim, & nonnulla quæ dedimus inde afferri intellexerint.

XVII. Quum etiam superiore Tomo dedissemus Fasciculum spectantium ad Concordata Nationis Germanicæ, nunc addimus alium n. 4. part. 1. quo cum concordatis inter *Leonem X.* & *Franciscum I.* Galliæ Regem, continentur etiam nonnulla, quæ illustrant Bononiensem inter duos istos principes congressum; tum bina scripta opposita novis istis concordatis, priora Regum Ordinumque edicta scitaque evertentibus; quorum unum profectum fuit a suprema senatus Parisini, quam Parlamentum vocant, Curia; alterum ab Universitate Studiorum Parisina, quæ etiam ad futurum legitimum Concilium (Lateranensi, quod tunc habebatur non agnito) appellandum duxit. Et quum sanctio pragmatica *Ludovici S.* tanquam Concordatis novis e diametro opposita ab iis adducatur; hanc quoque antiquitate, & ipsa non dicentis minùs persona, quàm dictorum gravitate venerabilem, adjicere visum est. Accidit autem, ut invitis nobis pars hujus fasciculi a reliquo avulsa in alteram Mantissæ nostræ sectionem n. 53. transferretur, quod monere visum est; quemadmodum & quod quidam observarunt, nonnulla, quæ Regis *Francisci I.* nomine pro Concordatis tuendis afferuntur, aliena a Gallorum principiis & juribus Coronæ, placitisque majorum, ex Cardinalis *Dupratii* privatæ rei studentis consiliis profecta credi, atque ita Curiam Romanam, dum tempora & homines (ut postea Lotharingum & *Richelium* Cardinales) prudenter captat, non contemnendos progressus fecisse. Spatium non fuit adjungendi Sanctionem pragmaticam vulgo dictam, his concordatis nominatim abrogatam, quæ diu sudes in oculis Romanæ Curiæ fuit, ac tempore Concilii Basileensis, & secundum ejus

decreta sub *Carolo VII.* Rege in synodo Nationali Galliæ Conventuque procerum Bituricensi 1438. promulgata erat. Sed nihil ibi novi adjectum est Basiliensibus decretis, tantumque nonnulla ad usum Galliæ temperata. Legi nuper, hanc pragmaticam Galliæ sanctionem fuisse editam, cum commentario *Cosmi Guymier*, Licentiati Juris, apud *Andream Bocardum* Parisiis 1507. adscriptis versibus non malis, sed de perpetuitate sanctionis non satis feliciter vaticinatis.

Stet liber hic, donec fluctus formica marinos
Ebibat, & totum testudo perambulet orbem.

XVIII. Pars secunda Mantissæ hujus majorem exhibet rerum varietatem; itaque singula perstringere aut illustrare non vacat. Ante omnia occurrunt N. 1, 2, 3, 4, tria magnorum Ordinum Regiorum Statuta, Aureæ Periscelidis, Aurei velleris & Sancti Spiritus, ordine temporum, quibus quisque institutus est, collocata: quos quum etiam magni Principes, ordinumque Protectoribus non obnoxii, recipere non dedignentur, pertinent ad jura Gentium & res Europæas generales. Dedi autem ad primæ institutionis formam; nisi quod Aureæ Periscelidis bina exempla edenda putavi, unum antiquum Latinum fundatoris ab *Elia Ashmolio* jam productum, alterum ex MSto Gallicum, quale *Henricus VIII.* superiore seculo reformavit. Quod si additiones, correctiones aut alius innovationes circa horum ordinum statuta factas extare voluerint, ad quos ea res pertinet; non incommodè aliquando novo Volumini nostri Codicis diplomatici adjicientur.

XIX. Dudum mirati sunt docti, neminem hactenus aggressum edere *Concilia Germaniæ*, quum in Gallicis *Sirmondus*, in Anglicis *Spelmannus*, novissimè etiam in Hispanicis Cardinalis *Aguirrius*, laudabili exemplo præivissent; habeamusque nos magnam (si quis inquirat) horum segetem, & duo generalia (qualia nec Hispani nec Angli) nempe Constantiense & Basileense, nisi quis tertium Tridentinum addere malit; & supparem his autoritate Synodum Francofurtensem, Nicænæ illi secundæ oppositam, quæ tunc in occidentis magna parte reprobata, nunc quod mireris, a quibusdam pro Oecumenica habetur. Vel sola Metropolis Moguntina (quam insigni collecto apparatu illustrare voluerat optimus & diligentissimus Vir *Jo. Gamansius*, ex Societate Jesu mihi olim amicus) quàm multa daret, digna quæ ab interitu vindicentur? quum majorem Germaniæ partem ipsi provinciam esse constet. Quum igitur talia quoque ad nostras manus venissent, placuit aliqua inde nunc in specimen gustumque dare. In his sunt nonnulla, quæ ad Concilia Constantiense n. 15, 16, 17. & Basileense a n. 18. ad 32. (b) referuntur, in quibus poteramus esse copiosiores, nisi majus opus, cujus ista propria sunt, nunc prodiret. Nimirum pio & sapienti consilio Serenissimus Princeps *Rudolphus*

phus Augustus, Brunsvicensium & Luneburgensium Dux, Concilii Constantiensis Acta & alia illuc spectantia, vel inedita vel paucis nota, aliquot Tomis (opera laudabili usus V. Cl. *Hermanni de Hard*) edi jussit, nobis etiam per amicos aliquam symbolam conferri curantibus. Videbat enim magnam lucem ex hoc opere Historiam Ecclesiæ capere, ipsique Reformationi, quæ dudum desiderabatur sperabaturque, primum Constantiæ aditum factum, aperto itinere, cui tamdiu institit providentia, donec vera aliqua Reformatio & in Capite & in Membris sequeretur. Neque enim negari potest, post Reformationem per Saxonem superiore seculo cœptam, & a magna parte cultæ Christianitatis receptam; factum esse, ut Roma paulatim se reformaret, multaque olim obnoxia hominum judiciis nunc ad decorum magis & dignitatem supremæ sedis composita visantur. Producat Deus vitam optimo Principi, ut non tantùm Basileensis Concilii res pari cura addi, sed & (quod vellem imprimis) Concilia Germaniæ omnia, totiusque Germanicæ Ecclesiæ res inde ab initiis accersitæ & ad nostra usque tempora deductæ, Annalium forma (ut *Carolus Cointius* in Gallia laudabiliter facere cœperat) colligi, illustrari, edi, ejus auspiciis possint: aut certè fundamenta ab ipso ponantur tanti instituti; quod non minùs quàm Sanctorum Acta, quibus præclari viri nunc occupantur, multorum annorum hominumque est. Qua ratione, aliisque curis sanctissimis efficiet, ut ultra sua etiam tempora consilio vivere intelligatur, continuationemque & exitum felicem magni operis spondere sibi Respublica, Ecclesia, Germania possint.

XX. Quæret aliquis fortè, quid hæc ad juris Gentium Acta? Sed huic dubitationi jam in priore Præfatione satisfactum est, ostensumque, nihil magis ad jus Gentium Europæarum commune pertinere, quàm quæ ab Ecclesia in Rempublicam porrigantur; quum eo maximè vinculo Europæi, imo in universum Christiani Principes gentesve colligentur, & velut corpus quoddam componant, sua habens instituta, vel a Deo autore, vel a sapientum placitis, vel a publica aut certè agnita tunc rerum potientibus auctoritate profecta. Itaque ex Actis pertinentibus ad Controversiam inter *Bonifacium VIII.* & *Philippum IV.* Galliæ Regem, cognomento *Pulchrum*, ea, quæ maximè lectu digna videbantur, hic n. 52. dedimus, quum omnium Principum jura contingant; antiquum illud obtinentes, ut in neutram partem iniqui, libenter utramque audiri efficeremus. Neque enim studio partium quidquam hic damus, & priore etiam præfatione mentem nostram de auctoritate quam Pontificibus Cleroque servari e re fuisset, non dissimulavimus.

XXI. Binas autem illas breves vulgoque jactatas Epistolas, unam *Bonifacii* ad *Philippum*, alteram *Philippi* ad *Bonifacium*, admodum insolentes, nec ceteras utriusque prudentia & gravitate dignas, omisimus; quod nobis dubiæ fidei videantur, neque uspiam quicquam in cæteris actis

actis indubitatis occurrerit, unde scriptæ judicari possint. Accessit velut in superpondium n. 52. (c. d.) aliquid pertinens ad *Centenarium Jubilæum* ab hoc *Bonifacio* promulgatum; vel ideo, quod nunc, dum hæc scribo, quintus annus secularis ex institutione ejus Romæ celebratur.

XXII. Damus & alia inter Romanos Pontifices & Christianos Principes acta, non minoris quàm Bonifaciana momenti; qualia sunt n. 44. Bullæ aliquot, quibus Pontifices quidam Romani rebus Gallicis studentes Imperium Romanum & Constantinopolitanum regnumque utriusque Siciliæ (id est Siculum & Neapolitanum) Domui Regiæ Francicæ procurare laborarunt; & de Arelatensi ac Viennensi (quæ in unum confusa postea, hic distinguuntur) non abhorrentia a se agitari ostenderunt; sive quòd Regum benevolentia magis indigerent, qui Avenione sedebant Papæ (quorum res nuper eximius Vir *Stephanus Baluzius* egregiè illustravit) sive quod Germaniæ Galliam opponere ex utilitate sua esse judicarent. Quibus conjungatur *Ludovici* Andegavensis Ducis, qui Galliæ Regis frater erat, creatio in Regem Adriæ a *Clemente* in sua obedientia dicto VII. facta, Tomo primo Dipl. 106. a nobis data, sed quæ exitu caruit.

XXIII. Majoris efficaciæ fuit, quod *Carolo V.* Romanorum Imperatori alter præstitit *Clemens VII.*, qui totam temporalitatem ditionemve Ultrajectini Episcopatus, memorabili exemplo in Imperatorem ejusque Hæredes, Duces Brabantiæ & Comites Hollandiæ transtulit; cujus facti Bullam 1529. datam, cum reliquis actis hoc loco n. 41. (a) publicamus. Idque ipsum est, quod vulgo secularisationem vocant, bonorum Ecclesiasticorum. Rationes autem, quibus inductum se refert Pontifex, non admodum premunt, neque enim a pace Ecclesiæ unitateque resarcienda desumuntur (ut ea quæ *Elisabethæ* Reginæ Angliæ oblata dicunt) aut ab expeditione contra infideles (quo titulo Pontifices nonnullorum Religiosorum ordinum bona Venetis indulserunt) sed ex hoc tantùm, quod Ecclesia Ultrajectina suas ditiones contra Ducem Clivensem tueri non posset; quæ ratio ad hoc unum valere videbatur, ut officii Imperatorem admoneret Papa, non ut ipsi Advocato, quod defendendum erat, absorbendum daret; id enim remedium malo pejus videbatur. Sed ex his apparet, quantum consensu maximorum orbis principum pro bono Ecclesiæ posset Papa, qui tantùm potuit pro suo suorumque commodo. Huc referri posset posita n. 41. (a) Quedlinburgensis pacti super Hildesiensi ditione, pro bona parte in Brunsvicenses Duces translata, confirmatio a *Paullo III.* profecta 1537. nisi ea majore ratione niteretur. Nam Pontifex Imperatoris & Imperii procerum judicium & acta, ut æquum erat, sequutus fuerat.

XXIV. Plura alia huic collectioni inseruimus, pertinentia ad concordiam & discordiam sacerdotii & Imperii, ut n. 47. circa *Ludovici Ba-*

vari

vari appellationem a *Johannis XXII.* censuris, Exemtionem item (Papa *Eugenio IV.* indulgente) Cliviæ Duci concessam a jure Metropolitani Coloniensis & Episcopi Monasteriensis, n. 34, 35. qua potestas quædam Duci datur satis similis illi, quam Monarchiam Siciliæ appellant, vid. Tom. I. Cod. J. G. Dipl. 1. prodr.) cui refutandæ *Baronius* Cardinalis Tomum apud Hispanos prohibitum destinavit. Et hujus potestatis argumento (etsi non satis de origine constaret) inter alia usus est nuper Jurisconsultus insignis, ut ostenderet, Germaniæ Principibus Protestantibus non tantùm Episcopalia, sed etiam Papalia subinde jura esse tribuenda. Huc denique pertinent n. 54. Acta Absolutionis *Henrico IV.* Galliæ Regi ab Episcopis suis concessæ 1593, quod tunc Roma idem impetrari non posset, nec tanta res differri debere videretur. Ubi imprimis memorabile est, Galliæ Præsules & Theologos, qui Conventui illi interfuere, adeo non exegisse a Rege suo Concilii Tridentini agnitionem, ut etiam in professione fidei, olim a *Pio IV.* præscripta, & a Rege quoque facienda, mentionem hujus Concilii binis illis quibus habetur locis, prudenter expunxerint ipsi. Adeo tunc ignorata erat, quæ nunc quibusdam placet distinctio, quasi in Gallia receptum sit hoc Concilium quoad fidem, non quoad disciplinam. Nam si pro regula fidei habendum putabant, ubinam, obsecro, major ei locus erat, quàm in professione fidei ipsius Regis? Et plus est resecuisse, quàm non posuisse.

XXV. Ad Imperii negotia spectant quædam antiqua Electionum Acta num. 49, 50. (quorum bonam partem excellenti in his studiis viro, jam supra laudato, *Stephano Baluzio*, debemus) & nonnulla alia ad Res Electorum pertinentia n. 10. (a) 48. itemque ad publicam Imperii pacem n. 8. Item Austriaco Helvetica, a n. 9 (a) ad n. 10 (c) Luxemburgica n. 37 (a) ad 39, (b) & id genus plura. Et multa quidem jam in præfatione priore disseruimus de origine Electorum, quibus addere nunc operæ pretium est, reperiri vestigia juris nascentis circa *Ottonis IV.* tempora, tum in Epistolis *Innocentii III.* tum in *Gervasio* Tilberiensi. In Epistolis *Innocentii* est deliberatio ipsius Papæ inter tres Imperii candidatos *Fridericum*, *Philippum* & *Ottonem*, ubi hæc extant verba: *Quum tot, vel plures ex iis, ad quos* principaliter *spectat Imperatoris Electio, in eum* (Ottonem) *consensisse noscantur* &c. Etsi autem non satis appareat, quos intellexerit Pontifex, an fortè Archiepiscopum Coloniæ *Adolphum*, & *Henricum*, Ducem Saxoniæ, Comitemque Palatinum Rheni (duplicem personam sustinentem) *Ottonis* fratrem, illud tamen manifestum est, jam tum visum ad aliquos magis principaliter Imperii Electionem spectare; qui scilicet ex reliquorum Principum *prætaxatione* (ut loquitur *Albertus* Stadensis Abbas) solennem Electionem obibant, quod erat magnorum Imperii officiorum. *Gervasii* autem in otiis Imperialibus, capite de Regno Francorum, hæc de *Henrico VI.* Impe-

Imperatore verba sunt: *Hic impetravit a suis subditis, ut, cessante pristina Palatinorum Electione, imperium in ipsius posteritate distincta proximorum successione transiret, & sic in ipso terminus esset Electionis, principiumque successione* (fortè: successionis) quanquam id Consilium Imperatoris adeo contravertit, *ut potiùs in ejus filio cessasse successionem, cœpisse electionem dici possit.* Interea discimus Palatinorum, id est, magnorum aulæ seu palatii officiorum Electione, vel in eligendo functione solemni, Reges tunc promulgatos. Officiati autem illi (præter tres Imperii Archiepiscopos Francos) erant quatuor, Dapifer, Pincerna, rei Equestris præfectus, & Camerarius, qui jam sub *Ottone M.* aliisque antiquis Imperatoribus memorantur.

XXVI. Hæc porrò vetus eligendi succedendique forma, quantum lapsu temporum mutata sit, quum alia jam priore Tomo producta ostendunt, tum præsentia Acta Electionum *Henrici* Luxemburgici, vulgo dicti VII. (quanquam id nomen jam datum reperiatur *Henrico Friderici II.* filio & *Wenceslai*, quorum ille *Caroli IV.* Aureæ de Electionibus Bullæ autoris pater, hic filius fuit. Quòd si talia plura prodeant, paullatim series rerum gestarum Electoralium magis in clara luce ponetur. Memorabile autem est, in *Henrici* Electione, quum tunc plures Duces Saxoniæ jus eligendi simul habere adhuc nonnullis viderentur (nondum enim Aurea Bulla *Caroli IV.* id uni ex stirpe vindicaverat) majoris cautionis gratia omnium consensum intervenisse. Et paullo post, duo filii *Ludovici* Bavari, qui *Henrico VII.* in imperio successit, quum essent Marchiones Brandenburgici, in dipl. anni 1360. quod hic damus n. 48. sese ambo Archicamerarios vocant; idque, quod mireris, sub ipso *Carolo IV.* & post conditam jam Auream Bullam adeo ista olim in ambiguo versabantur.

XXVII. De cetero ad res imperii pertinet n. 8. fœdus publicæ pacis 1253. inter civitates primum Rhenanas initum, cui accessere Archiepiscopi & alii Principes; turbatissimis tunc scilicet post *Friderici II.* mortem, incerto successore imperii rebus. His adjungi possunt *Rudolphi* primi quædam, qui, finito demum magno illo interregno, successit, veluti forma pacis, quam ejecto *Ottocaro* Bohemo per terras Austriacas promulgavit 1276. n. 9. (a) & Laudum Concordiæ inter ipsum & *Ottocarum* n. 9. (b) itemque singularis constitutio, qua idem, si quid sibi humanitus accidat, *Ludovico* Comiti Palatino Duci Bavariæ, tanquam vicario Imperii ex antiquo jure, Austriam committit, donec imperio de principe provideatur per majorem Electorum partem n. 10. (a) ubi duo notatu digna sunt, Vicariatus Imperii tanquam ab antiquo, cùm tamen vix illa ejus apud vetustiores vestigia reperiantur; & auctoritas numeri majoris jam hic afferta in Romanorum Regum Electionibus, quæ tamen diu adhuc postea fluctuavit, quum, ut in Ecclesiasticis ejus temporis Electio-

Electionibus, sæpe adhuc quæreretur non tantùm quæ *major* pars, sed & quæ *sanior* esset; videretur autem sanior, in Ecclesia quidem, quæ Papæ placuisset, (unde paulatim magna ejus in conferendis beneficiis auctoritas) in Republica, quæ armis vicerat, tanquam judicio Dei. Unde invaluerat opinio, Electum prope Francofurtum cum exercitu exspectare æmulum debere, ut rata Electio haberetur. Sed hæc anarchiæ vestigia sustulit *Caroli IV.* Bulla & ejus eligentium eligendorumque incertitudine liberavit.

XXVIII. Superest, ut cætera velut per saturam complectamur, uti *Friderici II.* Epistolam ex Syria 1229. quæ apud *Petrum de Vineis* non exstat, de fœdere percusso cum Sultano, quo Hierosolymorum urbem & loca sancta Imperator recepit n. 45. Relationem Legatorum Florentinæ Reipublicæ ad Sultanum Ægypti pro commercii tractatu ineundo missorum 1422. n. 35. quod unum Italica lingua scriptum huic Mantissæ inseruimus, versionem ejus non magis quàm Gallicorum necessariam putantes, quum tanta sit cognatio utriusque linguæ inter se, & cum latina, ut unam tenentem altera non prorsus fugere possit. Fœdera & privilegia Hansæ Teutonicæ Gallica, inde ab anno 1483. ad nostra tempora n. 36. Investituram Ducatus Sleswicensis primam sub nomine Ducatus Jutiæ 1326. quam Rex Daniæ *Waldemarus Gerardo* Comiti avunculo suo dedit (quanquam jam Imperatorem *Ottonem M.* olim Marchionem Imperii in Sliaswic constituisse veteres tradant) num. 46. Antiqua Austriacorum cum Helvetiis fœdera anno 1474, 1477. quorum tunc Rex Galliæ conciliator fuit num. 10. (b c.) Et quia nunc in ore omnium est controversia successionis novi Castri, vulgo *Neufchatel*; adjecimus n. 11, 12, 13. Principum ipsiusque urbis antiqua fœdera cum Bernensibus, Lucernatibus, concesso apud has Respublicas jure civitatis, &, ut sic dicam, incorporationis anno 1406, 1458, 1495.

XXIX. Quanquam autem consilium fuisset, non nisi ea in hac Mantissa proferre, quæ primi Tomi limites non transilirent, neque anno 1500. posteriora essent; quoniam tamen hoc loco cognata sæpe uno fasciculo complexi sumus, quædam recentiora a reliquis divellere non est visum. Addidimus tamen & nonnulla ob causas singulares, velut Tractatum Spirensem n. 43. inter *Carolum V.* Imp. & *Christianum* Daniæ Regem conclusum 1544, quod Relatio de Rebus Danicis Angli his negotiis a Rege suo adhibiti asseverasset, quum id fœdus ad Belgas *Carolo V.* subditos tunc pertinuerit, hodie fœderatas Provincias eo etiamnum niti. Et quum V. Cl. *Thomas Rymerus* pro humanitate sua in gustum magni operis sui, edendum nobis misisset fœdus perpetuæ pacis & amicitiæ inter Reges & Regna Franciæ 18. Augusti 1627. quod sub aureo Franciæ Sigillo habet; noluimus beneficio ejus tam humaniter oblato, non uti. Itaque adjecimus hic n. 40. in specimen, ut, quod ex Archivo Angli-

cano prodit, cum eo, quod ex Gallicis Tabulis dedit *Leonardus* Tom. 2. conferri possit. Denique Translationem Ditionis Ultrajectinæ ab Episcopo in *Carolum V.* itemque Acta absolutionis *Henrici Magni*, sive Quarti Galliarum Regis (licet utrumque sit superioris seculi) ne in aliud tempus differremus, fecit momentum eorum, quæ in illis, paullo ante annotata, continentur.

XXX. Promisimus supra de novissimis aliorum collectionibus aliquid dicere. Primus Vir Nobilissimus & munere meritisque in literas literarumque cultores insignis *Daniel à Nessel* anno 1690. Viennæ Austriæ Indicem viginti sex in folio paginarum edidit, quo recensebantur pacificationes & fœdera, quæ edere constituerat. Titulus indicis hic fuit, quem adscribere placet, ut laudabile ejus consilium magis innotescat: *Prodromus Historiæ pacificatoriæ, sive index Chronologicus in corpus historico-politicum publicarum Pacificationum, Confœderationum, Ligarum, Conventionum, Transactionum, Factorum, Tabularum fœderis, Instrumentorum pacis, Neutralitatis, Commercii, Associationis, Provisionis, Guarantiæ, Recessuum Interimisticorum ab An. C. 1400. usque ad an. C. 1685. per totum terrarum orbem sancitorum & conclusorum.* Quod ipsum ex variis probatissimis Historicis, Actis publicis, Archivis, nec non Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis multiplicibus documentis & subsidiis informatoriis fidelissima sedulitate collegit, secundùm expansorum Annorum seriem methodicè digessit, origines & causas bellorum synopticè enumeravit, sopitis deinde belligerantium armis ipsa subsequutarum Pacificationum instrumenta bona fide inseruit, brevique, Deo volente, se editurum pollicetur *Daniel de Nessel*, J. U. D. Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius & Bibliothecarius Aulicus.

XXXI. Hunc sequutus *Fridericus Leonardus* patria Bruxellensis, sed Parisiis rem librariam & typographicam cum laude curans, sex, in forma, quam quartam vocant, volumina edidit, Tractatuum Coronæ Gallicæ cum aliis Europæ Principibus aut rebus publicis conclusorum. Et vir eleganter doctus, ac scriptis civilibus ingenii plenis dudum cognitus *Amelotus Houssagus* hederam operi suspendit egregiè, libello 1692. edito, cui titulus: *Preliminaires des Traités faits entre les Rois de France & tous les Rois de l'Europe depuis le Regne de Charles VII.*, ubi brevi narratione rerum ab illo tempore in Europa gestarum, tractatuum illorum causas materiasque perstringit.

XXXII. Jam versabamur nos in Codicis juris Gentium Tomi primi editione, quum fama primum novi operis Parisini, deinde præliminaris dissertationis *Amelotianæ* conspectus, & index edendorum ad nos pervenit. Et quum nos altiùs cœpissemus, nondumque ad eum pertigissemus terminum, unde sibi initium statuerat *Leonardus*, statim omnia rescuimus ex nostro opere, etsi non pauca jam editioni parata haberemus,

mus, quæ illum ſibi deſtinaſſe ex indice apparebat. Nam quum nos inopia non laboraremus, delectuque cenſuiſſemus utendum, vix quicquam edere conſtitueramus, niſi quod aut alibi non extaret, aut difficulter haberi poſſet, aut certè non nullius eſſet momenti. Factum tamen eſt, ut duo tractatus nobis communes deprehendantur, quos ſcilicet ille poſt indicem editum videtur nactus, nam in indice præliminaribus adjecto, non comparuere tractatus in oppido Montis majoris inter Galliam & Luſitaniam 7. Jan. 1685. & tractatus ad ſtapulas ſupra mari inter Galliam & Angliam 3. Novemb. 1492. qui nunc collectionis *Leonardinæ* Tomo I. non minùs, quàm in Tom. I. Codicis mei habentur. Ceterum, quum præoccupata omittere conſtituiſſem, accidit tamen per errorem, ut Tomo I. Tractatus Barcinonenſis irreperet, quem jam promiſerat index *Leonardi*, & in hac Mantiſſa, ut Tractatus Hanſæ Teutonicæ cum Gallia ex meo darem, quod eoſdem in Leonardina collectione jam exſtare ſeriùs obſervaſſem.

XXXIII. Supereſt, ut de Collectione Batava dicamus, quæ ab aliquot annis promiſſa ante paucos menſes prodiit. Equidem laudem & præmia induſtriæ ſuæ meritò exſpectant Librarii & Typographi Batavi, qui inſignia opera moliuntur; præſertim ſi non ſua tantùm, ſed & publica commoda reſpiciant. Optandum tamen eſſet (ne alia nunc tangam) ut paullo minùs ſe præberent faciles in recipiendis protrudendisque narrationibus auctorum, incomperta ſibi, mira cum fiducia, pro veris venditantium; qua ratione credulo lectori imponitur, planeque Hiſtoria noſtri temporis corrumpitur. Sic qui noviſſimè deſcriptionem belli prioris inter Gallos Belgaſque fœderatos Gallicè edidit, magnam rerum notitiam, & oculare in pleriſque teſtimonium profeſſus; adeo tamen in maximis rebus aberrat, ut, *Carolum II.* Magnæ Britanniæ Regem aſſenſu Parlamenti Batavis bellum intuliſſe, ſcribat: & victoriam apud Treviros reportatam, deleto *Crequii* exercitu, Duci Lotharingiæ tribuat, qui ne affuit quidem, & exiguam militum manum adduxerat; Cellenſi interim Duce & Oſnabrugenſi Principe fratribus nec nominatis, quorum tamen copiis maxima exercitus pars conſtabat, auſpiciiſque & conſiliis, præſentique fortitudine res tranſacta eſt. Sed ad eam, de qua agitur, Collectionem Batavam Tractatuum Pacis Fœderumque & ſimilium Actorum redeo. In eam collata ſunt plurima, ſed ferè tantùm ex jam editis, velut ex Goldaſtinis multa, ex meis pleraque, Leonardini verò tractatus pene omnes, quibus & Theatrum Pacis, & nonnulla alia id genus acceſſere; & *Aitzema*, & *Victorius Sirus*, & tales alii ſymbolas ſuas contulere, unde tandem ingens, & cætera non habentibus profutura Compilatio, quatuor in folio voluminum excrevit, ubi Vir quidam, ut apparet, perdoctus notas utiles ſubinde adſperſit ex Hiſtoria. Quæ alio quàm Latino aut Gallico ſermone ſcripta erant, iis verſio Gallica

lica accessit, quod non exiguum neque spernendi laboris atque etiam; ut rectè assequare, doctrinæ fuit. Miror ubi mea in suum opus transtulere Batavi Editores, distinctiones typorum a me studiosè passim curatas neglexisse, quæ tamen valde placuerant peritis, ut pene notarum instar habere fuerint visæ, dum singularia quæque velut indice digito designantur. Inscriptiones ego dederam Latinorum diplomatum Latinas, Gallicorum Gallicas; plerumque quales repereram in originalibus meis, sed Batavi editores semper Gallicam præfixere: nonnunquam in ipso Textu Gallicas versiones fontibus prætulere. Ita cum Tractatum *Ludovici XI.* cum Helvetiis Latino sermone dedissem, quo scriptus erat, (quod libenter facere soleo) illi Gallicam versionem aliunde maluerunt; quemadmodum & Concordata Germanicæ nationis Gallicè produxerunt ex *Heissio*, & Gallicæ tamen Nationis Latinè ex *Rebuffo*. Lacunas in nostris crebras, de quibus queritur curator Editionis Batavæ, credo ipse pro æquitate sua non nobis sed Codicibus nostris imputabit, agnoscetque, quando difficilius sit ex manuscriptis; iisque sæpe admodum corruptis aliquid edere, quàm transsumere ex impressis. Innumera certè sunt restituta partim ex fontibus, unde res haustas conflabat; ita tamen, ut nihil facilè in corrigendo textu nisi certum admitteremus, dubia verò stellis vel uncis designaremus. Interdum ab aliis jam edita, quum aliter nacti essemus in MSto, reddidimus ad nostrum exemplar varietatis causa; libentiùs utique, quum pristina editio aliquid dubii haberet. Itaque in Concordato inter Imperatorem *Henricum V.* & Papam *Calixtum*, quod Tomi I. initio occurrit, testes omisimus, quos exhibet *Goldastus*, quia alii Codices aut non, aut variè illos habent. Corrupta autem & depravata ibi quædam esse indicat vel unus inter testes nominatus *Bruno*, Dux Saxoniæ, qualis illo tempore nullus erat. Equidem solent non raro suppleri principes ex hujusmodi Actis, qui alias Historicis ignorantur; sed, ni fallor, notior est Historia Saxonica ejus temporis, quàm ut tale quid suspicari possit. Et *Magno* vel *Magnoni* Duci sine masculo hærede defuncto *Lotharium* (qui postea regnavit) ab Imperatore substitutum constat; neque tunc plures simul erant Saxoniæ Duces, ut postea in morem ivit.

XXXIV. Exspectamus jam ingens & haud dubiè præclarum *Thomæ Rymeri* opus, qui de Republica & literaria merebitur egregiè, tot antiquis Angliæ monumentis ex Archivorum situ tenebrisque, quibus hactenus damnabantur, in lucem productis. Addet subinde sigilla & signa veteribus chartis appensa vel impressa, ære reddita. Professus est nostro se exemplo excitatum, eosdemque sibi limites præscripsit, a quibus Tomus noster primus cœpit, annum æræ Christianæ 1101. Sed hoc illi præ nobis eximium contigit, quod ad ipsa authentica originalia admissus de veris lectionibus tutò pronuntiare potest, dum nos plerumque Apo-

Apographis contenti esse cogimur, sæpeque in incerto versamur. Exemplo Angliæ speramus alias Gentes excitatum iri, ut præferant chartaceos istos thesauros in Historiæ jurisque gentium usum. Ita demum innumera cognoscentur in serie temporum causisque rerum gestarum, familiarum etiam principatuumque originibus, & mutationibus, quæ nunc perverse narrantur; in jure gentium, quæ nunc aliter accipiuntur; in Geographia, & omni denique re literaria, quæ nunc ignorantur. Sed Rymeriani operis editam inscriptionem, posteriorem scilicet eamque priore ampliorem (nemo enim intelligens hic prolixitatem tituli culpabit) qualis autoris missu ad nos pervenit, hoc loco repræsentare placet: *PANDECTA Fœderum, Conventionum, Alligantiarum, Literarum, Appunctuamentorum, Obligationum, Concessionum, Renuntiationum & Tractatuum quorumcunque inter REGES ANGLIÆ, ex una parte, & IMPERATORES, REGES, PONTIFICES, COMMUNITATES, aliosve quosvis PRINCIPES sive POTESTATES, ex altera, ab ineunte sæculo duodecimo, vid. ab anno Domini* 1101. *ad nostra usque tempora, secundùm temporum seriem DIGESTÆ, Instrumenta omnimoda, Chirographata, Identata, per Alphabetum divisa, transsumta, transcripta seu scripta authentica, aut authenticata, & Diplomata, cerâ sigillata, vel plumbo roborata, vel etiam AURO bullata: Pacem, Amicitiam, Matrimonium, Bellum, Mutuum auxilium, Captiones. Hostagiamenta, Homagia, Treugas aut Intercursus, CONCERNENTIA: (Quorum insigniora nonnulla, ut etiam cujusque Gentis insigniora Magna Sigilla æri incisa, appositis tabellis, suis quæque locis, sunt inserta) insimul & Chartas Libertatum Scotiæ, quas E. I. subacto regno, secum inter regalia in Angliam adportasse creditur: ex Autographis, infra secretiores Archivorum Regiorum thesaurarias, per multa sæcula, latentibus & inaccessis, jam tandem erutis, & eruderatis, FIDELITER EXSCRIPTA, COMPLECTENTES in lucem prodeunt de mandato Regis. Opera & studio T. R. Historiographi Regii. Quibus addita sunt ex diversis libris MSS. Scaccarii, ex Actorum publicorum Tabulis in turri London. & ex Bibliotheca Cottoniana quæcunque ad prædicta supplenda, continuanda, aut perficienda, idonea visa sunt. Opus ad jura moresque & ingenium cujusque Gentis & sæculi dignoscendum; ad familiarum antiquitates, Dignitates & Genealogias illustrandum; ad Historias & Annalium calculationes reformandum, emendandum & corrigendum, ACCURATUM. Ac denique ad Rancores inter gentes emolliendas, ad pacem ubique terrarum conciliandam & ad antiquata amicitiæ Fœdera, Intelligentias & Commercia, renovanda, stabilienda & firmanda EFFICACISSIMUM.*

XXXV. Finiamus ubi de nostris in hoc argumento consiliis, cogitatisque pauca quædam adhuc dixerimus. Habemus jam, partimque exspectamus ipsi unde aliquot Tomi compleri possint; quibus, Deo volente, subsecivis aliquando horis admovebimus manum, ubi magis necessariis

cessariis licuerit defungi. Mantissam præsentem non tam continuationem quam supplementum Tomo primo esse voluimus, ut hoc velut pignus constantis voluntatis nostræ orbi erudito daremus, itaque nec Chronologico ordini, qui confirmationi debetur, nos hic adstrinximus. Vellemus autem oriri aliquem virum doctrina & diligentia operi parem, qui ex nostris aliorumque editis edendisque Actis publicis, Tabulis, Diplomatibusque majoribus, nucleos sensorum præcipuorum, indices rerum verborumque exquisitos, & pene ad Concordantiarum speciem uberes, vel certè iis similes, qui in corpora juris cum glossis & autores Classicos habentur, Glossaria etiam, ac denique notas daret; ne illis quidem præteritis Actuum publicorum documentis, quæ passim extant in libris dudum editis, neque in collectionibus istis repetentur. Quod si *Thurmanni* nostri viri Clarissimi et Juris consultissimi labores, ut sic dicam, indicatorii, quibus etiam Acta publica omnigena perstringere voluit, (quod optamus) procedant; multum adjumento erunt talia aliquando aggressuris. Ipsi nobis, si voti nos damnabit Deus, seponimus juris naturæ gentiumque scientiam, tum ex intima philosophia, fontibusque jam in superiore præfatione digito monstratis, derivandam; tum verò ex his ipsis Gentium actis, populorumque legibus atque usu moribus recepto, & exemplis denique ab Historia suppeditatis firmandam atque ornandam; quæ simul etiam vasti juris Gentium corporis, sive ex Pandectis Rymerianis, sive ex Codice nostro, sive ex cæterorum Regestis, aut extra collectiones vagantibus, per Bibliothecas scripturis, in hoc jure vim habentibus, quædam, ut ita dicam, *paratitla* præbebit.



CÆSA-



CÆSARINI FURSTENERII TRACTATUS (a) DE JURE SUPREMATUS, AC LEGATIONUM PRINCIPUM GERMANIÆ.

Juxtà secundam Edition. Londin. anni 1678.

AD LECTOREM.



UICUNQUE vulgò controversias ad Rempublicam pertinentes tractant, plerumque affectu non minùs quàm ratione feruntur, quod non improbo: & prudenter arbitror facere Principes, qui Advocatis studio ardentibus causam commendant suam. Nam & Lectores multi non tam judicio, quàm excitatis arte motibus animi rapiuntur; affectus autem quos volumus in aliis non tàm exquisitis argumentis quàm vivida ipsorummet affectuum pictura excitamus, quos nemo faciliùs exprimit, quàm qui sentit. Itaque vereor, ne mihi, extra stu-

(a) Regii Legati Noviomagi anno 1678, de pace Europæ restituendâ, eosdem honores Legatis Principum Imperii, non Electorum, denegabant, quos Italiæ Principum Legatis, quales erant Duces Mutinæ & Mantuæ, concedebant. In favorem Principum Germaniæ hunc libellum tunc temporis edidit Author noster, in quo personam simulatam *Furstenerii* accipiens, Principibus cultum suum præbebat, (vox nempè

dia partium posito, & nihil ab eventu expectanti, frigidior extiterit oratio: Spero tamen quanto minùs afficiet Lectorem plebejum, tanto viris prudentibus gratiorem fore, quibus Eloquentia suspecta est, nudaque veritas amatur. Iidemque intelligent non me ita cæco impetu in hanc causam ferri, ut in alios impingere nihil pensi habeam: contrà enim illud curavi studiosè, ut cùm dignitatem Ordinum extollo, Cæsaris Majestatem conservem, & cùm Principum magnitudinem assero, Electorum splendori faveam. Quia verò in ipso dicendi calore verba excidere solent, quæ in alterutram partem nimia apparent, & totam dicentis sententiam exprimere non possunt, ne cursus ratiocinationis intempestiva explicatione interrumpatur: Ideò consultum videtur hoc loco paucis vera animi sensa in ipsa tractatione dispersa complecti, quæ viro bono, &, ut aliquid fortius dicam, Germano digna, credo, judicabuntur. Cæsareum itaque fastigium paulò sublimius esse arbitror, quàm vulgò sibi persuadent, Cæsarem esse Advocatum, vel potiùs Caput, aut, si mavis Brachium seculare Ecclesiæ universalis. Totam Christianitatem unam velut Rempublicam componere, in qua Cæsari autoritas aliqua competit. Hinc Sacri Imperii nomen, quod æquè latè ac Ecclesia Catholica quodammodo porrigi debet. Cæsarem esse Imperatorem, id est, Ducem natum Christianorum contra infideles: ipsius esse ante cæteros Schismata componere, Concilia & procurare & moderari & denique ipsa sui muneris autoritate operam dare, ne quid Ecclesia & Respublica Christiana detrimenti capiant. Multos Principes constat aut Imperii Romani, aut certè Ecclesiæ Romanæ beneficiarios sive Vasal-

nempè *Fürst* Germanicè, idem ac *Princeps* Latinè sonans) eodem tempore per nomen *Cæsarini*, innuebat se non minùs Imperatori cultum suum præbere. Paulò post hujus opusculi compendium Gallicè edidit *Leibnitius*, cui titulus, *Entretiens de Philarete & d'Eugene sur la question du tems agitée à Nimégue, touchant le droit d'Ambassade des Electeurs & Princes de l'Empire*, 12. *Duisbourg* 1677. Quæ tituli differentia plurimos persuasit, hunc librum varium esse a *Tractatu de jure suprematûs*; sed D. *Ludovicus* in suâ de *Leibnitii* Philosophiæ historiâ, Tom. I. §. 302. ambos libros, quamquam sub variis titulis, apprimè similes esse prædicavit.

Vasallos esse, à Cæsare aut Pontifice Reges vel Duces appellatos; & reliquos etiam non prius regno, quàm Christo inaugurari, cujus Ecclesiæ fidelitatem spondent, cùm ab Episcopo unguntur. Sic enim Christus regnat, vincit, imperat: cùm plerosque Occidentis populos studiosa pietate se Ecclesiæ summisisse historiæ ostendant. Nec disputo, an hæc juris divini sint; illud constat, omnium voluntate facta esse, & fieri rectè potuisse, & à communi Christianæ rei utilitate non abhorrere: Nam eadem sæpe est salutis animarum & boni publici cura, ut nesciam, an non cum conscientia Regum, Ecclesiæ universali etiam sceptra subjiciantur, non ut minuatur dignatio eorum, aut ut ligentur manus Principibus, quæ ad justitiam administrandam, regendosque feliciter populos expeditæ esse debent; sed ut homines turbulentos ultra jus fasque exorbitantes & ambitionem privatam innocentium sanguine placaturos, qui sæpe Principes ad prava impellunt, major autoritas contineat, quæ in Ecclesia universali sive Sacro Imperio & Capitibus ejus Cæsare ac Pontifice legitimo & potestate rectè utente quodammodo residere debet. Itaque si jure agendum est, Cæsari in magna parte Europæ aliqua autoritas & quasi Primatus quidam Ecclesiastico respondens, tribuendus est: & quemadmodum in Imperio nostro de Pace publica tuenda, subsidiis contra infideles conferendis, justitia inter ipsos Principes administranda, cautum est, ita scimus Ecclesiam universalem de causis Principum judicasse, Principes ad Concilia appellasse, in Conciliis de ordine ac sessione pronuntiatum fuisse; Concilia Christianorum nomine bella in Christiani nominis hostes indixisse. Et, si perpetuum esset Concilium, vel constitutus à Concilio communis rei Christianæ Senatus extaret, tunc quod nunc fœderibus, &, ut vocant, Mediationibus atque garantiis fit, id interposita autoritate publica à capitibus Christianitatis Pontifice ac Cæsare profecta, amica quidem compositione, efficaciùs tamen quàm nunc fit, transigeretur. Quod itaque Principes nostri Cæsari ac sacro Imperio se propiùs junxere, in eo aliis

 quibus-

quibusdam Principibus ac Rebuspublicis exemplum monstrant, quæ melius securitati suæ consulerent, si se Imperio unirent, ut olim Burgundia, quæ sponte corpori nostro accessit. Quod autem nostri exemplum usurpationis quorundam, inprimis in Italia, sequi nolunt; ideo præmium constantis erga Sacrum Imperium obsequii hoc tulere ab Ecclesia & Orbe Christiano, ut ex eorum numero & ab ipsis Imperator eligeretur, Christianæ Reipublicæ Caput. Itaque quod Imperium agnoscunt, ad ipsorum potiùs honorem ac dignitatem pertinet: & nihilo alii quidam liberiores censendi sunt, qui exemtionem exercent, quæ nec ipsis prodest, & publico nocet. *Nocet*, inquam, quia dissolvit illam Christianorum unitatem, quæ publicam tranquillitatem stabiliret; *non prodest* usurpantibus, quia nihilo ipsi nunc plus possunt, quàm Principes nostri; neque enim vel Ecclesiæ potestas in conscientias, vel Sacri Imperii, (Ecclesiæ conjuncti) auctoritas in Principes vel Privatorum libertatem vel Principum Suprematum minuit. Hæc enim non eò dico, quasi Principes, etiam exteri, sint Cæsaris subditi, sine discrimine ac modo, quod absurdum foret: sed quòd sentiam eos, *salvo Suprematu suo*, autoritati ejus reverentiam efficacem debere; illos tamen maximè, qui peculiaribus vinculis Imperio obligantur, Itali Germanique. Quod ut appareat, intelligendum est, quid *Suprematum* vocem. Nimirum vulgò multa de juribus Majestatis & formis Rerumpublicarum & summa potestate dicuntur, quæ abhorrent ab usu. Ego Majestatis vocabulum hinc ablego, quod Cæsari olim in Germania proprium, hodie in aliis quoque Regibus receptum est. Summa autem potestas ambiguum est quiddam. Nam si *jus* tantùm spectamus, æquè maximum Principem ac abjectissimum quemque de plebe obligatum esse constat, ad actiones omnes ex justitiæ præscripto moderandas; si verò potentiæ tantùm, quæ ipso *facto* competit, rationem habemus, Tyrannus aut Dux latronum, non minùs ac Rex, summa potestate præditus videbitur: itaque medium quoddam tenendum est, & jus facto contemperandum. Nempè tria maxima vincula

cula homines continent: conſcientia, reverentia, vis ipſa. *Conſcientia* omnes Deo ſubjicit, *reverentia* Principes Eccleſiæ Sacro Imperio ac Cæſari; denique *vis* præſens ſubditos Principi aut Superiori; Itaque Majeſtas Cæſaris, cui cultus debetur maximus, nihil Ordinum Superioritati detrahit, quamdiu nondum illuc rediit eorum conditio, ut Cæſar ipſorum oppida præſidiis, recepto atque ordinario jure, teneat. *Jus* ergò *Superioritatis* uniuscujuſque Principis ſive civitatis in eo conſiſtit, ut ſuum territorium ipſemet, confeſſo jure, militari manu obtineat, & ſubditos præſenti poteſtate continere in officio poſſit, in quo Dominus territorii eminet ſupra Dominum juriſdictionis, Domino territorii ſubditum. Nam *Dominus territorii* jus habet comparandi ſibi vires, quibus totam ſubditorum univerſitatem in poteſtate retineat militari manu; at *Dominus Juriſdictionis* jus habet tantùm Miniſtros habendi executionis contra privatos Juſtitiæ refractarios. Ex quibus utique manifeſtè patet, quæ ſit vera definitio tum *Juriſdictionis* (quæ hodierno loquendi JCtorum more non coërcitionem tantùm levem, ſed & merum Imperium ſignificare poteſt, tum *Superioritatis*, de qua tam diu juris publici autores digladiantur. At verò, quia territorium poteſt eſſe exiguum, quale eſt Reipublicæ Sanmarinianæ aut Regni imaginarii Ivetotiani, hinc ſuperioritatem territorialem adhuc diſtinguo, ab eo quod appello *Suprematum*: ut ſit vox quæ illi rei reſpondeat, quam exteri vocant *la Souveraineté.* Scio quidem & Gallos JCtos nonnunquam ea voce intelligere exiguum etiam territorium, quale eſt *la Souveraineté de Bidache* aut ſimilis; ſed cùm de publicis negotiis ſermo eſt, eos vocare ſolent *Souverains*, quos aliàs appellant *Potentats*, qui ſcilicet majus territorium tenent. *Suprematum* ergo illi tribuo, qui non tantùm domi ſubditos manu militari regit, ſed & qui exercitum extra fines ducere, & armis, fœderibus, legationibus, ac cæteris juris gentium functionibus aliquid momenti ad rerum Europæ generalium ſummam conferre poteſt. Undè ſequitur talium nunquam magnum nimis numerum fore. Ipſis ergò,

gò, vel Ministris eorum, inter cæteras Europæ potestates locus datur, exempli causa in Conciliis, expeditionibus contra infideles, Tractatibus de pace generali, fœderibus, Mediationibus, ut vocant, ac garantiis; Et, si reverentiam Deo hominibusque debitam exuerent, honoremque ac conscientiam insuper haberent; non nisi bello illato coërceri possunt: Personæ tamen eorum sacræ & inviolabiles habentur. Quæ omnia Electoribus ac Principibus nostris non minùs ac Regibus competere, à me ostenditur: & in hoc magni Principes aut Respublicæ potentes differunt à Civitatibus aut Dynastiis minoribus, qui, ut explicui, Superioritatem habent, Suprematum non habent; quia se quidem tuentur contra seditiones domesticas, non verò satis apud exteros possunt. Porrò quia in congressibus Legatorum & tractatibus ferè Suprematûs tantùm functiones exercentur, in quibus Reges, & Principes Suprematum habentes, non differunt; hinc in istis congressibus Regii Legati à Legatis Ducum Serenissimorum vix distinguuntur: nam Excellentiæ Titulus hodie receptus omnibus communis est, & novissimè adventanti honor visitationis habetur, & visitans apud visitatum potiorem Incessus ac Sessionis locum habet. De cætero tamen est haud dubiè inter Reges ac Duces Serenissimos discrimen dignitatis. Quod etiam in Legatis aliquo modo apparet, non Romæ tantùm, ubi in visitationibus audientiisque multum interest; & Regum Legatis honor habetur *della Sala regia*, cæteris tantùm locus datur *nella Sala Ducale*; sed & alibi. Equidem Veneti obtinuisse creduntur Regnorum Cypri ac Cretæ causa, ut Legati ipsorum Regiis per omnia ubique æquarentur: Cumque Electores Sacri Imperii nihilo Venetis inferiores jure merito existimentur, hinc jam præclara offertur nobis ratio inter ipsos Electores Principesque nostros transigendi. Nam si Electores obtinere possunt, ut Regibus comparentur, id nostris non ingratum erit, modo nostri honorem Principum liberorum tueantur. Esto enim ita, sint Electores Regibus pares: favemus eorum dignitati, quæ cum dignitate Imperii con-

conjuncta est, modò ne Germaniæ Principes infra Duces Italiæ deprimantur: quasi scilicet Electores sine Principum injuria attolli non possint: cùm contra potiùs nihil futurum sit justius, nihil congruentius, quàm ut idem inter Electores & Principes eorumve Legatos intervallum sit, quod inter Venetos, (vel Regios) & cæteros Italiæ Principum Legatos receptum est, si modò Venetorum jus extra controversiam positum est, quod nos suo loco relinquimus, & si Reges huic Electorum honori assentiuntur. Jam verò non circa Excellentiæ appellationem, aut visitationum æqualitatem, cæteraque, à Suprematum habente venientibus, communia, Legati Regii à Ducalibus hodie distinguuntur; sed circa alia quæ enumerare nihil attinet; In quibus etiam Collegium Electorale eminere facilè Principes patientur, (præsertim cùm Regem Bohemiæ ex Electorum numero esse constet) non verò in illis quæ communia esse debent. Hæc autem *transactio* utrique parti lucrosa futura est, raro exemplo, & in universum ad Imperii dignitatem pertinebit, & verò summam habet æquitatem. Nam ut ostendam uberiùs in ipsa tractatione, Itali Principes, non minùs ac Germani, Imperio subsunt, & Germani non minùs quàm Itali Suprematûs jure amplissimas ditiones tenent, & nostri dignitate familiarum atque originum fortasse ipsis superiores habendi sunt, ut comparati cum illis Itali planè novi & nuper nati haberi possint. Nec verò assignare possunt Electores discrimen inter nostros atque Italos Principes, quod non in ipsosmet torqueri possit: æquè enim Electores ac cæteri Principes Imperio obstringuntur. Et verò neminem etiam exterorum iniquum ita & præjudiciis occupatum fore arbitror, qui Principibus nostris suadere velit, ut ab Italis essentiale discrimen patiantur, quibus ne cedere quidem vellent. Equidem si *Excellentia*, & cætera quæ diximus, tantùm legatis Regiis ac Venetis tribuerentur, faciliùs paterentur nostri Electoralium prærogativam: quos Regiis ac Venetis æquari, ipsis non invitis fiet: sed quoniam hæc jam Ducibus quoque liberis Italiæ, quorum

quorum Legati longo infra Venetos intervallo habentur; nec ullo jure nostris præferri possunt, communicata sunt, non possunt nostri renunciare notis libertatis, nisi & libertati renuntient, quam cum Electoribus communem habent. Cætera parati & Cæsarem colere, & Electoribus multum deferre. Nec refert, quod nostri Principes in Westphalicis congressibus *Excellentiam* suis Ministris non asseruerint: equidem in hac ipsa dissertatione plenè nî fallor, huic objectioni satisfaciam, hoc loco verò dicere satis erit, Principes nostros judicasse Ministros suos atque Electorales tunc non fuisse Legatos ad congressum exterorum, sed Deputatos ad Conventum Imperii, tametsi in eodem loco haberentur congressus & conventus. In Conventibus autem Imperii inauditum erat *Excellentiam* Ministris tribui quæ alioqui in Imperio nova erat, nec æquum videbatur in Conventibus nostris titulos reformari ad exterorum normam: & hinc factum est ut Principes nostri non suis Ministris *Excellentiam* tunc postulaverint, sed tantùm Electoralibus negaverint, velut rem novam & in Deputatis ordinum insolitam, quod notandum videtur. Quanquam infra ostensurus sim, Deputatos istos nihilo esse Plenipotentiariis inferiores. Præterea tunc Monasteriis ne quidem Sabaudo & Mantuano à Nuntio ac Cæsareis Hispanicisque Ministris ea tribuebatur. Quam tamen (non exspectato, ut nunc facere videri volunt, Cæsare) Gallici Legati jam tunc iis dederant & omnino paucis abhinc annis pleraque ista discrimina satis adhuc incerta fluctuabant. Hodie verò quoniam hæ velut Suprematus notæ in omnibus Italiæ Ducibus à Coronis, & in Electoribus à Cæsare quoque agnoscuntur; manifestum est, pari nostrorum Principum juri nec Imperii nexum, nec Regum supra Principes eminentiam, nec Majestatem Cæsaris, nec Electorum prærogativam obstare videri posse: rationem autem & exempla & actus, quos ut in ipsa dissertatione ostendam, exercuêre nostri multos, prorsus favere. Hæc qui expendent, & candidè æstimabunt, me moderatiùs erga omnes, ad Cæsarem submissiùs, ad Electores

res

res reverentiùs, de Principibus nostris justiùs, loqui non potuisse, credo, fatebuntur.

Coronæ verò non habent cur nostros nimia petere putent, postquàm erga Italos tam liberales fuere. Agnovêre ipsæ libertatem nostrorum, & subinde se ejus assertores tulere, quòd si nunc resiliant, affectibus se agi, non ratione, fatebuntur; præsertim cùm non erga omnes, & non minùs erga Electores affectuum causas habeant. Quàm magnificè olim Galli senserint de nostrorum Principum libertate, intelligi potest ex Apologia, quam pro Electore Trevirensi *Philippo Christophoro*, qui se in ipsorum clientelam dederat, edidere, unde excerpta huic libro inserui. Nunc verò scio, nonnullos eorum paulo audaciùs, quàm par sit, passim jactare, non mereri Principes nostros tractari velut liberos, quod se hodie à Cæsare pro lubitu circumagi patiantur. Quod tamen falsum est. Nam etsi non negem, liberrimos etiam Principes interdum bello flagrante aliorum motu abripi; illud tamen considerari volo, quosdam è potentioribus Germaniæ Principibus suis quibusdam rationibus motos, non coactos, sed sponte Cæsari accessisse, *peculiaribus fœderibus initis*; quod eorum libertati nihil nocere potest, cùm eam potiùs ipsa Cæsaris confessione stabiliat. Sunt tamen, qui tuiti sunt, quam vocant, Neutralitatem. Et quoad cæteros, Galli ipsi habent, quòd sibi nonnihil imputent, cùm sub initium hujus belli, Electorum ac Principum quorundam pacifica officia missis ministris oblata declinarint. Nec vereri Coronæ debent nimiam *Principum* multitudinem, quo terriculamento nonnulli moventur: nam Suprematum illi demum exercent, qui magnum territorium habent & belli ac pacis non appendices, sed socii censentur, nec parum conferunt ad rerum summam. Talibus certè Principibus (quorum nunquam nimis magnus est numerus) annexa Suprematui negare, contemtus & animi à pace alieni demonstratio est. Iniquum etiam est, cùm in Batavorum, Sabaudi, Mantuani, imò & in Electorum gratiam cæremonialia mutata sint, ut in hac dissertatione passim ostendi, erga solos Principes nostros veterem

 stylum

ſtylum ſervari : cùm tamen cæremonialia, ſicut nummi, uſu exiſtimentur : & perinde ſit ac ſi veterem monetam ubique alias valore imminutam, nobis tantùm ſecundùm priſcam æſtimationem obtrudere vellent. Nec eſt, cur Cæſaris exemplo præfractè inſiſtere velint, nam hoc ipſum rude eſt & otioſum, exteros ab eo exigere velle, quod ab ipſis faciliùs incipitur. Nam Principes noſtri quodammodo ſunt propinqui Cæſaris, & inciviles eſſent, qui patriſamilias denuntiarent, nullum ſe ejus liberis, fratribus, propinquis, honorem habituros, quàm quem ipſe exhiberet. Nam nec *Rex Chriſtianiſſimus* probaret, Ducem Aurelianenſem aut Principem Condæum ab aliis nihilo liberalius, quàm ab ipſo fit, tractari. Denique aliàs Legati Regis Chriſtianiſſimi, ut ſupra dixi, in Monaſterienſi congreſſu Miniſtris Sabaudis & Mantuanis *Excellentiam* dedere, quanquam tunc à Cæſareis conſtanter negatam. Quod ſi ergo nunc noſtris exemplum Cæſaris objicere pergunt, & hoc ſubterfugio cùm volunt modò utuntur, modò non utuntur ; ut qui larvam nunc ſumunt, nunc recondunt ; quid aliud quàm animum à Germanis averſum oſtendent, & majorem dabunt ſpeciem ſermonibus ſuſpicantium, Galliam odium erga noſtros, & contemtum in animis conditum gerere, erepturum, cùm occaſio erit, eique jam nunc præludi, dum ſe parum curare oſtendat, quæ ſit libertas dignitasque Principum, quam ipſa olim tam ſtudioſè defendebat ; perinde ac ſi jam eo uſque excreverit ejus magnitudo, ut omnibus majorum conſiliis neglectis, vicinos Principes, velut miſellos clientes, & aliquando ſubditos futuros, tractare poſſit. Quæ ab inimicis Galliæ jactata, ego à Magni Regis ſapientia alieniſſima eſſe judico, nec ipſius rebus prorſus congrua, ſi Principes noſtros indignis modis habitos ad Domus Auſtriacæ fidem ſine exceptione confugere potiùs, quàm exterorum contumelias pati cogeret. Quod ſi contrà Rex Chriſtianiſſimus laudabilibus majorum exemplis inſiſtens etiam medio in bello dignitatis Principum noſtrorum rationem habebit ; & ſinceræ pacis & redintegrandæ amicitiæ ſpem oſtendet. *Magnæ Britanniæ Regem* nobis favere non poſ-

ſum

ſum dubitare: Sapientia ejus atque æquitas ubique celebratur & notum illi propiùs eſt, quæ ſit in Germanis Principibus animi magnitudo, & ſtudium erga ipſum. Sed & amicitia cum nonnullis eorum ſingularis ei intercedit; dudum ſundata, ſemperque culta. Itaque cùm præclara illi offeratur occaſio pro perſona quam gerit & jure Mediatoris, teſtandi animum in noſtros pronum, nihil mediocre nobis ab ejus officiis promittimus, certè nihil minùs veremur, quàm ut ipſo autore dignitati eorum quicquam detrahatur. Saltem ad dignitatem ejus pertinet oſtendere, ſe propriis motibus hac in re dare aliquid, nec velut Gallicæ ſententiæ appendicem, alienas opiniones ſequi. Idem nobis de aliis Regibus, Principibus ac Rebus publicis ſpondeo., quorum prolixa erga noſtros voluntas, fœderibus, arctioribus vinculis, & reciproco cultu ſæpè teſtata, jus noſtrum extra omnem dubitationem collocavit. Hæc præfari operæ pretium duxi, ut præparentur animi, & ex ipſo libelli veſtibulo ſententia autoris & rationum pondus intelligatur.

CAPUT I.

NObilis hodie Controverſia agitatur de Jure mittendi Legatos, quod ſibi Principes Germaniæ meritò vindicant, de quo nemo quondam jure dubitavit non magis quàm de libertate ac illa poteſtate, quam Galli vocant *la Souveraineté*, mihi *Suprematum* dicere fas ſit. Hunc enim magno conſenſu dudum illis tota tribuit Europa. Nunc verò reperti ſunt aliqui uſque adeò ſubtiles, ut in ipſo Suprematu formas ſibi fingant diverſas, & Electores ac cæteros Imperii Principes ſpecie *hujus facultatis* diſcerni arbitrentur, quo nihil fingi poteſt, ut molliſſimè dicam, ab omni veritatis ſpecie alienius. Quid enim? poteſtas eligendi Imperatorem, augetne Suprematum Principis in ſua cujusque Provincia? An plus in ſubditos ſuos Electores quàm cæteri Principes poſſunt, faciliusne illi quàm iſti armantur, juſtiusne aut efficacius copias educunt, quibus tamen ni fallor maximè Suprematûs vis continetur? Si Imperii nexus Suprematui ac libertati obſtat, communis Electores ruina involvet: quod ſi Magni Reges Imperio ſalva dignitate obligantur, quid eſt, quod Principibus imputemus? At verò tantum in Imperio poſſunt Electores ſeptem, quantum Principes ſimul omnes; ita ajunt vulgò, quamquam neque id ſit

omninò verum, neque ad rem pertineat. Nam potissima quæque in Imperio, quæ nimirum jus Suprematûs propiùs attingunt, suffragiorum numero non subjiciuntur, quemadmodum Religio, Libertas, & multa id genus; cætera, ad communia potiùs unionis, quàm singularum provinciarum domesticas rationes spectantia, Conventui Imperii generali rectè submittuntur. Nam qui Reservata & Regalia Cæsaris & Comitialium quoque deliberationum materiam examinabit, facilè agnoscet, Principum in suis ditionibus potestatem minus tangi, sed ea maximè, quæ ad generalem totius Imperii administrationem pertinent, deliberationibus committi. Itaque Electorum prærogativa non in jure Suprematus, sed in certis functionibus consistit, quæ circa communia Imperii negotia exercent, & à paucis fieri Reipublicæ intererat, qualis est electio Imperatoris, & quæ huic connectuntur, quamvis latius ea aliqui extendant, quàm par sit: sed & in Comitiis interest publici boni, quasi sanctius quoddam consilium Imperatori esse additum, in quo faciliùs quæstiones præparentur. Neque illud abnuo, extracomitiali tempore super quibusdam Imperii negotiis à Cæsare Electores consuli, quando, omnes convocari Status, non patitur ratio rerum. Hæc scilicet omnia Electores non jure proprio, sed perpetua quadam Imperii commissione exercent, non ut incrementum Supremitatûs, sed ut functionem sibi delegatam, circa rerum Imperii generalium administrationem. Dudum hæc annotata etiam exteris, ex quibus *Renatum Choppinum* infra cap. 44. producam. Neque Electorum minuunt dignitatem, nam & honores illis tribuimus, qui publica in Imperio munera obeuntibus maximi debentur, & prærogativam in controversiam non vocamus, modò illud teneatur; ipsos Electores magis haud dubiè jure Suprematûs domestico, quàm functionibus illis gloriari, quas in Imperio exercent, & quas profectò Imperium olim committere poterat, quibuscunque libuisset, etiam privatis. Quæ cùm ita sint, ego pro certo habeo, sapientiores esse tantos Principes, quàm ut jura Principum Imperii in controversiam vocent; nam nisi ipsimet liberi essent Imperii Principes, ditionesque cum superiori potestate possiderent, profectò neque ob eligendi munus, neque ob alias functiones, hunc, qui meritò illis conceditur, obtinerent dignitatis gradum. Quare non cum ipsis, quantum judico, sed cum exteris quibusdam, rerum Germanicarum parum peritis æstimatoribus, ineunda nobis disputatio est, ut appareat, cedere Principes Electoribus, separari ab illis, & toto Suprematûs genere distingui non posse. Quod si tamen constiterit, Electores Venetorum exemplo Regibus esse æquandos, nihil gratius fiet Principibus, quàm simul & Electoribus præeminentiam & sibi dignitatem Suprematus salvam esse posse. Facilè enim patientur, tantum intra suos Electoresque Ministros discrimen haberi, quale inter Venetos (id est Regios) & Sabaudos (id est Ducales) esse fertur; si Reges Electoribus locum apud se dare volunt.

C A-

CAPUT II.

Controversiam tractare aggressus, quæ in aulis maximorum Regum, & nunc Noviomagi in publico Europæ consessu agitatur, operæ pretium esse judico, exponere occasionem ejus & progressum, quo faciliùs intelligatur status quæstionis. Notum est in Congressu Coloniensi Legatos Regis Christianissimi querelas *Caroli Senioris* Lotharingiæ Ducis admittere aliquamdiu recusasse, quod dicerent, Lotharingiæ ante mota in Batavos arma occupatæ negotium, nihil cum præsenti bello commune habere: cùm verò Dux inito fœdere à Cæsare & Fœderatis Belgii Ordinibus stipulatus esset solenniter, ut Pace generali comprehenderetur, neque salvis pactis incipi posset tractatio de Pace, nisi Lotharingo quoque admisso; cessère Galli sanè, sed intervenit casus inopinatus, qui sive colorem sive causam illis dedit negotiationem Coloniensem abrumpendi: is fuit captivitas *Guilielmi* Principis *Furstenbergii* è media urbe ministerio *Graniani* militis abrepti: ita tunc dissolutus est conventus, ægrèque postea Noviomagi multis conciliatorum pacis sive *Mediatorum* hortationibus instauratus. Interea obiit *Carolus Senior* Lotharingiæ Dux, variæ Princeps fortunæ, & hoc uno novissimè solatus exilium, quòd jam post Trevirensem victoriam mutari rerum faciem speraret: successit illi *Carolus*, è fratre Nepos, egregia Princeps fama. Huic in patrui jura subeunti, & concessa illi à Gallis tractatibus generalibus interveniendi facultate utenti, objecta est difficultas nova. Nam cùm Ministris suis salvum conductum per Mediatores postularet, non abnuit Gallia, quod negari non poterat, sed adjectis quibusdam clausulis beneficium corrupit: primum enim in literis Salvi Conductûs non Ducem sed Principem Lotharingiæ vocavit, perinde ac si non pleno jure successisset in Ducatum, sed pari cum illis, quos habet Gallia, Lotharingiæ familiæ Principibus, conditione esset; qui sola succedendi spe nituntur. Intolerabile id *Carolo* fuit, hanc sibi in ipso limine velut status quæstionem moveri, itaque per Cæsarem, per Hispanos, per Batavos, summa vi apud Mediatores actum ac denique effectum est, ut intolerabilis formula à Gallis reformaretur. Altera erat clausula harum literarum satis gravis, quod Ministri Lotharingici, paci tractandæ destinati, non Legati, sed Deputati (*Ministres députés*) dicebantur, perinde ac si ab urbe aliqua aut Principe alteri subjecto venirent; aut ad Conventum aliquem Imperii missi essent. Quod cùm etiam reprehenderent Fœderati, Gallia se exemplis tuta est, negans à Principibus Germaniæ, quibus pari conditione esse Lotharingiæ Ducem censebat, alios quàm Deputatos à se agnitos esse. Visum est nonnullis, iratam Galliam, cladem à Principibus Germaniæ rebus suis illatam inani vindictæ cupiditate fateri. Ego, ut apud nonnullos plus

odia ratione valuisse concessero; ita Regem Christianissimum, qua est animi magnitudine, tantum affectibus dedisse, credere non possum, cùm videam, concessisse Electori Brandenburgico, cui multò majori juris specie indignabatur, ut Ministri ejus pro Legatis pleno jure haberentur. Cujus discriminis causam ego sanè conjicere non possum, nisi fortè eò tendit, ut in Imperio discordiarum semina spargantur. Diu dubitatum est, an, quod Brandenburgico datum est, ipsi soli, an toti Electorum ordini concederetur. Nam Galli atque Angli hoc uno se clypeo tutabantur: in rebus cæremonialibus non rationem, non potentiam, non dignitatem, sed solam possessionem valere: Brandenburgicum eam nactum: exstare enim legationes extraordinarias ab eo missas & haberi Olivenses tractatus, in quibus Ministri ejus pleno Legatorum jure sunt usi. Præterea visi sunt Galli non tantùm Electores, sed & Principes cæteros inter se committere atque separare velle. Nam eodem possessionis principio insistentes Duci Neoburgico destinavere Salvi Conductûs literas, in quibus Ministri ejus Legati (*Ambassadeurs*) dicebantur, quoniam intellexerant, Legatos ab eo in Poloniam binis, imò ternis vicibus missos, & in eodem, quo Regii solent, honore habitos esse. Sed hujus consilii postea pœnituit Gallos, agnovere enim, ridiculam omnibus & ineptam videri distinctionem: quid enim? credibilene est, Polonos fuisse parciùs excepturos Legatos Brunsvicenses, aut Würtenbergicos, si quid, quod illic agerent, habuissent, quàm Neoburgicos? Quis ergò arbitretur fraudi illis esse debere, quod illuc non misêre, ubi nihil, quod agerent, habebant: præsertim cùm nemo mortalium dubitaret, quin eodem, quo Neoburgicus, jure uti possent. His itaque Galli consideratis, mutato consilio, literas Salvi Conductûs Neoburgico destinatas, jamque in Legati Angli potestate existentes, inopinatò revocavere, errore id factum causati, ut Legatorum nomen irrepserit, quod Neoburgicis Ministris minimè deberetur. Eodemque tempore declaravere, neque se Brandeburgicum à cæteris Electoribus, neque Neoburgicum à cæteris Principibus velle separare, sed à solis Electoribus, non à cæteris Imperii Principibus Legatos esse agnituros, quoniam haud dubiè & facilius, & rebus suis convenientius videbant, totum Collegium Principum toti Collegio Electorum committere, quàm Principes Principibus, Electores Electoribus opponere in communi causa. Neoburgicus hoc intellecto, ut par est, commotus, datis ad Regem Magnæ Britanniæ literis de injuria graviter conquestus est, rationibusque atque exemplis adjectis demonstravit sibi ac cæteris Imperii Principibus indubitatum esse jus Legationis, eodem quo Electoribus gradu: illud tamen animadvertendum est, dum hæc agitantur, nihil ab Electoribus factum dictumve esse, quo appareret, eos jus cæterorum in controversiam vocare, ac sibi prærogativam alieno loco quærere, in quo haud dubiè sapientia tantorum

rum Principum enituit. Facilè enim vident, eos, qui injusta ac dubia super alios affectant, sæpè certa ac justa amittere.

CAPUT III.

PRodiit interea libellus lingua Gallica, cui titulus est: *Lettre d'un desintereßé à un sien amy*, &c. Autor ait, se partium studio vacare, sed cùm totus sit in recensendis Electorum privilegiis, quorum pars non satis explorata certaque est, satis ostendit, quo animo ad scribendum accesserit: illud tamen laudo, quod testatur, Electores huic liti non misceri, neque de pleno Principum jure mittendi Legatos controversiam moveri. *La France* (dit-il pag. 10.) *s'est avisée pour en décliner la haine & pour faire en même temps encor un autre coup à son avantage, de debiter que les Electeurs étoient les auteurs de cette dispute & que c'estoient eux qui ne vouloient point qu'on donnât aux Ministres des Princes le titre d'Ambassadeurs.* Addit pag. 27. *Et peut-estre que pour donner d'autant plus de feu aux dits Princes, on leur a fait accroire que c'estoient les Electeurs qui travailloient pour l'empescher qu'on ne leur accordast point ledit titre d'Ambassadeur, quoyque je ne pense pas qu'aucun de tous les Electeurs y aye songé.* Multus est in eo, ut hortetur Principes, ne artificiis Gallorum se patiantur committi cum Electoribus; queritur præterea à Principibus dignitates ac prærogativas Electorum in dubium vocari, quasi nihil ipsis competat præter eligendi facultatem. Ego, ut dicam, quod res est, illos non probo, qui de Electorum magnitudine parum ex Imperii dignitate sentiunt: sint illis sua jura, usu atque ratione firmata & Dignitas propè Regali par; sed ut Principes circa ea quæ non ex Imperii functionibus, sed jure Suprematûs pendent, quod in utrisque par est, ab Electoribus se distingui patiantur, nemo prudens suaserit: Et hortandi sunt potiùs Electores, si quidem, ut credere par est, affectus sui atque animi ad concordiam propensi dare documenta volent, ut Principes in communi causa juvent, ne scil. legatis eorum minus quàm Mantuanis Sabaudisque concedatur: vicissim spondebunt Principes immota Electorum jura fore, quæ neque cum libertate, neque cum pace publica pugnant. Quod si Electores, pravis quorundam consiliis impulsi, iniquos se præbebunt Principibus, credibile est, accensos animos in mutua damna grato exteris spectaculo fore. Nam satis virium animorumque est Principibus ad tuendam dignitatem; & distinctiones, quas ambitio potiùs invenit, quàm natura fundavit, plerumque tractu temporis evanescunt, quemadmodum Urbes, in quas magnam hominum vim casus aliquis potiùs quàm ratio coëgit, paulatim deseruntur. Quod si concordiam utraque pars æmulationi atque invidiæ præferet, utriusque non libertas tantùm, sed & dignitas salva erit. Et gratissimum erit Principibus

bus Regiæ parem haberi Electorum dignitatem, modo ipsis eadem, quæ Italiæ Ducibus, tribuantur.

CAPUT IV.

SEd ut absolvamus Controversiæ totius Historiam, quousque nunc producta est, sciendum, Lotharingi primum, deinde Neoburgici, interpositis pro communi causa officiis, mox sese Duces Brunsvicenses ac Luneburgenses validissimis rationibus conjunxisse & apud Fœderati Belgii Ordines autoritate sua effecisse, ut deliberatione habita in publico Consessu 31. Oct. 1676. decerneretur, dandam esse operam ut æquissimis Principum Germaniæ postulatis satisfiat. Vidi *Decretum*, sive ut » vocant *Resolutionem*, cujus ille est sensus: Deputatos Ordinum, quibus » rerum extranearum cura commissa est, exposuisse Ministris Confœde- » ratorum Principum: exspirare jam tempus, in cujus exitum dilata fuerat » Tractatuum inchoatio: & tamen Legatos Confœderatorum nondum » comparere; itaque hoc unum superesse Ordinibus, ut ipsi per suos » curent interea negotium inchoari, certa spe, fore ut mox cæterorum » quoque Legati superveniant. His auditis responsum esse à Ministris » Cæsareis & Brandenburgicis Hagæ degentibus, jam in itinere esse Do- » minorum suorum Legatos Noviomagum destinatos: idem Danos di- » xisse, ac Lotharingos atque Luneburgicos esse testatos, per se non » stare, quò minus compareant, sed à Gallis Suecisque iniquissimam » injici moram, negatis Salvi Conductûs literis, in debita forma con- » ceptis, quibus à Deputatis rerum extranearum causa, ad Ordines Ge- » nerales relatis, deliberatione habita decretum, ut Legati extraordinarii » Ordinum Noviomagi degentes jubeantur apud Legatos Mediatores » efficacissimis Officiis interpositis id agere, ut autoritate Mediatorum » Galli Suecique perpellantur, ne in negandis literis Salvi Conductûs, » quales Legatis Principum debentur, ultra persistant. *Neque enim ra-* » *tioni consentaneum videri, ut Coronæ præscribant Principibus, quales ab* » *illis Ministros mitti velint. Nam quibus Jus Legationis in solidum com-* » *petat, quemadmodum de Principibus Germaniæ negari non possit, his etiam* » *electionem competere, primine an secundi ordinis Ministrum mittere rebus* » *suis convenientius ducant.* Suprematum Principum non magis in con- » troversiam venire posse, quàm ipsorum Regum Galliæ & Sueciæ, » Suprematui autem plenum jus Legationis indissolubili nexu cohærere. » Hoc à Cæsare, imò ab ipsis Gallis, aliquoties agnitum, hoc multis » actibus possessoriis esse stabilitum, neque fraudi esse debere Princi- » pibus, quod sæpe inferioribus Ministris usi sunt, cùm ea res arbitraria » sit. Præterea hæc, quæ nunc fiunt discrimina, inter Ministrorum Pu- » blicorum gradus, ea hoc seculo nata paulatimque stabilita, superio-

» ribus-

» ribusque temporibus propè ignota fuisse, ideòque eò minùs imputari » posse Principibus, quòd jure suo mittendi Legatos cum summi cha- » racteris honore non semper sint usi.

Hæc ideo fusiùs excerpere placuit, quoniam Ordinum Fœderatorum judicium magni apud omnes ponderis esse debet. Equidem Legati Ordinum apud Mediatores magno studio egere, ut Principibus satisfieret; sed pertinacia quorundam expugnari non potuit, & Galli, nescio quibus artibus, etiam Anglos Mediatores in sententiam traxisse dicebantur, quod non credunt Principes, qui uberiora à Serenissimi Regis Magnæ Britanniæ æquitate officia exspectant. Secuta est Regis Christianissimi declaratio, qua se Imperatoris exemplum sequi velle spopondit. Mirantibus omnibus, unde tam subita Gallis erga Cæsarem reverentia, ut velut primi Christianorum Principum decretis se stare velle profiterentur. Cæterùm Principes Germani animadverso eorum artificio, qui eos cum Cæsare committi posse sperabant, reposuere, jus Legationis Principum in Aula Cæsarea esse in confesso, sed se Cæsari dudum conjunctissimos, non jam ab ipso Salvi Conductûs literas, quod minimè necessarium futurum erat, sed à Gallis Suecisque postulare, neque Cæsaris autoritatem defugere, illud tamen non posse ferre, ut de jure suo, velut re dubia, cujusquam judicium exspectaretur. Neque Principes in concepta de Cæsare sententia falsos fuisse eventus declaravit. Nam cùm Neoburgicus ac Lotharingus, quorum intererat Noviomagensibus Tractatibus maturè interesse, pertæsi morarum, quæ à Gallis nectebantur, interim Ministros inferioris gradus, quos Ablegatos vocant, mittere decrevissent, Cæsar Salvi Conductûs literis Lotharingo datis declaravit, indubium illi jus esse mittendi primi ordinis Legatos, quamvis nunc Ablegatis contentus esse maluerit. Etiam Gubernator Fœderati Belgii in literis Salvi Conductûs Lotharingos vocat *Ambassadeurs*; sed & Legatus Cæsareus Luneburgensibus Ministris significavit, Legati titulum à se minimè in controversiam vocatum iri. Itaque invitis Gallis primaria quæstio à plerisque omnibus ex Principum Germaniæ sententiâ, etiam ipso Cæsare annitente, definita est.

CAPUT V.

Supersunt quædam de cæremoniis lites. Quæritur enim, an Legatis Principum, ubi more solito adventum significaverint, primæ Visitationis honor debeatur. Scilicet illud hodie receptum est, ut novissimum advenientem, & reliquos de adventu certiores reddentem, illi, qui ante eum affuêre, invisant primi; nullo magnitudinis Dominorum discrimine. Neque enim hîc quæritur, quis alteri præferatur, sed an Dominus utriusque gaudeat Suprematu, & an uterque sit Minister primi ordinis, seu perso-

nam repræsentans? Quis enim non videt, quantum inter Cæsarem & Electorem intersit? Hujus tamen Legatis ille honor à Cæsareis ex pacto habebitur. Cumque *Analogia quædam intelligi possit inter eminentiam Cæsaris super alios Reges, & prærogativam Electoris supra Principem*: quod Cæsar Brandenburgicis concedit, hoc profectò Rex Galliæ nostris Principibus denegare non potest. Et quemadmodum Imperator à Regibus non specie Suprematûs, sed ordine loci tantùm differt, quem ille habet sine controversia primum; ita certum est, Electorem à Principe non exercitio jurium summæ potestatis, sed Sessionis tantùm prærogativa, quæ illi ob eminentes in Imperio functiones concessa est, distingui. Et ab æquitate Cæsaris speratur, eundem Electorum pariter & cæterorum Principum Legatis, qui Italis, honorem habitum iri, quanquam non abnuant Principes debitis reverentiæ signis testari, quantum Cæsari deferant. Par est ratio de cæteris cæremoniis atque honoribus, qui Legatis pleno characteris jure vestitis habentur. Nam & Excellentiæ titulo appellantur & in aliorum Legatorum ædibus civilitate prærogativæ fruuntur & apud Reges Principesque se tegunt dignitatis Dominorum tuendæ causa, aliaque exercent, quæ à jure repræsentationis pendere manifestum est, quod illis Dominus unà cum Legati Charactere concessit. Hæc ergo Principes Germaniæ, concesso semel Legatis charactere, sine dignitatis detrimento negligere non possunt. Atque hæc tota Controversiæ historia est: unde manifestum arbitror, *pomum Eridos* ab exteris in Imperium projectum esse, qui prodigos se erga Electores ostendunt, cæteris iniquos, non alio consilio, quàm ut animorum harmoniam turbent, quæ rebus ipsorum maximè contraria est: sed sperandum est, ipsosmet Electores, qua sunt sapientia, dignitatis Principum rationem habituros, quæ cum propria ipsorum conjuncta est; *cùm Suprematum, non ut Electores, sed ut Principes, habere sit manifestum.* Hoc ubi facient ingenuè & liberaliter, profectò mirificè sibi animos omnium conciliabunt: Cæsar quoque nolet Electoribus cum cæterorum Principum injuria favere, denique exteri, re maturiùs expensa, Principibus, quos pari Suprematûs jure gaudere sciunt, debitos honores deferre minimè dubitabunt.

CAPUT VI.

OPeræ pretium mihi visum est hactenus totam controversiæ historiam fusiùs persequi ac subinde aliquem rationum nostrarum gustum adspergere, quo lectores de facto pariter & jure eadem opera instruerentur, nunc ipsam quæstionem, ventilatis utriusque rationibus, tractare aggrediemur, quæ huc redit: *Utrum Principibus Germaniæ jus sit mittendi Legatos charactere repræsentattio vestitos, quibus idem, qui Regum, Italorum Principum, ac Electorum Legatis communis est, honos debeatur.* Quod ut accu-

accuratè definiamus, ante omnia explicandum eſt, quam character Legatorum repræſentatitius vim habeat. Cùm verò in rebus civilibus, quarum magna pars ab humano arbitrio pendet, ipſa nomina ipſique tituli in reale quiddam abierint, explicanda eſt vis appellationum, ut intelligatur, quid ſit Legatus (*Ambaſſadeur*), quid Deputatus (*Deputé*), quid Miſſus ſive Ablegatus (*Envoyé*), quid Commiſſarius, Plenipotentiarius, Legatus ordinarius, extraordinarius, Reſidens, Agens. *Legati* vox generaliùs ſumitur pro omni illo, qui miſſus eſt publico nomine. Hoc ſanè ſenſu generali Legatum (ex uſu recepto) demonſtrant mandati tabulæ, quas vocant *Literas Credentiales*. Hoc eodem ſenſu dici ſolet, Legatos eſſe inviolabiles. Nam quiſquis tractandi cauſa miſſus eſt, immunitate fruitur, quæ jure gentium recepta & naturali ratione introducta eſt, ut ne quacunque de cauſa violetur: quod adeò verum eſt, ut etiam ad eos porrigi poſſe arbitrer, qui ſubditorum nomine ad Principem mittuntur, ſive, ut vocant, deputantur; quanquam diſſentiat ille, qui nuper de Legatis exquiſita ſanè Collectanea Gallico ſermone edidit. Nam ratio naturalis jubet, ut libera ſit communicandi facultas, alioqui, ſublata hac fiducia, remedia non poterunt afferri gliſcentibus malis animiſque exulceratis. Omnium ergo, qui negotiandi cauſa mittuntur, ſecuritas bona fide & tacito pacto nititur, etiamſi nullus datus ſit Salvus Conductus; itaque ſeveritas illa, qua *Philippus II.* in Ordinum Belgii Deputatos uſus eſt, probari non poteſt. Fingamus & rebelles milites tubicinem mittere ad Ducem ſuum, tractandi cauſa, certè injuſtè faciet Dux, ſi tubicinem jubeat ſuſpendi. Porrò Legatus neque ob debita ſpoliari, neque ob crimina puniri poteſt, Domino enim ſuo ſtat caditque: contrario ſemel admiſſo, parata erit ſeges prætextuum, ut vario juris colore violari poſſint Legati. Unum hoc cavere fas eſt, ne noceant; itaque quod ſummum licet in Legatos, hoc eſt, ut in honeſtam dentur cuſtodiam, quæ ſecuritati eorum atque dignitati conſulat, atque in Republica malarum artium ſemina ſpargendi facultatem adimat. Poterunt etiam è ditionibus noſtris educi, quando ſuſpecta eorum commoratio eſt vel dignitati Principis contraria. Scimus Regem Chriſtianiſſimum ſemel in Nuntium Pontificium hac facultate uſum eſſe, cùm injuriæ Legato ſuo duci *Crequio* in Romana aula factæ indignaretur: Nuntium enim addita cuſtodia ad Regni fines duci juſſit. Cumque contumeliam ulciſci vellet, quam à *Battevillio* Legato Hiſpano paſſus erat in Anglia Legatus Regius Comes *d'Eſtrades*, *Venſaldagnium* Hiſpanum in Gallia Oratorem regno ſtatim excedere juſſit. Itaque Imperator eodem poſtea in Gallicos Miniſtros jure uti voluit, cùm periculoſa eorum commoratio eſſe videretur. Domeſticorum quoque Legati arbitrium Legato ipſi permittendum eſt, quod ſapienter judicavit *Henricus IV.* Cùm enim Secretarius Legati Hiſpanici conſpirationi cuidam ſe miſcuiſſet deprehenſuſque eſſet, pleriſque etiam ex Pariſienſi Se-

natu puniendum hominem velut proditorem censentibus; Rex juris gentium intelligentior judicavit, satis esse nocendi facultatem sublatam, at pœnam à Domino irrogandam videri; itaque Secretarium Legato puniendum dedi jussit. Quod mihi non tàm quodam generositatis motu, quàm certa juris ratione factum videtur: quanquam illi ipsi, quem paulò antè cum laude allegavi, Collectaneorum de Legatis autori secus videatur. At *Cromwellius*, pro solita sua violentia vel hypocrysi, fratrem Legati Lusitani, inexcusabilis sanè homicidii reum, publicè securi percuti jussit, ut plebi satisfieret, zelumque suum ostentaret; in quo jus gentium violasse mihi dubium nullum est. Quòd si ergò nullum in Legati Domesticos jus est Principi, ad quem mittitur, sequitur, ipsi Legato, vel saltem Domino ejus relictam in eos jurisdictionem; quanquam contumeliam faciant ei, ad quem mittuntur, si commissa apud eum à suis crimina impunita esse patiantur. Quòd si ergò salva est Principi vel Domino jurisdictio, etiam in suæ Legationis comites, alieno in territorio existentes, multò magis ipsi Principi in alieno agenti, illibata erit summa jurisdictio in suos, neque proindè Regina *Christina* jure suo abusa est, cùm de Marchione *Monaldeschio*, quem mortis reum judicaverat, supplicium sumi jussit; facile enim judicatu est, eam fuisse negotii naturam, ut aliis judicibus commodè committi non posset. Et ridiculum erat, postulare à Regina, ut alieno arbitrio permitteret ea, quæ salvâ dignitate negligere non poterat. Quod verò Galli rem ægrè ferre visi sunt, non aliunde, quàm ab averso aulæ animo, profectum arbitror: accedebat loci conditio, in quo cædes facta erat, huic enim aliqua certè reverentia debebatur: idque unum credo Reginæ exprobrari potuisse, quam tamen fortè necessitas festinandæ ultionis absolvit. Sed invitante argumento ad aliena dilabor. Itaque redeundum est in viam atque illud concludendum, *Legatum* generali appellatione illum esse, qui mandati tabulas publico nomine habet atque incolumitate fruitur, quam illi Jus gentium ex rationis naturalis dictato concessit.

Distinguuntur *Legati* vel *Ministri* publico nomine missi *tum intrinseca potestate, tum adjectitio honore. Intrinseca potestas* vel in obeundis quibusdam cæremoniarum solennibus, vel in negotii cujusdam tractatione consistit. Et potestas tractandi vel imperfecta est, cùm ad Dominum referri debet, antequam concludi possit: vel plena perfectaque est potestas, cùm concludendi negotii jus est, quod *mandatum cum libera* vocant. Ministros autem hujusmodi *Plenipotentiarios* appellant. Verum est sanè, signatis licet per Plenipotentiarios tabulis, Dominorum ratihabitionem exspectari, antequam toti negotio finis impositus censeatur: illud tamen certum est, Dominum, vi *Literarum Credentialium*, ad rata habenda Plenipotentiarii acta obligari; si secus faxit sine extrema necessitate, eum existimationi suæ labem inferre. Hinc verò intelligi potest, Plenipotentiarii nomen non esse hono-

honoris sed potestatis; neque, ut quidam faciunt, Plenipotentiarium Legato characterem habenti opponi posse. Nam vel Legatus primi gradus, vel etiam secundi ordinis Minister mandatum tractandi liberrimum habere potest. *Adjectitio honore* distinguuntur Ministri publico nomine missi, in *Legatos* & *Ablegatos*. Illos vocant *Ambassadeurs*, hos *Envoyés*. Ambo rursus *Ordinarii vel Extraordinarii* habentur. *Ordinarii*, quibus nullum certum negotium præfixum, neque breve tempus concessum est: *Extraordinarii*, qui certæ rei occasionisque causa mittuntur. Unde sæpe fit, ut ordinario extraordinarius Minister superveniat. Errant verò, (si quid judico) qui ordinarium ab extraordinario specie dignitatis differre arbitrantur. Videntur in eum errorem inducti, quod ordinario extraordinarius præfertur: Idque verum sanè, sed ea credo occasione introductum, quod plerumque etiam ordinario extraordinarius supervenit, & usu receptum est, ut ex duobus ejusdem Domini Ministris cætera paribus, ille præferatur, qui novissimus venit; unde mirum non fuit, extraordinarios plerumque prælatos, quod denique in jus abiit; præsertim cùm extraordinarii plerumque & majoris esse soleant dignitatis homines & absolvendis magni momenti negotiis vel obeundis publicis honoribus destinati; ac vel ideo plùs splendoris ostentare possint, quod exiguo tempore ferè cursum absolvunt. Sed etsi Legatus extraordinarius ordinario ejusdem Domini semper præferatur, non ideo diversa constituitur dignitatis species, nisi extraordinarium Domini majoris ordinario minoris præponamus, quod credo non concedetur. *Residentem* infra Ablegatum ponunt & inter Ministros publicos recensent: & videtur sanè *Residens* nihil aliud esse quàm Ablegatus ordinarius, *Envoyé ordinaire*; alioqui frustra alios vocabimus *Envoyés Extraordinaires*, si nulli sunt ordinarii, qui illis opponuntur. At *Agentem* non item inter Ministros habent, hic enim literas *credentiales* nullas fert, sed ad summum *recommendatitias*; neque enim cum Principe ejusque Ministris de Republica tractat, sed cum Judicibus aliisque Magistratibus aut etiam privatis, de aliis planè rebus agit tantùm; nec aliud agit, quàm quod Mercator quivis facilè præstet. *Consules* Mercatorum alterius sunt naturæ. Nam præterquam, quòd Agentes censeri possunt, sive negotiorum gestores; habent quandam permissu Principis jurisdictionis speciem in suæ nationis mercatores. *Commissarii* sunt Ministri publici jurisdictionem ejus, à quo missi sunt, non egredientes. Hæc ratio est, cur Cæsaris Ministri in Germania *Commissarii* appellantur. Certum est enim, aliquam Cæsari in toto imperio jurisdictionem competere, quam nihil pugnare cum Principum Suprematu infra ostendemus. Tales olim erant Missi Dominici & Apostolici: illi à Cæsare vel Rege, hi à Papa. *Deputati* appellari solent Ministri ab illis missi, qui unum constituunt corpus; ita Provinciæ singulæ Belgii Fœderati mittunt Deputatos salvo jure libertatis sive Suprematûs, quod unaquæque Provincia sibi vindicat, ita

ita missi ab Imperii Ordinibus ad Conventus publicos, Deputati vocari solent, de quo pluribus infrà. Et videntur olim Deputati fuisse dicti illi omnes, qui ad aliquem congressum sive conventum destinantur, unde Legatos etiam Regios, Gallos, Anglosque Deputatorum nomen æquo animo tulisse certum est, quemadmodum patet ex Præsidis *Johannini* Negotiationibus, ubi duorum Regum & quorundam Principum Legati ideò missi, ut pacis vel induciarum inter Hispanos & Fœderatos tractationi assisterent, sæpissimè appellantur Deputati; idque haud dubiè, quoniam unum inter se corpus formabant & communi consilio ac nomine literas expediebant. Nonnunquam & Deputati dici solent non qui ad conventum aliquem, sed qui ex Corpore aliquo sive Conventu deputantur; unde hodieque in Urbibus & Rebuspublicis frequentius nomen Deputatorum, & in Gallia Ablegati Hansæ Teutonicæ vocantur *Ambassadeurs Députés*. Ex quo judicari potest, quàm parum constans horum nominum usus fuerit.

CAPUT VII.

Explicatis in summa Ministrorum publico nomine missorum discriminibus, insistendum est illi potissimum, quo constituitur Legatus primi ordinis sive Ambasciator, quem charactere repræsentatitio instructum dicunt. *Character repræsentatitius* quid rei sit, paulò altius repeti debet. Qui ad obeunda solennia funebria, nuptialia, baptismalia, ad præstandum homagium, ad coronationes aliasque publicas cæremonias veniunt, ut illum, ad quem, aut à quo mittuntur, præsentia sua honorent, actuique interveniant: illos personam Domini repræsentare consentaneum est, id est eo in loco collocari, qui Domini esset; & illis honoribus affici, qui Domino haberentur, quousque scilicet ratio ministrum Domino succedere patitur. Quam sanè exceptionem addi debere mox patebit. Hinc jam intelligi potest, in hoc negotio non haberi rationem mediocritatis ejus, qui missus est, sed dignitatis ejus, qui misit. Quare ridicula fuit Legati Gallici querela, qui sub *Francisco I.* Romam missus Domino suo suadebat, ut imposterum Legatos mitteret Marchiones aliosque propria dignitate splendentes, ne scilicet Legatus Regius non sine Domini contumelia longo post Hispanicos intervallo in multitudine velut lateret: unde rectè colligitur ab autore Collectaneorum de Legatis, vel parum eo tempore stabilitum fuisse jus repræsentationis, vel Legatum sui juris mirè ignarum fuisse. Hoc tamen ita intelligendum est, ut Legationis honor Legato addat quidem, non tamen adimat dignitatem: constat enim & Legatis, natu Principibus, Celsitudinem (*Altesse*) & Cardinalibus *Eminentiam* & quicquid inde honoris fluit, conservari. *Legatus* ergo *primi Ordinis* est, qui missus est ab habente Suprematum cum charactere repræsen-

præsentatitio. *Character repræsentatitius* est jus fruendi iisdem honoribus, quibus frueretur is, qui repræsentatur, si præsens esset, in quantum fert ratio aut consuetudo. Dico, is, *qui repræsentatur*, non is, qui misit. Neque enim character repræsentatitius est in Legatis tantùm, sed & in vicariis, quales illi sunt, quos hodie *Vice-Reges* vocant, aut in illis quos Germani vocant *Stadthalter*, Ungari *Palatinos*, Sueci *Trotsetz* seu *Trost*, id est Regis Sedem (*Sitz*) locumve tenentes: *Trot* enim vetere lingua etiam Germanica regem esse judicari potest, quoniam hodieque *Trotning* Suecis Regina est.

CAPUT VIII.

ADdo repræsentationem non ultra valere, quàm in quantum fert *ratio aut consuetudo*. Nimirum si quis missus sit, ut alicui actui solenni nomine Principis intersit, iisdem, quibus Princeps, honoribus excipietur, nisi quid obstet: exempli causa, nisi alius adsit Domino æqualis, aut aliæ inde absurditates nascantur. Itaque nunquam auditum est Generalem Regis locum tenentem, (qualis in Gallia esse volebat Dux Meduanus tempore fœderis, quod Ligam vocabant, aut qualis postea Aurelianensis Regis nunc regnantis patruus fuit,) locum Regis in Senatu capere voluisse, quem vocant, *Lit de justice*; & constat, Ligæ tempore Cardinalem *Cajetanum*, Legatum à latere, ad sedem Regiam euntem, à Præside *Brissonio* fuisse retentum. Ipsi Cardinali *Barberino*, Legato à latere, negatum est in Hispania jus Uranisci seu portatilis cœli, (*le Daqui pis*) qui profectò non fuisset negatus ipsi Papæ: unde intelligitur, nullum Principem Legatis dare posse perfectæ Repræsentationis characterem, neque Legatum unquam eodem per omnia, quo Princeps, honore affectum; ita Legati Regii aliis Regibus ubique cedunt: ubique inquam, id est non tantùm in loco tertio, sed & in domo ipsorum Regum, ad quos mittuntur; & Legati à latere, licet à majore Regibus, scilicet à Pontifice, missi, ipsis Regibus quodammodo fasces submittunt. Unde in Gallia non possunt sibi præferri jubere crucem erectam, jurisdictionis notam, eo in loco, ubi Rex præsens est. Manifesta autem ratio est, cur Legatus Regius exigere nequeat, ut Rex, ad quem missus est ei in domo sua honoratiorem locum concedat: nam hoc grave futurum erat Regibus ipsis mittentibus, si Legati eorum adeò dignitatem Regiam vilem haberent, licet in alio Rege. Ejusdem rei illustre exemplum habemus in Electione Imperatoris. Videmus enim Legatum Electoris intervenire Consessui quidem, cùm Imperator nominandus est, aliosque solennes actus exercere, sed cæteris Electoribus cedere. Idem est in Conventu Ordinum. Cùm enim in Comitiis Ratisbonensibus anni 1653. solus Electorum *Carolus Ludovicus* Palatinus præsens esset, Legati cæterorum in Electorali Collegio

legio dubitabant, an novissimo Electorum cedere deberent? sed re deliberata Dominisque consultis conclusum est, ut Legati cederent Electori præsenti & in Collegio Principum non nisi de novis Principibus dubitatum est, an non Legatis aliorum cedere deberent. Neque dubium est, Legatos Electorum cedere Principibus debere, ac ne quidem in Domo Principum honoratiorem exigere locum posse: nam quod in coronatione *Caroli V.* controversia fuit inter *Guilielmum* Ducem Cliviensem & Legatos Electoris Saxoniæ, quæ pompam in multam noctem produxit, id tunc sanè, cùm tota actûs solennitas ad Electores pertineret, minùs mirum videri debuit, Legatos Electorum à cæteris Electoribus avelli ac separari noluisse, neque enim singulorum per se, sed totius Electorum Corporis ratio habenda erat. Cæteroquin tantùm abest, ut Legati Electorum Principibus in loco tertio præferantur, ut ne apud ipsos quidem Principes honoratiorem obtineant locum, quanquam hæc olim parum certa ac definita essent: civilitati enim arbitrariæ potiùs quàm certo juri dabantur, donec ab exteris artem hanc cæremonialem didicimus. Constat enim, eundem Principem, quem Electorum Legatis negaverat honoratiorem apud se locum, aliquando alterius Principis Legatis dedisse; idemque de Regiis Legatis dicendum est, quibus Electores ac Principes Germaniæ nihil ultrà imposterum quàm Reges alii dabunt, ubi civilitates sæpe nimis effusas in jus trahi, nec vicissim à Regibus dignitatis Principum rationem haberi intelligent. Cùm *Carolus V.* Aquisgrani coronaretur, Nuntius Pontificis & Legatus Regis Angliæ solemnibus abstinuere, ne Electoribus cedere cogerentur; quinimò in nupera *Leopoldi* coronatione *la matina del primo di Agosto* 1658. *à buon hora si trasferirono alla chiesa il Nuntio e li due Ambasciatori di Spagna per sfuggire le Competenze con gli Elettori*, ut ait autor Historiæ *Leopoldi*; quæ ideò adduco, ut appareat, falli eos, qui putant in eo Electores à Principibus distingui, quod illis cedat Nuntius Apostolicus aut Regius Legatus, his non cedat. Quanquam ridiculum sit, Legatos Regios tale quiddam apud Electores & Serenissimos Principes Germaniæ moliri: quomodo enim illis præferri postulant, quorum Legatis non ubique præferuntur, aut potiùs quorum Legatis præferuntur quidem in loco tertio, sed in domo sua cedunt. Regula ergo certa stabilienda est, *Legatum habentis Suprematum Principi ipsi Suprematum habenti ubique cedere debere*, velut *fratri* Domini sui, non qualitate, sed ad summum quodam, ut ita dicam, majoratus tantùm sive primogenituræ jure distincti. Certum est, Electores & Principes ejusdem speciei possidere Suprematum, quemadmodum jam suprà demonstratum est, & infrà ostendetur uberiùs: certum est rursus, Electores à Regibus non differre specie Suprematûs (ex confessione ipsorum Regum, qui nuper Legatos Electorales & Italos suis æquavere:) Ergo concluditur, nec Principes à Regibus ea re distingui posse: quamquam alioqui

alioqui Dignitas Regia à Ducali, & Electoralis à Principali differat. Hinc porrò intelligi poteſt, quantopere character repræſentatitius uſu arctetur, & quam non ſit in poteſtate Regis ullius, talem Legato ſuo characterem dare, quo inſtructus etiam perſonaliſſima Domini ſui privilegia repræſentet, alterique Suprematum habenti, ſed Domino ſuo cedenti, ullo in loco præferatur. Neque enim video, quo jure poſſit aliquis vindicare ſibi poteſtatem transferendi in alium, quæ ſunt merè perſonalia, honores ſcilicet, qui non niſi præſenti habentur; cùm enim oneroſum ſit & plenum incommodis, Principes præſentes colere, utique multiplicare hoc onus alteri poteſt nemo: quid enim futurum eſſet importunius, quàm tot imaginarios Reges, quibus omnia deferre oporteat, videre in aula noſtra, quod ad nos Legatos cum ſummo charactere Regibus quibuſdam mittere placuerit? Ergò neceſſe erat arctari characterem repræſentatitium, & ad ea tantùm referri, quæ neque oneroſa aliis, neque ipſi dignitati communi mittentis atque recipientis gravia eſſent. Idque jam tacito uſu introductum eſt, egregio temperamento, ut ſcilicet Legatus primi licet Ordinis, Domini ſui æqualibus ubique cedat, aliis pleriſque præferatur. Æquales autem intelligendos dixi licet non dignitate, attamen dignitatis qualitate, qui ſcilicet jure Suprematûs fruuntur, & in Chriſtiano orbe rerum ſummæ præſunt, in ſuis quiſque terris. Hi enim, ut dixi, omnes *fratres* habendi ſunt, quanquam ordine honoris diſtinguantur. Quemadmodum fratres ſibi cedunt ordine ætatis, etiamſi jure familiæ pares habeantur. Aliis autem pleriſque anteferri Legatum dixi. Pleriſque, inquam, licet non omnibus: nam variæ rationes alios ſubinde limites præſcribunt; ſcimus enim Legatos ſæpe ſolitos peculiarem habere honorem cognatis ſuorum Dominorum, unde ortæ aliquando perplexitates, quando ille ipſe cognatus aliis cedit, quemadmodum Legatus Anglus cedit Principi Auraico, Gallus non cedit, nec Anglus Gallo. Cedere autem atque præferri, cùm abſolutè ponuntur, intelligi debent *in loco*, *quem tertium vocant*, id eſt, qui ad neutrum eorum, de quibus agitur, pertinet; nam alioqui ſæpe fit, ut, quibus Legatus in loco tertio cederet, eis præferatur apud ipſos, & qui Legato cederent alibi, apud ipſum honoris ergo primo ſint loco, quemadmodum videmus inter Legatos duorum Dominorum etiam ſibi cedentium obſervari: idemque ſemper locum habere debet, quoties duo illi, de quibus agitur, non ſpecie ſive quantitate, ſed gradu tantùm dignitatis diſtinguuntur. Quod autem dixi, Legatos Domini etiam minoris, modò Suprematum habeat, apud alterius Domini Legatos honoratiorem locum (*la place d'honneur*) habere, generale eſſe debet: nam ſcimus Legatos olim Regis Galliæ apud Venetos, *Avauxium* & *la Tuillerium*, etiam cùm *Excellentiam* Fœderatorum Ordinum Legatis negarent, locum dediſſe, nec video, quo juris colore Galli i Hiſpanicique Legati, quod alibi concedunt Legatis non Regum, Romæ tantùm ne-

negent, sed in talibus recepta semel, atque ab omnibus tolerata consuetudo pro ratione est.

Ex his ergo intelligi posse arbitror, quæ sit vis & natura Repræsentationis, quam character Legato confert. Nimirum ut non nisi illis ubique cedat, qui eandem dignitatis speciem habent, quam Dominus, qui misit, nempe Suprematum; utque aliis Legatis à Domino majore vel minore, sed eandem dignitatis speciem habente, missis in loco tertio præferatur aut postponatur, prout Domini facerent, cedat domi suæ, apud ipsos præferatur. Item ut alia Legati illi inter se observent, quæ qualitate sive specie dignitatis æquales decent; ex quibus illud est, ut novissimo venienti adventumque significanti honor primæ visitationis à cæteris habeatur, ut qui alterum invisit, in aditu ædium excipiatur: denique ut titulis quoque iisdem decorentur. Receptus est autem *Excellentiæ titulus* inter Legatos sub initium hujus seculi. Res enim in Pace Monasteriensi nova videbatur Germanis, & olim titulum fuisse Regium scimus aut summis Principibus datum; nam & Angli hodieque Regi eum tribuunt suo, (*The Kings most excellent Majesty*) & Regibus Galliæ atque Hispaniæ datur in Tractatibus Pacis Pyrenææ, & in titulis Principum veteri stylo scriptis, hoc legetur: *Illustrissimo & Excellentissimo Principi*; quæ hodie usus in Serenitatem ac Celsitudinem commutavit. Idem titulus etiam Exercituum Ducibus hodie datur, & primariis Status Ministris. Sed in Italia major ejus habetur ratio: nam dabatur Principum regnantium cognatis, quibus in Gallia Celsitudo (*Altesse*) non negata. Nuntius Apostolicus Excellentiæ titulum non tribuit Ecclesiasticis, & frustra fuere Colonienses Legati, qui in Comitiis Electoralibus Francofurtensibus Illustrissimos se tantùm ab eo vocari ægriùs ferebant, quo exemplo mirum non fuisset, si Legati Cæsarei Electoralibus Excellentiam negassent. Excellentiæ tamen titulum omnibus sine discrimine Legatis primi ordinis dari, hodie rationi consentaneum est, tametsi Domini eorum titulis distinguantur, aliisque Majestas, aliis tantùm Serenitas detur. Neque enim putandum est, summo quodam rigore eam inter Legatos analogiam servari, quæ Dominis proportione intercedit. Nam si hoc ita esset, qua rationis specie concessisset Cæsar, ut Brandenburgicis Legatis apud suos honoratior locus esset, quem certè non concederet Brandenburgico apud se: quare falluntur, qui ab illis honoribus, quos Electores vel Principes Cæsari aut Regibus deferunt, eadem planè Legatorum discrimina moliuntur, solent enim esse minora quàm Dominorum. Cæterum aliud quoque receptum est *Legati repræsentantis jus, ut se tegat coram Regibus.* Hoc Gallia dudum non Venetis tantùm, sed & Sabaudis, Florentinis & quibus, non aliis Italorum Principum Legatis concessit; Principibus verò & Electoribus Germaniæ, quibus cedit ipse Sabaudus, aut pari jure est, negavit, nulla certè rationis specie. Cùm enim Elector Bavariæ

variæ *Maximilianus* in Galliam Legatos cum summo charactere misisset, negatus est illis non tantùm introitus honor, sed & potestas se tegendi coram Rege, nullo alio juris colore, quàm quod hoc non esset concessurus Imperator: quod parum validum erat argumentum. Nam Legati Gallici Monasterii Legato Sabaudo Excellentiæ appellationem dedere, quam Cæsarei constanter negaverant. Cæteras Legatorum repræsentantium minutiores prærogativas cæremoniasque attingere nihil attinet, neque enim libellum cæremonialem scribimus, & qui *primæ visitationis honorem*, *Excellentiæ titulum* &, cùm acceptum visitationis honorem reddet, *honoratiorem locum* habebit, huic cætera usu recepta non negabuntur.

CAPUT IX.

INtellecto jam, quid Legatis suis cum summo charactere missis tribui velint Germaniæ Principes, discutiendum est accuratius, & quo jure postulent, & an possessione nitantur; nam in his rebus fatendum est, partim juris facere ipsam possessionem, *Principes Germaniæ habere jus Legationis in solidum*, ostendemus & ratione & exemplo. *Ratione*, quia habent Suprematum in suis ditionibus; *Exemplo*, tum *alieno* Electorum scilicet & Italiæ Principum, *tum proprio*, quod ad possessionem pertinet, quam novissimè subtexere satis erit, ut appareat, etsi incuriosiores sæpe juris sui Principes nostros, quàm par sit, non tamen semper dignitatis oblitos, & nunc, ubi facilitas eorum pristina controversiam nasci fecit, tuendo juri pares esse. A rationibus autem ordiemur, quas apud omnes prudentes valere maximè arbitror, cùm vulgus tantùm exemplis ducatur. Omnes autem ab uno fluunt fonte Suprematûs, cujus explicanda primum natura est, deinde Principibus Germaniæ rectè tribui demonstrandum. In explicando *Suprematu* difficilem me Provinciam suscepisse fateor, &, quod quis miretur, in re tàm vulgata propè intactam. Cujus rei ratio est, quòd illi, qui ad scribendum plerumque animum appellunt, miserabili ingeniorum morbo non nisi vetera crepant, quorum nostris temporibus vix apparent vestigia, recentium incuriosi: de quibusdam Jurisperitis vulgaribus hoc non miror; illis enim omnis sapientia in uno Romani Juris Corpore conclusa videtur; experientia autem rerum humanarum, si quam habent, forensis auditorii cancellos non egreditur: unde nonnunquam de Publico & Gentium Jure misera sunt eorum judicia. Hos ergò Cæsarem pro Domino Mundi, Principes nostros pro Præsidibus Provinciarum, licet perpetuis & hæreditariis, habere, mirum non est: neque ab his aliquid magnoperè exspectes illustrando publico juri, quod nunc viget. Sed illud semper miratus sum, illustres dignitate & rebus gestis & eruditione viros, cùm ad scribendum accessère, maluisse eruditionis suæ documenta dare, quàm experientiæ atque

Yy 2 judicii.

judicii. Nam quæ paululum à Romanis Græcisque formulis abeunt, ea vix nominare audent; videas documenta & præcepta tradi non alia, quàm quæ alicujus Poëtæ aut Oratoris autoritate firmari possint; & exempla adhiberi ex sola vetere historia anquisita: quæ res facit, ut libri ejusmodi à viris pragmaticis (quicunque nondum juvenes hoc velut gustu antiquitatis imbuti sunt) velut inutiles, aut certè steriles, spernantur. Quid eruditius aut elegantius, quàm quæ egregius sanè vir, *Carolus Pascalius* reliquit in libro de Legato; sed fallitur profectò, qui Legatum aliquem inde multum luminis haurire posse putet, quo rectiùs munere suo fungatur, aut difficultates oblatas superet. Nec tamen deerat illi viro notitia rerum, quæ in usu versantur, nam & legatione Rhætica functum ipsummet scimus; quare nihil aliud, quod accusem, habeo, quàm illius temporis morbum, qui frigidam hanc eruditionis affectationem exigebat. Fatendum est, *Hugonem Grotium*, Eximium virum, majorem usus rationem habuisse, & quæ ex omni historia ac veterum monumentis selegit, præclarè accommodasse ad regulas constituendas, quæ nunc quoque vim habent. Poterat tamen utilior esse seculo, si seposita aliquando gravitate, qua semper ad illud eruditionis culmen assurgit, quo pauci, fateor, accedere possunt, familiariorem se reddidisset nobis, atque ea subinde tractasset, quæ Magnis illis viris pro minutiis habentur; at nobis, (ut nunc sunt, credoque semper erunt res humanæ) graves sæpe difficultates pariunt: quemadmodum faciunt cæremoniæ, tituli, receptæ quædam consuetudines, & observationes nonnullæ viles in speciem, effectu magnæ. Nimirum sunt multa, quorum scientia à nemine laudatur, ab omnibus tamen requiritur. Talia non solent attingere autores, qui gloriæ potiùs suæ, quàm lectoris utilitati velificantur. Scilicet eruditio plerumque ad splendorem dirigitur, non ad usum: præclara præcepta moralia, pulchra dicta, apophtegmata egregia, tùm elegantissima exempla frequentantur, quæ scilicet dicenti scribentique aliquam gratiam conciliant: de illis verò, quæ magis in vivendo profutura, quàm in dicendo pulchra sunt, altum silentium. Quare ego sæpe dicere sum solitus, plus in aliquo libro vulgari, quem magni illi homines nostri, velut mechanicum, damnant, qualis est Oeconomicæ, aut artis sellulariæ scriptor quispiam abjectus, veræ utilisque doctrinæ esse, quàm in Theatro vitæ humanæ, ne dicam in integra sæpe Bibliotheca. Hoc ergò eruditorum vitio factum est, ut hodie plus pene utilitatis hauriatur ex libris, vernaculo variarum gentium sermone à mediocribus admodum autoribus conscriptis, quàm ex doctissimis lucubrationibus. Et plus ex Novellarum publicarum unius decennii collectaneis discetur, quàm ex centum auctoribus classicis. Quare mirum non est, si de Suprematu dicturo, quem vulgò vocant *la Souveraineté*, auxilia bonorum autorum desunt: dum interea de civitate, de Majestate, de formis Rerum publicarum mille voluminibus omnia perstrepunt.

CA-

CAPUT X.

DE *Suprematu* dicturus cogor attingere, quid sit Civitas, quid Respublica, quid Libertas, quid summa Potestas, quid Regalia, quid jus Superioritatis territorialis, quid Reservata, quid unio plurium Rerumpublicarum. *Civitas* esse videtur cœtus hominum satis magnus ad spem defensionis mutuæ contra vim magnam, qualis metui solet, animo cohabitandi, certa quadam rerum communium administratione constituta, initus. Familiæ, imò & vico, sive pago, ex aliquot familiis composito deest magnitudo; Exercitibus, vel magnæ cuidam societati casu conflatæ, quales sunt Caravanæ in itineribus Asiaticis, deest animus cohabitandi. Illi, qui *Aristotelis* lingua hodieque loqui solent, integra regna appellant Civitates; quod nescio, an satis consentaneum sit ipsi *Aristoteli*, qui Regnum Persarum, credo, non appellasset πόλιν, & Babylonem ob magnitudinem non civitatem esse dixit, sed gentem. Civitas videtur requirere cohabitationem, ita ut cives facilè congregari possint signo dato. Civitas autem aut sui aut alieni juris est. *Ditio* est quidam terræ habitatæ tractus, communi quâdam administratione utens; major ditio *Regio* vocatur, & Regio, cùm alterius ditionis adhuc majoris pars est, *Provincia* dicitur. *Territorium* commune est nomen civitati, vel ditioni, sive terræ tractui; sed præter rem subjectam, etiam jurium aggregatum exprimit, ita ut quemadmodum hæreditas & patrimonium quandam rerum juriumque in familia aliqua sive domicilio universitatem continent, ita Territorium universitatem jurium, quæ in portionem terræ habitatam competere potest, significet. Hinc illud oritur, quod Jurisconsulti Germani vocant *Superioritatem territorialem*, vel *sublime territorii jus*; sed & ante eos Itali: & memoratur *Baldi* dictum, qui ajebat, Superioritatem inhærere territorio, ut nebulam paludi. Porrò in hoc Jure præter *Jurisdictionem & levem coërcendi potestatem* etiam *Jus manus militaris* continetur. Quæ omnia quo crebrius confunduntur, hoc distinguenda sunt accuratius. Aliud enim est *Dominus jurisdictionis*, aliud *Dominus territorii*. Jurisdictionem voco *potestatem de causis statuendi, sive jus dicendi & contumaces Privatos coërcendi.* Coërcendi potestatem (Jurisconsulti veteres *Imperium* vocabant) esse dico, cùm, ubi opus, vim in refractarios adhibere licet. At *Jus manus militaris* est aliquid longè sublimius simplici coërcendi potestate; coërcere enim refractarios Privatos licet, adhibitis paucis Justitiæ Ministris, vel etiam, ubi opus, convocatis in opem civibus. At jus manus militaris voco, cum in potestate est hoc jus habenti, colligere manum militum, quæ ad totam ditionem in officio continendam sit satis. Itaque alicujus Vici vel Burgi Dominus potest omnem habere jurisdictionem, potest capitis supplicio punire, potest per lictores, &

& si opus, collectam civium vel rusticorum manum, privatos aliquot contumaces redigere in ordinem; sed conscribere militem, tormenta majora ducere, aliaque facere, quibus totum illum tractum ad imperata cogere queat, non potest. Itaque eo casu, quo non contra paucos quosdam refractarios, sed totam aliquam communitatem expedienda vis erit, Dominum territorii implorabit. Hæc qui accuratè considerabit, Superioritatem territorialem in summo cogendi sive coërcendi jure consistere videbit, quæ tantùm à simplici coërcendi facultate differt, quantùm in legibus Romanis *vis publica à privata.* Ubi tamen illud notari debet, etiam sine milite hoc jus retineri posse, sola hominum opinione, id est obsequio, cultu, autoritate, quæ tantundem, ac sæpè plus ipsa vi, possunt, quoties scilicet communis subditorum fert opinio, parendum esse: tunc enim sufficit, exiguam adesse manum, quæ primis saltem paucorum turbatorum motibus opponi possit. Interea sufficit adhibendæ vis majoris confessam esse potestatem, ubi opus sit. Hoc porrò jus non Principibus tantùm Imperii, sed & Comitibus competit. De Urbibus liberis diu fuit olim dubitatum, sed novissimè, Pace imprimis Monasteriensi, definita quæstio videtur. Et hoc, quod nos vocamus *Superioritatem territorialem*, idem cum eo esse videtur, quod Galli etiam vocant *la Souveraineté*, laxiore nonnihil sensu: quales sunt *la Souveraineté de Neufchastel de M.* de Longueville, *la Souveraineté de Dombes qui appartient à la maison de* Montpensier, *la Souveraineté de Sedan de Messieurs de* Bouillon, *la Souveraineté de Bidache qui est au Mareschal de* Grammont. Intellecto autem semel, Superioritatem territorialem in summo subditos coërcendi jure consistere, patet primùm, in ea contineri plenum omnia alia imperandi arbitrium, quatenus ea non expresse excipiuntur, alterive *reservantur*, unde dixi suprà, territoriale jus in quadam Jurium Universitate consistere. Patet deinde, multa, ut vocant, *Regalia* excipi vel pactis expressis ac sæpe juratis, vel Provinciæ consuetudine, & nihilominus Superioritatem territorialem salvam manere. Itaque potest fieri, ut alius in territorio nostro habeat Jus Venationis, jus fodinarum, jus aperturæ, jus conducendi, jus vectigalium, quinimò jus altæ jurisdictionis, sive jus statuendi de criminibus capitalibus atque supplicium sumendi de condemnatis; sed & jus supremæ, ut vocant, instantiæ, seu ad ipsum ab eo, qui Superioritatem territorialem habet, provocari possit; sed & Dominus territorii potest carere jure signandæ monetæ, jure indicendi tributa pro arbitrio, jure struendi munimenta aliisque multis. Modò id qualecunque jus, quod habet reliquum, vel auctoritate, vel, ubi opus, vi majore à subditis obtinere ipsi in promptu sit. Etsi autem omnia alia adimantur jura vel Regalia, sufficit tantum remanere jurisdictionis, quantum satis est ad tuendam in subditos auctoritatem, & tantum reditus, quantum opus est ad sustentandam pro dignitate familiam alen-

alendosque potentiæ Ministros. Porrò quanquam hujusmodi minora territoria appellari soleant *Souverainetés*; communiore tamen sensu vocabulum hoc paulo *arctius* adstringitur, & illi tantùm vocantur *Souverains ou Potentats*, qui territorium majus habent, exercitumque educere possunt; atque hoc demum illud est, quod ego voco *Suprematum*, & Gallos quoque arbitror, cùm de rebus ad jus gentium spectantibus, pace, bello, fœderibus sermo est, & ipsi aliquos vocant *Souverains*, eos non de urbibus liberis loqui, nec exiguorum territoriorum, Dominis quæ facilè etiam dives Mercator sibi emere potest, sed de majoribus illis potestatibus, quæ bellum inferre, bellum sustinere, propria quodammodo vi stare, fœdera pangere, rebus aliarum gentium cum auctoritate intervenire possunt, quæ quodammodo commercio privatorum exemptæ sunt, & ut nunc sunt, &, ut nunc sunt res humanæ, ad homines inferiores & minoris conditionis, (exceptis Principum Ecclesiasticorum Electionibus) non facilè perveniunt. Unde fit, ut, qui in hoc sunt culmine, à cæteris Potestatibus Majoribus, terrarumque & gentium Dominis, & rerum humanarum arbitris, quodammodo ut fratres & conditione æquales (licet magno potentiæ intervallo inferiores) honorentur, & ab illis non specie, sed gradu tantùm dignitatis differre intelligantur. Jam & ubi in familia quadam jus illud hæret, fit, ut ea quodammodo cæterorum hominum sortem supergressa videatur, & personæ sacræ atque inviolabiles censeantur, quod personæ Privilegium non illi tantùm proprium est, qui caput est domus, & quem regnantem vocant, sed & reliquis aliqua ratione communicatur, qui solam spem habent successionis, & qui dicuntur *Princes d'une Maison Souveraine.*

CAPUT XI.

CÆterum plura territoria *uniri* possunt in unum corpus, salva singulorum superioritate territoriali, cujus rei manifesta in Imperio, in Helvetico Corpore & in Unitis Provinciis exempla habemus; nam si singulis regionibus jus sit proprium habendi militis, quo continere subditos in officio possit, territorii jus sibi constat. Quod si præterea & cum exteris inire fœdera possunt singulæ, & exercitus conscribere, armaque expedire, quibus sibi apud vicinos quoque autoritatem parent, quod possunt Germaniæ Principes; manifestum est, non obstante *unione*, in unaquaque Regione superesse id, quod *Suprematum* definivi. Multum autem interest inter *Confœderationem* & *Unionem*, quemadmodum inter *Societatem* & *Collegium*. Societas est plurium cùm res in sortem collata singulorum est, lucrum inter omnes dividitur: sed in Corpore vel Collegio nova quædam persona civilis constituitur, &, quæ in commune ærarium illata sunt, non singulorum sunt, sed Corporis ipsius, nec

lucra

lucra nisi ex omnium vel majoris partis sententia distribuuntur. Confœderatio solis verbis initur, &, si opus est, junguntur vires: ad Unionem opus est, ut certa quædam administratio constituatur cum aliqua & in membra autoritate, quæ ubicunque de rebus majoris momenti ac salutem publicam spectantibus, ordinario jure obtinet, ibi *Rempublicam* esse ajo. Itaque viri eruditi, qui hoc argumentum tractavere, alterutro modo limites excessere: nam, admissa unitate Reipublicæ, credidere sublatam in singulis membris libertatem sive Suprematum; vel concessa singulorum membrorum libertate, non unam Rempublicam, sed nudum fœdus constitui sunt arbitrati. Ubi illud noto, Reipublicæ Belgicæ non satis rectè Imperium Germaniæ comparari; quemadmodum enim sunt quædam, in quibus arctius Imperii nostri vinculum est: ita sunt alia, in quibus major Principum nostrorum, quàm singularum Belgii Fœderati provinciarum potestas videtur, quibus jus Belli, Pacis, Fœderum, Legatorum, paulò minùs quàm nostris tribuitur. Scio, quæ hic à me disseruntur de natura Reipublicæ, non posse conciliari cum sententiis accuratissimi viri *Thomæ Hobbii* Angli; sed tamen & illud scio, nullam in Europa moratiore gentem iis legibus gubernari, quas ille tulit: quare, si *Hobbium* audiemus, non erunt apud nos nisi Anarchiæ meræ. Nimirum, homines natura jus habere, ait, faciendi, quicquid ipsis videtur utile; inde illis jus in omnia competere, ex hoc jure nasci bella internecina, singulis exitiosa, ideo necessariam esse pacem, ac proinde tollendum esse jus illud omnium in omnia, quare & proprium judicium, ex quo fluit: itaque unumquemque debere suam voluntatem transferre in Rempublicam, id est vel in Monarcham, vel aliquod optimatum aut populi concilium, sive in personam naturalem aut civilem, ut, quod vult Respublica, vel persona eam repræsentans, unusquisque velle intelligatur. Porrò hanc personam civilem Reipublicæ, omnium aliorum personas repræsentantem, non posse esse nisi unicam, & frustra dividi jura summæ potestatis inter plures personas sive plura collegia. Nam si (exempli gratia) uni sit jus legum ferendarum, alteri jus indicendorum tributorum, in casu dissensus contumacis dissolvi Rempublicam: quia enim sine nervo rerum gerendarum, id est pecunia, nihil geri potest, patet, illum, qui alteri tributa negare potest, eum etiam reliquo jure privare posse, quod, inquit *Hobbius*, absurdum est. Quin imò ex principiis ejus sequitur, omnem Monarcham (seu eum, qui conventum populi nullum indicere cogitur) posse pro arbitrio statuere de successore: neque id diffitetur ipse *Hobbius*. Et hæc tamen certè in ipsa Gallia, (quam aliqui velut in exemplum proponunt regni absoluti) exploderentur. Paralogismus *Hobbii* in eo consistit, quòd ea, quæ incommoda trahere possunt, nullo modo ferenda existimat; quod alienum est à natura rerum humanarum. Quanquam enim non negem, divisâ summa potesta-

potestate, multos dissensus oriri posse, imò, si unusquisque in sententia persiet, bella; experimento tamen constat, homines plerumque medias quasdam vias tenere, ne summam rerum pertinacia sua discrimini committant. Manifesto omnibus exemplo esse possunt Respublicæ Polonica & Belgica: apud Polonos Comitia unus Nuntius terrestris solvere potest sua pertinacia: apud Batavos cùm res magni momenti, ut pax, bellum, fœdera, agitantur; unius oppidi dissensus omnia subvertit, & tamen prudentia & moderatione eorum, qui rerum summæ præsunt, pleraque ex sententia conficiuntur. In Germaniæ quoque Comitiis non omnia suffragiorum multitudine transfiguntur, sed sunt, quæ unanimes sententias postulant, quæ omnia *Hobbio* Anarchia viderentur; & aliis nonnullis, qui paulò liberiùs locuti sunt de Republica nostra, visa sunt monstrosa: quod si ita est, ausim dicere, eadem monstra etiam Batavos & Polonos & Anglos Hispanosque imò & Gallos alere. Hoc illi sciunt, quibus notum est, quid olim Ordines Regni Gallici & aliàs delecti è regno viri (*les Notables*) in publicis Conventibus de Legibus regni fundamentalibus & Regiæ potestatis limitibus dixerint, neque ignotum est, à Clero, qui tertia regni portio est, subsidia obtineri non mandatis, plenitudine potestatis, ut vocant, emissis; sed postulationibus, negotiationibus, atque tractatibus. Quin & dimidia Galliæ pars constat Provinciis, quæ dicuntur *les pays d'Estats*, quales sunt Britannia minor, Gallia Narbonensis, Comitatus Provinciæ, Ducatus Burgundiæ; ubi certè Rex non majore jure tributa extra ordinem indicere potest, inconsultis ordinibus, quàm Rex Angliæ suo in regno. Si quid ultra fit, præter morem aut leges, hoc à solis consiliorum Regis successibus vim habere certum est. Nec Turcarum Imperatorem opinione suorum super omnes esse leges, intelligi potest ex forma judicii illius, quo damnatus est Sultan *Ibrahim*, pater ejus, qui nunc rerum potitur; neque enim res tumultu, ut in *Osmani* cæde, sed matura eorum, qui prima munera civilia ac militaria tenebant, deliberatione transacta est. Ex quorum sententia, Sacerdotum Princeps sive *Moufti* decreto misso ipsi Sultano mandavit, ut coram *Char-Alla* sive justitia Dei compareret: neganti denuntiatum est, subditos juramento fidelitatis solutos esse. Quanquam hoc Barbarorum exemplum, qui in utramvis partem peccant, probari non possit. Imperia ergo Hobbiana neque apud moratiores gentes neque apud Barbaros extare arbitror, neque possibilia neque optanda censeo; nisi illi, penès quos summa rerum esse debet, angelicis virtutibus polleant: tam diu enim homines retinendam judicabunt propriam voluntatem, suæque saluti, prout optimum videbitur, consulet, quamdiu de Rectorum summa sapientia & potenti persuasi non erunt, quod ad perfectam voluntatis resignationem necesse est. Locum ergo demonstrationes Hobbianæ in ea tantùm Republica habent, cujus Rex Deus est; cui soli tutò per omnia confidi potest. Sed nobis in viam redeundum est.

CAPUT XII.

ITtaque, ut absolvamus hanc de Suprematu in universum tractationem, hæc velut per Saturam adjicere utile erit: Jure Suprematus præditus censetur *Populus liber*, & nulli astrictus, quemadmodum Veneti, Batavi, Helvetii. Notum est, cùm induciæ Belgicæ tractarentur, ea conditione à Batavis assensum, ut Hispani faterentur, se cum iis velut libero populo tractare. Tota quoque gens, ut Gallica vel Anglica, quoniam suo jure regitur, Suprematum penes se habere censetur: Idem est de Scotia; neque enim refert, quòd eundem cum Anglis Regem habet, & quòd Rex in Anglia degere mavult. At Neapolis vel Lombardia in Provinciam ab Hispanis redacta, quem habuit Suprematum in alios transtulit. Nam Hispani pro lubitu copias illic introducunt, urbesque præsidiis insident, castellaque struunt, quo semel admisso, periit urbium aut Regionum Suprematus. Itaque non, nisi illa urbs, Provincia, gens Suprematum habere censetur, quæ in sua propria potestate est; in potestate verò habere est militari manu tenere posse. Necesse est autem civitatem vel Provinciam esse satis validam ad vim, quæ communiter ingruere solet, propulsandam; itaque cùm Rex quidam Galliæ quendam terræ tractum, quam vocant *d'Ivetot*, in Neustria sive Normandia erexit in Suprematum, jussu Papæ, ut cædem expiaret, cùm Dominum *d'Ivetot*, subditum suum propria manu in Ecclesia confecisset; equidem Dominos de *Ivetot* pro liberis, imò, ut quidam ajunt, Regibus imposterum habere voluit, & ab omni Gallicæ coronæ nexu absolvit; sed, si quid judico, rem Suprematus eis dare non potuit, quoniam efficere non potuit, ut ditio *d'Ivetot* suis viribus contra vim ingruentem stare posset, & aliquam inter cæteras gentes auctoritatem nancisceretur. Itaque valde etiam dubito, an possit Reipublicæ illi Italiæ, quam vocant *Sancti Marini* Oppidum, concedi Suprematus, tametsi jure liberam esse nemo neget. Sed, præter libertatem & in se potestatem, aliud præterea usu requiri videtur ad Suprematum, nimirum potentia, quæ apud exteros quoque auctoritatem conciliare possit. Ponamus Oppidulum aliquod exiguum vel Insulam in medio mari aut in rupe inaccessa situ loci ita muniri, ut nulla facile vi subigi possit: fingamus in ipso esse, quicquid humanis usibus requiritur, ita ut nec fame expugnari facile posse videatur, quemadmodum de arce *Königstein*, ad Electorem Saxoniæ pertinente, fama est, in montis apice tantum frumenti crescere, quantum præsidiariis alendis sufficiat; an ideo hujusmodi oppidulo sive arci Suprematum largiemur, an eandem cum Regibus speciem dignitatis habere dicemus, an Legati ejus honore characteris fruentur? Longiùs progrediar: Liberæ Germaniæ civitates nec præsidium accipere coguntur, nec facile vi capi possunt, nec tamen illis Suprematum concedimus, quem nec ipsæ postulant sibi. Cur ita? non utique, quia

quia Cæsari atque Imperio obligantur; nam si ita esset, nec Electoribus concedi posset Suprematus; an quòd Rectores earum ex illustri stirpe non sunt? ne hoc quidem; alioqui nec Reipublicæ Belgicæ tribueretur; quid ergo tandem? Ego nullam aliam video causam, quàm quòd non satis in ipsis (loquor de singulis) momenti esse videtur ad summam rerum; neque enim copias educunt, sed tantùm intra se stant tectæ & contra vim tutæ testudineo ritu: *Superioritatem territorialem* habent, *Suprematum* non habent. Et *Knichenius*, cùm *Sublime territorii* jus nostris civitatibus negavit, *Suprematum* in mente habuisse videtur. Itaque huc tandem res redit, quemadmodum dixi supra, » ut honor Suprematûs illis habeatur, » qui non tantùm suæ sunt potestatis, sed & aliquid ad summam rerum » in Europa momenti, armis fœderibusque conserre possunt. Hi enim » cum Regibus quodam fraternitatis jure censentur & longo licet potentiæ » intervallo, gradu tamen potius quàm specie dignitatis distinguuntur. » Quales esse Principes Germaniæ, quippe qui ditiones satis validas cum » summa potestate regunt, mox evincemus.“ Porrò qui ex familia sunt, Suprematum tenente, rerum tamen summæ non præsunt, non tam ipsi dicuntur *Souverains*, (quamquam id quoque subinde, minùs tamen propriè fiat) quàm potiùs, *Princes d'une maison Souveraine*. Et inter hos sunt gradus; nam liberi Regum aut supremorum Principum vocantur, *héritiers nés*: at proximus hæres, sed à latere, dicitur *héritier présomptif*, cæteri omnes, qui in spem Regni aut Principatus venire possunt, dicuntur *Princes du Sang* & *Princes d'une maison Souveraine*. Hi porrò etsi alicubi subjecti dicuntur, ut in Gallia Principes ex familia Lotharingica, Sabaudica, Mantuana; id tamen mea opinione cum grano salis accipiendum est, nec nisi intra civilia stare debet, neque ad personalissima porrigitur. Nam & Reginæ censentur subditæ maritorum, & liberi Regum fratresque subjecti habentur, & eodem rigore etiam Regina mater subdita foret filii sui. Sed hanc ego subjectionem alterius planè generis esse arbitror, quàm quæ privatis competit. Fidelitatem debere non dubito, conveniri civiliter posse concedo, sed personam eorum inviolabilem censeo, nec criminali judicio onerari posse arbitror. Cujus rei ratio est, quod non est in Regis Principisque regnantis potestate, mutare aliquid circa successionem ditionis suæ, itaque neque minuere nec (nisi uno modo) augere potest numerum hæredum, nec proinde quemquam eorum, quibus jus est succedendi, capitis damnare posse videtur, nisi consensu gentis. Quod verò in sua familia jus non habet, quomodo haberet in aliena? Itaque nec familiæ Lotharingicæ in Gallia Principes sine exceptione subditos censeo, quicquid Gallis videatur. Idem dicendum est, si quis ex summorum Principum familia munia civilia aut militaria alibi obeat, ut sæpe fit, neque enim persona ejus ideò alteri acquiritur. Et si Clerici minimè in personalibus Reipublicæ subditi censentur, sed Ecclesiæ nomine à nexu subjectionis eximun-

 tur,

tur, quid miramur tantundem tribui summorum Principum familiis, quorum personæ quodammodo sacræ esse debent? Ex his igitur intelligi potest, quid tum in territoriis sive ditionibus, tum in personis, tum in hominibus efficiat Suprematus. Nam qui ditionem ita regit, ut solus militem habeat, præsidia locis imponat, fines custodiat, militari manu mandata exequi faciat, neque ab alio tranquillis rebus nisi per vim bellicam in ea possessione turbari possit, (in quibus consistit *Superioritas*) & qui eam habet præterea potentiam, ut cum cæteris Europæ potestatibus pari conditione tractet, fœdera pangat, exercitum educat & aliquod rebus generalibus momentum adjiciat autoritate sua; eum præter Jus Superioritatis etiam *Suprematus* honore frui censebimus, ita tamen ut ditioni jus affectum sit, & in uno pluribusque, qui regnantes dicuntur, resideat; cæteri, qui *Principes sanguinis Regii* dicuntur, aut *Cadets d'une maison Souveraine* & honore quodam, & quod maximum est, inviolabilitate fruuntur. Itaque ut *Suprematus* naturam intelligas, finge tibi *Potentatum*, ut vocant, seu Potestatum, quæ rerum potiuntur (*des Potentats*) consessum haberi, nec nisi illos vocari, qui magnam ditionem tenent, & circa bellum pacemque & rerum summam aliquid magni possunt. Hic Consessus, hæc, ut ita dicam, Confraternitas eorum, qui dicuntur *Souverains*, in aliquo Concilio Generali aut pacis universalis tractatione repræsentatur, & Legatis omnium, quibus ob autoritatem Dominorum interveniendi jus est, plenus characteris honor debetur.

CAPUT XIII.

EX his jam satis intelligi arbitror, quid sit Suprematus, *la Souveraineté*: nunc ostendendum est, *Principes Germaniæ habere Suprematum.* In promptu habentur innumera exterorum testimonia fatentium, Principes Germaniæ esse *Souverains*: hoc Gallia, hoc Suecia ambitiosè egit, cùm id rebus suis conducere arbitrarentur coronæ. Maximi Reges cum Principibus Germâniæ tractavere *comme de Souverain à Souverain*: Et qui biennio abhinc prodiit in Gallia libellus de præsenti Germaniæ Statu, hoc unum agit, ut ostendat, Principes ante motus novissimos pleno Jure Suprematus esse gavisos, nunc dum specie defendendi Imperii, quod nemo invaserit, ab Austriacis circumagantur, cum exterorum amicitia libertatem perdituros. Talia, licet à veritate aliena, utique Gallum scribere decebat; nobis sufficit, confessum apud omnes Magnorum Germaniæ Principum Suprematum esse. Possem nubem testium cogere, si opus esset. Res eo progressa est, ut Imperatoriam Majestatem irriserint exteri, prætextu libertatis Ordinum, & quòd se *Maximilianus* Regem Regum dixerat, perinde esse, jocati sint, ac si quis se Regem sine subditis vocaret. Huc illud *Barclaji* pertinet de Mergania regione sub uno formidanda,

danda, quæ nunc in varios Principes lapſa Domino tota exciderit. *Eraſmus* ſcripſit ad Cardinalem *Campegium*, Germanos imperare verius quàm parere, & nuper *Monzambanus* quidam perſonatus libello eleganti, ſed paulo mordaciore, quàm par ſit, nec affectuum vacuo, aſſeruit, Principes Imperatori tantùm feudi fide inæqualiter fœderatos eſſe, ſalva ipſorum ſumma poteſtate. Alius quoque novus, non ſemper ineptus autor p. 356. Notitiæ Rerum Imperii, Principes jam à temporibus *Henrici Aucupis* Autocrato as factos. Fuit & nuper, qui ſe Heromontanum appellat, & edito libello defendit, Principibus Germaniæ veram ac propriè dictam competere Majeſtatem, & jam olim *Sleidanus* in oratione ad proceres Imperii, quot in Germania ſunt Principes, tot, ait, videri eſſe Reges. *Baldus* quoque ad l. fin. C. de Teſtam. milit. Principes Germaniæ pro Regibus habuit, & de illis *Æneas Sylvius*, poſtea Papa *Pius II.* Principes Germaniæ, inquit, licet verum habeant caput, in cujus verba jurant, ſuo tamen arbitrio plerumque moventur, ſuiſque imperant ſubditis. *Bodinus* cenſuit, Imperium eſſe meram. Ariſtocratiam, & *Petrus Matthæus*, autor Hiſtoriæ *Henrici IV.* ineptè ſatis dixit, Imperatoriam poteſtatem vix quàm Ducis Veneti majorem. Quæ etſi pleraque abſurda aut certè hyperbolica ſint, ſatis tamen communem omnium de poteſtate Principum opinionem indicant, videantur infra cap. 61. excerpta ex Apologia Gallorum pro Electore Trevirenſi *Philippo Chriſtophoro.* Celebris eſt Regula Juriſconſultorum noſtrorum, de qua dixerat *Eberhardus à Weihe*, vix librum hodie ſcribi in Germania, in quo non extaret nempe: *tantùm poſſe Principem in ſuo territorio, quantum Imperatorem in Imperio.* Viſi ſunt ſibi boni viri rem magnam pro Principibus dixiſſe, cùm manifeſtum ſit tamen, multo majorem eſſe Principum poteſtatem in ſua ditione, quàm Imperatoris in Imperio. Nam ſublime territorii jus hoc inprimis efficit, ut Dominus Territorii refractarios majore armorum vi coërcere poſſit, hoc verò Cæſarem per ſe imperii jure poſſe, mero quodam & indefinito arbitrio, ineptus ſit, qui ſtatuat, inprimis poſt Weſtphalicam pacem & noviſſimas imperii conſtitutiones, ut de autoribus nihil dicam. Itaque ſi regulam commodè interpretari volumus, ut autores ejus ab ineptiæ ſuſpicione liberemus, dicendum erit, quicquid Imperator in rebus Imperii communibus ad unionem ſpectantibus habet poteſtatis, id omne Principem habere in rebus ſuæ Provinciæ particularibus: nam, qui hoc ait, non negat, multo plura Principem in ſua ditione, quàm Imperatorem in Imperio, poſſe, quod eſt certiſſimum: quis enim neſcit, pleniorem eſſe Cæſaris ipſius in Archiducatu Auſtriæ, quàm in Imperio poteſtatem?

CAPUT XIV.

SEd ut rectius intelligatur potestas Principum Germaniæ, res ab origine repetenda est. Plerique omnes Jurisconsulti ac Politici, Germani pariter atque exteri, pro certo sumunt, qui nunc Principes dicuntur, eos olim fuisse Magistratus, quales sub vetere Imperio Romano Duces Comitesque in Provinciis appellabantur. Cumque in familia eadem sæpe continuaretur administratio, hæreditarium inde paulatim jus natum, ac denique, distractis ac diminutis per Italica bella & Pontificum artes Imperatorum opibus, eam, quæ nunc videtur, Principum potentiam stabilitam. Hæc est opinio communis, quam ne illi quidem exuere potuere, qui liberè satis & eruditè de Germanicis rebus scripsere. Videas enim perpetuò Comites Ducesque veteres crepare, & de Imperatorum ac Regum negligentia queri. Sed quantum hæc sententia absolutè & crudè sumta abstt à vero, ex sequenti narratione discemus, quam per aliquot prisca secula deducere operæ pretium mihi visum est. Cùm variæ è Germania gentes, Gothi, Vandali, Longobardi, Suevi, Heruli, Burgundiones Imperium Romanum dilacerarent, & migrantibus populis semper alii atque alii ex interiori Septentrione succederent, manifestum est, quot gentes, tot Regulos fuisse, qui, etsi fortasse non omnino hæreditario jure imperium obtinerent, ex iisdem tamen familiis plerumque (ut hodieque in Regnis Electitiis fieri solet,) sumebantur. Unde de antiquissimis etiam temporibus *Tacitus*, *Reges ex nobilitate*, *Duces ex virtute sumtos. Clodovæi* Regis Francorum tempore, qui primus Christianam fidem accepit, Galliam Burgundiones & Franci tenebant. Alemanni, id est populi in superiore Rheni tractu tunc habitantes, in Galliam irrupturi, victi à Francis & subacti sunt. Eam victoriam magna rerum Germanicarum mutatio secuta est; nam *Clodovæus* facilè Burgundiones & habitatores Narbonensis Galliæ Gothos in ordinem redegit, in Hispania ipsa potentiam ostentavit, & magnam Germaniæ partem ad Thuringiæ fines usque Francici nominis majestatem comiter agnoscere coëgit. Sed minimè putandum est, subactos populos fuisse, aut Principes eorum pulsos. Nam scimus, Cattos & Thuringos cum *Theodorico* Gothorum Rege, qui Italiæ toti imperitabat, Romæque sedem fixerat, de moderanda Francorum potentia consilia agitasse, & *Alaricum*, quendam *Herulorum* (quos hodie Megalopolitanos aut Pomeranos vocant) *Ducem*, *Clodovæo* minatum. *Clodovæus* autem *Theodorici* potentiam & virtutem meritò verebatur. Morte *Clodovæi* divisoque in filios imperio, respiravere nonnihil Principes Germaniæ sibi metuentes. Erat tum quidam *Thuringiæ Princeps sive Rex Hermanfridus*, is fratribus cæsis cùm solus imperaret, superbia elatus Francis ipsis imminebat; sed, *Clodovæi* filiis necessitate ipsa unitis, victus ab uno eorum *Theodorico*,

dorico, Mediomatricum Rege, Regnum vitamque amisit. Eodem tempore & *Sigismundus* Burgundiæ Rex captus atque interfectus à reliquis *Clodovæi* filiis *Clotario* & *Childeberto*. Secutis temporibus miser fuit Germaniæ status, quæ à suis pristinis habitatoribus semi-deserta, à Francis, Hunnis, Saxonibus, Danis vexabatur, & cùm, victis in Italia Gothis, *Narses*, *Justino* Imperatori infensus, Longobardos evocasset, multi Thuringi & Marcomanni aliique *Alboinum* secuti, propè nudatas viris fortibus reliquêre Provincias, quod Hunnorum & postea Slavorum invasionibus locum dedit. Tunc & *Garibaldum*, quendam *Bojorum Principem*, *Brunnerus* memorat cum Francis conflictatum, cui *Thassilo* successit, à Slavis infestatus. *Reusnerus* quoque sub finem sexti seculi *Gothofredum Franconiæ Ducem* Christianis sacris initiatum narrat. Seculo septimo in superiore quoque Germania *Allemanniæ Dux Gunzo* memoratur *Stumpfio*, qui è familia eadem cum Guelphica fuisse fertur, nummos cudisse insignia Guelphica referentes à nomine ejus per multa postea secula appellatos: filiam ejus duxit Rex Francorum *Sigebertus*; posteri autem *Gunzonis* diu Sueviæ sive Allemanniæ Ducum titulos servavere. Historia etiam Brabantica nominat *Carolomannum Brabantiæ sive Tungrorum Ducem*, cui *Pipinus* successit major domus Regiæ & huic filius *Grimoaldus*: unde apparet, Ducatus illos fuisse, quiddam successioni proximum habuisse, saltem à Magistratuum aut Gubernatorum conditione alienos fuisse, ut mirer, unde fabula, de origine Principum ex Magistratibus Provinciarum, nata sit. *Pipini* hujus filia *Begga Ansegiso* Duci, *S. Arnulphi* filio, nupta est, ex qua *Pipinum* avo cognominem suscepit *Caroli Martelli* patrem: ipsa *Begga* denique seculo valedixit, structoque cœnobio inter sanctos habita, Belgii tutelaribus accensita est, & crediderim, hinc natum Beguinarum nomen. Narrant annales Francici & *Mireus*, dissidium inter *Pipinum* hunc juniorem & *Gissemarum*, Duces, in bellum gravissimum erupturum, ab *Audoëno*, Augustodunensi Episcopo, fuisse sopitum. An hos, qui belli jus habent, Provinciarum Gubernatores & ad tempus datos credemus? *Pipinus* iste *Ebroino* cæso Majoratum Domus Regiæ obtinuit. Ejus filius *Drogo Campaniæ* quoque *Comitatum* nactus est, & alter filius *Radbodi Frisiæ Regis* filiam duxit. Filius autem ex concubina, *Carolus Martellus*, *Pipini* Regis pater fuit. Narratur & in Thuringorum annalibus, *Bertholdum*, quendam *Saxoniæ Principem*, Thuringis auxilio venientem, magna primum clade *Dagobertum* Regem affecisse, sed secundo prœlio à Francis cæsum, Saxonesque factos tributarios. *S. Amandus* etiam ex *Aquitaniæ Duce* Monachus & Ultrajectensis Episcopus factus dicitur. Inter Salam & Albim *Wandali* habitantes, Thuringiam infestabant, Francorum potentiam non agnoscentes. *Theodonem* & postea *Hugibertum*, atque inde rursus *Theodonem Bojorum Duces Brunnerus* habet. Annales *Thuringiæ Ducem* memorant *Rudolphum*. Et Benedictinorum historia Sanctum Vincentium *Hannoniæ* Comi-

Comitem relicto *Principatu* memorat Monasterium intrâsse. Ex Vita *S. Kiliani* Francorum Apostoli dicitur, *Geisam* quandam *Franconiæ Principem* fuisse, quæ absente Marito sanctum Virum trucidari jussit. Sub finem seculi septimi *Rupertus in Helvetia Princeps Regii sanguinis* à *Guillimanno* memoratur.

CAPUT XV.

SEculi octavi initio ex supradictis *Gunzonis* posteris *Alemaniæ Dux Godefridus* nominatur, & huic *Theobaldus* filius successit. *Theodebertus Bavariæ Princeps*, misso in Italiam exercitu, Longobardorum se rebus immiscuit; cujus successor *Grimoaldus* à *Carolo Martello* victus est. Huic *Hugibertus*, atque isti *Utilo* filius successit; *Eudo*, *Aquitaniæ & Vasconiæ Dux*, non imaginarius, à *Carolo Martello* pulsus, Saracenos ex Hispania vocavit, quos ille ingenti illo ad Turones prælio vicit, & deletis tantis hostibus tumultuantem *Alemannum principem Luitfredum* fugavit. Ex Monasterii Reichenaviensis monumentis discimus, jam tum anno Christi 728. memorari *Rambertum* & *Gebbonem Habspurgi Comites Alsatiæ Landgrafios*, ex eadem, ut videtur, stirpe, cum Alemanniæ Ducibus, quorum paulo ante meminimus. Sed & in *Crusio* & aliis *Brigantii*, *Waldburgi*, *Königsekii* memorantur *Dynastæ*, qui pro *Luitfredo* in prælio contra *Martellum* stetêre. Ex quibus ego colligo, non multum diversam Germaniæ faciem, sub prima Franciæ Regum stirpe, fuisse ab illa, quæ trecentis abhinc annis apparebat. Ut proinde mea sententia illos temporarios Duces, provincias Germaniæ ad tempus tenentes, frustra in veteribus monumentis quæramus. Cæterum, Aquitania subacta & Saracenis trans Pyrenæos redactis, *Maurentum Provinciæ Ducem* à *Martello* debellatum ferunt, Massiliamque & cætera maritima loca capta, quod illâc paulò antè Saraceni in regnum intrâssent. Mortuo *Martello*, *Theobaldus Alemanniæ*, & *Utilo Bavariæ* Duces, & *Hunibaldus Dux Aquitaniæ*, tumultuantes repressi sunt. *Utilo* nomen *Regis* sumserat, sed in angustias redactus, Ducis nomine contentus, *Pipini* postea, Francorum Regis, sororem *Hiltrudem* duxit, ex qua natus *Thassilo*, *Pipini* ope *successit*: post *Hunibaldum Waifarius Aquitaniæ Dux* memoratur, quem *Pipinus* ad Sacramentum fidelitatis dandum coëgit. Narrantur & *Alemanniæ Duces Theobaldi posteri Warinus* & *Ruthardus*, ex quibus *Ruthardus* Alsatiæ, *Isenbardus Warini* filius ad Lacum Potamicum imperavit. Huic Uxor 12. gemellos, ut ferunt, uno partu edidit, & sibi metuens per ancillam in aqua suffocari jubet: ancilla in Principem incidens, interrogata, quid ferret, catulos esse dixit, Germanicè *Guelfos*, Princeps, re detectâ, filios ignarâ matre educari jussit, unde illis postea *Guelphorum* nomen: quod etsi fabulæ suspectum sit, indicat tamen *Guelfos* ex vetusta Alemanniæ Ducum stirpe fuisse, quæ ad Regium

gium sanguinem originem referebat. *Pipino* jam Rege facto, *Thassilo* ex sorore nepos rebellavit, quem *Carolo M.* puniendum mors *Pipini* reliquit. *Carolus M.* diu cum *Wedekindo Angriæ Principe* conflixit, *Aquitaniæ Ducatum in provinciam nunc primum* redegit; *Guilielmus* Dux in cœnobio obiit. *Thassilonem Bavarum*, *Caroli* consobrinum, *Hadrianus* Papa, missis *Legatis*, ad obsequium *Carolo* præstandum induxit, sed cùm crebrò rebellaret, tandem captus & cum Filio in Monasterium detrusus est. Ortus tunc est novus in Flandria Dominatus, narrante *Meiero*; scilicet *Carolus Magnus Lydericum* Comitem Harlebecanum *terræ sylvæque Flandricæ*, *quæ pars Ardaennæ erat*, *Dominio* donavit, atque illuc Saxones plurimos traduxit, qui terram colerent. Is *Lydericus Engelrammum* ex *Hermengardi*, *Gerardi* Ruscinonensis filia, (quem in Nerviis ad Oceanum *imperitasse* scribunt) *successorem* reliquit; quæ omnia indicant, hos omnes *terrarum Dominos*, minimè verò Magistratus fuisse. *Engelrammo Odoacer* filius successit, & huic *Balduinus*, qui ducta *Caroli Calvi* filia auxit ditionem.

CAPUT XVI.

SUb initium seculi IX. *Carolus M.* Imperator Romanorum declaratus est. Hic in imperio filium *Ludovicum*, cognomento Pium, successorem nominavit; *Lothario* alteri filio *Bavaria*, *Pipino* tertio *Aquitania* data est. Itaque hactenus provinciæ istæ semper *suos Principes habuere*: sed obiêre illi ante patrem, solusque successit *Ludovicus* Pius, qui eodem modo *Lothario* imperium, *Carolo Aquitaniam*, *Ludovico Bavariam* dedit. Illis temporibus Normanni Galliæ, Slavi & Hungari Germaniæ, Saraceni Italiæ graves fuêre. Sub *Ludovico Pio* Obotritorum, id est, *Orientalium Saxonum*, *Rex Slaomirus* ob turbas datas regno pulsus est, regnumque *Cendrego* datum à *Ludovico* Pio. Fuit & illis temporibus quidam *Bernardus*, *Corsicæ Comes aut potius Dominus*, qui exscensionem in Africa contra Saracenos fecit. *Ludovicus Inferioris Pannoniæ Dux*, rebellis in Dalmatiam rejectus, mox jussu *Lindulphi Dalmatiæ Principis* trucidatus, *Legastus* Vilsorum Dux depositus, *Celedrago* fratre substituto. *Baldravo Duci Forojuliensi*, quod Pannonico limite negligenter custodito Bulgaros Orientalem Dalmatiam impunè vastare sivisset, ereptus est *Stiriæ & Carinthiæ Ducatus*, Germaniæque annexus: Dalmatia verò in quatuor præfecturas abiit. Sub eodem *Ludovico Pio*, cùm *Haraldus* Rex Daniæ cum fratre *Erico* pulsus regno ad *Ludovicum* venisset & fidem Christianam recepisset, *regnum Frisiæ* ei donatum est, & portio Frisiæ *Erico* data. *Ex quibus apparet, plurimas Germaniæ provincias etiam tum suos Principes habuisse, & Duces Comitesque nihil minus quàm Magistratus fuisse*: idem intelligi debet de *Bernardo Tolosano Comite*, de *Nomenio*, *Armericorum Duce*, qui pulso priori Duci successor datus, cùm post Imperatoris mortem se *Regem* ferret, rursus pulsus est.

est. Mortuo *Ludovico Pio*, inter *Lotharium* imperii successorem, & Fratres *Ludovicum* Germanicum ac *Carolum Calvum*, statim bellum exarsit, & prælio commisso CL millia hominum utrinque cecidêre, quo, quicquid ferè Germanici sanguinis in Gallia reliquum fuerat, & pleraque Francica nobilitas deleta est, & ab eo tempore lingua Germanica sive Francica in Gallia interire cœpit. Convenit tandem, ut *Lotharius* imperii honorem, regnum Italiæ, & *regnum Mediomatricum*, cui postea Lotharingiæ exinde nomen impositum est, seu quicquid inter Rhenum & Mosellam vel potiùs Mosam est, cum Belgii parte haberet, *Ludovico* Germania cederet, *Carolo* Italia, *Pipino Pipini* (quarti Fratris) filio *Aquitania* maneret. *Ludovicus* Germanicus *Adalricum*, *Adalberti* filium, *Rhætiæ Principem* constituit. Cùm contra Bohemos & Sorabos movisset, memoratur *Tachulphus* quidam *Sorabici limitis Dux*, qui *Ludovici* nomine cum hostibus de Pace egit. Hunc ego puto Marcgrafium fuisse. Tandem *Rustice*, *Sorabum Duce*, in summas angustias redacto & in fidem accepto, mox iterum rebelli & capto, *nepoti ejus Suentobaldo datus est Ducatus*, qui tamen non diu fidem servavit. Iisdem temporibus & *Bruno Saxonum Dux* claret (*Ludolphi* frater) à quo Brunsvicum structum ajunt. *Carolus Calvus* interea in Gallia Nepoti è fratre *Pipino* Aquitaniam extorquere conatus est, quod ipsi denique contra liberos ejus successit. *Neomenium* seu *Nomenojum Armoricorum Ducem*, *se Regem Britanniæ minoris ferentem*, fugat, ejus tamen *filius Herispeus principatum recepit*, ejusque beneficii memor postea *Salomon* successor *gentis Regulus* Francis contra Normannos copias auxiliares misit. Sed Normanni interim Galliam inundantes, frustra opponente se illis *Ruperto*, *Witekindi*, ut ajunt, pronépote *Andino* Comite, tandem *Neustriam* à *Carolo* obtinuêre. In hæc tempora Hollandici Comitatus initia à quibusdam referuntur; cùm enim circa Rhenum regio vasta & à Normannis protrita jaceret, *Carolus Calvus* eam *Theodorico*, *Sigeberti Vasconum Principis* filio, (quidam *Getolfi Frisiæ Comitis* filium faciunt) rogante *Haganone*, *Comite Sanctensi*, avunculo in feudum dedit, ea lege, ut contra Normannos defenderet. Adjecit Sylvam Wasdam ac Seelandiam *Ludovicus* Secundus Imperator. Alii hæc inter vana reponunt & ad *Caroli Simplicis* tempora originem Comitum Hollandiæ referunt. Porrò in Italia & Lotharingia *Lotharius* Imperator interea cum Saracenis & *Ansegiso* quodam *Beneventi Duce* conflictabatur. Tandem deposito sponte imperio in cœnobium secedens, *Ludovico* filio ejus nominis Secundo imperium, alteri filio *Lothario Regnum Mediomatricum* reliquit, unde à Patre & filio, *Lothariis*, magis confirmatam puto Lotharingiæ appellationem. *Lotharius* junior prior obiit, & post eum ipse *Ludovicus* Imp., sine hæredibus ambo: ita imperium ad *Carolum Calvum* Galliæ Regem, *Ludovici* Secundi patruum, *Ludovico* Germanico, altero patruo, natu licet minorem, relatum est. *Ludovicus*

dovicus Germanicus partem Lotharingiæ magnam obtinuit, *Bosonem* affinem *Ducem Papiensem* creavit; *Berengarium* & *Guidonem* Halos proceres, è Germanico sanguine ortum trahentes, alterum *Forojuliensem*, alterum *Spoleti Ducem* renunciavit, ut defensores contra fratrem *Ludovicum* Germanicum haberet. *Ludovicus* Germanicus prior obiit, relictis filiis, *Carolomanno*, *Ludovico*, & *Carolo*, qui postea dictus est *Crassus*. *Carolo Calvo* mortuo, successit in Imperio Romano & Gallia *Ludovicus III.* cognomento *Balbus*. Hic ubi obiit, imperium ad *Ludovici* Germanici liberos rediit. Et *Carolomanno* natu maximo haud dubiè debebatur, sed is, paralysi correptus, *Carolo* Crasso fratri Imperium, *Ludovico* fratri *Bavariæ Regnum*, id est magnam Germaniæ partem, *Arnulpho* filio naturali *Austriam & Carinthiam* reliquit. *Ludovicus* extinctus est sine liberis. *Carolo Crasso* non satis sui compote, Imperium ad *Arnulphum* & hujus filium *Ludovicum*, Imperatorem ejus nominis quartum pervenit. Dum interea in Gallia *Ludovici Balbi* filii, *Ludovicus* & *Carolomannus* ac postea *Carolus Simplex* regnarent. Hoc tempore misera erat rerum per Italiam, Germaniam Galliamque facies, irruentibus Saracenis, Hungaris, Slavis & Normannis, quæ res fecit, ut Principes regionum Imperio & Regnis Germaniæ Galliæque obligatarum, quales hactenus multos narravimus, partim potentia crescerent, partim numero augerentur. Nam & novos Principatus constituebant Imperatores atque Reges, ut haberent, quos tantis hostibus opponerent, & dudum constitutis plurima permittebant. Quod distinctius referendum est. Nimirum statim post *Ludovici* Germanici mortem Normanni *Tanquardum* & *Brunonem Saxoniæ Duces Ludolphi* Ducis & *Witekindi ex Fratre* (*Ludolphi*) *Brunone nepotis Filios* occidêre. *Ludolphum* & *Brunonem* fratres jam suprà nominavimus. Successit illis frater *Otto*, pater *Henrici Aucupis*, postea Imperatoris, jam sub *Ludovico* quarto Cæsare potens. Unde intelligi potest, hos Duces non fuisse Magistratus aut Provinciarum Gubernatores, sed magnarum terrarum Dominos & stirpe illustres, quæ imperio digna mox habita est. Itaque jam illis ipsis temporibus fatendum est, eam pene, quæ hodie est (quantum ad potestatem Principum) fuisse Germaniæ faciem. Nominatur & sub *Carolo Calvo Poppo*, Sorabici limitis Comes, & Marchio, cui terræ illæ contra Barbaros defendendæ Feudi Jure datæ erant, dicitur fuisse *Princeps Hennebergicus*: sed & *Gothofredus Frisiæ Dux* refertur, qui Lotharii Imperatoris, ex Filio *Lothario* Lotharingiæ Rege, neptem duxit. *Boso Arduennæ Comes*, Regiæ domui affinitate junctus, Burgundiam, & quicquid ab Alpibus secundùm Rhodanum usque ad mare decurrit, tenuit; sed parte ditionis exutus Lugdunensem Provinciam retinuit, &, Arelati sede fixa, Arelatensis regni initium fecit. Cùm, *Carolo Crasso* mortuo, *Arnulphus*, quem nothum esse constabat, imperii gubernacula sumsisset, & nunc primum à legitima *Caroli* stirpe abiretur, credibile est, multos in Germania

sumsisse animos, quos antea autoritas potentiæ Carolovingicæ continuerat. Accessit *Caroli Simplicis*, qui è familia Carolina supererat, in Gallia infelix regnum & exterorum irruptiones perpetuæ, cùm interea domi *Berengarius* Italiam, *Eudo* Galliam, *Rudolphus* Burgundiam invaderent. *Guido Spoleti Dux*, *Berengarium Ducem Veronensem Forojulii præfectum* (ecce distinctum à Duce præfectum) qui *Italiæ Regis* titulum sumserat, pepulit, quem restituit *Arnulphus*. *Eudo Comes Parisiensis* sub *Carolo Simplice* rerum in Gallia potiebatur. Is *Richardum Comitem Augustodunensem Burgundiæ Ducem hæreditario Jure creavit*: qui Vesontionem, Tullum, Dolam, habuisse videtur, cui *successit Rudolphus filius*. *Rudolphus Caroli Comitis Streitlingensis* filius *regnum fundavit in parte Burgundiæ trans Juram* ad Alpes (id est *Sabaudia*, *Uchtlandia*, *Brisgovia*, *Suntgovia & Tigurensi præfectura*) cui Comitis nomine post partem præerat; & *Suenteboldum* Lotharingiæ Principem excutere tentavit. In *Regno Arelatensi* consensu *Arnulphi* Imperatoris *Ludovicus Bosoni* patri successit, illis temporibus jam Duces Comitesque Provinciarum planè se in libertatem asserebant. *Balduinus Flandriæ Comes* contra *Veromanduum* Comitem bella gessit; In *Aquitania* duo *Duces Guilhelmi*, in Neustria sive *Normannia Rollo*, *Guilhelmus Riccardus* in Ducatu Franco seu Parisiensi; *Hugo* successor *Eudonis* magnus Dux cognominatus, cujus fines Sequanâ & Ligeri, Normannia & parte Picardiæ comprehendebantur.

CAPUT XVII.

POst *Arnulphi* mortem, filio *Ludovico* Imperatore facto, sub initium decimi Seculi, non minùs misera Germania quàm Gallia fuit; sub eo nominantur *Albertus* vel *Adelbertus*, *Bambergensis Comes*, *Conradus Franciæ*, *Eberhardus Hassiæ Princeps* ejusque liberi. *Eberhardus* & *Gebhardus fratres*, *Thuringiæ Landgrafii*, *Conradus Hassiæ Landgrafius*, frater Cæsaris, *Burcardus Princeps Thuringiæ*. *Leopoldus Dux Austriæ Ludovici* Cæsaris cognatus, *Otto Dux Saxoniæ*, de quo paulo ante, *Burcardus Curiensis Rhætiæ Marchio*; *Moymarus Moraviæ Princeps*. *Ludovico* Cæsare mortuo, plerique imperium *Ottoni Saxoniæ Duci* deferebant, sed ille senio gravis *Cunradum Franconiæ Ducem* commendavit, obsistentibus *Arnulpho Malo Bavariæ*, *Gisilberto Lotharingiæ* & *Burcardo Sueviæ Ducibus*. *Arnulpho* pulso Ducatum *fratri Eberhardo* dedit *Conradus* Imperator, sed qui eum non tenuit. Per *Dietericum Witekindi M.* pronepotem, *Comitem sive Dynastam in Ringelheim* Danos repulit *Conradus*. Memorantur & *Erchinger* & *Burkardus Sueviæ Duces*. Mortuo *Conrado* delatum est Imperium ad *Henricum*, dictum Aucupem, *Ottonis* filium, qui *Arnulphum Bavarum exulem* restituit, fide data & obsequio, *de Regio titulo non usurpando*. *Henrici* Aucupis filius *Otto* cognomento *Magnus* cum aliquot Germaniæ Principibus

cipibus suæ gloriæ æmulis conflictatus est. Quod mirari non debemus; extincta enim aut a gubernaculis remota Carolina stirpe, inter tot alias familias illustres invicem æmulas una sine magnis motibus eminere non potuit. Primum cum *Arnulphi* Bavari filiis bellum fuit, quibus ademtus Ducatus & fratri defuncti datus, & filiis tantùm comitatus Witellspacensis & Schirensis Comitum Provincialium, seu Landgrafiorum titulo, *ut antiquitus usitatum*, (ita loquitur Historia) concessi sunt. Unde intelligi potest, hæc munera jam tum *hæreditaria* fuisse. *Tanckwerdus* frater Cæsaris Nothus, mortuo *Sigfrido Marchione Brandeburgico*, Provinciam occupaverat, invito Cæsare, sed & *Eberhardus Cunradi* Imperatoris frater & *Giselbertus Lotharingiæ Dux* tumultuati & repressi sunt. Astitit Imperatori *Hermannus Sueviæ Dux*, cujus fratri Imperator Lotharingiam dedit, *Henrico Giselberto* filio *sine liberis* mortuo. Et *Henrico* fratri suo, *Bartholdi*, *Bavariæ ducis*, *qui* & ipse *nullis relictis hæredibus obierat*, ditionem concessit. *Geronem* quoque *primum Lusatiæ Marchionem* constituit & *Luneburgensem* quoque *Ducatum instituisse* ac *Hermanno* Dynastæ potenti de se meritissimo dedisse dicitur. Multa alia præclarè in Germania & Italia ab *Ottone* Magno acta, ac tum demum ea, quæ nunc viget, principum potestas liquido constituta est, & ab *Ottonibus II.* & *III.* magis ac magis stabilita, dum interea in Gallia *Caroli Simplicis* filius *Ludovicus* cum *Hugone* Magno, de quo supra, conflictaretur. *Ludovicus* iste *Lotharium* & *Carolum* reliquit: illi Galliæ regnum, huic Lotharinga cessit. *Lotharius* filium reliquit, quo mortuo infante, *Hugo Capetus*, excluso per vim patruo infantis *Carolo* Lotharingo, regnum sibi vindicavit, & ut muniret novam potentiam, Germaniæ exemplo, Ducibus Comitibusque Provinciarum majorem, quàm sub Carolovingiis factum erat, potestatem indulsit. Unde illis temporibus Duces, pares Franciæ, magni erant Principes, ditiones beneficiarias optimo maximo jure tenentes, ferè ut Principes Germaniæ, quibus qui hodie successere & vocantur *Ducs & Pairs de France*, umbra tantùm sunt priorum; quo magis absonum est, Reges Galliæ hodiernos titulum *mon Cousin*, qui veteribus illis Ducibus conveniebat, nunc obvio cuique prostitutum, Principibus Germaniæ etiamnum dare velle, quibus ex more seculi fraternitas debetur, ex quo cognati appellatio illis data est, quorum cum Principibus nostris nulla fieri comparatio potest.

CAPUT XVIII.

Atque ita Historiam veterum Principum sive Regulorum, qui sub Francico Imperio Provincias eo *jure* jam tum tenebant, quod hodie *territoriale* vocamus, per aliquot secula ad Saxonum usque Cæsarum tempora, quibus jus illud Principum extra controversiam ab omnibus ponitur, deduxi, atque liquido ostendi, quantum à vero abeant etiam

 doctissi-

doctiſſimi Viri, qui paſſim communi conſenſu docent, Duces illos non niſi Provinciarum Magiſtratus temporarios fuiſſe, & indulgentia Cæſarum atque neglectu hæreditarium jus obtinuiſſe. Quæ omnia ab omni veri ſpecie aliena eſſe, ex hac illius ævi facie judicari poteſt, quam hoc loco ex optimis Scriptoribus exhibui. Quod eo diligentiùs faciendum putavi, quo magis hæc ſententia à communi eruditorum opinione aliena, contraria verò parum Principibus honorifica eſt. Quiſquis ergo præcedentem primorum Principum Hiſtoriam leget, mirabitur, unde viri eruditi in ſententiam hiſtoriarum monumentis adeò contrariam & ab illorum temporum facie abhorrentem venerint: nam facilè agnoſcet, Francos Reges initio aliarum nationum Regibus atque Principibus dignitate potiores non fuiſſe, ſed fortuna atque opportunitatibus uſos, alios poſt alios debellaſſe; non verò, (niſi rarò) ditiones in Provincias redegiſſe, nec, quales ſomniant, Magiſtratus, ubique & unicè propoſuiſſe victis gentibus, ſed aut Principes priores in fidem tantùm receptos reliquiſſe in ditionibus; aut novos illis Principes dediſſe, è primis ipſarum gentium victarum familiis plerumque ſumtos, addidiſſe tamen illis Judices atque Comites, ut faciliùs in officio continerentur. Nonnunquam diviſa eſt Provincia, antea uni parens, in regulos plures: quemadmodum *Carolus Magnus*, Longobardorum Rege *Deſiderio* victo, aliquot Ducatus conſtituit & Longobardis permiſit, ut ex ſua gente *Duces* ſibi ſumerent *Spoletanum*, *Forojulienſem*, *Beneventanum*, fide tantùm horum Ducum jurejurando oppignorata; quemadmodum ex *Sabellico* & *Paulo Æmilio* diſcimus. Sæpe & Provinciis victis, non ex ipſa gente, ſed Regia Francorum ſtirpe aut aliis illuſtribus familiis dati principes novi: ita *Burgundiæ Reges* fuêre ex *Caroli Magni* poſteris ac Francorum Regum familia; *Aquitaniæ Duces*, & *Bavariæ atque Norici Reges*, quemadmodum ex diviſione, quam *Carolus Magnus* & poſtea *Ludovicus Pius* inter liberos inſtituere voluêre, patet. *Lotharingia* quoque ſuos habuit aliquamdiu *Reges*, & *Duces Alemanniæ Gunzo* ejuſque ſucceſſores ex vetuſta Francorum Regum primæ familiæ ſtirpe fuiſſe creduntur. Nonnunquam & Principes victarum gentium affinitatibus alligati ſunt, ut *Radbodus* in Friſia; idem factum eſt in Bavaria, nam *Thaſſilo* Bavariæ Dux *Caroli M.* ex ſorore nepos fuit. Cùm verò gentes planè debellatæ erant, novæ in iis erectæ Dynaſtiæ victoribus præmio dabantur. Ita *Clodovæus* Allemannorum, *Carolus M.* Saxonum devictorum terras militibus ſuis diſtribuêre; ſæpe hæreditario (licet beneficiario ſeu feudali) jure, ex quibus nonnullæ majores & majoribus Ducibus Regumque cognatis & affinibus, datæ in dynaſtias, imò & in Principatus erectæ fuiſſe videntur. Unde Alemanniæ Sueviæque Duces, & tot alii Comites, ſive terrarum in ſuperiore Germania Dynaſtæ, poſt victos à Francis Alemannos, orti ſunt. Quibuſdam datæ ſunt terræ incultæ, hæreditario jure, ut diligentia eorùm meliores redderentur, quemadmodum primis Arduennæ

&

& Flandriæ Comitibus, de quibus supra dixi, qui paulatim crevére. Etiam in Provinciis subactis, nec proprium Principem habentibus, relicti sunt plurimi Dynastæ terrarum Domini, non multum ab hodiernæ Nobilitatis Imperii liberæ specie abhorrentes; ex his passim facti Comites seu Judices Provinciales. Cùm enim ob agros, quos possidebant, & subditos, quos habebant, jam tum in Provinciis magnam autoritatem haberent, visum est, utilem esse eorum ad populos continendos operam, cùm sæpe ne præteriri quidem ipsi sine offensione & tumultu possent. Itaque qui Magistratum in Provinciis in speciem habebant, aliquando fortasse re ipsa terrarum Domini fiebant, nec nisi ob crimina ingentia facilè ejici, liberique eorum ditione privari poterant & ad eam rem exercitu opus erat. Quare mirum non est, jam ante *Carolum Magnum* Ducatus & Comitatus reapse multis in locis fuisse Principatus potiùs & Dynastias, quàm Magistratus. Quamquam autem non diffitear, multos fuisse Comites Provinciarum atque Castellanos sive Landgrafios ac Burggrafios, qui simplices erant nobiles, nec territorium tenebant, cui præerant: eos quoque, qui territorium pleno satis jure possidebant, & quorum dignitas atque magistratus in liberis jam tum continuari, nec sine gravi causa ipsis auferri solebat (ut patet ex Capitularibus *Caroli Calvi* apud *Miræum* in Annal. Belg. ad Ann. 877.) nondum tamen fidenter satis jactare potuisse hæreditarium suum jus esse: Erant tamen alii multi & quidem potentissimi, qui ob eas, quas supra dixi, causas, jus Provinciam in hæredes transmittendi agnitum, atque in confesso positum habebant, quemadmodum ex illis, quæ prolixè satis recitavi, constat. Quibus hæc exempla adjicere operæ pretium erit, quod *Witekindo* Comiti in Sualenberg Comitatum Waldeccensem hæreditario jure *Carolus M.* concessit & Equiti cuidam ob merita dedit Comitatum Gleichensem seu tractum terrarum ad 20. milliaria in longitudine & 10. in latitudine in saltu Thuringico positum, & haud dubiè tunc parum cultum, cum jure fodinarum & oppidis Glichow & Asck, quemadmodum, ut ipse Imperator ait (apud *Goldast.* Constit. Imp. Latin. fol. 17.) *ea ad nos ex obitu viri nobilis Sichardi Domini in Glichou pervenêre*; unde manifestissimum est, Dynastiam hanc in Gleichow, ipso *Carolo* anteriorem fuisse, extinctaque familia priore jure Feudi ad Dominum rediisse videri, qui rursus alteris dedit, & miserè labi eos, qui Duces & Comites à *Carolo M.* primum institutos, & sub *Ottonibus* vel (occasione textus juris Feudalis,) à *Conrado II.* primùm hæreditarios factos putant. Ego ex Historiarum monumentis persuasissimum habeo, Germaniam jam Carolovingiorum temporibus, imò & paulò ante, planè ut hodie, plenam fuisse Principatibus & Dynastiis, & familiis illustribus, quarum plurimæ etiam nunc perennant, quæ terras suas hæreditario jure possidebant, nec multum ab hodiernis distabant, nisi quòd ob crebros motus ac perpetua bella crebriores essent commutationes, quàm nunc fit,
&

& Reguli res novas molientes sæpè ditionibus ejicerentur. Cùm verò post *Caroli M.* fata divisum Imperium & intestinis motibus Successorum agitatum ab Hungaris, Sorabis, Saracenis, Normannis laceraretur, coacti sunt multò magis Cæsares atque Reges, ut non tantùm Principatus ac Dynastias, quæ erant, relinquerent, sed & crearent novas. Ita diximus *Theodoricum Comitem Hollandiæ* constitutum contra Normannos, *Popponem Marchionem sive limitaneum Comitem contra Sorabos*, eadem & *Austriæ Marchionum* contra Hungaros & Brandenburgicorum contra Slavos tunc origo. Sed & reprimendorum tot hostium causa Franconiæ, Thuringiæ, Hassiæ, Sueciæ Principes sive Duces extitere. Quorum familias jam tum potentes, & à multo jam tempore stabilitas fuisse necesse est, quoniam Carolina stirpe in Germania extincta, statim de imperio cum Saxonibus sane potentissimis Ducibus contenderunt. Eant ergò, qui sibi veterem Germaniæ faciem fingunt, qualis hodie Galliæ est, & Duces idem fuisse putant, quod nunc *les Gouverneurs des Provinces*; Comites verò idem fortè, quod nunc *les Intendans de justice, finance & police*: quin discant potiùs liberrimas semper Germaniæ Regiones fuisse, antiquissimasque familias illustres esse, quæ illis cum territorii jure jam tum præfuêre, & quibus hodierni Principes, post multas licet commutationes, servata tamen rerum summa, successêre. *Duo* tantùm inter veteres illos & hodiernos potissima *discrimina* sunt, quorum *unum*, quod tunc Imperatoribus, (quippe ob Episcopatum collationes, & urbes passim proprias, terrasque maximas potentioribus,) facile erat, armata manu cunctos coërcere, cùm hodiè, postquam Principes Cæsarem ex suo numero sumsêre & Pax publica (*der Landfrieden*) veteri violentiæ successit, ac Patrimonium Imperatoris dissipatum est, Cæsar autoritate multis legibus circumscripta facilè in Principes expedire arma non possit. *Alterum* est discrimen, quod hodiè personæ Principum, imò & eorum familiæ, judiciis certè criminalibus exemptæ & inviolabiles censentur. Cùm olim condemnare Principes, imò Reges Regumque liberos & cognatos in Monasterium, velut perpetuos carceres, relegare tonsos, aut etiam excæcare, novum non esset. Quæ omnia nunc emollitis hominum moribus incognita atque improbata; tantùm illud remansit, ut ex Feudi lege fidelitas & homagium præstetur Imperatori, sub conditione reversionis in casum extincti Feudi, & de reliquo Imperatoris & Imperii Majestas, salvis Regalibus Principum & Suprematu, qualem supra explicui, comiter observetur.

CAPUT XIX.

ITa ergò primas Principum Germaniæ origines à vana eorum opinione vindicavimus, qui ex Magistratibus paulatim terrarum Dominos putant factos, cùm ex primorum Regum & Principum stirpe plerique orti, aut

aut his optimo maximo jure successores facti videantur: atque illud manifestum sit, neque Austriacam, neque Capevingicam familiam plerisque ipsorum præferri posse. Sed nunc, missis originibus, præsentem eorum potestatem atque dignitatem paucis explicare, operæ pretium est. Potestas Principum oritur vel ex jure Suprematûs, vel ex jure Statûs Imperii. Nam ut *Autocratores* suas ditiones regunt, ut *Status Imperii* communibus negotiis interveniunt, & suffragio suo aliquid in magno illo corpore possunt, quod Europæ fata circumagit. Idque non esse exiguum, vel inde patet, quòd jus suffragii Comitialis Suecia obtinuit, Gallia ambivit. Sed nos de illis primum dicemus, quæ ex jure Suprematûs manant. Dixi supra, *Jus Suprematûs* sive, ut quidam vocant, *Autocratiam* consistere in summa imperandi, coërcendi, & ditionem aliquam insignem armata manu continendi potestate. Hoc jus est universitas quasi quædam, seu aliorum jurium, sive, ut vocant, Regalium aggregatum, cujus hæc est vis, ut plenum in omnia jus competat, quæ non disertè excepta sunt. Quemadmodum Dominium omnem in rem tribuit facultatem, quæ non certâ quâdam exceptione, ut servitute, locatione, oppignoratione, lege, ademptâ est: & hæreditas plena in jus defuncti successio est, tametsi fortè Legatis Fideicommissis aliisque oneribus minuatur. Porrò quemadmodum Anima suas habet facultates, &, si Peripateticis credimus, forma substantialis suas habet qualitates ex intima ejus natura emanantes; ita *Suprematus* suas habet vel portiones, vel potius consequentias atque facultates, quas Jurisconsulti subinde *Regalia* appellant, (tametsi non ignorem, arctius aliquando sumi hanc vocem) quæ à Principibus liberè exercentur, quando non pacto aut consuetudine ultra hominum memoriam porrecta prohibentur. Hæc jura distingui possunt in ea, quæ vel solo ad ipsam ditionem relatu, vel quæ respectu exterorum competunt; sive, si cum Schola loqui volumus, in *immanentia & transeuntia*: priora sunt vel ratione personarum, vel ratione rerum. *Ratione personarum*, nempe subditorum, jus habent Principes tùm imperandi, sive jubendi, tùm ad imperata facienda cogendi, quod, ut supra definiveram, hodie uno verbo *jurisdictio* appellatur. Atque hoc illis sine discrimine competit in omnes, qui Domicilium habent; hi enim subditi censentur, nisi aliqua eos ratio eximat, quales sunt Ecclesiastici apud eos, qui Ecclesiam Romanam agnoscunt Magistram suarum Ecclesiarum: quanquam & in hos levis quædam coërcitio sit concessa; nihil enim vetat capi Ecclesiasticos, & de loco in locum transferri, ut nocere prohibeantur, in quo pari sunt conditione cum exteris etiam juris gentium privilegio munitis, illustribus scilicet viris aut Legatis, in nostro territorio periculosa machinari compertis. In Imperio autem placuit, ut criminum admissorum causa unus Princeps alterius quoque subditos in loco delicti punire possit, neque remissio ad Dominum necessaria sit. In hac ergò

jubendi & cogendi poteſtate conſiſtit juriſdictio, quam hodie in *altam & baſſam* dividunt. Quod adeò verum eſt, ut nullo modo ſubditi in alienum territorium, ac ne quidem ad Cæſarem aut Cameram avocari, ac primæ, ut vocant, inſtantiæ beneficio privari poſſint; & quanquam in civilibus judiciis receptum ſit, ut ad conſtituta quædam in imperio tribunalia provocetur, in publicis tamen judiciis, ſive, ut vocant, criminalibus cauſis, appellatio nulla eſt, & Imperii Principes ſine provocatione judicant; idem eſt in matrimonialibus: & exploſa hodie eorum ſententia eſt, qui putabant, (inducti verbis quibuſdam Speculi Juris veteris Suevici) Cæſarem alicujus Principis ditionem ingreſſum aliis omnibus juriſdictionibus præſentia ſua ſilentium imponere, quemadmodum ad ſolis lucem ſtellæ diſparent. Qui error exinde ortus eſt, quod Cæſari honoris cauſa ampliſſima quæque in tranſitu concedi ſolita ſint etiam ab exteris, quemadmodum ex illis honoribus patet, qui *Sigiſmundo* Imperatori in Gallia ſunt habiti, volente Rege, ut etiam juriſdictionis actus exerceret, quod non plus efficit, quàm ſolenne eſt, ut Præfectus Vigilum à Principe quodam extero, aut etiam Legato extraordinario, (juſſu aut permiſſu Principis ſui) teſſeram militarem petat: quanquam non negem, Cæſari à Principibus longè majora quàm exteris, aut ab exteris deberi, & Cæſarem eſſe juriſdictionis fontem & caput. Sed quoniam alta pariter & baſſa juriſdictio alicui inferiori communicari, imò & ab aliquo jus Suprematûs habente quodammodo abdicari poteſt, ideò notandum eſt, ſalvam nihilominus manere Superioritatem territorialem, cui à parte ſubditorum reſpondet *ſubjectio*, cujus nota Homagium eſt ſeu juramentum Subjectionis. Nam Dynaſtæ minores, qui in alicujus Principis territorio *ſubditos Juriſdictionales* habent, altamque & baſſam juriſdictionem poſſident, non ideò homagium ſive *ſubjectionem* exigere poſſunt. Subjectio autem in eo conſiſtit, ut ſubditus Principi ſuo id omne præſtet, quod ſalva conſcientia & recepta in Imperio hominum liberorum conditione præſtare poteſt. In quo reverentia atque cultus, fidelitas, auxilium atque conſilium (*deſs Herrn Nutzen fördern und vor Schaden warnen*) ſervitiaque perſonalia continentur. Certum eſt enim, officium eſſe ſubditi non tantùm, ut nihil moliatur, quod domino damnoſum ſit, & ut dominum admoneat de malis, quæ ipſi imminere deprehendit, ſed etiam, ut in caſu periculi ipſemet ei contra vim ſuccurrat, etiam non ſine periculo ſuo. Nam cùm periculum noſtrum abeſt, ſuccurrere non tantùm domino, ſed & cuique hominum debemus. Præterea, ſi quid Domini juſſu fiat, etiam injuſtè, modò non de vita ac ſalute ſua agatur, ſubditus opponere ſe per vim non debet. Quanquam autem Dynaſtæ minori, qui in Principis cujuſdam territorio ruſticos quoſdam ſubditos habet, quædam juris hujus ſimulacra competant; manifeſtum eſt tamen, eum ſimul cum ſuis ruſticis Principi ſuo ſubditum eſſe, & ſtatim à Principe

cipe

cipe coërceri posse, armata etiam, si opus, manu. At verò, inquies, vicissim Principem cum suis subditis eâdem erga Imperatorem & Imperium conditione esse, qua Dynasta quidam, ei subditus, est erga ipsum. Respondeo nullam esse comparationem, quia Princeps non uni, sed toti corpori, cujus ipse membrum est, fidem quandam potiùs, quàm subjectionem plenam debet, nec nisi post multiplices deliberationes, nec nisi bellò illato, cujus anceps alea est, coërceri potest, etiamsi justè coërceatur. Porrò ex hac Principum in subditos potestate pendet etiam Jus *condendi leges* ac *statuta*, quorum communia etiam imperii tribunalia rationem habere debent, modo ipsis communicata sint sive ritè innotuerint. Huc pertinet jus constituendi pondera & mensuras, cudendæ monetæ, de quo & postea, constituendorum judiciorum, Tribunalium atque Magistratuum, indicendorum Conventuum Provincialium, jus habendi Archivi, quod fidem scripturæ publicæ facit, jus constituendorum Archigrammatum seu Scribarum publicorum, quibus non minùs ac tabellionibus Cæsareis vel Apostolicis in iis rebus, quas in loco ipsis assignato agunt, credi par sit : jus infamiæ abolendæ, jus aggratiandi, ut appellant, id est pœnam remittendi, jus concedendi veniam ætatis, relaxandi juramentum ad effectum agendi, jus concedendi privilegia, atque dispensandi à quibusdam legibus civilibus, tum jus arrestandi, ut vocant, sive in custodiam dandi, aut in carcerem conjiciendi, jus arma imponendi, in centurias describendi, lustrandi, jus excubiarum exigendarum, jus sequelæ tum angariæ ac parangariæ, & quicquid his simile aut connexum est; denique ad jura in personas subditorum refero *Jus Ecclesiasticum*, quod aliqui Diœcesanum vocant, alii Episcopale, quo fit, ut Protestantes omnem Episcoporum jurisdictionem per sua consistoria exerceant, ordinationes, censuras, excommunicationes, judicia matrimonialia, Ecclesiarum erectiones aliasque fundationes, denique jus introducendi in suis terris exercitium cultus alicujus in imperio permissi, salva subditis conscientiæ libertate. Quæ *in res* competunt Principi, ea sunt vel in res nullius, vel in res subditorum. *In res nullius*, cum jure scilicet alios ab illis acquirendis excludendi. Talia sunt jus fluminis publici viæque regiæ, jus venationis, aucupii, piscationis, jus in habita pro derelicto, ejecta à mari aut fluvio, quorum Dominus ignoretur, in thesauros (quos alicubi Dominus cum inventore partitur) jus in hæreditates vacuas & caducas, jus alluvionis, insulæque in flumine natæ, Dominium sylvarum & saltuum, in quorum possessionem nondum quisquam ritè venit, denique jus fodinarum & salinarum. *In res subditorum* Principi sive territorii Domino competit jus reditus cujusdam perpetui ac certi, quem ex suo constituere Principi cuilibet debent Subditi protectionis causa, ut pro dignitate se, familiamque, & ministros necessariæ, ad continendos in officio homines, vimque etiam externam propulsandam, potentiæ su-

ſtentare poſſit. Deinde jus extraordinariarum ſubventionum, jus indicendi tributa, ſive collectandi, ſive viritim, ſive jugatim, ſive pro facultatum modo; tum jus imponendi vectigalia certis rebus, ut carni, cereviſiæ, vino, quæ vulgò vocant *Ungelt*, (ut *Unmenſch*, *Unthier*.) Jus detrahendi decimam aliamve partem illis, qui piſcantur in publico, quive aliquas in fodinis metalli venas exercent, qui terras novales primum colunt, qui ditione excedunt, quod vulgò jus detractationis ſive *Abſchuſs*, *Nachſteur* vocant, jus fiſci in bona damnatorum publicata, ac jus in relicta, quæ ut indignis auferuntur, jus metatorum (*die Einquartirung*), jus aperturæ, in omnibus ſubditorum domibus etiam munitis, denique, ut verbo dicam, *Jus Dominii Eminentis*, ut quidam poſt *Grotium* appellant, quod publicæ neceſſitatis ratio in ſubditorum bona quævis habenti Suprematum dedit.

CAPUT XX.

T*ranſeuntia in alios, atque extra territorium porrigentia ſeſe Principum jura* ſunt jus belli & pacis, jus fœderum, jus exercitus habendi, munimenti ſtruendi, armamentarii adornandi, jus repreſſaliarum in eos, qui imperii membra non ſunt, retorſionis in eos, qui Albinagii jure utuntur, id eſt in eos, qui extraneis ſucceſſiones apud ſe obvenientes auferunt, jus vectigalium conſtituendorum pro tranſitu, modò illis alia imperii membra non onerentur, nec niſi exterorum lucra circumſcribantur, jus innoxii tranſitus per alienum territorium petendi, jus interveniendi tractatibus generalibus, & conciliis, quibus res Chriſtianorum publica agitur, jus mediationis offerendæ, arbitrii ſuſcipiendi, garantiæ promittendæ, jus oppreſſis etiam exteris ſubveniendi: tum dignitas ipſa locusque inter Chriſtianos Principes debitus, & jus familiæ illuſtris, & perſonæ inviolabilitas. Sed quoniam omnia iſta paulo propiùs pertinent ad jus Legationis, cujus cauſa hæc à nobis ſuſcepta tractatio eſt, ideo paulo poſt diſtinctiùs explicabimus tum jus belli, pacis, fœderum & quæ huic connectuntur, tum ipſius Principatûs familiæque ac perſonæ dignitatem, ubi priùs attigerimus ea Principum jura, quæ ratione ipſius Imperii cæterorumque ejus ſtatuum competunt; ut ſcilicet partitionem noſtram ſupra poſitam abſolvamus. Nimirum Princeps, prout Imperii Status eſt, tum quibuſdam juribus utitur, tum oneribus aſtringitur; ſed onera nos poſtea attingemus, cùm objectionibus reſpondendum erit, quas aliqui à Principum erga imperium obligationibus ſumunt. *Jura Principis ac ſtatûs in Imperio* hæc ſunt: ut Imperium ipſi auxilium ac protectionem debeat contra quemcunque; conſtitutum eſt, ut alia Imperii membra, ſive, ut vocant, Conſtatus, quas cum ipſis habent controverſias, non manu, ſed jure finire cogantur, & à renitentibus ope communi & totius

tius Imperii viribus extorqueri jus atque æquum possit; ut Garantia, quam exteræ Coronæ per Instrumentum pacis debent, ipsis quoque prosit; ut ipsi eorumque subditi privilegiis civium & omnibus nationis Germaniæ beneficiis fruantur; ut, tanquam summæ in Imperio potestatis participes, in Comitiis Conventibusque Circularibus (ut de Deputationibus extra ordinem factis nihil dicam) interveniant, & in nonnullis, ubi unanimi consensu opus est, sententiam ipsis gravem suspendant, in aliis suo suffragio aliquid afferant momenti ad deliberationis summam. Neque enim putandum est, rem in Comitiis agi, ut in Venetorum deliberationibus, ubi taciti senatores, de re publica rogati, tantum calculis respondent, quorum autorem nemo agnoscat: Unde fit, ut illic magis numeri ratio habeatur; in Comitiis verò nostris non tantùm numerus vim habeat, sed & frequenter autoritas potentiaque suffragantis, tum sententiarum atque rationum pondus, totum negotii eventum mutant. Nam sæpe infirmiores sententiam animi explicare non audent, donec aliquis potentior fiduciam præeundo fecit. Et magni Principes, etsi non nisi unius alteriusque suffragii jus habere videantur, tamen facilè vicinos minoresque & affinitatibus illigatos, aut beneficiis atque studiis obnoxios in partes trahunt. Unde potentioris cujusdam familiæ, qualis est Brunsvicensis aut Hassica vel Würtenbergica, suffragium non minoris in Comitiis ponderis esse arbitror, quàm alicujus Electoris, tametsi in speciem septem Electores cæteris Principibus omnibus æquivalere videantur, de quo plura infra Cap. 40. Porrò in Comitiis potentem esse, res, ut supra dixi, non est parva. Idem est enim ac potentem esse in Consessu aliquo generali tot magnorum Principum, quorum consensus plurimum ad totam Europæ faciem mutandam potest, in quo non frustra jus suffragii Sueci sibi quæsiere, quod & Galli nuper, superioris negligentiæ vel superbiæ pœnitentes, ambiêre.

CAPUT XXI.

PRomisi jus Belli, Pacis, Fœderum, quod Principibus Germaniæ competit, explicare paulo distinctiùs, idque nunc aggredior. Jus belli olim Principibus Germaniæ in exteros competiisse, dubitari non potest, quoniam ante constitutam sub *Maximiliano I.* Pacem publicam (*den Land-Frieden*) competebat ipsis inter se. Nam *&* *privatis* licebat controversias ferro dirimere, ut ille plus juris habuisse videretur, qui vicisset. Erat species probationum vulgarium jure Canonico improbatarum; nam paulo ante monomachiam solenni ritu invocabatur Divinum Numen, ut illi faveret, qui justiùs arma induisset, quasi scilicet deessent judicia ac Magistratus. Quid Domini facient audent si talia servi, itaque plena omnis Germanica Historia est bellorum, quibus se mutuò Principes

impetiere. Cæsare tum demum in partes tracto, cùm favebat alterutri, vel rerum Imperii summa verti posse videbatur. Idque vel ex ipsis Imperii Constitutionibus paulo vetustioribus apparet; nam *Friderici* Constitutio de Pace tenenda, quæ in collectione Feudorum extat, tantum ex *Cujacii* sententia annalis fuit, & Constitutiones *Rudolphi*, & *Wenceslai* apud *Lehmannum*, fuere, illa triennalis, hæc decennalis, quemadmodum alia *Friderici III.* ann. 1471. quadriennalis, quæ exstat apud *Goldastum*. Aurea bulla *Caroli IV.* tit. 17. de Diffidationibus, *cùm universas ac singulas guerras litesque injustas* prohibuisset, postea indicendis atque gerendis justis bellis præscripsit modum. Idem fecit Constitutio Francofurtensis anno 1442. promulgata à *Friderico III.* quæ Carolinam confirmat, quanquam ipsa Carolina ex vetustiore alia descripta videatur: addita tantùm subinde limitatio est, ut priùs judex de reddendo jure compellaretur, nec, nisi denegata justitia, ad arma quisquam prosiliret, ut legitur in nonnullis Constitutionibus *Friderici II.* & *Friderici III.* apud *Goldastum*; sed hoc nec in Aurea Bulla præscriptum & parum observatum. Eaque fuit facies Imperii, donec *Maximilianus I.* Wormatiæ anno 1495. Constitutionem de Pace publica perpetua lege sancivit, & postea, quo securitati publicæ mutuis Ordinum contra turbatores auxiliis consuleretur, Imperium in circulos descripsit. Accessit constitutio Regimenti seu perpetui in Imperio Consilii, sub eodem *Maximiliano*, quanquam hoc sub *Carolo V.* rursus abolitum fuit. Sed sublato jure belli inter Ordines ipsos gerendi, non ideò sublatum videtur jus inferendi bellum exteris, si modò sit justum, & injuriæ vindicandæ rerumque recuperandarum causa susceptum, neque imperio periculum creare possit. Cùm enim Imperium Ordinibus defensionem debeat, ac sine suo detrimento ne denegare quidem possit, ne derelicti ab Imperio avellantur; ideo manifestum est, bellum Imperio periculosum Principes exteris inferre, rectè prohiberi, nullo Supremattûs detrimento. Nam & vicinum Regem, ne bellum nobis periculosum alteri cuidam inferat, impedire possumus. Hoc periculum si absit, pro certo habendum est, plenam esse Principibus belli justi gerendi potestatem. Nec proinde putandum est, Imperatoris consensum ad omne bellum esse necessarium, cùm ordinatio Cameralis part. 2. tit. 15. & Recessus Imperii Augustanus anni 1555. §. *wo sie aber*. disjunctim aut consensum, aut causam sufficientem atque in confesso positam requirat. Et verò jam dudum fuit receptum in Imperio, ut Principibus, cui vellent, exterorum copias adducere liceret, quemadmodum scimus, ferventibus olim inter Gallos Anglosque bellis, nunc his nunc illis Principes Imperii affuisse non solos certè, sed validis cum copiis. Et confirmata videtur hæc libertas militandi, ubilibet, Recessû Spirensi 1544. §. *und wiewol ihr*, & alio Spirensi 1570. §. *denselben wir anfänglichen*, Recessu Augustano 1582. §. *ferner obwol im Heil. Reich*. Et *Chytræus* refert Joannem

nem Guilielmum Ducem Saxoniæ Gallis anno 1558. adduxisse 3400. equitum non certè contemnendam manum. *Jean Guillaume Duc de Saxe a esté en France au service du Roy Henry II. avec quatre mille chevaux, & puis au service de Charles IX. avec cinq mille chevaux. Castelnau liv. 6. de ses Mémoires.* Quin & postea *Johannes Casimirus* Bipontinus exercitum non exiguum Reformatis Galliæ adduxit, neque Cæsareis mandatis retractus est ab expeditione. Urbes Hansæ Teutonicæ grave contra *Ericum* Sueciæ Regem gessere bellum, consensu cujusquam neque impetrato, neque quæsito: quod tamen non eò dico, ac si his urbibus jus Suprematûs tribuam, nam nonnullæ ex illis ne liberæ sunt quidem: Liberæ autem Imperii Civitates habent quidem jus Superioritatis territorialis, non tamen jus Suprematûs, ut supra distinxi; quia nec dignitatem Principum habent, nec per se exercitum conscribere, atque in suo alere possunt. Fœdus autem plurium urbium potuisse bellum suscipere singulis Suprematum non tribuit; Exemplum ergò earum ideò tantùm adduxi, ut jus armorum in exteros exemplis non improbatis asserem. Porrò res Instrumento Pacis Westphalicæ in clara satis luce posita videtur, ex duabus inprimis capitibus. Nam in §. *gaudeant*, qui in Suecicis non minùs ac Gallicis articulis exstat, manifestè Ordinibus jus datur Fœderum cum exteris; Fœdera autem sive ad inferendum sive ad propulsandum bellum inita, certè ad arma, si opus sit, expedienda, ac mutua auxilia referuntur. Alter est locus longè adhuc expressior in tabulis pacis Germano-Gallicæ, ubi post stabilitam inter Imperium & Galliam de mutuis hostibus non juvandis obligationem reciprocam cavetur, ut nec Imperium, nec Status singuli Circulo Burgundico, quamquam Imperii membro, durantibus bellis tunc vertentibus, auxilia ferre possint, sed in futurum (qui casus evenit) pacificatione comprehensum fore, extra ipsum verò seu extra Imperii fines non licere Imperio se bellis inter Galliam & Hispaniam recrudescentibus immiscere; nec Gallis fas esse Imperii hostibus assistere, aut Imperii fœderatos invadere. *Singulis tamen Statibus liberum esse futurum, huic illive regno (etiam extra Imperii limites) suppetias ferre, non tamen aliter quàm secundùm Imperii Constitutiones.* Unde, (tametsi aliàs litem hanc non faciamus nostram) manifestissimè patet, singulis Statibus Imperii, jus Suprematûs seu exercitus alendi facultatem habentibus, jus esse belli in exteros, cùm vel Hispanis contra Gallos, vel Gallis contra Hispanos impunè se conjungere possint, Cæsare & Gallia in tabulis pacis hoc permittentibus. Nec verò hic locus distinctionem inter *bella offensiva & defensiva* recipit, neque eludi potest, ut alii textus solent, quasi libertate Germanorum militandi ubilibet intelligatur potestas, quæ privatis, aut etiam Principibus competit, velut privato nomine aliquot militum turmas adducendi. Disertè enim dicitur, Imperii Statum suppetias ferendi habere; unde certè sequitur, Principem aliquem regnantem ex sua

ſua ditione validam militum manum in exteros ducere poſſe. Aliud enim profectò, ſuppetias ferre velut Statum ſive Principem, aliud, centurionis aut tribuni, aut etiam Ducis ritu velut privatum alteri militare, quoniam aliud eſt fœderatum, aliud miniſtrum eſſe; & aliud eſt ſubſidia, aliud ſtipendia accipere. Porrò ex hoc pacis Gallicæ articulo id certè obtinemus, ut Gallia vel Hiſpania vindicare nequeat, ſi quis Imperii Principum contra ipſam pro altera armetur, neque ideò Imperium invadere jure poſſit; quoniam hanc illis libertatem ipſamet ſalva pace inter Galliam Imperiumque conceſſit. Quod autem additur, Status ſuppetias exteris Principibus ferre quidem poſſe, ſed ſalvis tamen Imperii Conſtitutionibus; id minimè turbat, neque enim ita intelligi debet, ac ſi conſenſu Imperii opus ſit; imò abſurdum eſſet, rem ſic intelligi; ita enim perindè eſſet profectò, ac ſi Imperium illi ſe hoſtem profiteretur, in quem arma hac ratione, licet per certum tantùm Principem gerenda, quodammodo ſolenniter decerneret; ſed intelligi debet, Principes ſuppetias ferentes curare debere, ne quid Imperium inde detrimenti capiat, & ad conſtitutiones de militibus per aliorum Principum ditiones ducendis ſervandas obligari. Conceſſo igitur Principibus armorum non domeſtico tantùm in ſubditos refractarios, ſed & in exteros jure, utique manifeſtum eſt, concedi & jus agendi delectus, armamentaria & bellicum apparatum habendi, propugnacula atque munimenta ſtruendi, jus tranſitus innoxii per alienas ditiones, quæque alia ex belli jure conſequuntur. Cæterum cum Cæſare ipſo ante omnia ſaltem ſecretò communicare, tutius ſemper ac prudentius eſſe arbitror, quando rei conditio patitur.

CAPUT XXII.

Jus *Belli* ac *Fœderum* ita connexa eſſe, manifeſtum eſt, ut cui unum conceditur, alterum negari non poſſit: itaque, quæ uni probando ſerviunt, etiam alteri accommodari poſſunt. In ipſa Germania jam olim ſæpe inita Fœdera, manifeſtum eſt. Nota ſunt fœdera Suevicum, Smalcaldicum, Unio, Liga. Addi poteſt ipſa Hanſa Teutonica Germaniæ inferioris, & Fœdus Moguntiæ olim initum inter civitates Germaniæ maximè ſuperioris, ut ſe ſuaque itineraque inprimis commercia contra nobiles aliosque, qui vias publicas infeſtabant, tunc tuerentur. Et in Aurea Bulla *Caroli IV.* Cap. XV. §. 2. poſt confœderationes (privatorum ſcilicet) improbatas ſubjicitur: Illis Confœderationibus & Ligis » duntaxat exceptis, quas Principes & Civitates ac alii ſuper generali » Pace Provinciarum atque terrarum inter ſe firmaſſe noſcuntur; illas » enim noſtræ declarationi ſpecialiter reſervantes in ſuo decernimus vi» gore manere, donec de his aliud duxerimus ordinandum. Ubi notandum, Imperatorem quidem loqui, ſed tamen ſuo pariter ac Statuum haud

haud dubiè nomine; Sanctio enim hæc pragmatica fuit. Fœdera cum exteris innumeris exemplis comprobantur. Memini, ait *Bodinus*, quadraginta septem Fœderum, in quæ Reges nostri *Philippus V, Carolus V, VI, VII, Ludovicus XI.* cum Germanis Principibus coiërunt, quibus se auxilio futuros adversus omnes, excepto Imperatore ac Rege Romanorum, spoponderunt. Hæc *Bodinus*. Idem lib. 1. cap. 7. memorat Fœdera civitatum & Principum Germaniæ cum Regibus Daniæ, Sueciæ, Poloniæ superiore seculo contracta, quod si jam tantus ad *Ludovicum* usque *XI.* fuit Fœderum numerus, quid postea factum putabimus? Nam Fœdera Smalcaldicum (quod cum Regibus Galliæ Angliæque tractavit) & Chambortcum (cum *Mauritio* Saxone initum, cujus caput fuit ipse Rex Galliæ) nemo sanè ignorat. Unioni accessurus erat *Henricus IV.* & Halam Suevorum anno 1609. Legatum ejus rei causa ad Conventum Fœderatorum miserat, sed ingentia ejus destinata mors intercepit. Sed (inquies) aliud est, quid factum, aliud, quid jure factum sit, quærere. Respondeo, ex facto sæpe permisso, quod juri divino atque naturali contrarium non est, multa repetitione jus fieri solere. Certè ipsa possessio libertatis magnam vim habet, quoniam probationem transfert in adversam partem, sed nec Juris ratio desideratur. Equidem si bene constituta esset nostra Respublica, si in subitis periculis aliquid ab Imperio opis esset, si infirmi à potentium oppressionibus legum auxilio tuti essent, periculosis remediis, qualia non nego fœdera esse, extra ordinem non esset opus: Nunc in tanta rerum omnium perturbatione, quis non videt, quod aliquam adhuc Rempublicam habemus, fœderibus deberi? Ita olim, fœderibus inter aliquot Imperii Ordines initis, repressi sunt turbatores publicæ Pacis, eversa prædonum castella, atque fundamenta jacta sunt illius Imperii formæ, quæ sub *Maximiliano* primo constituta hactenus duravit. Fœderibus obtenta est pax Religionis, fœderibus libertas Germanica contra nimia affectantes Hispanos asserta est, & nunc; ipso Cæsare annitente fœderibus initis, obviam itur formidabili potentiæ vicini nostris cervicibus imminentis. Ipsum Fœdus Rhenanum toties culpatum atque defensum Germaniæ magis quàm Galliæ profuit; nam laboranti Hungariæ justo exercitu subventum est à Fœderatis, cùm tardè armaretur Imperium, paratas copias habentibus, quæ in prælio ad *S. Gothardum* egregiam Reipublicæ operam navavere. Itaque rectè ab eruditissimo quodam viro scriptum est: *Quoniam vinculum Reipublicæ nostræ nimis laxum est, ut Imperii tutelæ firma satis fiducia inniti non possimus, instar secundæ navigationis est, exterorum ope securitati prospicere. Quemadmodum igitur medicina sano quidem corpori nocet, ægro autem necessaria est; sic fœdera illa cum exteris quasi emplastra quædam languidæ Reipublicæ censenda sunt, quibus, si illa rectè constituta esset, abstinendum foret.* Hæc ille. Sed non est opus, ut rationibus defendamus, quæ Sanctione Imperii pragmatica probantur;

res enim Instrumento pacis Westphalicæ §. *gaudeant.* extra controversiam posita est, ubi hæc extant verba: *Cumprimis verò jus faciendi inter se & cum exteris Fœdera, pro sua cujusque conservatione ac securitate singulis Statibus perpetuò liberum est, ita tamen, ne ejusmodi fœdera sint contra Imperatorem, & Imperium, pacemque ejus publicam, vel hanc inprimis transactionem; fiantque salvo inprimis juramento, quo quisque Imperatori & Imperio obstrictus est.*

CAPUT XXIII.

QUicunque jam jus Belli, Pacis Fœderumque habent, quique exercitum alere & magnis rebus intervenire possunt, uno verbo, qui *Suprematum* habent, illis competit *Jus Fraternitatis* cum cæteris Europæ moratioris Potestatibus; quo jure illud inprimis continetur, ut alter alterum velut æqualem (longo licet potentiæ intervallo) atque socium colat, ut alter dignitatis alterius rationem habeat, ut velut habeantur pares ejusdem Curiæ, in illa communi Christianitatis Republica, cujus certè caput est Ecclesiæ Generalis Advocatus Imperator. Ideò scimus Principes Germaniæ ad Concilia misisse Legatos, in Constantiensi non tantùm Bavariæ Ducis, nondum tunc profectò Electoris, Oratores intervenisse, sed & (ne quis de charactere dubitet,) in Tridentino Venetis cedere diu noluisse, Florentino & Helvetio potiorem fuisse. Olim cùm cruce signaretur potentissimus quisque Christianorum, & in Palæstinam expeditiones susciperentur, tunc Germaniæ Principes pari cum Regibus jure usi sunt, & caro stetit *Richardo* Angliæ Regi, quòd Austriæ Ducem, nulla tum præ aliis Germaniæ Principibus dignatione eminentem, nescio qua injuria affecisset: nam, cùm terra domum reverteretur, in Austria captus ingenti pecunia libertatem redemit, unde Viennæ muros structos ajunt. Nunc quoque certum est, Germaniæ Principes etiam Mediatores, ut vocant, sive Pacis Conciliatores esse posse, belligerantes inter Reges; imò & Garantiam sive securitatem paciscentibus ritè præstare. Nam ad triplex fœdus, quod propriè Aquisgranensi Paci stabiliendæ initum erat, consentiente Gallia, omnes Europæ potestates, ne quidem Germaniæ Principibus exceptis, invitari fas erat; cùm & legatos aliquot Germaniæ Principum, urgendæ pacis causa missos, Galli haud gravatè audiverint. Et aliàs Legati Gallici sæpè professi sunt, paratum esse Regem suum, Electorum ac Principum judicio multum deferre, Francofurti imprimis, cùm Electionem differre sperarent, tractatione interjecta. Et Rex Christianissimus consenserat, ut in controversia, quæ illi cum ipsomet Imperio intercedit de decem Alsatiæ Civitatibus & Vasallis trium Episcopatuum, ut non tantùm Sueciæ Rex, sed & nonnulli Imperii Electores atque Principes *arbitri* essent; & cùm Imperator altero hujus, quod nunc

nunc flagrat, belli anno copias versus Rhenum destinaret, eo obtentu, quòd Galli nondum Imperii finibus etiam post factam cum Brandeburgico pacem excessissent: Rex publicè spopondit revocare *Turenium*, si, quos tum nominaverat, Principes de Cæsareis copiis vicissim intra hæreditarias ditiones cohibendis cavere vellent, quin & paulò ante bellum potentissimæ cuidam Germanorum Principum familiæ ab extranea corona Societas armorum splendidissimis ac pene invidendis conditionibus oblata est; sed illis tranquillitas publica privato compendio potior fuit. Nuper etiam *Johanni Friderico* Brunsvicensium & Luneburgensium Duci à Rege Daniæ, Electore Brandeburgico, atque Episcopo Monasteriensi, bello cum Suecis implicitis, delata Mediatio est. Et olim cùm de indiciis Belgicis Hagæ tractaretur, *Johanninus* Præses, *Henrici IV.* Legatus non tantùm Legatos à nostris Principibus in Societatem Mediationis admisit; sed & cùm Legatus Hispanicus literas Legatis Regiis tantùm (omissis Legatis Electorum & Principum) inscripsisset, effecit, ut hic defectus suppleretur, quod prolixiùs narratur infra, cap. 59. Post tanta exempla atque præjudicia quis cæterarum Europæ potestatum Germaniæ Principibus societatis, atque, ut ita dicam, fraternitatis honorem neget, postquam eos omnem Suprematus vim complexos constat? Unum tamen adhuc, confessionem ipsius Galliarum Regis *Henrici II.* è *Bodino* (lib. 5. cap. 6.) adjecisse operæ pretium erit. Cùm enim Germani Principes Legatis ad Regem missis postulassent, ne *Albertum* Brandeburgicum Pacis publicæ turbatorem protegeret, respondit Rex, se suosque majores Germanis amicos & esse & fuisse antea semper, nec ab Imperii Germanici amicitia & conjunctione unquam potuisse divelli, & quoniam *Principes omnes aut affinitate ac propinquitate, aut certè similitudine ac veluti societate quadam conjunctos esse arbitraretur*, novum videri non debere, si Principem Germanum fortunis ac rebus afflictis ad se confugientem hospitio dignaretur. Hæc ille. Neque sanè quicquam ad confirmandum, quod dixi de illo fraternitatis sive societatis jure, quod omnes Principes atque Suprematu fruentes inter se connectit, dici potuit expressius atque illustrius. Atque hoc loco nonnulla separatim persequi è re erit, quæ ad dignitatem Principum nostrorum pertinent. Ex illis Imperatores atque Reges sumtos multis exemplis constat. Austriaci, Saxones, Suevi, Luxemburgenses, (Imperatoriæ stirpes) quid nisi Principes Germaniæ? *Fridericus* Dux Brunsvicensis, Imperator contra *Wenceslaum* nominatus, à Sicariis occisus est. Ex Palatina domo non Electorali, bis Reges Sueciæ dati, olim *Christophorus*, at nostro tempore *Carolus Gustavus*: quàm parum eadem domus nuper à Poloniæ Sceptro absuit? Dani Reges ex Oldenburgica sive Holsatica familia sumti. Quid *Bullionæum* memorem Hierosolymorum Regem, aut Flandros Constantinopolitanum Imperium tenentes, aut Sueviæ Duces Siciliæ ac Neapoleos Reges, aut *Ottonem* Brunsvicensem

Johannæ matrimonio iisdem Regnis imminentem? cùm constet Austriacam familiam hodie Castellam, Arragoniam, Neapolim, Siciliam, Hungariam ac Bohemiam complecti & pæne Angliam *Mariæ* & *Philippi* connubio tantis opibus adjecisse. Porrò quid crebrius quàm matrimonia, quibus Imperatoriæ Regiæque domus familiis Principum Germaniæ colligantur? omnia Principum Christianorum stemmata huc describenda essent, si exempla colligere vellemus in re vulgatissima: plerique nostrorum Imperatores aut Reges in Majoribus suis numerant. Etiam Viduæ Regum, aut Regiorum Principum coronæ destinatorum, nihil de dignitate sua decessisse crediderunt secundis cum regnante Germaniæ Principe nuptiis. Itaque quemadmodum olim Equites, qui Torneamentis admittebantur, (*Turnier-genossen*) etsi opibus atque honoribus discreti quandam societatis speciem formabant; ita hodie supremæ nobilitatis genus non Reges magis quàm Principes nostros complectitur, confuso tot matrimoniis sanguine & eadem sæpe vel certè nihilo inferiore origine familiarum. Nam Galli Capevingii Saxonica Witekindea origine gloriati sunt. Hispani, Galli, Sueci Reges ortu Germano sunt. Hæc est ergo illa Regum Principumque societas atque, ut ita dicam, Fraternitas, quam toties nominavi, qua fit, ut pari conditione censeantur, nec, si veteres mores spectemus, Rex, Principe, quales nostri sunt, duellum offerente, excusationem personæ habeat; quam tamen Principi ab inferiore provocato jura Heraldica concedebant. Nam quemadmodum Eques non nisi Equiti *Turnier-genossen*, ita Princeps non nisi Principi *Fürsten-genossen* obligabatur. Itaque si quis instituendus esset summarum Europæ potestatum Conventus, Principes nostri pleno jure intervenirent prorsus ut in Torneamentis Equites. Conventus autem hujusmodi erant, ut paulo ante dixi, Concilia, item Expeditiones sacræ, & hodie sunt congressus tractationum pacis alicujus generalis, quanquam per Legatos peragantur. Quare Reges dignitatis Principum nostrorum rationem habere debent, velut propriæ, quando specie ambas nihil differre ostensum est.

CAPUT XXIV.

QUoniam verò *Tituli*, id est appellationum vel compellationum formulæ, habentur notæ dignitatis, paucis à nobis attingendi sunt; tametsi sciam, illis per se multum tribui non posse, ac primum ille in omnium oculos statim occurrere solet, *Nos Dei Gratia*, vel similis, quo Germaniæ Principes ab antiquissimis temporibus sunt usi. Nam jam *Ottonis II.* temporibus quidam *Ottho* Wasgoviæ Dux eo fertur usus Anno 977. & *Fridericus* Sueviæ Dux. *Fridericus Barbarossæ* Imperatoris Avus ita scribere solitus est: *Fridericus*, divina favente Clementia, Suevorum Dux & Francorum. Hic verò titulus non nisi illis competit, qui jus habent

habent Suprematus, vel, ut *Rebuffus* & *Chassanæus* ajunt, qui superiorem non recognoſcunt: Superiorem autem intelligere debemus, qui in ditionibus alterius poteſtatem habeat manu agendi. Nam alioqui Pontifex atque Imperator ſuprema ſunt Capita Chriſtiani orbis non tantùm dignitate, ſed & quodam genere juriſdictionis: attamen in ditionibus ſingulorum Regum atque Principum extra intrave Imperium nihil movere poſſunt Regia manu atque vi, ſed jure tantùm, atque hoc eſt quod *Suprematum* ſupra definivi. Porrò titulum Dei gratia non niſi Suprematum habenti propriè deberi, etiam *Bodinus* agnoſcit; nam *Ludovicum XI.* narrat *Ludovico* Minoris Britanniæ Duci mandaſſe, ut eum de ſuis reſcriptis detraheret, & *Petrus Ærodius* in Rebus judicatis refert, quendam Comitem d'*Armagnac* majeſtatis accuſatum, quod eadem appellatione uteretur. Principibus autem Germaniæ de ea re nec Cæſar ipſe controverſiam movit unquam. *Majeſtas* Principibus Germaniæ tribui non ſolet, ſed nec Electoribus ac Principibus Italiæ. Ita enim more receptum eſt, ut Regio nomini atque coronæ connecteretur, ſed, ſi rei vim ſpectes, in tantum ipſis competit majeſtas, in quantum non differt à Suprematu. Quare dudum à Juriſconſultis decretum eſt, in Germaniæ Principes committi crimen læſæ Majeſtatis. Nam, quantum ad appellationem, quid miramur, non tributam illis Majeſtatem, cùm ne Regibus quidem concederetur? notum eſt enim, Electores atque Principes Regibus ſcribentes non niſi *Regiam dignitatem* dediſſe. Et hodieque Imperator Regibus Serenitatem largitur, Majeſtatem non æquè, ut ex noviſſimis literis Cæſaris ad Regem Angliæ intelligi poteſt: Cùm contra Angliæ Rex in ſuis literis Majeſtatem Imperatori non abnuat: Nimirum præterquam, quòd Imperator cæteris omnibus dignitate præſtat, notabile hic diſcrimen apparet inter ſtylum, ut vocant, ſive ſcribendi formam exterorum & Germanorum. Germani in ſua lingua dare Majeſtatem, credunt inferioris eſſe, eodem modo, quo apud exteros quoque receptum eſt, ut Reges ac Veneti Cardinalibus Eminentiam non largiantur, quod alii faciunt. Majeſtatem tamen exteri ſe tribuere alteri poſſe putant ſine ſubmiſſione. Nam Rex Chriſtianiſſimus Reginæ *Chriſtinæ*, etiam poſtquam Regno ſe abdicavit, Regiæ Majeſtatis appellationem in ſuiſmet ipſis literis tribuit, ut ex illis patet, quas Corſici tumultus cauſa ad eam ſcripſerat. Porrò Serenitas Principibus Germaniæ haud dubiè competit. Ita ſcripſit illis Regina *Chriſtina*, etiam cùm adhuc regnaret. Nec Dania abnuit: ſed quis abnueret, ubi intellexerit Serenitatem (*Durchleuchtigkeit*) nec à Cæſare Principibus quibuſdam negatam. Et cùm *Maximilianus* Archidux à Polonis captus dimitteretur, diſcedens Regi Majeſtatem tribuere noluit; itaque alter ab altero Sereniſſimi appellatione contentus fuit, quemadmodum refert *Thuanus*; in quo apparet, parem quodammodo conditionem amborum fuiſſe. Quod attinet titulum *Fraternitatis*, ille Germanorum

rum ſtylo communi ignotus, nec niſi inter illos uſitatus fuit, qui, ut in conviviis noſtris ſolet, hanc velut ſingularis amicitiæ teſſeram ſumſerant. Sed apud exteros tranſiit ille in formulam, uſque adeo, ut etiam inter Cæſarem & Moſcum uſurpetur; videturque Gallicum *frère* reſpondere Germanico *E. Liebde* Dilectio veſtra: ut hoc Gallis, ita illud Germanis, inſolens; utrumque inter pares uſurpatum & Principibus Germaniæ ab exteris partim tributum, partim debitum. Nam Rex Sueciæ Daniæque, atque alii omnes, qui Germanicè ſcribunt, non dubitant Principes noſtros appellare *E. Liebden*. Rex autem Poloniæ, qui Latinè ſcribit, fratres vocat, nullo Electorum ac cæterorum Principum diſcrimine; idem fecit Venetorum Dux, regiam licet perſonam referens, literis ad Luneburgenſes ſcriptis, cùm Reſpublica pro auxiliis gratias ageret. Gallia haud dubiè olim fraternitatem Principibus Germaniæ negavit, quod ab illis non reciperet Majeſtatem, ſed tantùm Regiam Dignitatem: noviſſimè cum Electoribus quodammodo ita tranſegit circa pacis Monaſterienſis tempora, ut Rex, ab ipſis Majeſtatis appellatione cultus, ipſis redderet nomen fratris: quo artificio effectum eſt, ut Principes exemplo Electorum velut tracti, Majeſtatem darent, nec fraternitatem viciſſim ſtipularentur. In quo Principum noſtrorum facilitas apparuit, qui nunquam decorum putavere, contendere de nugis; itaque facilè inducti ſunt, ut Reges Galliæ Angliæque Majeſtatis nomine ſalutarent, licet ipſi tantùm cognatorum appellatione reſalutarentur. Quoniam rara pleriſque eorum cum exteris commercia, & animus ambitione vacuus, rerumque medulla contentus, verborum inania ſpernebat. Nunc ubi facilitatem ſuam verti in ipſos, & argumenta, inepta ſanè, à ſua patientia duci vident; credibile eſt, juris impoſterum tenaciores fore, nec niſi illis Regum adſcripturos Majeſtatem, qui Serenitatem & appellationem fratris reddent. Nec verò eſt, cur Galli ſtylum veterem ingerant; cur enim erga Electores & pleroſque alios mutavere? An hoc in ſua poteſtate eſſe putant, diſtinguere eos, qui pari jure utuntur? quicquid in publicis ſolemnibus uni conceditur, reliqui ejuſdem conditionis ſibi rectè vindicant. Nam cùm honor in comparatione conſiſtat, unum Sociorum infra cæteros honorare, eſt contumelia afficere. Et quis ferat Magnum Germaniæ Principem nullis Regibus ſpecie dignitatis, nonnullis nec potentia, ceſſurum, à Rege appellari cognatum (*Mon Couſin*) tantiſper, dum quidam Galliæ Domicelli, Regi ſine conditione ſubjecti, nudius tertius nati Duces, aut Mareſchalli, cum quibus multi Germaniæ nobiles conditionem non mutent, eâdem appellatione honorantur. Nam, quòd olim Duces Pareſque Coronæ cognati Regum appellabantur, non miror; nam erant certè pleriſque Regibus ſanguine juncti, ingentium ipſi Regionum Domini, ut Dux Burgundiæ, Neuſtriæ, Aquitaniæ, Comes Flandriæ, Toloſæ, Campaniæ, quorum hodierni Duces ac Pares ne umbra ſunt quidem.

quidem. Alioqui *Cognati* appellatio perhonorifica est; nec semper superioris ad inferiorem, sed aliquando contrà inferioris erga superiorem; cujus rei exemplum habemus non injucundum ex relatione Legationis nuperæ, quam Baro *Bottonius* Cæsaris nomine in Moscovia obiit. Nam cùm ipse Czarius nuper defunctus Cæsarem fratrem nominaret, filius Czarii (qui nunc regnat) eundem Cæsarem tunc appellavit cognatum, rectè profectò, quippe patris sui fratrem. Porrò non habent Galli, cur Cæsaris exemplo utantur, qui Principes Imperii non utique vocat fratres, fateor sanè, sed nec ita vocat Electores. Scimus enim, Electores Ecclesiasticos ab eo appellari *Neven* nepotes, seculares *Oheim*, Patruos vel potiùs *Cognatos*, in quo illos Imperium ab aliis Principibus non distinguit, quos etiam *Oheim*, sive cognatos appellat; quare, si Rex Galliæ Imperatoris exemplum sequi vult, in hac re Principes ab Electoribus non separabit. Sunt alioquin Galli satis in hoc genere largi, & nonnulli, quos Rex Galliæ cognatos vocat, fortè ne Principes quidem Germaniæ hoc nomine dignarentur. Unde apparet Gallorum irregularitas, dum ipsi sibi interea velut rationis, si Diis placet, servantissimi mirè domi plaudunt. Quæ omnia eò dico, ut intelligant, ridiculum esse, veterem stylum, cæterorum omnium ratione mutatum, tantùm erga Principes Germaniæ servare velle; cùm tamen constet, verba, velut nummos, non ex prima percussione, sed usu seculi valere.

CAPUT XXV.

POstquam potissima executi sumus, quæ reliqua ad dignitatem Principum Germaniæ pertinent, velut per saturam colligamus. Nimirum Principes Germaniæ, quemadmodum omnes illi, qui Suprematum habent, soluti sunt legibus juris privati. Prorsus quemadmodum in Jure Romano passim Imperator dicitur solutus legibus, & in l. ex imperfecto C. de Testamento, dicitur: Lex Imperii solennibus juris Imperatorem solvit. Nec testamenta eorum, nec hæreditates alligantur statutis locorum, quicquid illi dixerint, qui de jure succedendi in Brabantiam disseruere. Valent eorum testamenta mero jure gentium, quemadmodum testamenta militaria facta in procinctu. Et notabile est *Caroli* Austriaci Marchionis Burgaviensis testamentum, quod sine ullis testibus validum esse, respondit consultum Collegium Jurisconsultorum Tubingense apud *Besoldum* in consiliis. Valet donatio inter virum & uxorem, Principes. Constitutiones juris communis, quibus renuntiationes filiarum arctè circumscribuntur, & nonnunquam irritæ redduntur, locum apud Principes non habent. Donationes ab illis factæ insinuatione non indigent, licet quingentos solidos excedant. Plerique jam à decimo octavo ætatis anno obtinent privilegia majorum, quod tempus Electori quoque ad functiones Impe-

Imperii necessarium est. Neque in Germania uspiam usitatum, ut quisquam simul è tutela curaque exeat, cùm contra in Gallia Reges quatuordecennes, ætate majores censeantur. Creditur Principibus etiam injuratis, & in omni actu interventus eorum atque autoritas supplet, quicquid solennibus deest. Committitur in eos læsæ Majestatis crimen, quod in Aurea Bulla de Electoribus assertum Jurisconsulti Germaniæ communi consensu ad Principes cæteros pertinere docent; atque ita in foro servari monent *Bocerus* & *Gigas*, qui de crimine Majestatis libellos edidere, & *Stammius* Assessor Cameræ Imperialis in libro de Servitutibus personalibus, cùm Jurisconsulti iidem sentiant, in Cardinales tantùm committi crimen perduellionis. Eorum familia domusque peculiari inviolabilitate gaudet, & Consuetudines his, qui pacem Burgensem (*den Burgfrieden*) abrumpunt, id est, qui in domo Principis vim adhibent, amputationem manus minantur. Sed & statuis Principum atque imaginibus & armis & sigillis, & idiographis peculiaris honor, personis autem etiam veneratio submissa debetur. Ut taceam sacras ubique & inviolabiles censeri, de quo *Arnisæus* peculiari libello, de *Persona Principis semper inviolabili*: itaque ineptus ille quorundam error est, qui sibi ex veteribus quibusdam næniis persuadent, Principem, in alterius territorium sine venia intrantem, ejus fieri captivum. Bona quoque neque pignorationibus neque arrestis subjiciuntur, & successores ex antecessorum debitis non tenentur, nisi in quantum ipsi inde locupletiores facti sunt, aut in rem Principatus versum est. Denique quicquid juris atque regalium sibi veteres Imperatores lege Regia sumsere, quicquid nostri temporis elegantia & cultus ex jure Supremitus ulli Regum tribuit, illud omne Serenissimis Germaniæ Principibus competere certum est, excepta Majestate (quam Imperatori soli deferunt) illisque circa quæ communis utilitatis causa pactis à jure suo, salva tamen dignitate, recessere.

CAPUT XXVI.

HÆc de honore ac potestate Electorum ac Principum Germaniæ sufficiant è multis, qui in promptu erant, pauca & selectiora. Ne tamen una tantùm parte audita sententiam ferre videamur, operæ pretium erit producere, quæ contra ingeruntur. *Bodinum* sanè audire, operæ pretium erit: (Putabam ego quidem antea, inquit (lib. 2. cap. 6.) Principes ac Civitates Imperii habere jura Majestatis, nec alienis Imperiis aut legibus, sed jure tantùm fœderis & societatis inter se obligari, sed ab hac sententia discessi, cùm propiùs animadverti, Germanorum conventus summum jus Majestatis habere, nec tantùm Principes, sed etiam Civitates, multâ, exilio, proscriptione ac pœnarum ac judiciorum acerbitate coërcere, quin etiam ipsos Imperatores de Imperio dejicere,

cere, ut *Adolphum* inprimis & *Wenceslaum*; leges autem, quæ in Comitiis Imperialibus feruntur, non modò Principes & civitates, sed etiam ipsum Imperatorem tenere. Jam verò decem Circulares conventus, qui in singulis Provinciis coguntur, Universitatis Comitia sequuntur, rogationes illuc referunt, leges illinc accipiunt & decretis parent.) Hæc ille. Idem alibi, de capite, fama, fortunis Principum judicandi jus penes Comitia esse. Et Autor animadversionum in *Heromontanum*, qui se *Teutoburgium* vocat, vir, ut apparet, doctus, ita inquit: [*Heromontanus* Principibus Germaniæ propriè dictam vindicat Majestatem, quod ut credam, nondum possum adduci, nec habet, unde me eò adducat *Heromontanus*. Nam potestas in territorium quidem Principibus competit, non autem vera ac propria notione loquendi sumta Majestas. Quandoquidem non modò jurant, sed Imperatori & Imperio fideles, sed etiam subjectos & obedientes futuros indicant hæc verba juris jurandi *Treu*, *Hold*, *Gehorsamb und Gewärtig*. Absurdus sit, qui hinc societatem ac fœdus inæquale exsculpat. Multò magis errant, qui censent, Ordines Imperii Sacramentum non tam subjectionis quàm fidelitatis Imperatori dicere. Omnium denique maxima absurditas est eorum, qui credunt, solennia Inaugurationis beneficiariæ (Investituræ) moris solum esse, non juris. Quam causam malè tuetur noster cum suo *Monzambano.*] Hæc *Teutoburgius* contra *Heromontanum*. Et sanè nihil vulgarius, quàm ut Principes se Imperatori subjectissimos profiteantur, passimque in publicis Actis appellantur *dem Heiligen Reich unmittelbar unterthänige oder unterworffene Stände*, immediatè Imperio subjecti Status. Homagii sive Sacramenti, quod Cæsari dare solent, formula hæc continet. *Sie wollen Ihr Käyserl. Majest. und dem Heiligen Reich Treu, Hold, Gehorsam und gewärtig seyn, auch nimmermehr wissentlich in den Raht seyn noch einwilligen oder befehlen, da ichtwas wider Ihre Käyserliche Majestät oder das Reich gehandelt wird in einige Wege, sondern dessen Ehre, Nutzen und Frommen beförderen und ihn vor Schaden warnen.* Nec dubium est, quin Electores Principesque Germaniæ sint Imperatoris atque Imperii Vasalli Ligii, id est, qui Imperio contra omnes opem debent, & in omnibus aliis obligationibus, quas contrahunt, Imperatorem & Imperium excipere jubentur; Vasallos autem Ligios ajunt parum distare à Subjectis. Nec aliquid crebrius etiam ab Electoribus maximis auditum, quàm Imperatorem esse Imperii caput supremum. *Joh. Georgius I.* Elector illud sæpe in ore habebat, *Käyserl. Majestät sey sein rechtmässiges Oberhaubt.* Unde difficillimè adduci potuit, ut in fœdera cum exteris consentiret, nec, nisi extrema necessitate cogente, *Gustavo Adolpho* accessit, & cum primum tolerabilibus conditionibus potuit, redeundum sibi putavit ad Imperatorem inita Pragensi Pace. Nihil olim frequentius, quàm proscribi Principes sive in Bannum Imperii declarari & spoliari ditionibus. Illustre exemplum dedit *Henricus Leo* maxima ditionum parte exutus à *Friderico Barbarossa*, qui & *Herman*-

num Comitem Palatinum, quòd absente Cæsare Germaniam turbasset, canem in publico conventu suis humeris portare coëgit. Sed & superiore seculo *Carolus V.* sibi licere putavit *Joh. Fridericum* Saxoniæ Electorem capitis damnare, &, ubi vitam intercedentibus Principibus concessit, Electorale decus cum parte ditionum auferre, *Philippum* autem Hassiæ Landgrafium in vinculis habere. Nec ita olim *Ferdinandus II.* primùm *Friderici* Palatini Electoratum in Bavarum transtulit, & ademtum Megalopolitanis Principibus Ducatum Friedlandiæ Duci concessit. Ipse *Hippolytus à Lapide*, & qui liberrimè in Cæsarem dixere, agnovere tamen, Pares Curiæ de Principum Imperii Vasallorum capite ac fortunis judicare posse, quod judicium vocant *das Fürstenrecht*, & hodie plerique in Comitiis ipsis id residere putant. Unde consequitur, subditos esse: ut taceam in summis Imperii tribunalibus rectè conveniri mandatis Cæsaris nomine emissis, ac sæpè pœnalibus & sine clausula (id est absolutis neque excusationem obedientiæ admittentibus) in officio contineri, & si imperata facere recusent, secundùm præscriptam executionis formam Circularium Ducum ministerio cogi. Denique manifestum esse videtur, Electores Principesque Germaniæ Majestatis damnari posse, quæ est vera nota subditi, ut ajunt Jurisconsulti, ex Clementina *Pastoralis*. vers. *rursus non est silentio*. de Sentent. & Re judicata. Ubi Pontifex pro *Roberto* Rege Siciliæ rationem reddit, cur ob confœderationes ac conspirationes contra *Henricum* Imperatorem, Majestatis damnari non possit, cùm scilicet subditus non sit.

CAPUT XXVII.

HÆc sunt potissima, quæ paucis & in summa contra Electorum atque Principum Imperii libertatem ac Suprematum dici possunt, in quibus fateor multum esse veri, neque enim ex eorum ego numero sum, qui dignitatem Imperatoris, quæ omnibus imperii civibus sacra esse debet, convellere cupiunt, ut Electoribus atque Principibus adulentur. Tantum solida à speciosis distinguere, tum falsas consequentias ex veris sententiis ductas retegere, fas opinor erit, in quo me ita spero versaturum, ut neque ex veteribus næniis præsentia dijudicem, neque tamen ex eo tantùm, quod hodie fit, id, quod fieri deberet, colligam. *Fateor enim in nonnullis paulo plus Cæsari concedendum videri, quàm Principes atque Electores aliqui rebus suis conducere putant.* Sed hæc uberius explicare alterius est loci. Nunc, ut rem præsentem agamus, ante omnia illud considerandum est, quicquid præcedente paragrapho habetur, in Electores non minùs quàm alios Principes dici posse. Nam audivimus *Hermannum* Palatinum per contumeliam canem in comitiis ferre coactum, *Johannem Fridericum* Saxoniæ Electorem capitis accersitum; *Fridericum* Palatinum fortunis omnibus spoliatum, dignitate exutum atque loco motum,

tum, & tenuisse Cæsaris Decretum, atque in ipsam posteritatem valuisse constat. Neque video, quomodo in Principem majora possint exempla edi. Nihilominus à Regibus hodiè Fratres appellantur, & Legatis eorum idem, qui Regiis, honor conceditur, ipso nunc Imperatore (quod multis creditu difficile videbatur) annuente. Quare vinculum, quo Imperio omnes obstringuntur, aut Electoribus objici debuit, aut nec Principibus debet. Deinde, si ipse Imperator consensu Ordinum deponi atque in ordinem privati vel saltem Principis simplicis redigi potest, ut quidam arbitrantur, sequitur tunc, etiam contra ipsum lege agi posse; ac proinde qui sic ratiocinantur, caveant, ne Imperatorem ipsum faciant subditum, dum Principes in hanc classem detrudunt, quæ certè & *Bodini* sententia videtur, Majestatem esse in Comitiis; singulos verò, Imperatorem, Electores, Principes, non nisi Magistratus ac proinde subditos esse, & in capitis fortunarumque discrimen adduci posse. Quod ex ipsius principiis manifestè consequitur; nam Majestatem indivisibilem esse arbitratur, & mixtam Reipublicæ formam respuit. Hoc amplius, si Electores Principesque Germaniæ homagio, quod Cæsari præstant, subditi etiam personarum suarum ratione fiant, necesse est profectò, etiam Regum Hispaniæ, Daniæ, ac Succiæ personas, Imperio acquisitas atque subjectas esse, & capitis atque famæ judicium in Imperii Comitiis subire debere, si quis sit, qui accusare velit. Certum enim est, nullum esse planè discrimen inter formulam Sacramenti, quod exteri Reges, aut quod Germaniæ Principes Cæsari atque Imperio dicunt. Certè Galli simili ratiocinatione contendebant, *Carolum V.* velut Flandriæ Comitem Galliæ Coronæ non tantùm hominem ligium sed & subditum esse, neque Imperiali dignitate ab Electoribus delata ab inviti Domini jure eximi potuisse. Iidem negabant, eundem posse simul esse hominem ligium plurium, neque proinde *Carolum V.* rectè fecisse, quòd, cùm Comes Flandriæ esset, Neapolin & Siciliam sub feudi ligii conditione à Pontifice accepisset. Cujus rei ratio est, quòd homo ligius domino fidem atque servitia militaria debet contra quemcunque: neque ideò se totum pluribus obstringere potest, neque Dominis duobus servire, qui inter se collidi possunt. Unde intelligi potest, veteri more multis visum vasalli ligii obligationem conditioni subditi affinem esse, & personam afficere creditam. Ideò Pontifex Romanus eam conditionem Regibus Neapoleos & Siciliæ tulisse dicitur, ut ne injussu suo unquam Coronam Imperialem susciperent etiam delatam. Et Vasalli olim ipsi venire & fidem dare cogebantur, ejusque rei causa sæpe Reges Angliæ aut Principes Walliæ mare trajicere coacti sunt, ut Ducatus Aquitaniæ, & Pictaviensis atque Monstroliensis Comitatuum nomine Sacramentum dicerent. Gratiæ loco habebatur, si Legatus à Domino missus jurantem in fidem acciperet, quod Galliæ Rex *Philippo* Archiduci Austriæ *Caroli V.* Patri indulsit, misso ad ipsum Can-

cellario, cui ſedenti ſtans Archidux tecto detectus homagium præſtabat; paratus in genua ſe ſubmittere, niſi Cancellarius contentum ſe voluntate dicens ſublevaſſet. Dominum autem procuratores à Vaſallis recipere cogi, tunc inauditum. Tum verò, ſi quod bellum movebatur, Vaſallum ipſum copias adducere Domino, neceſſe erat, ejuſque vitam, famam, ditionem proprii corporis objectu tueri: ſi deſeruerat Dominum in diſcrimine, non tantùm ditionis, ſed & capitis ſui id faciebat periculo; judicibus, curiæ ejuſdem paribus, id eſt, Convaſallis. Hæ tamen tàm duræ Feudorum leges non deterruere magnos Principes, quo minus lubenter, quas poſſent, ditiones cum adſcripto onere obtinere conarentur. *Eduardus III.* Anglus diu deliberans, an Regiæ Majeſtati Vaſalli humilitas conveniret, tandem quaſcunque conditiones ſubire, quàm opimis ditionibus, quas in Gallia tenebat, carere maluit. Ipſi Galliæ Reges *Ludovicus XII.* & *Franciſcus I.* nihil quærebant ardentiùs, quàm Mediolanenſem Ducatum, parati ſeſe Vaſallos Ligios, imò (ſi Principes Imperii ſubditi ſunt) ſubditos, ſi Diis placet Imperii, reddere. Monaſterii deliberabant Galli, an Alſatiam Feudi nomine ab Imperio tenere ſatius eſſet. Et noviſſimo Flandrico bello, quæ Rex ſuus Hiſpanis eriperet, pari ab Imperio conditione tenere, Ratisbonæ obtulerant. Imò olim ſi Scaligerianis poſthumis credimus, [*le Roy de France a de tout temps dû hommage au Duc de Bourgogne à cauſe de Bologne; Froiſſart le raconte.*]

CAPUT XXVIII.

HÆc ergò quiſquis mecum expendet, agnoſcet ſanè ex Sacramento, quod Electores atque Principes Cæſari atque Imperio dicunt, propriè dictam abſolutam perſonarum ſubjectionem, quæ ſcilicet juri Supramatûs obſtat, conſequi non poſſe; aut fatendum erit, Reges exteros, qui Principes Imperii ſunt, Imperio perſonaliter eſſe ſubjectos, ibique conveniri poſſe criminaliter. Neque enim uſpiam lege cautum eſt, ut meliore quàm alii Principes in Imperio conditione eſſent. Sed quid ad duras ſanè juris Feudalis & Vaſallorum Ligiorum leges dicemus? Quid niſi & rationi quodammodo contrarias fuiſſe, & nunc meritò quodam gentium Europæarum conſenſu temperatas eſſe. Quid enim ineptius, quàm ob ſolennia homagii verba, quæ dicere Galliæ Regi Rex Angliæ & Hiſpaniarum Aquitaniæ aut Flandriæ nomine cogebatur, tantorum Regum perſonas Galliæ Regibus quæſitas fuiſſe putare, certè ſubditi mei ſubditus, ſubditus meus eſt. Hoc unum ergò reſtabat, ut Gallia Angliam quoque & Hiſpaniam, & ſub *Carolo V.* quem ſubditum ſuum dicebat, etiam Imperium ſibi quæſitum diceret. Miror, *Auberium* inter cæteras ratiocinationes, quibus jus Regis ſui in Imperium ſtabilivit, ſe uno dignas, hanc quoque non produxiſſe: quæ cùm ſint ridicula, fatendum eſt, ne-

que

que olim tenuisse erga Principes hunc subjectionis rigorem, & nunc multò minùs, ubi jam pulcherrimo temperamento res eò redit, ut Vasallus non tàm personæ, quàm territorii nomine, quod tenet, obligatus ad servitia videatur. Itaque hoc jure uti hodie videmur, ut Vasallus, qui feuda à pluribus tenet, unicuique etiam contra se invicem belligerantium, missis pro feudi modo ac mensura auxiliis, satisfacere possit. Quod nisi concedimus, cur eundem feuda à pluribus tenere concessimus? Atque hoc principio semel recepto, manifestum est, Vasallum Principem servitia personalia non ampliùs debere, alioqui enim cogeretur esse simul in pluribus locis. Ex eodem jure manat, quòd Rex Christianissimus Principes nostros, qui, non nisi proportione in Comitiis imperata, militem contra se misere, non pro hostibus, sed neutri adhuc parti addictis habet. Agnoscit enim, eos, quod faciunt, ex feudi natura fecisse, quòd si Principes Germaniæ essent *subditi meri*, profectò bello à Domino, id, est, Imperatore & Comitiis, Galliarum Regi denuntiato, etiam subditi omnes, & in his Principes nostri, pro hostibus à Gallis haberentur, nec *Neutralitatem* servare possent. Et quid miramur, Principes hodiè, quàm olim, liberiores esse, cum subditis ipsis hodiè plus multò concedatur. Magna enim olim de *jure emigrandi* quæstio erat, & *Bodinus* autor harum rerum non malus contra multos disputat: hodiè verò eo jure utimur, ut subditis plena sit facultas mutandi domicilii. Fœderatas Provincias Germanis, Gallis, Anglis repletas constat; & unicuique Germano in Gallia jus civitatis, sivè, ut vocant, literas naturalitatis impetrare licet. Vicissim Gallos admittimus, & Rex eos nullo jure revocaret, quando ipse Germanos, Cæsare revocante, non esset dediturus. Olim dura erant in peregrinos jura, & nonnullis in locis, cùm domicilium posuerant, capti censebantur instar feræ bestiæ, & in quandam adscriptitiorum reducti conditionem, unde Wildfangatui nomen fuit; quanquam sint, qui asserant, vetere lingua *Wild* idem esse, quod peregrinum, unde hodieque dicitur, *ein Wildfremder*. Nunc alia est, nî fallor, ratio rerum. Quare peccant illi in nostri seculi felicitatem, qui subinde homines liberos in servitutem trahere, & antiquata veteris servitutis carmina revocare contendunt. Durumque erat & planè præter gentium jura, quod Galli nuper eos, qui in occupatis ditionibus bona habebant, venire jussere, non venientium bona publicavere. Nam cùm iidem sub Hispanis & Batavis alia prædia tenerent, his vicissim pari cum Gallis jure atque conditione ad se vocantibus, innocentes homines alterutro in loco suis bonis necessariò exuebantur. Sed hæc obiter atque ideò tantùm adduxi, ut pateret, cùm hodiè liberiores longè quàm olim homines ingenui censeantur, minùs mirum videri, quòd in seculo tàm culto Principes, quorum personæ omnibus sacræ & ipsis inter se quadam cognatione conjunctæ videri debent, inviolabiles & à judiciis capitalibus omnique contumelia immunes censemus.

mus. Olim cùm feri magis hominum mores essent, novum non erat, Imperatores, Reges, Principes non tantùm solio excuti, sed & occidi cum cruciatu, excæcari, emasculari, aliterve mutilari, vel certè tonsos in monasterium trudi. In Historia Constantinopolitana nihil est frequentius; sed ea re factum est, ut vilis Regum Principumque sanguis videretur, assueto eorum ruinis atque contumeliis populo, &c, quæ hodiè non sine horrore leguntur, quietè spectante. Execrationi omnibus est crudelitas *Caroli Andegavensis* in *Conradinum* Suevum, & *Fridericum* Austrium. Ipsa Anglia ejus immanitatis hodie dedit pœnas, qua in Regium sanguinem magnosque Principes olim sævitum est. Nam & *Cominæum* memini dicere, triginta annorum spatio octoginta Regiæ stirpis Angliæ Principes bellis civilibus aut suppliciis interiisse, & *Mariæ Stuartæ* tragicus exitus à Prudentibus probari non potuit, docuitque eventus, quàm periculosum sit, assuescere populum spectaculis in Principes funestis. Quemadmodum ergò ille dixit, Deorum injurias Diis curæ esse; ita, quicquid in Principum contumeliam fit, cæteris Principibus vel ipso exemplo abominandum videri debet. Rectè itaque *Henricus II.* Galliæ Rex, quem supra cap. 23. laudavimus, cùm *Albertum* Brandeburgicum patrocinio tueretur, asseruit, quandam inter Principes propinquitatem, & velut societatem esse videri, & dignitatem atque salutem eorum omnibus curæ esse debere, prorsus quemadmodum, laxiore tamen sensu, dixerat Jurisconsultus Romanus, cujus verba in Digestis *Justiniani* extant, *quandam inter homines à natura cognationem constitutam, unde hominem homini nocere nefas esse.* Denique quòd, ut supra monuimus, Principes saltem Protestantes nullum in matrimonialibus causis judicem agnoscunt, id nullam aliam rationem habet, quàm quòd personæ Principum sunt liberæ, ideòque in iis, quæ merè personalia sunt, qualis est matrimonii obligatio, non nisi conscientiæ vinculo obstringi possunt.

CAPUT XXIX.

UBi verò semel obtinuerimus, Principum personas esse liberas & inviolabiles, jam manifestum est, eos *merè subditos* simpliciter ac propriè censeri non posse: ille enim demum *merè subditus* est, in quem, si peccet, capitaliter animadverti jus fasque est. Principem aliquando canem scabiosum ferre coactum, non magis nostris moribus congruit, quàm quòd *Josua* decem Reges bello captos suspendi jussit, & *Sesostris* trahentibus Regibus curru vectus est, Romani verò ductos in triumphum Reges in carcere necabant. Quod *Carolus V. Johannem Fridericum* Saxonem capitis damnavit, magis in terrorem factum arbitror, quàm quòd animus ipsi esset exequendi sententiam, quam dixerat; si facere ausus fuisset, ipso rei horrore omnium à se voluntates avertisset. Cæsari per se

ſe jus capitalis ſententiæ in Principes eſſe, nemo credit, itaque hoc *Caroli V.* judicium adduci in exemplum nequit, extra Comitia exercitum ab armato. Multa ſuſcipiuntur, quæ defendi non poſſunt, &, ut dicam quod ſentio, mihi Electoris vel Principis damnatio à Cæſare profecta non magis juſta videtur, quàm Cæſaris exauctoratio ab Electoribus decreta. Quare tametſi temporum ratio effecerit, ut tranſlationes Electoratuum apud Saxones ac Bavariæ Duces de linea in lineam, Cæſaris autoritate factæ, obtinerent atque approbarentur, factum tamen ipſum ab initio à nemine probatum eſſe conſtat, ſi illos demas, quorum intererat. At verò, inquies, Comitiorum ſaltem cognitio eſt, ſi non de capite Principis, certè de Ditione ac Feudo: eſto ſanè, nam poſtea oſtendam, nihil ea re decedere de Suprematu atque libertate. At verò nemo ignorat, quàm difficulter aliquid in Comitiis decernatur, quàm tardè vim atque effectum obtineat, quod decretum eſt. Et cùm omnia ex legum præſcripto acta ſunt, demum exercitu opus eſt, ad reum, ſed armatum, ditione dejiciendum. Quicunque autem non niſi bello illato, maximiſque motibus in ordinem redigi poteſt, is *liber* cenſetur, ac *Suprematu* præditus, ut ſupra definivi. Nam nihil contra omnem vim perſtat in rebus humanis; illi demum liberi atque inviolabiles cenſendi ſunt, quos cogere difficillimum eſt. Principes Imperii validas ſatis copias educunt, clientes, propinquos, amicos, fœderatos habent, ipſis Regibus certiſſimis vinculis colliguntur, ideò, qui eos cogere velit, illi anceps alea ſubeunda eſt. Subditi autem meri illi ſunt, ut ſupra explicui, qui in poteſtate habentur, nec magno motu ad imperata cogi poſſunt. Adde quod Pace Monaſterienſi ne in Comitiorum quidem arbitrio abſolutè eſſe videtur, in Principem injuſtè animadvertere, quando Coronæ, pacis ſponſores, oppreſſis opem ferre poſſunt, ac proinde quandam cauſæ cognitionem habenr. Cumque totius Europæ interſit, Weſtphalicam pacem non convelli, manifeſtum eſſe videtur, Principes Imperii hodie, cùm de maximis rebus, ſcil. de Religione, libertate, ac ſalute agitur, Europam univerſam quodammodo judicem cauſæ habere, id eſt Suprematu frui. Sic enim re vera *Suprematus* competit, qui non niſi communi gentium conſenſui ſubjicitur, cui ſinè omnis humana poteſtas ſubeſt. Huc pertinet, quod aliquoties innui, non omnia in Comitiis per majorem numerum ſuffragiorum tranſigi, aliquando unanimi conſenſu opus eſſe, qualia ea ſunt, quæ religionem libertatemque ſpectant. Itaque in his fatendum eſt, Principes ſui juris eſſe, quoniam inviti damnari non poſſunt, quando paucorum diſſenſus decreto intercedit, non negem. Itaque proſcribere Principem eſt potiùs hoſtem judicare (quod etiam in liberos planè Principes licet) quàm velut ſubditum condemnare; cùm ſubditum cenſeamus, in quem damnatum aliquot Miniſtros publicos armari ſatis eſt; hoſtem, in quem exercitus duci debet.

CAPUT

CAPUT XXX.

EX his intelligi poteſt, hoc Subjectionis genus, quo Electores atque Principes Imperio tenentur, non pugnare cum Supremaτu. Conſtat enim ſibi Suprematus, ſi is, quem eo ſtuí dicimus, ratione dignitatis in quandam cum Regibus ſocietatem veniat; ratione juris autem territorialis, exercitum habere, nec niſi bello coërceri poſſit. De reliquo nihil refert, utcumque alteri obligatus ſit ad *fidelitatem*, imò etiam ad *obedientiam* quantamcunque, *quam ſanè Cæſari atque Imperio Principes noſtri maximam debent*: neque ad rem pertinet, quòd ſubditi ipſorum etiam Imperio ſubſunt; quòd ab ipſis ad Suprema Imperii judicia provocari poteſt, quòd ipſi Principes civiliter conveniri poſſunt; quòd juramentum fidelitatis imò & obedientiæ Cæſari atque Imperio dixère; quòd à Judicio Cæſaris aulico atque Camera Imperii ipſis juberi aut vetari aliquid poteſt; quòd in tardantes mandata pœnalia atque arctiora ſtringuntur, quòd noviſſimè in contumaces Banni fulmen vibratur & Circuli (ſecundùm executionis ordinem) armantur. Talia enim, quem definivi, *Suprematum* non convellunt. Nam ſi Feudi fidelitas & conditio ex *Grotii* ſententia lib. 1. cap. 3. ne quidem ſummæ poteſtati obeſt; etiam obedientiæ obligatio Suprematum non tollet, quem definivi. Nam Principes non ideò minùs ſoli Deo ac gladio ſubſunt. *Deo*, quatenus conſcientia eos magis quàm vis ac metus præſens ad ea officia obſtringit, quæ Imperio debent; *gladio*, quatenus non niſi armis ad imperata cogi poſſunt, quod cum ſubditi natura pugnat: quanquam enim rebelles aliquando fieri poſſunt ſubditi, in quos arma ſumi neceſſe ſit; hoc tamen aliquando præterque ordinem contingit. At qui ea perpetuò conditione, eoque jure fruuntur, ut armorum jus ipſi habeant, nec niſi exercitu cogi poſſint, tales merè ſubditos cenſeri, ineptum eſt, qualeſcunque denique ſint obligationes, quibus aliis obſtringuntur. Sanè etiam Amphictyones apud Delphos in Græcia judices erant inter liberas civitates atque reſpublicas conſtituti, & condemnati ſunt ab illis Lacedæmonii, quòd Cadmæam arcem Thebanorum occupaſſent, & Phocenſes eodem Amphictyonum judicio hoſtes judicati, totaque in ipſos Græcia armata eſt: neque verò ea res libertatem atque, ut ita dicam, Suprematum Lacedæmoniorum aut Phocenſium diminuit, quoniam ad decreta Amphictyonum exequenda opus erat exercitu; unde ortum eſt illud bellum ſacrum in Græca Hiſtoria celebre, quo in Phocenſes velut proſcriptos atque hoſtes judicatos, *Philippo* Macedone duce conſtituto, arma expediebantur. Eaque ratione ſibi *Philippus* gradum ſtruxit ad quandam in Græcia poteſtatem obtinendam, penè illi ſimilem, quam nunc habet Imperator in Germania; nam & Dux Græcorum contra Barbaros conſtitutus eſt, magno liberarum Græciæ civitatum conſenſu, quamvis, quod

quod *Philippus* meditabatur, *Alexander Magnus* eodem planè titulo executus sit, Imperatorem se Græcorum, non dominum ferens. Eadem ratione & Romani liberis Græciæ Civitatibus, Achæis, Rhodiis tum & Regibus Pergami, Bithyniæ, Numidiæ imperitabant. Sed *Alexander M.* & Romani ob præsentem potentiam à Dominis parum aberant. Magis quadrat, ut ad propiora veniam, exemplum Califæ Saracenorum Mahumetis successoris, qui in Arabia sedem habebat, cui omnes totius orbis Reges Saraceni in Persia, Ægypto, Mauritania, Hispania obedientiam cultumque debebant, neque ideo magis subditi meri erant. Et non diu est, quòd Pontifex Romanus eodem apud Christianos Europæos jure utebatur, ut judex pene esset Regum, utque ad ipsum provocari posset, neque ideò minùs Reges liberi ac Suprematu præditi censebantur.

CAPUT XXXI.

QUoniam verò in hunc locum venimus, operæ pretium fuerit attingere, quod ni fallor hodie non satis animadvertitur, Imperatoris atque Pontificis potestates quodammodo inter se connexas esse, & ex communi Superiorum temporum sententia, Pontifici pariter atque Imperatori quandam in reliquos Reges Principesque potestatem competere, quod ideò hoc loco meminisse utile est, quoniam eo semel admisso minus mirabimur, cur tantùm Imperatori Germaniæ Principes deferant. Nimirum considerandum est (ex majorum nostrorum opinione) totam Ecclesiam universalem habendam esse pro una quadam velut Republica sub Pontifice Dei Vicario Spirituali & Imperatore Dei Vicario Temporali: In Aurea Bulla Imperator appellatur temporale Ecclesiæ caput, & nihil est notius atque frequentius in Actis publicis & Historiis quoque, quàm Imperatoriam potestatem in se continere Advocatiam Ecclesiæ Romanæ, id est universalis, neque illi rei habent, cur contradicant Protestantes. Nam Advocatus Ecclesiæ non nisi ad honesta justaque protectionem debet, neque ideo prohibetur abusibus mederi, qui fortè irrepsere. Imò contrà ad ipsius quoque munus pertinet, dare operam, quantum in ipso est, ne quid vera Ecclesia Catholica detrimenti capiat. Quare, qui tantum decus Imperatori auferre conantur, illi, quod in Imperatoria potestate potissimum est, destruunt. Errant itaque Doctissimi Viri, qui Imperatoris Romani potestatem in jure, quod Imperatori competit in urbem Romam & exiguas quasdam ei connexas ditiones, sitam putant. Nam contrà jus Imperatoris temporale eo usque extenditur, quousque jus Episcopi Romani spirituale, id est, per totam Ecclesiam, in qua Primatum aliquem non ordinis tantùm, sed & quodammodo jurisdictionis, Pontifici Romano etiam veteres non negant; nec refert hoc loco, divino an humano jure habeat, modò constet per multa secula, magno

omnium consensu atque applausu in occidente potestatem sanè maximam exercuisse. Et multorum egregiorum Virorum ea fuit etiam apud protestantes sententia, hoc jus Pontifici relinqui posse, Ecclesiæ utile esse, si abusus quidam tollantur. Quinimò Philippus *Melanchthon*, vir sine controversia & prudentissimus & moderatissimus, cùm articulis Smalcaldicis subscriberet, protestationem adjicere ausus est, qua declarabat sibi videri jurisdictionem Spiritualem Episcopis reddi posse, si aliis malis mederi velint. Eadem fuit sententia egregii Viri *Georgii Calixti*, qui doctrina atque judicio paucos pares habuit: Equidem negari non potest, Ecclesiam Romanam diu habitam in occidente Magistram cæterarum, quod vel ideo minùs mirum est, quia earum mater passim extitit: constat enim, viros Apostolicos, Româ in Hiberniam, Angliam, Gallias, Germaniam missos, fidem propagasse & cum ea reverentiam erga Romanam Ecclesiam. Huic Longobardus & Saxo, huic Francus sive Sicamber (ut *S. Remigius* dicebat) colla submisit, & Episcopi atque Monachi jurisdictioni Pontificis Romani libenter assensere, quo Regum atque Principum, qui aliquid adhuc de priore barbarie retinebant, jugo exempti, ac sacri & inviolabiles barbaris crederentur. Itaque cùm Barbari ab his acciperent fidem, quorum intererat sic doceri, mirum non est, potestatem Ecclesiæ Romanæ agnitam & Pontificem Romanum pro Oecumenico Episcopo habitum. Tandem, ob rerum sacrarum & profanarum connexionem maximam, factum est, ut quædam in Reges ipsos autoritas Pontifici Romano concessa videretur, quæ, quanta jam tum primis temporibus fuerit, inde æstimari potest, quòd *Zacharias* Pontifex, ab Ordinibus Regni Galliæ consultus, *Childericum* Regem sceptro indignum pronunciavit, eique maximo omnium applausu *Pipinum* succedere jussit. Et jam ante, cùm *Clotarius* Rex *Walterum* Ivetotium, ante aras die sacratissimo veniam à Rege precantem, impotenti iracundia interemisset, Rex à Pontifice Romano *Agapeto* excommunicatus, neque ante Ecclesiæ reconciliatus est, quàm ubi posteros defuncti omni nexu absolvit, quem Regno Galliæ debebant: similem ferè ob causam Regnum Angliæ factum est tributarium (imò feudum Pontificis Romani) cùm *Johannes* Rex Angliæ *Arturum* Britanniæ minoris Ducem occidi curasset, auctusque est postea census ob cædem *Thomæ* Cantuariensis Archiepiscopi, jussu Regis aut certè permissione factam. Et Poloniæ Principes Regium Titulum jussu Pontificis omittere coacti sunt, ut cædes *Stanislai* Gnesnensis Archiepiscopi, Regis jussu admissa, vindicaretur: nec nisi multo post tempore reddente *Joh. XXII.* dignitatem recuperavere. Ait *Bodinus*, visam à se formulam, qua *Ladislaus I.* Hungariæ Rex se *Benedicti XII.* vasallum sive fiduciarium professus est: *Ladislaus II.* etiam tributarium se constituit, quòd, ob nescio quod crimen, sacris illi interdictum esset. Etiam *Petrus* Arragonum Rex fidem *Innocentio III.* dedit Regni nomine cum

annuo

annuo censu: de Regno Neapolitano & Siculo dubitatio nulla est. Quin & Sardinia & Canariæ atque Hesperides Insulæ feudum Pontificis fuisse videntur, & Reges Castellæ atque Lusitaniæ sibi Indiam, ille Occidentalem, hic Orientalem, velut donum, sive potiùs Feudum, ab *Alexandro VI.* Romano Papa datum vindicavere. Non illud jam quæro, quo ista jure facta sint, sed quæ fuerit illis temporibus hominum opinio. Prædictiones Scripturæ sacræ de Regno Christi huc applicabantur, scilicet dominaturum esse de mari usque ad mare, & gentes sceptro ferreo gubernaturum. Et notabile est, cùm *Fridericus I.* Imperator supplex Pontifici *Alexandro III.* atque humi prostratus esset, & Pontifex, pedem collo ejus imponens, verbis Scripturæ uteretur (super aspidem & basiliscum ambulabis) Cæsarem respondisse: non tibi sed *Petro*, quasi persuasus esset, saltem *Petro*, id est Ecclesiæ universali, datam in se potestatem, qua tamen Pontifex abuteretur. Scio multos doctos viros historiam in dubium vocare, quos inter *Georgius Remus*, si bene memini, peculiarem ea de re libellum edidit, inque ea sententia fuisse ipsum Pontificem Maximum *Urbanum VIII.* qui picturam ejus tolli curavit; illud tamen certum est, diu olim creditam fuisse, quod mihi satis est. Certè constat, *Henricum IV.* Imperatorem nudipedem atque jejunum jussu Pontificis media hyeme pœnitentiam egisse, omnesque Imperatores atque Reges à multis seculis Pontificem præsentem præsentes maxima submissione coluisse, aliquando tenuisse stapedem, pedites equitem comitatos, aliaque servitia & ministeria non dedignatos. Dux aliquis Venetus, ut urbem interdicto levaret, & in Pontificis *Julii II.* gratiam reciperetur, laqueum collo gestavit, & quadrupedis ritu Pontifici arrepens veniam petivit, unde ab ipsis Venetis canis cognomen tulit. Navarram Hispani Pontificis autoritati debent, eodem titulo. *Philippus II.* Angliam à *Sixto V.* donatum invadebat. Pontifex subditorum querelas audiit. *Innocentius III.* Tolosatium Comiti, ne suos tributis gravibus vexaret, interdixit. *Innocentius IV.* *Johanni* Lusitaniæ Regi curatorem dedit. *Urbanus V.* *Henricum Spurium* Castellæ Regem natalibus restituit, qui postea Gallorum ope fratrem *Petrum* legitimum hæredem regno vitâque privavit. Et verò duo sunt magni momenti, de quibus, ad Pontificem Romanum referri debere, ne dubitatum est quidem olim, nempe quæ pertinent ad juramentum, & quæ spectant ad matrimonia. Certè *Henricus IV.* matrimonium suum cum *Margarita Valesia* invalidum pronuntiari à Pontifice petiit & obtinuit, idemque paucis abhinc annis obtinuit Regina Lusitaniæ à Cardinali *Vindocinensi* cognato suo Legato à latere. An autem ad Pontificem pertineat deponere Reges, absolvere subditos à Sacramento, sæpe dubitatum est, & *Bellarmini* argumenta, ex hypothesi spiritualis jurisdictionis temporalem saltem indirectè, ut vocant, inferentis, ne *Hobbio* quidem spernenda videntur; illud enim certum est, qui circa salutem

animarum procurandam plenam à Deo poteſtatem habet, tyrannidem ambitionemque Procerum coërcere poſſe, quibus tot animæ pereunt. Dubitari, fateor, poteſt, an Pontifici ea poteſtas à Deo conceſſa ſit; illud tamen negari non poteſt ſaltem ab illis, qui Romanas ſententias ſequuntur, hanc poteſtatem in Eccleſia univerſali reſidere, cui omnium conſcientiæ ſubmittuntur. Idque videtur agnoviſſe *Philippus Pulcher* Galliæ Rex, cùm à *Bonifacii VIII.* ſententia, qua excommunicabatur atque regno privabatur, ad Concilium univerſale provocavit, quod aliàs ſæpe in Regibus Imperatoribusque factum conſtat; & Veneti ſub initium hujus ſeculi idem animo agitabant.

CAPUT XXXII.

Itaque Eccleſia univerſalis pro una Republica habenda eſt, in qua omnia ad ſalutem animarum & generale bonum dirigi debent, cujus velut *Primus* eſt Romanus Epiſcopus, *Archi-Mareſchallus* verò, ſive Enſifer, Imperator; quemadmodum in Polonia durante interregno apud duos eſt ſumma rerum, Primatem Regni Archi-Epiſcopum Gneſnenſem, & Regni Mareſchallum; Et apud nos in Comitiis Electoralibus cùm de Imperatore novo tractatur, interea Moguntinus & Saxo cuncta moderantur, ille togatus, hic armatus. Imperator, ut ſupra dixi, Advocatus eſt Eccleſiæ vel potius Brachium ſeculare, ut vocant, & *Dux generalis Chriſtianorum natus* (*general né de l'Egliſe univerſelle.*) Hinc cùm in infideles arma expediebantur, Imperatorque ipſe cruce ſignatis aderat, omnes alii Reges Principesque ei faſces ſubmittebant. Nempe ad Imperatorem ſpectat, claſſicum canere bellis ſacris, ducem ſe præbere Chriſtianis contra infideles, & alioqui generalis boni curam gerere cum autoritate. Itaque cum ſchiſmata Eccleſiam dilacerant, aut alioqui temporum ratio fortia remedia poſtulabit, Imperator *Sigiſmundi* exemplo Concilium univerſale convocabit, & contumaces duplici fulmine percellet, *Excommunicationis* ſcilicet Eccleſiaſticæ & *Imperialis Banni.* Neque dubium proinde eſt, quin Imperatori, velut Eccleſiæ univerſalis Advocato, aut, ſi ita malimus, *Vice-Domino*, (nam hoc modo paſſim appellari ſolent, qui Principum Germaniæ Eccleſiaſticorum Juriſdictionem ſecularem exercent) magna in cæteros omnes Reges Principesque autoritas competat, cujus veſtigia ſuperſunt in illo cultu, quem ſine controverſia illi deferunt omnes. Neque enim ipſa hactenus Hiſpania Galliaque, utcunque potentes, de dignitate litem movere auſæ ſunt; &, ſi *Chriſtophoro Marcello* Archi-Epiſcopo Corcyrano, qui cæremonias ſacras edidit, credimus, Imperator menſam ſeparatam prope Pontificem habet, reliqui Reges mixtim ſedent. Nemo unquam in orbe Chriſtiano ſibi jus ſumſit creandi Reges præter Pontificem & Imperatorem: de Pontifice diximus; à Cæſare

ſare Bohemiæ, Daniæ, Poloniæ Principes Regia inſignia nacti feruntur. *Ladiſlaus* Bohemus à *Friderico I.* Rex creatus, eaque dignitas poſtea *Primiſlao* à *Philippo* Imperatore confirmata, de quo videri poteſt *Goldaſtus* in libro de Regno Bohemiæ. *Otho III.* Poloniæ ducem *Boleſlaum* Regem appellavit, ipſo fatente *Cromero* Polonorum Hiſtorico; de Daniæ Regibus idem narrant ex *Othone* Friſingenſi lib. 2. c. 21. *Fridericus II.* Auſtriæ Ducatum aliquando Regnum appellavit, & *Maximilianus II.* Papæ, *Medicæum* Hetruriæ Regem appellaturo, fortiter reſtitit, hoc ſibi uni jus eſſe dictitans; itaque Magni Ducis titulum etiam à Cæſare impetraſſe illi ſatis fuit. Quemadmodum Sabaudiæ Comes à *Sigiſmundo* Dux creatus eſt. Alia etiam ab Imperatoribus facta & ab aliis Regibus agnita ſunt, ex quibus intelligi poteſt aliquam Cæſari in toto Chriſtiano orbe Juriſdictionem eſſe. *Dubravius* Bohemorum Hiſtoricus narrat, *Ludovicum* Regem Hungariæ & Bohemiæ, cùm, defuncto Patre *Uladiſlao*, annos natus tredecim regna adiret, veniam ætatis à *Maximiliano I.* impetraſſe. Et *Heringius* Juriſconſultus in lib. de *fidejuſſoribus* capite ſecundo refert, *Chriſtianum IV.* Regem Daniæ anno 17. nondum impleto, ob Regias virtutes jam tum elucentes à *Rudolpho II.* ætatis beneficium conſecutum anno 1593. die Aprilis 26. *Carolus* Lotharingiæ Cardinalis poſtulatus Epiſcopus Metenſis eodem beneficio Cæſaris uſus eſt, ſi *Beiſio* credimus tractatu de *Pactis famil. illuſt.* Cap. 7. ſed & *Philippus* Dux Burgundiæ; & diploma extat apud *Chifletium* in Vindiciis Hiſpanicis Cap. 13. Scimus & *Ludovicum* Bavarum Vicarium Imperii conſtituiſſe *Eduardum III.* Angliæ Regem, ut Imperii jus contra Gallos perſequeretur, & ipſum Delphinum Franciæ, poſtea *Carolum VI.* à Cæſare *Carolo IV.* declaratum Sacri Imperii Vicarium in Regno Arelatenſi, quanquam hoc regnum jam tum Galli tenerent, &, cum nondum ex ephebis exceſſiſſet, adjectum eſſe ætatis beneficium, ipſi Galli narrant. Et Hiſpanus ſe fert Vicarium Imperii per Inſubriam & Hetruriam, ut ait *Bodinus*, quem & hoc ſeculo occaſione belli Mantuani, autoritate *Ferdinandi II.* exercere velle videatur magno Italorum Principum metu, qui non ignorant, quantum Imperio debeant. In Genuenſes exercita ab Imperatore *Rudolpho II.* juriſdictio eſt, cùm à Marchione Finalienſi actione pulſati eſſent. Veneti à *Rudolpho I.* vel, ut alii volunt, à *Conrado*, jus monetæ cudendæ accepere, iidem Imperii Majeſtatem agnovere ſaltem pro parte ditionum, cùm à *Maximiliano I.* in anguſtias redacti eſſent, & *Albericus de Roſate* in *l. cunctos populos C de Summa Trinitate*, dicit, ſe vidiſſe privilegium Exemtionis Venetorum Bulla aurea bullatum; ſed ex hoc ipſo ſatis intelligi poteſt, privilegia ſaltem magna obtinuiſſe, ut alias Italiæ Civitates, non verò plenam libertatem, quam ne dare quidem poterat Imperator. Expreſſus eſt *Sigonii* locus lib. 13. qui, pacis inter Imperatorem *Fridericum Barbaroſſam* & Italiæ Civitates formulam exhibens, Venetias inter cæ-

teras collocat, nullo discrimine Imperatorem Dominum agnoscentes, Vasallos sese appellantes, & Romam tendenti, Coronæ accipiendæ causa, Fodrum ac cætera promittentes. *Sigismundus* Imperator Franciæ Regem ad Concilium Constantiense vocans, *Imperii fidelem* appellat, apud *Goldast.* tom. unico Constit. Imp. quod credo Delphinatus causa factum. Daniæ Rex *Woldemarus*, Bisantium ad Comitia 1162. vocatus, comparuit. Siciliæ & Apuliæ Rex, velut Imperio subditus, Pisis in Comitiis proscriptus anno 1311. testante utrumque *Goldasto*, qui & formulam Proscriptionis exhibet. Helvetii à *Ludovico* Bavaro, à *Carolo V.* aliisque Imperatoribus confirmationem privilegiorum petiêre, & sæpe literis professi sunt, minimè se ab Imperii corpore avulsos (tametsi propria judicia atque conventus habeant) & in omnibus suis fœderibus semper Pontificem Romanum atque Imperatorem excepere, & nunc quoque suos contra Imperium militare nolunt. Unde satis miror, plus illis Westphalica pace sine ulla necessitate datum, quàm fortè exigebant, cùm illis à Cameræ jurisdictione eximi satis esset, salva Imperii Majestate. Quanquam adhuc dubitari possit, quantum ab illis postulatum, aut illis datum sit. Bataviæ urbes insignia Imperii in nummis retinent, & videntur servare venerationem erga Cæsarem, privilegiorum suorum autorem, non sine aliqua spe regressus ad Imperii corpus, cujus protectio neque gravis ipsis esse potest, & plurimum profutura est, tum ad securitatem, tum ad commerciorum emolumentum. Neque indecorum sibi putare debent, quod fecere potentissimi Burgundiæ Duces, dignatione Regibus proximi, non fœderati tantùm, sed & omnis Belgii aliarumque Provinciarum Domini, qui sese in Imperii Clientelam sponte dederunt. Denique si, ut ipsi *Bodino* videtur, Imperatori jus summum temporale competit in urbem Romam, & quidquid patrimonium Divi Petri appellatur, quod pluribus adstruitur à *Conringio* in libro de *Finibus*, & alibi passim, & in primis agnoscitur ab *Antonio de Rosellis*, qui in libro de *Monarchia* scripsit, Pontificem in urbe Roma & aliis Status Ecclesiastici ditionibus tantùm utile dominium habere, directum penes Cæsares esse, vel, ut *Bodinus* ait, Pontifices Cæsarum Vasallos esse. Hæc, inquam, si vera sunt, consequens est, Imperatorem nondum amisisse caput rerum Romam, unde in omnia regimen, qua Catholicus orbis patet. Ex his aliisque constat, Sacri Imperii Romani Pontificem Romanum spirituale, Cæsarem seculare, ut loquuntur, caput haberi; Cæsaris autoritate Ecclesiæ decreta armari, atque hinc inprimis non Canonistas tantùm, sed & alios Jurisconsultos etiam Italos censuisse, qui Imperatoris Romani potestatem in toto orbe Christiano in dubium vocet, esse hæreticum, quæ est sententia *Bartoli* in l. *hostes.* D. de *Captiv. & postlim.* & peccare mortaliter, ut ait *Hostiensis* in c. *venerabilem. de Elect.* Et Reges alios omnes comiter agnoscere debere Imperii Majestatem, ne Francorum quidem

dem Rege excepto, ausus est in ipsa Gallia scribere *Alciatus*, indignante licet *Bodino*. *Petrarcha* quoque ad *Carolum IV.* [quanam ista superbia, Pontificem Romanum, publicæ libertatis autorem, libertate (Romam pro lubitu adeundi) privare, ut, cujus esse debent omnia, ipse non sit suus.] Certè, si, ipso fatente *Bodino*, Pontifices Romani cum Germanis Imperatoribus diutissimè de Christiani orbis summo Imperio ac potestate dimicaverunt, & quasi Duces Partium omnes Christianos Principes ac Civitates ad arma vocarunt, consequens est, ipsos inter se consentientes hanc summam in orbe Christiano autoritatem sine controversia fuisse habituros. Denique hinc *Sacri* Imperii nomen, & sacræ Majestatis appellatio, non nisi Cæsari solita accommodari etiam ab ipsis quondam scriptoribus Gallis, quicquid etiam hodierni quadam Imperatoris imitatione affectent, ita ut *Sacræ Majestatis* appellatio tam sit propria Imperatoris, quàm *Christianissimæ* Galli & *Catholicæ* Hispani Regis. Nimirum Christi Ecclesia Universalis, Regnum aliquod Christi est, cui conversi ad fidem Reges, non conscientiam tantùm, sed & quodammodo, in majus potestatis autoramentum, sceptra submisere; quod ipsos potuisse negari non potest, fecisse, & quotidie, cùm coronantur, solennibus verbis facere, in confesso est. Hinc Reges Franciæ in suis nummis aureis (*écus d'or*) hac Epigraphe utuntur: *Christus regnat*, *vincit*, *imperat*; & olim annorum Regni Christi velut Epocha utebantur. Extat libellus singularis *Davidis Blondelli* de formula *regnante Christo*. In hoc autem Christi Regno, sub ipso Christo capite ac Domino, duo summi Magistratus, Pontifex atque Imperator, vicariam autoritatem, ille in spiritualibus, hic in secularibus, exercere credebantur. Idque boni publici interesse visum, ut communi autoritate Christiani connecterentur & tum inter se pacem colerent, tum hostibus fidei formidabiliores essent. Quod si nec de Petri Vicariatu, nec de quarta Monarchia traditio divini juris est, saltem utiliter introductam ac creditam plerique judicavere. Dumque hoc imprimis fundamento niti in Christiano orbe sacra Imperatoris Romani Majestas videatur, consequens est, non oppugnari à nostris Principibus, sed defendi debere, ut appareat non ipsos solos, sed & alios omnes Reges Principesque Christianos quodam pietatis atque officii vinculo Ecclesiæ Christi atque Imperio Romano submitti, alios autem Principes nonnullis à nostris non tam jure quàm in multis usurpatione libertatis distingui: mirum autem non esse, quòd nostra Natio reverentiæ Imperatori debitæ retinentior fuit, postquam Imperii dignitatem ad se traduxit.

CAPUT XXXIII.

Atque ita tandem Suprematum Principum in clara luce mihi collocasse videor, quandoquidem ostendi, quæcunque *obligationes* ex officio, conscientia, juramento, homagio, pactis, fœderibus, ullo denique

nique jure factove descendunt, eas *Suprematui* non obesse; modò illud fixum maneat, eum *Suprematu* præditum esse, qui personæ ratione inviolabilis censetur; ditionum autem respectu, armorum potestatem habet; adeoque in magnorum Principum consessu, atque generali congressu summarum Europæ Christianæ potestatum sibi locum vindicat; nec nisi bello illato ad officium cogi potest. Obligationum autem hìc ratio non habetur, quibus Princeps, Deo, Ecclesiæ, Imperio, populo, fœderatis atque vicinis obstrictus est; alioqui quemadmodum Principes nostri Sacro Imperio, ita Reges omnes Ecclesiæ universali ejusque Advocato Imperatori Romano subjecti forent, quoniam juramento eorum, quod præstant, cùm inaugurantur, & fides ac religio, quam plerique profitentur, & conscientiæ ratio eos Ecclesiæ devincit. Populo quoque aut Ordinibus plerosque obnoxios constat juramenti religione, & facta homagium præstantibus subditis repromissione, de justitia administranda, de vera religione tuenda, de privilegiis conservandis. Addita nonnunquam commissoria lege, ut si secus faciant, autoritate excidere intelligantur. Nec tamen ideò minus liberi Principes censentur, modò in ipsorum manu coërcendi potestatem atque arma esse constet, ut nisi bello illato cogi non possint. Cùm enim non nisi extrema necessitas bellum excuset, patet, Principes armorum (jure suo) potentes, Suprematu non nisi in extrema necessitate, (quæ omnia excusat) & belli jure (quod omnia jura transfert) exui posse. Interea verò maxima libertate frui, ac rerum suarum satagere, in officio autem, erga Ecclesiam, Imperium, Dominum Feudi, populum, vicinosque pudore magis atque honestate, tum verò maximè utilitatis suæ ratione, ut solet fieri inter liberos, quàm necessitate imminentis Domini, contineri. Hinc facilè intelligitur, eos, qui non nisi bello illato cogi possunt, aut qui vicissim alios armis possunt cogere vel certè gravibus incommodis afficere, *pleno jure gentium frui*, quod in Legatis, Bello, Pace, Fœderibus consistit. Hujus gentium juris summa ratio est, ut bella evitentur; nam, quia anceps belli alea est, hinc receptum est inter gentes, ut justum quodammodo videatur bellum, saltem quoad formam juris fecialis, privilegia juris gentium, quodcunque ab illo geritur, qui confessam habet armorum potestatem. Nimirum, quæ belli jure acquirit, ipsius censentur; quæ pace inita ipsi ceduntur, non nisi per injuriam retractari possunt: transitus innoxius copiis ejus negari nequit, fœdera cum ipso ineuntur, arbitrio ejus controversiæ submittuntur, interventus ejus, sive, ut hodie vocant, Mediatio, admittitur, Pacem tractantibus, aut fœdus ferientibus, cavet, sive, ut hodie vocant, Garantiam præstat. Honos denique ipsi Legatisque ejus habendus est, quicunque aliis pari armorum jure utentibus conceditur: *quoniam jus gentium non patitur, ut illi per contumeliam ab aliis distinguantur, qui eandem, quàm alii, habent in manu causam, qua sibi juris gentium privilegia judicant,*

judicant, *scilicet armorum potestatem.* Quam cum Electoribus Principibusque Germaniæ & rationibus & confessione eorum, quorum interest, & usu ipso vindicaverimus, omnibus aliis juris gentium privilegiis, & in his *Legationis* quoque *jure optimo maximo* frui eos, manifestum est.

CAPUT XXXIV.

HActenus *rationibus* pugnavimus, nunc *exemplis atque possessoriis actibus* utendum erit ad jus Principum nostrorum in propatulo collocandum. *Exemplis* scilicet alienis, *possessoriis* verò *actibus* nostris. Exemplis utemur tùm Principum Italiæ, tùm Principum Electorum Germaniæ, ubi primum illis obviam ibimus, qui sibi persuadent, in potestate esse Regis Galliæ, aut alterius cujuscunque, tractatu aliquo aut pacto concedere Principi cuidam honores atque prærogativas, quas alteri pari jure utenti negat. Nam nisi his occurrimus, frustranea erit nostra disputatio. Verùm inaudita hucusque hæc opinio fuit: aut si admittenda est, frustra fuêre omnes, qui hactenus de rebus cæremonialibus, Principumque ac Legatorum honoribus rationati exemplisve usi sunt; poterat enim illis responderi uno verbo: in potestate cujusque Regis aut Principis esse, quantum cuique honoris exhibere velit, neque proinde rationes aut exempla, sed expressa tantùm pacta in hoc negotio valere. Quod sanè rationi & gentium juri recepto adversatur. Nam honor atque dignitas consistit in comparatione, ideòque cùm inter pares distinctio quædam perpetua atque solennis introducitur, contumelia illi habetur, qui neglectus est. Equidem non diffiteor, aliquando ob certas causas amico cuidam Regi ejusve Legato singulares haberi honores extra ordinem, qui in exemplum citari non possunt; sed ejus honoris neque causa, neque possessio perpetua est, facileque apparet, quantum inter urbanitatis atque, uti vulgò vocant, civilitatis rationem, dignitatisque tuendæ curam intersit. Itaque Magnus Dux Hetruriæ aliquando Legato Hispanico Comiti *Tendillæ* apud se locum potiorem dedit in mensa, quod fieri non solet; eoque pertinaciter recusante, Dux, urbanè admodum aliquem ex familiaribus appellavit jussitque claves ædium afferri Comiti, qui in alieno arbitrium ageret. Nec verò inde alteri cuidam Legato idem postulandi jus fuit. At verò quicquid multis ordinario quodam jure conceditur, ita ut ab ipsis etiam exigatur, id aliis supervenientibus, in eadem dignitate constitutis, sine injuria negari nequit. Nam quæ exiguntur, non sunt amplius meræ facultatis, quæ verò in hoc negotio non sunt meræ facultatis, ea non sunt ampliùs civilitatis, sed & ad dignitatem pertinent. Dignitatis autem suæ rationem unusquisque Principum habere debet, quam sanè negligeret, si inæqualitatem publicam pateretur. At verò inquies, quid ni possim singularem amico honorem habere? Potes, inquam, habere extra ordinem; at pacto pro-

promittere atque ordinario jure soli tribuere non potes, quin aliis æqualibus injuriam facias. At verò sum actionum mearum Dominus? ita fateor, sed non, ut alteri noceam, quod fieri manifestum est. Nimirum habenda hic, si unquam, justitiæ illius ratio est, quam distributivam vocant. At verò, inquies, justitia distributiva, quæ circa honores & præmia versatur, obligat sanè distribuentem, ut æquitatem observet in distribuendo, at illis, qui neglecti videntur, actionem nullam tribuit. Respondeo, hoc ita quidem esse, cùm Eleemosynæ pauperibus erogantur, non verò cum honores Principibus tribuuntur. Certè, ut quisque generosus est, ita dignitatem suam aliis omnibus vitæ bonis præfert, quantò magis id Reges ac Principes facient, quos aliquando umbra contumeliæ armavit. Nec verò, qui honorem exhibet in magna dignitate constituto, rem indebitam pro sua liberalitate largitur, sed facit, quod officii sui est. Honor autem in opinione atque usu consistit, ut, quod aliis ejusdem conditionis non exhibetur, cæteris omnibus debitum videatur. Quare, qui hoc in dubium vocat, ipsam honoris naturam evertit, *neque enim aliter interrogati poterimus definire, quis sit honor alicui debitus, quàm respondendo, eum esse, qui alteri ejusdem dignitatis habetur, aut si exemplum deest, qui proportione aliorum, quos ille dignitate anteit, aut sequitur, ratiocinando constituitur.* Qui secus disserit, omnem ex rebus humanis honoris atque dignitatis æstimationem tollit. Equidem fateor, Barbaros omnem in hoc genere ratiocinationem negligere posse, sed inter Europæos politiores dignitatis cura juris gentium partem facit. Itaque, si quis Regum diceret, se quidem in aula sua certum ordinis prærogativæ atque cæremoniarum erga extraneos Principes Legatosque legem promulgare velle, quam qui sequi nolit, eum ditionibus suis abstinere posse: is absoluta quidem potestate utitur, sed illud commercium abrumpit, quod nunc in Europa introductum est, & contemtum in illum, quem offendit, atque propemodum hostilem animum profitetur. Unde simultates, & vindictæ cupiditas, ac denique bella, quæ caveri juris gentium est. Præterea nos intra alios planè terminos versamur, quemadmodum optimè animadversum est ab Ordinibus Fœderatis, quorum sententiam circa jus legationis Principum Germaniæ supra exhibui. Neque enim Rex Christianissimus constituere videtur, à quibus *in suo regno* Legatos admittere, aut quo Legatos illos charactere vestiri velit, sed potiùs aliis, in quos ipsi jus nullum est, præscribit, qualesnam Ministros mittere debeant, aut jus mittendi illis, quales ab aliis mittuntur, negat, idque non in regno suo, sed in loco congressuum Pacis, ubi non plus ipsi, quàm cuicunque alteri potestatis competit, & ubi omnes Belli & Pacis facultate sive *Suprematu* fruentes, æquo jure uti par est; ne, ubi Pacis generalis fundamenta poni debent, nova odiorum semina spargantur.

CAPUT

CAPUT XXXV.

ERunt verò, qui dicent, pactis olim factum esse, ut Reges Galliæ Batavorum Legatos velut à libera Republica venientes agnoscerent; ut Electores fratres appellarent; ut Electorum Legatis eundem, quem Venetis, honorem haberent. Ita sanè fateor, sed hæc pacta non jus dedere, sed juris debiti declaratoria censeri debent. Sæpe autem non sine aliqua repugnantis specie conceduntur, ut aliqua vicissim extorqueantur in eodem genere quæstionum circa honorem scilicet atque dignitatem, quæ jure deberi videntur. Ita Electores aliqui cum Sabaudo ita transegere, ut Sabaudus cederet Electoribus, Electores ipsi Regiæ Celsitudinis appellationem tribuerent, & Galli non ante Electoribus dedere *Fraternitatem*, quàm ab illis reciperent *Majestatem*, & Monasterii tum demum concessere, ut Legati Electorales ac Veneti æquo jure essent, cùm ab Electoribus stipulati sunt, discrimen inter Cæsareos Gallicosque ipsis nullum fore. Quod tunc multis improbatum est, nec defuere, qui dicerent, Electores prærogativam, quam moliebantur supra cæteros Principes, Cæsaris Gallo æquati dispendio redemisse. Sed mihi nihil in ea re præter rationem fecisse Electores videntur: nam cur Majestatem Gallo negarent, quam omnes alii Reges Europæi agnoscunt, aut cur Legatis Gallicis non idem honoris genus haberent, quod Cæsareis? modò Cæsari prærogativa à nemine in controversiam vocata salva maneret. Nec Gallos vituperare possum quòd hoc velut cuneo usi sunt, ut, quod æquum erat, extunderent; sed cùm à Principibus Germaniæ nullos honores postulare possint, quos non dudum obtinuerint, non debent eorum facilitate abuti, sed vicissim illis tribuere, quicquid ratio atque exempla æqualium postulant; nisi vicissim Principes nostros imposterum à Majestatis appellatione aliisque honoris signis, ex usu seculi novè invectis, erga Regem abstinere malint. Si qui sunt, qui Reges pactis honores illis concedere aut negare posse putant, quos ad partes suas trahere, aut ab hostibus abstrahere volunt: illis hoc loco ne respondendum est quidem; neque enim honoris cum eo, quod interest, compensatio honesta est inter Christianos in medio armorum ardore, salva cuique belligerantium dignitatis ratio esse debet; sed & in Congressibus, pacis causa susceptis, odia poni vel certè premi necesse est: denique non hoc de eo, quod interest, sed justitiæ ratione, neque de facto, sed jure loquimur. Cùm autem de jure quæstio est, talia allegari non possunt, quæ ipsi Reges Regumque Legati ad rationem actionum suarum reddendam salva dignitate producere in publicis Conventibus non auderent. Qualis utique foret hæc objectio; indignum enim esset Regia Majestate, prodigalitate honorum in indignos, compendia sua redimere; indignum Principibus, quibus tributus est honor, agnoscere publicè sese

emtam dignitatem, non juri suo, sed illaudatis artibus debere. Et verò ab eo animo longè absuit Christianissimi Regis generositas, quando utcunque infensus, non ideò Serenissimo Electori Brandenburgico ullam dignitatis controversiam movit, quod facturo colores nunquam defuissent. Itaque sperandum est, Principibus Germaniæ debitos honores minimè negaturum, quanquam totum Imperium bello implicitum sit; præsertim cùm sint inter Principes, de quibus ne quæri quidem potest.

CAPUT XXXVI.

QUoniam ergo ostensum est, uti nos exemplis aliorum posse, nunc superest, ut *exempla* ipsa producamus *Electorum* scilicet Germaniæ, ac postea *Principum Italiæ*. Incipiemus ab Electoribus, quos Italiæ Principibus potiores, & Principibus nostris propiores esse constat. Electores jure Suprematus cum omnibus appendicibus, in quibus est *jus Legationis plenum*, frui, hodie extra controversiam est. Olim Electores pariter, ac cæteri Principes Germaniæ, rarò cum exteris tractabant; deinde nondum constituta erat velut disciplina quædam Cæremonialis, quæ Romæ cœpta, Monasterii stabilita, nunc Noviomagi perficienda est. Equidem olim Regibus non nisi Regiæ dignitatis appellationem ab Electoribus tributam, constat ex literis Electorum ad *Gustavum Adolphum*, qui ab initio questus, denique recepto usui acquievit. Nec aliter à Principibus factum infra dicetur. Postea cùm Monasteriensis Tractatus multos extraneos Ministros in Germaniam traxisset, atque animadverteretur, ex usu temporis Majestatem etiam dare æquales æqualibus, cum antea recepta Germaniæ phrasi non nisi inferior superiorem *Majestatis* appellatione coleret, non dubitavere Electores facere, quod Venetos & Batavos & omnes Italiæ Principes, imò Reges ipsos, sed & jam Electorum nonnullos, facere videbant. Vicissim Rex Galliæ fratres appellare Electores seculares, aut ex serenissima familia Ecclesiasticos, non est gravatus. Si Autori egregiorum de Legatis Collectaneorum, quæ nuper in Batavis prodiere, credimus, primus fuit Brandeburgicus Elector anno 1647. cui Rex Galliæ Fraternitatis honorem habuit, idque volente *Mazarino*, quanquam Comes *Briennius* Secretarius Status novitati reclamaret. Sed *Mazarinus* Electorem quavis ratione demereri volebat, ut à consiliis avocaret, quæ tunc agitabantur, de ineundo Fœdere inter Saxonem, Brandenburgicum, Luneburgicos, aliosque Germaniæ Principes, quo factionis novæ, nec Cæsareis nec Gallis Suecisve addictæ, sed pacem Imperio redditurae, fundamenta jaciebantur; quæ ne totam Gallorum machinam Monasterii structam disturbaret, Cardinalis verebatur. Ab eo tempore cæteris Electoribus idem honor habitus, ubi vicissim Regibus Majestatem reddidere Monasterii, assensere Galli, ut idem Electorum Legatis, qui Vene-

Venetis, honos esset, ea conditione, ut ne vicissim Legati Gallici à Cæsareis distinguerentur. Venetam porrò Rempublicam etiam Romæ ad Coronæ modum tractari, Legatis Venetis primæ Visitationis honorem, *Excellentiæ* appellationem concedi, & visitationem reddentibus potiorem locum dari constat. Idem factum est Monasterii erga Legatos Electorum, ne Apostolico quidem Nuncio repugnante, quemadmodum refert *Victorius Siri.* Certum est, in Batavis & apud Septentrionis Reges, Legatos Electorales æquo cum aliis à Rege aut à Republica vel Principe libero missis jure uti. Idem apparuit & in Olivensi Tractatu, ubi Brandenburgici nulla in re à Regiis distincti sunt. Est tamen, in quo Gallia nondum Electoribus satis æquam se præbuit. Nam hactenus concedere noluit, ut Legati Electorum charactere vestiti coram Rege tegerent sese. Quod tamen faciunt Legati à Sabaudo, ab Hetruriæ, imò à Mantuæ Mutinæve Ducibus missi. Itaque haud dubiè rectè facient Electores, si se tegentes vicissim non patientur, ut Legati Regis apud ipsos sese tegant. Illud minus miror, quòd Legatis Electorum negata in Gallia receptio solennis, Legatis Regiis, Venetis, Batavis concessa, quando nec Sabaudis aliisque Italiæ Principibus tribuitur. Itaque Marchio *de Villa* Legatus Sabaudiæ Ducis anno 1660. in Galliam missus maluit Lutetiam ingredi dissimulata persona, quàm parte tantùm honoris frui, qui aliis integer habetur. Elector Bavariæ *Maximilianus* anno hujus seculi trigesimo octavo misit in Galliam Oratores *Groensfeldium* & *Curtium*, titulo Ambasciatorum, sed honor introitus illis habitus non est, & Regi locuturis negata tegendi se facultas, quam Legatus minimi cujusque Italiæ Principis habet. Itaque coacti sunt mutare personam, novisque mandatis domi acceptis, jam tantùm Ablegatos agere. Scilicet eo tempore *Richelius* rerum potiebatur immodicus aliorum contemtor, & qui Principibus sanguinis Regii atque Electoribus Imperii ne apud se quidem potiorem locum dabat. Præterea Bavarus pro Gallorum hoste haberi poterat, cùm illius potissimum arma in superiore Germania Vinariensibus Gallico stipendio merentibus opponerentur. Ab eo tempore nemo, quod sciam, Electorum in Galliam Ambasciatorem misit, quod si aliquando captata commoda occasione fecissent, fortè quod tunc negatum est, non ægrè à *Mazarino*, in hoc genere faciliore, obtinuissent. Sed missis nunc honoribus, qui Legatis apud Reges redduntur, illud constat, cùm Legati inter se congrediuntur, Electores ab aliis, à Rege, Republica, ac Supremo Principe missis non distingui. Præsertim, ex quo nunc Cæsar, Gallus, Anglus, suis injunxêre, ut venientibus Brandenburgicis Legatis primæ visitationis, Excellentiæ ac potioris loci honor Noviomagi haberetur. Et professi sunt Galli eundem aliis quoque Electoribus honorem habitum iri. Quod verò nuper Gallis, cùm nihil aliud, quod vellicarent, in mentem venit, duos Legatos Brandenburgicos distinguere in

primarium ac secundarium, exemplo Congressuum Monasteriensis & Lubecensis, id ab hoc loco alienum est: nostro enim instituto sufficit, capiti Legationis plenum honorem haberi. Mirari tamen subit scrupulos ullo rationis colore carentes. Quasi verò non sit in potestate Principis cujusque, plures mittere Legatos æquali potestate. At, inquies, Monasterii aliter actum est, & Lubecæ in Tractatione Pacis Sueco-Polonicæ *Canutus* Legatus Gallicus non nisi primo plenos honores habere voluit. Quid tum verò, cùm mittere, quot velis, res sit meræ facultatis, & ferè in Germaniæ tantùm Conventibus audita in primarios secundariosque divisio videatur, quem morem Monasterii secuti sunt. Inde verò jus facere non licet, & vide obsecro, quàm multa satis incommoda hinc consequuntur. Primùm hâc distinctione admissâ introducetur novum characteris genus, Ambasciatorum scilicet secundariorum, quos tamen ab Ablegatis utique mandatum distinguit. Deinde *Blaspilium* Dominus Legatum pleno jure esse jubet, Galli eum, quantum in ipsis est, gradu movent. Præterea fingamus, *Somnitio* avocato *Blaspilium* restare, nonne jam *Blaspilius* caput legationis erit, ac proinde iisdem fruetur honoribus, qui nunc *Somnitio* habentur, nec tamen novam potestatem dignitatemve à Domino aut Collega accepit, neque enim Collegæ subdelegatus haberi potest. Itaque patet, jam tum jus habere, quod exercere aliquando posset, (si Collega discederet) nemine de novo dante. Redeat jam *Somnitius*, novo iterum mandato remissus, an rursus degradabitur *Blaspilius*, Domino invito, nullaque muneris parte adempta, ideò tantùm, quod ab aliis præceditur? Quid si jam *Mauritius* Nassoviæ Princeps utrique superveniret, futurus sine controversia primus, an ideò *Somnitium* appellatione *Excellentiæ* spoliari jus fasque erit? Quæ cùm inepta sint omnia, satis patet, difficultatem quoque, quæ Brandenburgicis movetur, inanem esse, frustraque Gallos Electoribus atque Principibus Germaniæ præscribere velle, quomodo pleno, quod habent, Legationis jure uti debeant. Nobis verò ad institutum satis est, Legatum Electoralem, Cæsare ac maximis Regibus non repugnantibus, in Tractatibus, pari cum cæteris Legatis omnibus jure esse.

CAPUT XXXVII.

QUoniam verò circa id, quod summum est, & in hoc negotio spectari debet unicè, nempe *Suprematum*, nullum inter Electores atque Serenissimos Imperii nostri Principes discrimen intelligi potest, hinc jam manifestò consequitur, honorem Electoribus à Cæsare Regibusque, non obstante vinculo, quo Imperio devinciuntur, habitum, etiam nostris Principibus communicari debere, quando constat, non illos minùs, quàm hos Cæsari atque Imperio obnoxios esse. Equidem Legati Electoris Saxoniæ

niæ Osnabrugam venientes, Cæsareis primæ Visitationis honorem exhibuere, quem velut novissimè adventantes exspectare poterant, alii credo Principes non minùs proni sunt, in ea omnia, quæ ad honorem capitis, non Germaniæ tantùm, sed & Christiani orbis pertinent: sed quando nunc Cæsar ipse indulsit quoddam inter suos aliosque Legatos æqualitatis genus, salvo mittentium discrimine (neque enim ideò minùs Brandenburgicus Cæsarem præsens solita submissione coleret) cæteri Principes, nisi se deteriores, ac ne liberos quidem fateri velint, excludi non possunt. At verò, inquies, quemadmodum in ipsa Curia Romana, & alibi passim Coronæ à Ducibus, & Respublicæ, quæ Coronarum loco habentur, ab aliis, quæ non nisi Ducum honore fruuntur, distinguuntur: ita Electores Regibus, cæteros Germaniæ Principes aliis Ducibus liberis æquari, rationis erit. Neque igitur ab Electoribus ad Principes validum satis argumentum ducetur. Sanè Veneti dudum obtinuisse creduntur, ut Legati eorum pari cum Regiis jure utantur. Nam & solenni pompâ recipiuntur apud Reges, & jam olim à Pontificibus obtinuere *Salæ Regiæ* (quam vocant) honorem, cum Genuensibus aliisque tantùm in Sala Ducali locus sit. Ejus rei origo tangitur in literis Abbatis *Michaëlis Justiniani* aliquot abhinc annis editis, inter quas una est ad Sign. *Carlo Cartari*: *Intorno il tempo che gli Ambasciadori di Venetia comminciarono haver da Pontefici la Sala Regia che fù nel* 1560. *per la concessione del Papa Pio IV. come dice Francisco Muccanti Maestro di Ceremonie di quel tempo.* Et *Franciscus Sextini* in libro, cui titulus est *Il Maestro di Camera*, crebrò monet Legatos Regios à Ducalibus distingui, exempli causa cap. 31. *del ricever le Visite*; inquit: *I Cardinali nuovi ricevono in habito del colore conforme al tempo con rocchetto scoperto tutti i Cardinali che rendono la visita. E nello stesso habito anco ricevono i Duchi Serenissimi e gli Ambasciadori Regii residenti, cioè dell' Imperatore, di Francia, di Spagna, e di Venetia. In Sottana & Mozzetta ricevono gli Ambasciadori di Toscana e Savoia e tutti i Baroni e altri personaggi che visitassero detti Cardinali nuovi.* Idem tamen postea notat, Cardinales generatim, (id est, excepto quem dixit novorum Cardinalium casu) Legatos Regios à Ducalibus quoad habitum, quo recipiuntur, non distinguere. Capite sequenti *dell' Ambasciata* (id est, de interpellatione Cardinalis misso intus ejus Cameræ Magistro) *Essendo all' audienza Cardinali per Duchi Serenissimi e per fratelli e Nipoti del Papa viventi, alcuni Cardinali sogliono volere che sia fatto loro anco per Ambasciadori Regii.* Nimirum, si quis sit apud Cardinalem, non videtur interrumpendus, nisi ab æquali. Itaque si Cardinalis sit intus apud Dominum, *l'Ambasciata* sive interpellatio fiat à Magistro Cameræ, si superveniat alius Cardinalis, aut Dux Serenissimus, aut nepos Papæ, Dominum invisens. Si verò Legatus Regius veniat, satis testatur, generaliter id non fieri, sed apud aliquos tantùm Cardinales. Ex quo intelligitur, tùm Duces Se-

reniſſimos à Legatis Regiis, tùm verò & Legatos Regios à Legatis Ducum diſtingui; nam idem poſtea ſubjicit: *Quando ſono dentro al Cardinale Ambaſciadori Regii non ſi fà l'Ambaſciata per quelli di Toſcana e di Savoja; quando vi ſono poi detti Ambaſciadori di Toſcana e di Savoja non ſi fà Ambaſciata per li Agenti di Duchi Sereniſſimi, ne per li Ambaſciadori di Malta, di Bologna e di Ferrara.* Unde apparet hîc, Legatos Ducales ab Ablegatis (quos hoc loco vocat *Agentes* alio paulò quàm nunc apud nos uſitatum vocis ſenſu) ſatis diſtingui, & Legatos Magni Magiſtri Melitenſis eodem loco cum illis haberi, quos Bononia & Ferraria mittunt, id eſt, pro Deputatis: non minùs enim ille, quàm hi à Papæ Subditis venire videntur. Sed hoc obiter. Idem cap. 33. *del rincontrare*; inquit, *Cardinali ſogliono rincontrare gli altri Cardinali al meno nella ſala dei Palafrenieri, & alcuni ſogliono davantaggio ma non più che à capo delle ſcale. I Duchi Sereniſſimi quanto i Cardinali*, (hoc ſanè notari meretur, cùm Cardinales Electoribus non utique cedant) *gli Ambaſciadori Regii due o tre ſtanze ſecondo che ne ſono in quella caſa, e per la prima ſtanza intendo quella che ſi trova ſubito all' uſcir della Camera dell' audienza; i fratelli e Nipoti del Papa vivente quanto gli Ambaſciadori Regii. Gli Ambaſciadori di Toſcana e di Savoia una ſtanza e mezza.* Quod ſi ergò Legati Regii, & cum his Veneti à Ducalibus tanta cura diſtinguuntur, ideò, ſi admittamus, Legatos Electorum Venetis æquari, ne dicam præferri, (quod *Daniel Weinmannus*, quondam Cancellarius Clivienſis, Tractatu eleganti docebat, quem manu ſcriptum videre memini) non magis poterimus à Legatis Electorum ad Legatos reliquorum Germaniæ Principum argumentari, quàm à Legatis Regiis ad Ducales. *Hæc eſt objectio*, in qua ſpeciei plurimum, firmitatis nihil. Equidem dubitari poſſet, an Legatis Venetorum comparari per omnia poſſint Electorales; nam, ut ſupra dixi, Veneti introitus ſolennis jure utuntur, teguntque ſe coram Regibus, quorum neutrum Electorum Legatis hactenus in Gallia indultum eſt. Et Curia Romana neſcio an Electoribus eundem, quem Venetis, honorem habitura eſſet. Sed quoniam mihi Gallorum hoc in genere duritas rationi conſentanea non videtur, Electorumque dignitati favere Germani hominis eſt, quam vir Doctiſſimus *Joh. Freinshemius* Libello de *Electorum Eminentia ſuper Cardinales*, multis olim defendit: ideò ponamus age Electorales Legatos Regiis ac Venetis, ſi non poſſeſſione, jure certè æquandos eſſe, & multis nominibus a Ducalibus diſtingui, manifeſtum erit tamen, illis in rebus diſtingui non poſſe, in quibus nec Regii à Ducalibus diſtinguuntur. At verò minimè diſtinguuntur illi quoad *Excellentiæ* appellationem, honoremque primæ viſitationis & potioris loci, & in univerſum quoad illa omnia, quæ in Congreſſu Legatorum inter ſe invicem obſervari ſolent; ſecus enim eſt, cùm honores à Regibus ipſis habiti conſiderantur, quibus Regii Legati à Ducalibus

libus distingui solent: quibus vel ideò minus uti possunt Electorales contra Principum aliorum Legatos, quòd in his Electorales ne Ducalibus quidem omnibus æquantur; hactenus enim Ducum Italorum Legati se tegunt coram Regibus etiam in Gallia, quod nondum Electores in suorum Legatorum gratiam obtinuerunt.

CAPUT XXXVIII.

SEd quoniam multi, præsertim exteri, rerum Germanicarum parum periti, quodam opinionis errore, immensam inter Electores aliosque Imperii Principes distantiam sibi fingunt, seducti partim à pompa solemnium, quibus in Electione atque Coronatione Imperatoris, ubi maximè exteri ad spectaculum concurrere solent, à cæteris distinguuntur, partim decepti à rerum Imperii jurisque publici scriptoribus, maximè veteribus, qui Capitulationibus Imperatori ab Electorali Collegio præscriptis insistentes, pleraque Majestatis jura solis Electoribus communicant, & in Comitiis Imperii generalibus tantum putant unum posse Electorem, quantum Principes decem. Ideò postulat argumentum, quod tractare suscepimus, ut Principum honorem contra iniquas obtrectationes asseramus, quod ita tamen faciemus, ut omnibus æquis judicibus appareat, *pro Principibus magis quàm contra Electores à nobis dici.* Credibile est enim, Electores ipsos sapientissimos Principes nolle crescere Principum detrimentis, cùm non ignorent, Imperii tranquillitatem non nisi æquitate & justitia stare posse: turbatis autem Imperii rebus eam cuique autoritatem esse, quam propriæ vires faciunt, non quam Leges ascribunt cùm contrà Electorum quorundam prærogativa recepto usu potius, quàm domestica potentia nitatur, & sint Principes, qui ditiones cum quibusdam Electoribus non permutarent, quas etiam aliquot ante ipsos seculis possedere. Porrò potestas Electorum legibus Imperii stabilita, ac moribus introducta in duobus potissimum capitibus consistit: *Electione Imperatoris, & rerum Imperii administratione quadam peculiari. Electio Imperatoris* jus illis tribuit habendi Comitia Electionis causa, illisque Imperatorem declarandi, quem major suffragiorum numerus probaverit. Cœpere paulatim Electo Imperatori certas quasdam leges præscribere, quas vocant *Capitulationes*, quæ tractu temporis, aliis semper aliisque pro Imperii necessitate aut Electorum utilitate adjectis, crevere, & passim pro lege Imperii Fundamentali habentur. Exstat volumen Capitulationum inde à *Carolo V.* cum notis *Limnæi.* Equidem de Capitulationis præscribendæ jure altum in Aurea Bulla *Caroli IV.* silentium est, quæ tamen satis alioqui in Electores liberalis videtur. Tantùm illud reperitur cap. 2. paragrapho 5. *quod is qui in Regem fuerit Romanum electus* (verba sunt textus) *peracta statim Electione hujusmodi, priusquam in aliquibus causis aliis sive negotiis, virtute*

Sacri Imperii, administret, universis & singulis Principibus Electoribus; Ecclesiasticis & Secularibus, qui propinquiora Imperii membra noscuntur, omnia ipsorum privilegia, literas, jura, libertates, concessiones, antiquas consuetudines, etiam dignitates, & quicquid ipsi ab Imperio usque in diem Electionis suæ obtinuerunt & possederunt, absque dilatione & contractione confirmare & approbare debeat per suas literas & sigilla, ipsisque præmissa omnia innovare, postquam Imperialibus fuerit infulis coronatus. Huc usque Bulla. Quæ verba etsi Capitulationes nullo tangant modo, originem tamen illis præbuisse videntur. Electores enim formulam præscribentes Electo Regi, qua privilegia eorum confirmare sponderet, alia paulatim, quæ in rem videbantur, boni publici specie adjecisse videntur: unde tandem natæ sunt Capitulationes, quales videmus, Imperatoribus non repugnantibus, qui nullas facilè conditiones repudiabant, ut Imperio potirentur. Sed cùm ea ratione Electores ad se trahere viderentur Legislatoriam in Imperio potestatem (saltem pro tempore durantis regni Electi Imperatoris; futuram repetitis Electionibus perpetuam) reliqui Ordines expergefacti jam sub *Rudolpho II.* queri cœpere, jura statuum convelli ac fundamenta Libertatis publicæ solicitari, dum ad paucos revocetur, quod omnium est. Vetera enim *compacta*, ut vocant, sive *pacta conventa*, quibus Imperatorum potestas circumscribebatur, consilio statuum inita esse. Renovatæque inprimis querelæ sunt, cùm *Ferdinandus II.* summam rerum Imperii ad Electores trahere velle videretur; nam quamdiu ille Imperium rexit, conventus tantùm Electorum habiti sunt, Ordinum verò Comitia nulla. Ecclesiasticos enim Electores tunc Cæsar in potestate habebat, mediam collegii partem, cui si accederet Bavarus, honorem Cæsari acceptum referens, jam suffragiis vincebat. Sed hæc gubernandi Imperii ratio pene ipsis Electoribus fatalis fuit, Palatino everso & Saxone nutante, nisi Lipsiensis pugna rerum faciem mutasset. Nec dubium erat, quin victo pulsoque *Gustavo* Cæsar, jam Imperii sine controversia arbiter, etiam exiguam Bavari rationem habiturus fuisset, quem cum Gallis occultè tractare non ignorabat, atque ita periisset omnis Electorum autoritas, cùm Ecclesiastici parum metuerentur. Usque adeò scilicet periculosum est à via regia publicæ utilitatis discedere, privati compendii causa; malo sæpe in ipsos autores verso. Sed vigilantibus pro Germania fatis res aliter cecidit: nam Cæsar *Ferdinandus III.* Princeps sapientia & moderatione inclytus, majorum more iterum Comitia Ordinum conscripsit Ratisbonæ anno 1640. quibus ad pacem strata est via. Secutisque Westphalicis Tractatibus Libertati Ordinum & huic quoque Capitulationis negotio provisum est, ut in proximis Comitiis de certa constantique Capitulatione Cæsarea ageretur. Ita in Comitiis anni 1653. ea de re tractari cœptum, & interea Collegii Principum nomine monita Electoribus exhibita sunt, quorum in proxima Electione Romanorum Regis (*Ferdinandi IV.*) ratio habe-

haberetur, quod & pro parte factum. Sed, cùm Principibus per omnia satisfactum non esset, & nova ab iis oblata monita Electores Francofurti in Capitulatione Leopoldina condenda parum curassent, Contradictio, quam Protestationem vocant, Principum nomine secuta est; qua negant in controversis capitibus Capitulationem hanc à se pro Lege Imperii habitum iri. Cumque jactarent palam multi, consilia Electorum ad Oligarchiam spectare, atque maturè reprimenda esse, affundentibus oleum igni Gallis Suecisque, qui Principes contra Electores animabant, tamen moderatis ac prudentibus visum est, nihil temerè ac violenter decernendum, cùm spes esset, Electores ipsos, æquitatis ac publici juris rationem habituros. Itaque cùm, Turcico bello ingruente, Cæsar auxilia circumspiciens, comitia Ratisbonæ indixisset, quæ nunc quoque, præter omne exemplum, ita jubente Reipublicæ usu durant, Ordines, captata occasione, evicêre, ut Capitulationis causa, quemadmodum in Westphalia conventum erat, proponeretur. Scripta est formula perpetuæ legis Regiæ & particulatim examinata, cumque omnia pulchrè procederent, Prologusque & Epilogus maximè restare viderentur, Electores derepente coorti, novum re nomineque *Jus Adcapitulandi* produxêre, quod servari sibi postulabant. Cæteris verò visum est, hoc admisso, quæ acta erant, omnia subverti, cur enim formula constans conscripta esset, si libertas addendi, quæ libuisset, id est, uno verbo Leges ferendi Electoribus relinqueretur. Itaque ad hunc scopulum hæsit tractatio, donec imminens à vicinia tempestas ad graviores curas animos omnium avertit. Nostrum non est, in tanta re judicium interponere, satis erit annotasse, autorem libelli Gallici, cui titulus est *lettre d'un désintéressé* (de quo suprà) cùm Electorum prærogativas enumeraret, illas certè in calculum referre non debuisse, quæ nunc sub judice sunt, & in publicis Imperii Conventibus disceptantur; quod si omnino citandas putabat, rectè facturum fuisse, si aut rationes adduxisset sententiæ suæ, aut ubi reperiri possint, indicasset. Nam litigiosa velut confusa proponere, est lectorem circumvenire, & sine probatione asserere, quæ tantùm negando refutantur, est eum contemnere. Aliam sibi potestatem arrogarunt olim Electores deponendi Cæsaris, si ita mereri judicarent, sed in eo mihi videtur nimium à Republica peti. Cur enim paucis liceat suo arbitrio cuncta convertere, & in Cæsarem ipsum Imperium exercere? Rectè dixit Jurisconsultus, *judicem sententiam revocare non posse, nam cùm pronuntiavit, functus est officio suo*: ita Elector nominato Cæsare muneris sui partes explevit. Nec video, quid illis tantam tribuat potestatem; non ratio, non Imperii leges, nec mos patrius, neque ulla exempla. Nam quæ in *Ludov. Pium*, *Carol. Crassum*, *Henricum IV. Ottonem IV. Fridericum II.* à proceribus per tumultum ac plerumque per injuriam acta sunt, ad Electores non magis quàm ad alios pertinent. *Wenceslaus*, monstrum hominis, ab omnibus spretus ac desertus

erat, ut Electores, sententiam omnium Ordinum secuti, non deposuisse Cæsarem, sed vacante Imperio novum elegisse videantur, ipso *Wenceslao* res Germaniæ parum curante; cùm enim soli Germanorum Noribergenses novo Cæsari *Ruperto* fidem dare nollent, nisi venia *Wenceslai*, *Wenceslaus* aliquot vini Baccharensis plaustra stipulatus, sacramento eos absolvit. Potestas ergo Electoria in hoc quidem negotio huc fine controversia redit, ut Imperio, imò rei Christianæ, de capite provideatur, cujus virtute & autoritate collapsa instaurari, reliqua sustentari possint, cujus potestas Imperii legibus potiùs, quàm paucorum arbitrio circumscripta, arctiores nocendi limites habeat, ad res autem bene gerendas, beneficiaque in Rempublicam conferenda, amplissimâ libertate laxetur.

CAPUT XXXIX.

Altera Electoralis officii pars in quadam rerum Imperii administratione consistit, quæ vel ad Comitia Ordinum pertinet, vel alias in Conventibus Electoralibus, aut communicatione per literas instituta exercetur. Ac primum quidem operæ pretium erit considerare, quid Electores per se, extra generalia comitia, possint. In quo potestas eorum similis videtur illi, quam Senatus exercet in Polonia, qui deliberationes *antecomitiales*, *postcomitiales & extracomitiales* habet, non quadam de maximis rebus statuendi vi, sed suadendi atque consulendi autoritate. Reipublicæ autem vis in ipsis consistit Comitiis, quæ nisi probent Senatus consultum, nihil actum videtur. Itaque Electorum quoque munus in præconsultando consistit, & ipsi plerumque res majores ad plena Comitia rejecêre. Cùm enim *Rudolphus II.* Imperator, à fratre *Matthia* in angustias redactus, re moram Comitiorum generalium non ferente, Electoralem Conventum Noribergæ per Legatum habuisset, ut auxiliis Imperii labantem autoritatem sustentaret, Electores causati sunt, talia ab Ordinibus universis tractanda esse: cùm tamen inventa à nonnullis postea distinctione uti possent, inter ea, quæ moram ferunt, & quæ præsentem opem postulant, qualis tunc erat causa Cæsaris. Et in Conventu Electorum Ratisbonensi anno 1630. Electores Cæsari nimia postulanti respondêre, ubi omnium ope ac subsidiis opus sit, omnium quoque Ordinum deliberatione opus esse. Et superiori seculo Protestantibus Electoribus & Principibus Suinfurti consultum visum est, ut cùm de Rege Romanorum vivo Cæsare eligendo, vel aliis gravioribus negotiis Collegii Electoralis ageretur, sex Electoribus totidem ex præcipuis Principibus adderentur. Sunt, qui putant, si non Legum ferendarum, certè administrandæ justitiæ atque Executionis curam propiùs ad Cæsarem atque Electores spectare, quod *Ferdinandus II.* Edicto de bonis Ecclesiasticis, anno 1629. publicato, asseverabat: Ubi querentibus Ordinibus, quod Legisla-

Legiſlatoriam poteſtatem ad ſe trahere videretur; Imperatoris nomine à Conſiliariis Aulicis non abſurdè ſanè reſponſum eſt, non hic de lege ferenda, ſed juſtitia adminiſtranda, ac pace religioſa exequenda agi. Saxo tamen Elector literis 28. April. anni 1629. ad Cæſarem datis multis rationibus oſtendit, cauſam Edicti ad Comitia rejiciendam eſſe. Quare interpretatio quoque Legum publicarum ad Electores ſolos minimè pertinet. Idque velut confeſſum ſumſere Ordines, qui Francofurti 8. Auguſti 1658. contra Leopoldinam Capitulationem, & quoddam Electoralis Collegii Decretum de die 27. Julii teſtati ſunt, admiſſo hoc decreto, ſolius Collegii Electoralis fore interpretationem Aureæ Bullæ; quod abſurdum eſſe conſtet. Electorales quidem efficere nuper conati ſunt; ut proſcriptio Statuum ab ipſorum inprimis arbitrio penderet; nam in Capitulatione *Ferdinandi III.* primum adjectum eſt, ut ne quiſquam ex Statibus proſcribatur inconſultis Electoribus, & anno 1653. à Cæſare, Conſilio cum Electoribus habito, proſcripta eſt Bremenſis civitas, quod ſe vectigali, à Cæſare Comiti *Oldenburgico* in Viſurgi conceſſo, oppoſuiſſet: ſed reliqui Ordines acriter his molitionibus contradixêre, quemadmodum apparet ex conſultatione Ordinum Inferioris Saxoniæ in Conventu Circulari Luneburgi 1652. indicto, ubi decernunt dandam operam, ut Banni negotium ad Ordines Imperii rejiciatur, veteri more. Cumque in Capitulationibus *Ferdinando IV.* & *Leopoldo* feliciter regnanti præſcriptis Electores cœptam paulò ante formam retinuiſſent, à Principibus univerſis contradictum eſt, & nominatim ab Evangelicis Anno 1658. in Monitis ad artic. 28. Capitulationis *Ferdinandi IV.* annotatum, ne prætextu quidem notorietatis, ſive manifeſti juris, ſtatum aliquem extra Comitia Ordinum proſcribi poſſe. Nam Electores aſſenſerant denique atque Capitulationi inſeruerant, ut proximis Comitiis de modo proſcribendi, atque proſcriptionem exequendi conſultaretur, adjecta tamen notorii exceptione verſ. (*wäre es aber Sach, daſs die That an ſich ſelbſten gantz* notori *und offenbar*, *&c. So wollen wir jedoch auch in dieſem Fall mit Zuziehung deſs Heil. Reichs erſtgemelter ohn* intereſſirten *Churfürſten, ehe und bevor wir zu der würcklichen Achts-Erklärung ſchreiten*, communicir*en*, *&c.*) ſcilicet in caſu notorii Cæſari integrum futurum eſſe conſultis Electoribus ad proſcriptionem procedere; Principes verò animadvertentes, quantum in notorio definiendo captionis eſſe ſoleat, hunc verſiculum: *Wäre es aber*, tolli poſtulaverunt. Unde intelligi poteſt, ſingularem Electorum poteſtatem circa graviora Imperii negotia, quæ cæteris Ordinibus præjudicare poſſint, inde à *Ferdinandi II.* temporibus tentatam, à Principibus maturè oppugnatam, adeòque nec poſſeſſione, aut uſu introductam, nec Juris ratione evictam eſſe, & contraria præſumtione gravari: quoniam privilegia ſtricti juris ſint: ſunt verò alia magni & ipſa momenti, quæ à Principibus libenter conceduntur, quale illud

 eſt,

est, ut de Comitiorum tempore, loco, modo, causis Cæsar potissimum, cum Electoribus, præconsultet; quamquam enim ipsa sæpè Imperii necessitas Imperatorem atque Electores interpellet, neque in cujusquam potestate sit, alia negotia admittere in Comitiis, alia excludere: utile est tamen, omnia ordine geri, & in interiore atque, ut ita dicam, sanctiore Imperii consilio, quod Cæsar cum Electoribus constituit, difficilia Imperii momenta digeri atque præparari: quod tantum abest, ut improbent Principes atque Ordines, ut è re publica potius esse arbitrentur, cùm alioqui cruda negotia in Comitia propulsa, vix multa temporis jactura perpoliantur atque elimentur.

CAPUT XL.

PОrrò in ipsis Comitiis Electores separatum faciunt Collegium, aliud Principes, tertium Civitates: propositione à Cæsareo Commissario facta, in unoquoque Collegio deliberatur, & pro suffragiorum numero concluditur. Inde inter duo Collegia superiora Re- & Correlatio instituitur, id est, quod eorum primum deliberationem absolvit, cum altero communicat. Conveniunt ambo in communi loco, ac tamdiù rem agitant, donec aut in eandem sententiam conventum sit, aut desperatus videatur consensus; inde Civitates vocantur, quibus consensus dissensusve superiorum Collegiorum indicatur, sententiaque ipsarum exquiritur, quæ si alterutri dissentientium accedant, magnum ejus opinioni pondus addunt, &, si nonnullis credimus, victoriam tribuunt: quod mihi non usquequaque liquidum videtur. Nam si Electores cum Civitatibus Principes vincunt, vel Principes cum Civitatibus Electores superant, certè multò magis Electores Principesque juncti vincent Civitates: quo facto periit Civitatibus eo in casu jus suffragii efficacis, sive, ut loqui solent, voti definitivi, eluditurque constitutio Instrumenti Pacis: cùm enim, ut nunc est Comitiorum stylus, Civitates non nisi post Electorum & Principum communicata consilia interrogentur, manifestum est, consentientibus jam his, Civitates ne quidem audiri opus esse; itaque nondum planè exploratum, majorem numerum suffragantium Collegiorum, concluso Ordinum (*Reichs-Gutachten*) formando sufficere. Porrò ex hac deliberandi forma quidam judicant, Electores septem in Imperio tantùm posse, quantum Principes alios omnes, quoniam Collegium Electorale Collegio Principum æquivalet. Hæc si quando ita essent, fateor, omnia Imperii negotia pro suffragiorum numero in unoquoque Collegio definirentur, sed præterquam, quòd quædam negotia suâ naturâ suffragiis subjici non debent, sciendum est, à viris rerum Germanicarum peritis hodieque dubitari, an omninò ulla in causa absolutè verum sit, majorem numerum in unoquoque Collegio separatim æstimandum esse; equidem fateor,

fateor, ad Re-atque Correlationes esse utile, ut uniuscujusque Collegii sententiæ exquirentur, pleraque tamen omnia ferè magis amica compositione, quàm vi numeri superioris transiguntur. Si, ut apud Venetos aut Genuenses fieri solet, unusquisque calculum tacitus injiceret urnæ; inde calculis colore discretis atque dinumeratis palpabili quadam ratione controversiæ dirimerentur, fateor tantùm valeret credo in Comitiis Elector unus, quantum Principes decem. Nunc verò, quemadmodum supra attigi, rationum vis plurimum potest, & potentiorum autoritas reliquos trahit aut animat. Nec dubium est, quin tantùm in Comitiis possit aliqua domus Principalis, quantum aliqua Electoralis. Equidem non admodum vetusta est statuum in Collegia discessio, quam *Lehmannus* ad *Friderici III.* tempora refert, & curiatim potiùs quàm viritim agi cœptum est haud dubiè facilioris tractationis causa, non ut tanta constitueretur inæqualitas, quantam hodie sibi fingunt: quis enim crederet, passuros fuisse Principes tantam mutationem, ut unus decem æquaret, quorum singulis antea tantùm par visus fuerat: scilicet illorum temporum simplicitas tam futiles argutias non capiebat, neque tunc scrupulosè numerabantur suffragia: & de semisse aut sextante summæ in Imperio potestatis unciisque ejus, &, si Diis placet, unciarum minutiis, quas aliqui singulis Electorib. ascribunt, disputare putidum fuisset: sed qui eloquentia aut factione plurimum poterat, cæteros trahebat; eò ferè modo, quo hodie in Polonia pleraque transiguntur. Operæ pretium erit hoc loco, transcribere, quæ vir aliquis judiciosus & rerum patriarum peritus, nec Principi magis quàm Electori, cùm scriberet, obnoxius, ea de re disseruit, quibus tamen non per omnia assentior; [Electoribus, inquit, de consensu reliquorum Ordinum tantùm Electio Cæsarea præ cæteris est concessa, non verò ullibi legimus sanctione Imperii inductum vel stringenti consuetudine obfirmatum, quod Electoralia vota, (licet his meritò habeatur prærogativa honoris,) præsertim tanto excessu, aliorum Principum suffragia exuperare debeant, ut septem Electores, totam Principum classem, quæ quàm plurimis votis constare assolet, possint parificare: hinc versamur adhuc, quod ad Comitialia attinet, in terminis illius temporis, ante quod Septemviratus suum nactus fuit principium: adeò, ut sicut tunc inter Electorum & Principum vota, respectu ponderis & valoris, in publicis negotiis non fuit tanta distinctio, sic ne hodie quidem contrarium obtinere debeat. Nec movere potest ex adverso, quòd tres illæ classes, Electorum, Principum ac Civitatum Imperialium, curiatim invicem agant, suaque vota expromant: nam Collegia illa suas decisiones plerumque tunc demum invicem aperiunt, cùm unumquodvis illorum secum consentit; ideoque non est necesse, speciatim exprimere, hunc vel illum Electorem, aut Principem hoc idem sensisse, sed sufficit, brevitatis causa Collegii totius vel majoris partis placita edicere, præser-
tim

tim quoniam amicabili modo agitatur, ac rationibus hinc inde collegiatim expositis compendiosiori via in idem placitum transitur, quàm si singulatim vota Classium dinumeranda essent. Ex eo tamen non sequitur, curias illas partim dignitatis respectu, partim facilioris tractationis gratia adinventas, alteri Collegio præ altero amplius jus tribuere, vel adimere, quàm competierit antè; aut alterum alteri contra priscum jus exæquare. Unde si contingat, ut una Curia alteri repugnet, debent vota cuncta considerari, ac fortè v. g. dicetur: tot stetisse pro hac sententia vota Electoralia, Principalia, &c. pro contraria tamen tot vel Majora: ut sic sensus iste, de colligendis majoribus, respectu votorum magis quàm classium, nec ab usu videatur alienus.] Hæc ille. Nos tametsi fateamur, hodie numerari suffragia (vide *R. A. zu Trier und Cöln* Anno 1512. *§. es sollen auch die Churfürsten. R. A. zu Worms* 1521. *§. würde sich*;) illud tamen asserimus, Magnos Principes non esse capite censendos, nec tam numero quàm autoritate atque exemplo valere, & primæ æqualitatis expressa vestigia superesse in *Deputationibus Imperii ordinariis*, ubi non curiatim, sed viritim suffragia colligenda sunt, nec plus valet Electoris quàm Principis sententia, quemadmodum noti sunt usus & testantur Status Evangelici in suis gravaminibus politicis Anno 1645. Osnabrugæ oblatis.

CAPUT XLI.

SEd esto ita: ponamus, tantum posse unum Electorem, quantum Principes decem: fatendum erit, hoc non nisi in illis causis locum habere, quæ suffragiorum numero, &, ut vulgò loquuntur, pluralitati votorum submittuntur. Videtur autem hodie res eò propemodum rediisse, ut in causis gravioribus, unde periculum Reipublicæ creari possit, amicè transigatur potiùs, quàm multitudini calculorum præfractè insistatur. Dudum contendêre Protestantes, in causa religionis, majoris numeri jus cessare. Idem à multis ad negotium publicorum onerum extensum, ne alter alteri præjudicium faceret suffragando: in congressibus Westphalicis re diu agitata ita denique conclusum est, cap. 5. §. 19. [in causis religionis omnibusque aliis negotiis, ubi Status tanquam unum corpus considerari nequeunt, Catholicis & Augustanæ Confessionis Statibus in diversas partes euntibus, sola amicabilis compositio litem dirimat, non attenta votorum pluralitate; quod verò ad pluralitatem votorum in materia collectandi attinet, cùm res hæc in præsenti congressu decidi non potuerit, ad proxima comitia remissa esto.] Hinc jam intelligi potest, si dubitationem de oneribus publicis ipsa Pacificatio Westphalica in medio reliquit, & quodammodo probavit, multò minùs causas, quæ libertatem salutemque cujusque Status contingunt, majoris numeri sententia transigi:

transfigi: hæ enim quantocunque collectarum onere graviores sunt. Itaque, si de minore negotio dubitatum est legitimè, de majore dubitabitur longè justius. Multi fortiter asserunt, ne tunc quidem pluralitati standum, cùm inter Catholicum & Protestantem disceptatur, licet de causa minimè religiosa. Et in Conventu Circulari Inferioris Saxoniæ ann. 1652. quoad Collectas discrimen factum inter necessarias & voluntarias, ita ut in illis tantum suffragia vincerent, non verò in his, ac ne tunc quidem, cùm hoc ipsum quæreretur, necessariæ an voluntariæ sint, quæ proponuntur. Quæ omnia in Comitiis anni 1654. acriter disceptata sunt. Equidem, si æquitatem & communem utilitatem spectamus, fatendum est, circa onera publica plerumque suffragiorum numero standum videri; neque enim aliter sibi constare potest ratio reipublicæ, & sæpe multi nimis queruli, dum justa ac necessaria ac plerumque moderata declinant, deserta publica causa, atque Imperio nervis destituto, turbatis postea rebus, longè gravioribus exactionibus premuntur, plusque uno mense solvunt, quàm Imperium integro lustro tulisset. Ea scilicet hominum est iniquitas, ut ad æqua cogi velint; ea imprudentia, ut non considerent, ubi cogentur, necessariò graviora passuros. Vim enim atque arma quis cancellis includat & legibus moderetur? Demus ergo, onera publica saltem moderata majore numero definiri posse, & quæcunque alia ad publicam Imperii causam pertinent; ut si quis Imperii hostis judicandus est, colligendus exercitus, præficiendi Duces, nominandi Deputati; si fœdera Imperii nomine ineunda, destinandi ad vicinos Legati, arbitrium exercendum, offerenda mediatio est; commercia regenda; condendæ leges, circa ea inprimis, quæ non tam domesticas cujusque Regionis rationes spectant, quàm de Provincia in Provinciam effectu atque usu porriguntur. Nam quas unusquisque Ordinum in sua ditione successionum Leges esse velit, quas scelerum pœnas, quas contractuum ac Testamentorum formas, quæ dotium privilegia, nihil aut parum ad alios pertinent. Sed si quis vicini subditos aditu hæreditatum apud se prohibeat, si emigrandi Libertatem suis neget, si merces transeuntes vectigalibus aut Stapulis oneret, si commerciorum libertatem cum reliquis abrumpat; utique Imperio ipsi injuriam facit. Quare ita constitui posse videtur: quæcunque inter rationes nullo vinculo connexas, solo gentium jure, id est, bello, fœderibus, tractatibus transiguntur, ea inter Germanicas gentes juris publici sive comitialis esse videri, & majore numero suffragiorum definiri, salva tamen cujusque Regionis Germaniæ domestica libertate atque salute; cujus tuendæ causa cùm in hoc sive vinculum sive fœdus coaluerint, finem atque scopum suum medio ad finem comparandum destinato (salutem scilicet Imperio) non submittent; neque propter Imperium, Imperii agnoscendi causas perdent. Ergone, inquies, ne in meritos quidem proscriptio à majore numero decerni poterit: Imò verò, poterit, inquam, eo jure, quo in hostes externos bellum ab Im-

 perio

perio decerni potest, majore suffragiorum numero congruente: proscribere enim nihil aliud est, quàm hostem judicare. Cùm verò eo casu eveniente, par sit futura proscripti atque exteri Principis ratio; præsertim cum rebus majoris momenti exteri misceri soleant, quemadmodum ex Juliacensi controversia & proscriptionibus Palatini & Megalopolitanorum constat; idque nunc maximè pateat, postquam Coronæ pacis Imperii se statores ferunt, & reliqua Europa in idem, ut credere par est, jus ventura est, per Noviomagensem tractatum, cui plerique interveniunt, & quo pax Monasteriensis in iis omnibus capitibus credo confirmabitur, quibus nominatim non derogabitur: Hinc ergo manifestum est, in caufis, quæ magnas ditiones, libertatemque ac salutem statuum spectant, aut ad vim veniendum esse, Imperio, ut nunc sunt tempora, periculosam, aut quæstionem amicis compositionibus terminandam. Itaque restat, ut minora tantùm negotia, quæ ad singulos pertinent, & ex gravioribus Imperii negotiis ea tantùm, quæ singulos quàm minimè gravant, juri Comitiali per suffragiorum numerum subjecta judicemus. Erunt, qui fatebuntur quidem, in ea Imperii perturbatione & laxitate vinculi, quo membra continentur, aliter ab homine prudente non posse statui; dolebunt tamen, in ea nos tempora devenisse, ut aut precario in pace, aut vi in bello imperandum sit: & ci cumspicienda remedia putabunt, quibus qua licet occurratur malis, utque Imperii decreta sine exceptione exitum nanciscantur. Verùm his cogitandum relinquo, an melior olim Germaniæ conditio fuerit, cùm omnia manu fierent, quàm nunc, ubi vis ac jus miscentur, & an æquum sit, ut in Comitiis (pro ea, qua hodie utimur, formâ) tantum aut multo plus possint, qui parum, quod perdant, habent, quàm qui potissima onera ferunt. Itaque si unusquisque suffragia haberet in Comitiis, & subsidia conferret publicis necessitatibus pro potentiæ ratione, tum verò æquum foret, omnia secundùm majorem numerum suffragantium transigi: atque hoc nisi fiet, semper quærendi rationes restabunt. Concludo igitur, cùm ea maximè, quæ ad communem Imperii administrationem spectant, & Unionem ipsam attingunt, in Comitiis jure majoris numeri collegiatim concludantur, reliqua verò graviora, quæ ad jus cujusque Principis territoriale magis pertinent, amicè componi soleant, manifestam esse, autoritatem Electorum, quam circa rerum Imperii communium administrationem velut magistratus potius atque Consiliarii Imperii, à cæteris Ordinibus quodammodo Delegati, quam velut Principes habent; & quæ etiam non Principibus saltem ad tempus tribui possent (quemadmodum ex *Regimenti* institutione patet) nihil eos distinguere à reliquis Principibus circa ea, quæ ad honorem Suprematus ac dignitatis speciem inde promanantem pertinent.

CAPUT

CAPUT XLII.

Superest, ut alias nonnullas Electorum prærogativas attingamus, quæ tamen ferè minoris ad summam rerum momenti sunt. Ut quod *Unionem* quandam inter se colere & Conventus illis agere permissum est, idem enim etiam Circuli possunt, imò & Principes quilibet, eo, quo nunc utimur, jure, postquam, fœdera rectè ferire eos, docuimus, Imperio innoxia. Huc referunt, quòd Imperii Vicarii sunt Electores Bavarus scilicet vel Palatinus, itemque Saxo; sed dubitari potest, an Vicariatus Electoratui cohæreat. Palatinus certè contrarium defendit, translato enim in Bavarum Electoratu novoque erecto, Vicariatum sibi relictum putat, velut connexum Palatinatui Rheni, adeoque territorio, non officio. Præterea Sabaudus vicarium se fert Imperii in Italia neque ideo Electorali dignitate fruitur, non magis quàm æmulus ejus Mantuanus. Quod *Imperator Comitia inducturus Electores consulit*, ad præconsultationes pertinet, quas in gravioribus negotiis Electorum Senatui supra concessimus. Hoc tamen nemo prudens, ita credo, interpretabitur, ac si invitis ipsis Comitia haberi non possint, modò non fiat inconsultis. *Officia* illa *Hæreditaria* Imperii, Cancellarii scilicet, Pincernæ, Dapiferi, Mareschalli, Camerarii, Thesaurarii, hodie magis ad solennes pompas quàm publicos usus referuntur: quanquam illa primam Electorali dignitati occasionem dedisse non negem; sunt præterea Munera hujusmodi, quæ alii sibi contra Electores vindicant, & quæ ad alios quoque pertinent. Nam Wurtenbergicum Imperii Vexilliferum esse scribunt, imò & certo modo Rempublicam Argentoratensem, qua de re libellus nuper prodiit. Carinthiæ Ducem Imperii Venatorem ajunt: & cùm *Carolus IV.* Imperator Aquisgrani coronaretur, Marchio Juliacensis sceptrum Regale tenebat manu; hoc ei eripere conabatur *Ludovicus* Marchio Brandenburgicus: orto tumultu intervenit *Carolus*, & habito Principum consilio definitum est, quando Rex Romanorum coronatur, ad officium Electoris Brandenburgici spectare, sceptrum Regale præferre: idem verò competere Juliacensi, cùm feudorum Regalium investitura celebratur. Sub eodem *Carolo IV.* quando *Wenceslaus* filius Aquisgrani coronabatur, de Ense Regali præferendo, orta est Controversia inter Ducem Saxoniæ & Ducem Luxenburgensem, qui hoc sui juris, ratione Lotharingiæ & Brabantiæ esse asseverabat: Saxo contra ad Archimareschallum id pertinere, tàm in Coronatione, quàm in aliis actibus. Cùm verò uterque jus suum armis tueri constituisset, *Carolus IV.* Imperator, ut turbas præveniret, salvo utriusque jure filium suum, natu minorem, *Sigismundum*, (qui postea Imperator fuit) decennem puerum, ensem Imperialem præferre jussit, ut habet magnum Chronicon Belgicum. His

Electorum dignitatibus adde, quod vectigalia nova sine Electorum consensu constitui in Imperio non debent, si Capitulationibus credimus. Verum reliquis Ordinibus videtur de vectigalibus ad Comitia esse referendum, idque hodie in negotio vectigalis Albiaci futurum videtur, ubi audiendos in Comitiis, quorum interest, ipsum nuper Collegium Electorale decrevit, cùm antea vectigal, quod Oldenburgicus Visurgi imposuerat, Cæsar cum Electoribus probasset. Præterea Electores nominant aliquos Cameræ Spirensis Assessores, sed hoc & quibusdam Principibus commune, & parvi momenti est. Nam Assessor omni prioris Domini nexu absolvitur, & præterea, nominatus licet, à Camera probari aut rejici potest. Majus inest pondus privilegio *de non appellando* à summo Electoris cujusque Ditionum tribunali. Sed hoc privilegium neque est Electorum tantum, neque ab omnibus Electoribus exercetur. Nam non tantùm Dux Pomeraniæ & Bremensis, sed & Duces Saxoniæ, lineæ non Electoralis, eodem jure fruuntur, quo contra plerique Electorum maximè Rhenani diutissimè caruere, donec id nuper à *Ferdinando III*, recuperarent, ex quibus Trevirensis hodieque maluit exercitio ejus abstinere, quàm novum in suis ditionibus tribunal erigere, quo Instantia Cameralis ex privilegii præscripto suppleretur. Nec verò privilegium de non appellando liberam planè reddendi juris facultatem Principibus tribuit; quoniam certè denegatæ justitiæ querelam ad summa Imperii Tribunalia ferre litigantibus licet. Cætera, quibus nonnulli Electores à Principibus cæteris distinguuntur, aut minutiora, aut controversa, aut dudum abolita sunt. Et hinc jam æstimandum relinquo, an tanti sint hæc discrimina, ut ipsâ dignitatis specie Electores Principesque, aut eorum Legati distingui possint.

CAPUT XLIII.

QUoniam tamen adduci solent actus quidam atque autoritates, exempla discriminum circa honores utrisque habitos, ea paucis discutere pretium operæ erit, & vicissim ostendere, superioribus temporibus nullum in eo genere inter Electores ac Principes discrimen fuisse notum. Primum, quod ajunt, *Electores Regibus æquiparari*, id an propriè dicatur, & an in curia Romana, (ubi Salæ Regiæ, ac Ducalis supra notatum discrimen) aliisque Aulis agnoscatur, magna quæstio est, præsertim cùm nondum impetrare potuerint Electorales, quod Legatis Principum Italiæ dudum conceditur, ut se tegant coram Regibus; multò minùs illud, quod soli Italorum Veneti in Gallia assecuti sunt, ut solenni pompâ introëant. Nec valdè movere debet, quod à Rege Galliæ nudius tertius *fratres* appellati sunt Electores seculares, præterquam enim, quòd hoc redemere, redditâ *Majestatis* appellatione, (quam Regi Galliæ frater-

fraternitatem non reddenti abnuere, etiam in Principum potestate est) considerari debet, pacta inter Regem atque Electores quosdam noviter inita minimè tertio præjudicium facere, neque ad rem prius inauditam, essentiale scilicet dignitatis discrimen, inter eos, qui omni jure pares sunt, faciendum trahi posse. Neque Reges atque Electores sibi Principum jactura illinc Majestatem, hinc fraternitatem comparare posse: Ut verò novitas attentati discriminis appareat, operæ pretium est intueri, quid actum sit ante turbatam Germaniæ pacem; hinc enim, credo, potissimùm forma negotiorum petenda est in illis omnibus, quibus Instrumentum Westphalicæ Pacis non derogavit. Tantùm autem abest, ut in eo Instrumento plus aliquid datum sit Electoribus, quàm ante habebant, ut contra potiùs illic concussa sint Oligarchiæ novæ fundamenta, Capitulationis perpetuæ condendæ curâ ad Comitia Ordinum generalia translatâ. Quod verò ante turbatam pacem Electores atque Principes pari apud exteros honore culti sint, intelligemus manifestissimè ex Tom. III. Commentariorum, sive, (ut hodie appellant) Memoriarum *Villaregii*, ubi literæ exstant plurimæ, nomine Regis *Ludovici XIII.* anno 1620. scriptæ ad Principes Germaniæ, quas secum tulere Dux *Engolismensis*, Marchio *Bethunius*, & *Preauxius* Legati Gallici, ad conciliandam inter Ligistas atque Unionistas pacem missi. Ubi hæc verba extant, pag. 256. *Forme d'écrire par le Roy aux potentats d'Italie & d'Allemagne: A tous les Princes d'Italie & d'Allemagne: Mon Cousin le Duc ou Comte de &c. Sauf au Duc de Savoye, l'Archi-Duc de Flandres, & Duc de Lorraine, auxquels on met, mon frere: sur celles de l'Archi-Duc: à mon frere l'Archi-Duc Albert d'Austriche; & à l'Infante: à ma Sœur la Princesse d'Espagne, Archiduchesse d'Austriche.* Subjiciuntur literæ ad Electores Principesque complures, inter quas nullum apparet discrimen. Et pag. 259. *Aux Princes Unis & Villes: A hauts, puissans & excellens Princes, les Electeurs & Princes du St. Empire, nos très chers Cousins; & les Estats & Villes du Saint Empire unis & alliés de present en la Ville de - - - -* Regibus verò hoc modo, ut Regi Poloniæ aut Daniæ: *A très haut, tres excellent, & tres puissant Prince, nostre tres cher & tres aimé frere & Cousin*, & subscriptum: *Vostre bon frere & Cousin Louys*: Notabile verò, Regi Sueciæ ibi tantùm scribi: *Tres haut, & tres Excellent Prince, nostre tres cher, & tres aimé Cousin, & allié*; & subscribi: *Vostre bon Cousin & allié, Louys.* Itaque tunc Regi Sueciæ neque fraternitas, neque potentissimi titulus dabatur. Illud quoque notari potest, Principum literis Regem simpliciter subscribere: *Loys*, nullâ honoris præfatione; cùm Regibus subscribat: *Vostre bon frere Loys*, vel simile quiddam. Urbibus Imperii scribitur: *Tres chers & bons amis.* Ordinibus Fœderati Belgii: *A nos tres chers & bons amis alliés & confederés les Estats generaux des Provinces Unies des Pays-bas. La lettre se ferme en grand, & depuis qu'ils sont reconnus souverains l'on a mis*

au bas: Vostre bon amy & confederé. Ubi illud noto, Venetis jam tum scriptum fuisse, *tres chers & tres grands amis*, quod postea & Ordinibus Fœderatis concessum. Ita omnia paulatim crevêre, ut iniquum planè sit, erga solos Principes Germaniæ veteris styli ruditatem servari; nam si quid uni indulgetur in hoc genere, cæteris proportione concedi debet, ne cuiquam fiat injuria. Ex his autem intelligitur, Electores nihilomagis honoratos illo tempore à Gallis, quàm Principes Germaniæ quoscunque, nec ab illis ullo modo separatos, cumque anno 1616. Legati Electoris Palatini Comes *Solmensis* & *Rusdorffius* Parisiis sese Ambasciatores ferrent, & tegere vellent coram Rege, in conspectum ejus non venêre. Eandem ob causam *Groensfeldius* & *Curtius* Legati Bavari, à *Maximiliano* Electore missi anno 1638. mutata persona ablegatos se ferre coacti sunt, ut audiri possent, neque illis indultum quicquam, quod cæteris Germaniæ Principibus negaretur. Quòd verò nuper fraternitatem sibi à Rege Christianissimo paravere, id juri cæterorum præjudicare non potest, & æquitatis nunc ratio vult, ut præcipuis Germaniæ Principibus idem honor habeatur. Quemadmodum enim olim Rex Christianissimus Regem Sueciæ cognatum appellabat tantùm, non verò fratrem, Danum verò & cognatum & fratrem; postea verò, ubi Suecis è suo Septentrione progressis crebriora cum Gallis aliisque populis commercia fuere, non gravatus est abolere discrimen Suecis haud dubiè grave: ita de æquitate ejusdem Regis sperandum est, cæteros Principes, qui nunc jus Legatos cum charactere mittendi, cæteraque id genus solemnia usurpandi aliorum exemplo crebrius exercere decreverunt, quàm antea ipsis in more positum erat; nulla iniqua & contumeliosa distinctione gravaturum esse. Nam si possessio atque usus styli veteris objici rectè posset, certè etiam Suecis validè oppositus fuisset. Neque refert, quòd Sueci Gallis utiliores quàm antea esse cœperunt; præterquam enim, quòd Gallis non parùm profuit Principum nostrorum amicitia, quæ *Henricum IV.* in solio firmavit, postea Austriacæ Domus potentiam in se vertit, magnoque Germaniæ damno tempestatem in nostra capita derivavit, quæ Gallis impendebat: hoc sanè misso cogitandum est, hic non ejus, quod interest, sed juris rationem haberi, nisi quendam honorum mercatum institui probamus. Porrò ex ea, quam supra exhibui forma vetere, qua Rex Galliæ ad Principes Germaniæ & Italiæ scribebat, intelligimus, soli Duci Sabaudiæ, Duci Lotharingiæ, & *Alberto* Archiduci Austriæ adscribi solitum fratris nomen, *Alberto*, inquam, nam ibidem pag. 337. Archiduci *Leopoldo* Archiepiscopo Argentoratensi, & Archiduci *Carolo*, non aliter scriptum est, quàm cæteris Germaniæ Principibus. Cùm verò Electores & nunc & olim Sabaudo ac Lotharingo prælati sint, patet, nihil ipsorum dignitati obfuisse, quòd fraternitas his potiùs, quàm ipsis, à Rege Galliæ daretur: quare vicissim, quòd nuper fraternitatem præ cæteris Germaniæ Principibus Gallo

Gallo expressere, ad discrimen essentiale constituendum nec *prodesse* ipsis potest, nisi asserere malunt, Regum Daniæ & Sueciæ Discrimen essentiale fuisse, quòd illi, non huic, fraternitas, ut audivimus, tribueretur.

CAPUT XLIV.

EX his jam intelleximus, sub initium turbarum Germaniæ discrimen essentiale Suprematus inter Electores & Principes nemini, ne quidem per somnium, in mentem venisse, certè exteris fuisse incognitum atque neglectum. Imo *Renatus Choppinus* lib. *de Domanio Franciæ*, tit. 3. num. 13. putat dignitatis Electoralis Eminentiam propriè ad Comitia & Conventus Imperii pertinere, in aliis verò Christiani orbis Conventibus non æquè attendi, adeoque in Basileensi Concilio *Johannem* Germanum Episcopum Cabilonensem, Legatum Ducis Burgundiæ, obtinuisse loci prærogativam adversus Electores Germanicos insigni decreto patrum Basileensium 26. Maii anno 1433. Addo ego ipsis Germaniæ Comitiis tempore *Friderici III.* anno 1471. *Caroli Audacis* Legatos Burgundos Electoralibus cedere nolentes locum atque sessionem tunc quidem extra ordinem obtinuisse; credo, quòd tunc nondum Collegium separatum Electorale in Comitiis cognosceretur: nunc verò postquam Burgundus sub *Carolo V.* inter Imperii Principes receptus est; sedet in Collegio Principum inter Ecclesiasticos; statim post Austriacum ante Salisburgensem Ecclesiasticorum primum; adeòque Electoribus cedere videtur: at quia cedet, non ideo discrimen essentiale patietur, non magis quàm Principes Germaniæ præcipui, qui & ipsi ab Austriacis ac Burgundis loco tantùm, non verò natura dignitatis separantur. Illud quidem verum est, in solennibus Imperii Electores, velut præcipua aulæ officia obeuntes, à cæteris omnibus exquisitè distingui, sed horum discriminum extra hujusmodi actus ad Curiam Imperialem pertinentes ratio habita non est; nec magnopere refert, quòd, Imperatore paulò post coronationem in publico cibum capiente, Electorum unusquisque separatam habet mensam, principes reliqui unam: nam præterquam, quòd hoc quoque ad Imperialis curiæ solennia pertinet, considerandum, in libris cæremonialibus Romanis, qualis est *Christophori Marcelli* Archi-Episcopi Corcyrani, simile quoddam reperiri discrimen inter Imperatorem & Reges cæteros. Nam peculiaris mensa Papæ tribuitur, alia Imperatori, cæteri Reges mixtim sedent; hinc ergo illud ad summum sequeretur, Principes Germaniæ tantùm esse infra Electores, quantùm infra Imperatorem Reges, quo admisso, non magis Principum Legati ab Electoralibus quàm Regii à Cæsareis distinguerentur. In universum constat, in Curia Romana Electores cæterosque Duces Serenissimos nullo, nisi sedis, discrimine habitos, non natura honoris discretos. Adduxi supra loca quædam ex libro, cui titulus est *Maestro di Came-*

Camera, unde apparet, duo tantùm haberi genera Legatorum, Regios & Ducales, nisi ergo Electores obtinent, ut cum Venetis inter Regios habeantur, à cæteris ne distinguentur quidem: & si obtineant aliquando, bonis avibus; quod nobis non invitis fiet: non ideò à nostris Legatis distinguerentur illis in rebus, quas cæteris Ducibus Serenissimis, jus Salæ Regiæ non habentibus, concedi, Italorum Principum exemplo constat. Et verò in Cæremoniali *Paridis de Grassis*, quod *Julii II.* Pontificis temporibus scriptum est, hic ponitur ordo Ducum: [Dux Britanniæ, Dux Burgundiæ, Comes Palatinus, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgensis, Dux Austriæ, Dux Sabaudiæ, Dux Mediolani, Dux Venetiarum, Dux Bavariæ, Dux Lotharingiæ, Dux Januæ, (seu Genuæ) Dux Ferrariæ, &c.] ubi notandum est, Ducem Bavariæ præponi Duci Ferrariæ, qui nunc est Mutinensis, quanquam eo tempore Dux Bavariæ nondum ad Electoralem dignitatem evectus esset. Notandum est etiam, multos illic non nominatos, quos nominatis minimè cedere, exploratum est, ac denique satis apparet, tunc ignotum fuisse inter Electores aut Venetos, & inter cæteros Duces Serenissimos, discrimen essentiale; &, si fides habenda est huic *Paridi de Grassis*, Venetos tunc Regios honores nondum obtinuisse, quæ cum his, quæ supra diximus ex Abbate *Justiniano* de Origine Veneti honoris, satis consentiunt. Si quis porrò veterem Cancellariæ Germanicæ stylum consulet, nullum aliud majus inter Electores Principesque discrimen notabit, quàm quòd Principes appellarentur *Sereni & Clementes Domini Durchleuchtige*, *Gnädige Herrn*, Electores *Serenissimi & Clementissimi Durchleuchtigste und Gnädigste*, Imperator verò *omnium Serenissimus & omnium Clementissimus Allerdurchleuchtigster und Allergnädigster*. Elector *Principi* scribit *Dienstwilliger*, Princeps *Electori Dienstwilligster*. Multa alia hujusmodi satis scrupulosa in veteri stylo notari possunt, ut quod Episcopi se scribebant *non Dei gratia* sed *miseratione Dei*, non *von Gottes Gnaden* sed *von Gottes Verhängniss*, item discrimen inter *Unterthänige* & *Unterthänigste*, quæ tempus & ratio sæpe abolevit. Imperator Electorem non minùs quàm alios nonnullos ex præcipuis Germaniæ Principibus, *Serenum* vocat, non *Serenissimum*, *Durchleuchtigen*, *Hochgebohrnen Fürsten* & Electores atque Principes sese invicem sæpe *Serenissimos* appellant. Ecclesiastici Principes præsertim minores Germaniæ Electoribus, ac magnis Principibus tribuunt *Clementiam E. Gnaden*, ita constat Episcopum Wormatiensem scribere Electori Palatino, Eichstadiensem Duci Neoburgico, quare ne hîc quidem Electorum ac præcipuorum Principum discrimen ullum. Olim Electoribus scribebatur à privatis *Vestra Clementia Electoralis*, *E. Churfürstlichen Gnaden*, quemadmodum Principibus *Vestra Clementia Principalis*, *E. Fürstl. Gnaden.* Hoc seculo Electores sibi scribi voluere *E. Churfürstliche Durchleuchtigkeit*, *Vestra Electoralis Serenitas*, favente ipsis Cæsare, qui potentiam eorum suis rebus conducere arbitra-

batur.

batur. Sed hodie non tantùm vulgo scribitur Principibus nostris: *Vestra Principalis Serenitas*, sed & Cæsar ipse præcipuis quibusdam Germaniæ Principibus, prorsus quemadmodum Electoribus scribit, *Durchleuchtiger, Hochgebohrner Fürst*; atque ita Serenitatem. Celsitudinemque conjungit. Papa Electores à Principibus titulorum appellatione non sejungit, omnes enim sine discrimine appellat *nobiles viros*. Sed esto Electoribus superlativum, Principibus tantum positivum deberi, tunc nihil aliud sequetur, quàm Electores comparari Regibus, at Principes nostros Ducibus; nam supra notatum est Regibus scriptum esse *à tres Haut & tres Excellent Prince*, at Ducibus Italiæ vel Germaniæ tantùm *à Haut & Excellent Prince*.

CAPUT XLV.

Supra dixi, Electorales quosdam Oligarchiam affectare cœpisse, sub initia turbarum Germaniæ, & *Ferdinandum Secundum* fautorem atque Ducem habuisse, qui de gravissimis Imperii rebus, quas majores ad Ordines sine controversia retulerant, Electores consulere cœpit primus, & pro Comitiis generalibus Ordinum, non nisi Electorales conventus habuit, ubi jacta sunt fundamenta meditatæ inæqualitatis, quam in Tractatibus Pacis Westphalicæ ministri Electorum acriter ursere. Sed successus defuit, quòd Regum interesset, Imperium non tantùm à Dominatu sed & ab Oligarchia defendere, inserta in Pacis tabulas mentione Capitulationis perpetuæ, quæ Oligarchicos valde ussit. Itaque Legati Electorum Monasterii, cùm rem attingere non possent, umbram captarunt, *Excellentiæ* appellationem affectantes, aliasque majoratus notas, quas illis Principum ministri minimè concessere. Quoniam verò Electorales hodie maximè ad Westphalicos Tractatus provocant, ibique magnum aliquid lucrati sibi videntur, operæ pretium erit, rem paucis explicare. Nimirum interventu Regis Daniæ, Lubecæ atque Hamburgi, diu actum erat inter Cæsareos & Gallo-Suedicos de modo atque forma Tractatuum pacis generalis, tandemque prodiit anno 1641. Tractatus præliminaris Hamburgensis inter *Conradum Luzovium* Cæsareum, *Claudium Memmium* Gallicum, & *Johannem Salvium* Suedicum Ministros, quo cautum est, ut congressus Legatorum haberetur in Urbibus Monasterio atque Osnabrugâ, ut Ministro Regis Daniæ traderentur literæ fidei publicæ seu Salvi Conductus, *Cæsaris quidem nomine*, pro Plenipotentiariis Regis Christianiss. Residente Suedico, Plenipotentiario Sereniss. Ducissæ Sabaudiæ, filii sui tutelam administrantis, pro Plenipotentiariis Ordinum generalium Fœderati Belgii, pro Deputatis Electoris Trevirensis, pro Ducibus Brunsvicensibus & Luneburgensibus, aut eorum Deputatis, pro Principe *Carolo Ludovico* Palatino Rheni, ejusque fratribus, aut eorum Deputatis, pro Deputatis Landgrafiæ Hassiæ, pro Universis Imperii Ordinibus Galliæ Fœderatis &

 adhæ-

adhærentibus aut eorum Deputatis, contrà *Coronarum* nomine pro Plenipotentiariis Cæſareis, Hiſpanicis, eorum Fœderatis & adhærentibus, & pro Deputatis Bavaricis. Ubi annotanda videntur ſequentia: primum Duciſſam Sabaudiæ (ejus enim mentio fit, non Ducis) antepoſitam Ordinibus Fœderatis, omnibuſque Electoribus & Principibus Imperii, quippe Sororem Regis Chriſtianiſſimi *Ludovici XIII.* ideóque haud dubiè curaſſe *Memmium*, ut adjiceretur honorifica Sereniſſimæ appellatio quæ in cæteris nuſpiam apparet: *deinde notandum*, Miniſtros exterorum (inter quas & Duciſſa Sabaudiæ cenſenda erat) nominari *Plenipotentiarios*, Ordinum verò Imperii Miniſtros tantùm *Deputatos*; haud dubiè duas ob *cauſas*, *priorem*, quia nimirum congreſſus ille in Imperio inſtituendus pro Conventu quodam Ordinum Imperii ſaltem, quoad ipſos, haberi poterat, cui exteri intervenirent, præſertim cùm bellum in Imperio & Imperii cauſa maximè exarſiſſet; Miniſtri autem Ordinum ad conventus *Deputati* appellari ſolebant, ut notum eſt; *poſteriorem* verò, quia Miniſter Cæſareus, qui ſolus cum Gallis Suediſque, nemine Ordinum interveniente, Hamburgi tractaverat, ſortaſſe nullam cauſam videbat, cur plenam Ordinibus poteſtatem tractandi adeoque Plenipotentiarios mittendi aſcriberet, præſertim cùm jus eorum tractandi cum exteris, Viennæ non ſatis tunc agnitum, & ſatis ingratum eſſet. Denique, quod rei caput eſt, notandum, nullum planè inter Electorales & reliquorum Ordinum Miniſtros fieri diſcrimen, ſed omnes communi nomine vocari *Deputatos*, quamquam tunc aula Cæſarea Electoribus ſatis faveret, & tùm maximè tempus eſſet introducendi diſcriminis, præſertim cùm in cæteris accuratè loqui ſtuduiſſent Tractatus hujus præliminaris autores, ut ex proximis annotationibus patet. Sed nimia attentati diſcriminis novitas, quam reliqui Ordines minimè laturi videbantur, *Luzovium* deterruiſſe credibile eſt, ne quid porrò in jura Ordinum tam alieno tempore auderet. Quod ſi ergo aliquod inter Legatos Electorum Principumque diſcrimen erat, id tum maximè apparere debebat, in ipſo ſcilicet tractationis veſtibulo, & præliminari conventione, quæ reliquo negotio modum ac formam dare debebat; quemadmodum hodie videmus Noviomagi controverſiam hanc non demum in ipſo tractationis progreſſu, ſed ſtatim ab initio cùm de Salvis Conductibus (perinde ut tunc quoque Hamburgi fiebat) ageretur, erupiſſe. Pro certo itaque habendum eſt, cùm Tractatus præliminares formam & modum dederint toti negotio ſequenti; & in illis Electorum aut Principum Miniſtri eodem loco ſint habiti, & Imperii Principes ſub fide publica hujus æqualitatis hiſce præliminaribus in Imperio publicatis innixa, ſuos Miniſtros Monaſterium aut Oſnabrugam miſerint, nullum in ipſo progreſſu ipſis præſertim expreſſe contradicentibus, contra fidem, ut ſic dicam, initio datam, præjudicium creari potuiſſe, &, ſi quid contra actum, id nullius momenti fuiſſe.

CAPUT

CAPUT XLVI.

POrrò cùm postea bello inter Danos Suecosque coorto abrupta fuisset interpositio Regis Daniæ; & Respublica Veneta in Mediatoris officium successisset; nova ecce causa Electorum studiùm pro tuenda vel amplificanda dignitate excitavit. Vetus enim illis fuit cum Duce ac Republica Venetiarum concertatio, non utique rationum expers; nam, ut suprà audivimus ex *Paridis de Grassis* Cæremoniali Romano, *Julii II.* Pontificis tempore composito, Electores Sacri Imperii olim Venetis anteponebantur, & Bavarus nondum Elector, qui credebat Electoribus, cum Venetis certabat, de quo infra pluribus: aliæ pro Electoribus rationes in Manuscripto libello *Danielis Weinmanni* Cancellarii quondam Cliviensis legi possunt. Hæc ergo controversia tunc quidem recruduit adventu *Aloysii Contareni* Oratoris Veneti, qui cùm recepto apud exteros more & *Excellentiæ* nomine appellari & reliquis Legatorum cæremoniis atque prærogativis, tunc in Imperio ferè incognitis, uti deberet, saliva Electoralibus mota est, imò quodammodo imposita necessitas, affectandi eosdem planè honores, qui Venetis haberi solebant. Nec illis hac in re refragari posse videbantur Cæsar atque Coronæ, ne tantos Principes jure suo tot exemplis atque rationibus tutò spoliare & infra Venetos dejicere crederentur. At vero cæterorum Imperii Principum atque Ordinum alia erat ratio, aliæ hypotheses: hi enim, quamquam eodem cum Venetis Suprematus sive Serenitatis jure essent usi, nec proinde qualitate ac natura dignitatis ab illis distinguerentur, tamen, quia locum illis ferè cessisse credebantur, paucis exceptis, ut Burgundo & Bavaro (sed qui nunc Electoribus connumerabatur) præsentiâ Veneti Legati nihil movebantur. Considerabant enim, hîc propriè agitari conventum Ordinum Imperii, cui etsi intervenirent exteri, nihil ideo ipsorum causa esse innovandum, neque à vetere solennium atque titulorum forma discedendum, non magis quàm cùm Legati exterorum in Comitiis aliisque Imperii Conventibus atque actibus comparuissent; neque ea in re ullum sibi Electores Principesque creare præjudicium putabant, tametsi Ministri eorum *Legati* non appellarentur, nec novo atque in Imperii Congressibus inusitato *Excellentiæ* titulo uterentur. Propriè enim eos neque esse Legatos neque Ablegatos ad exteros, sed Deputatos ad aliquem conventum Imperii in ipso Imperio, qui quodammodo in Imperio Magistratum quendam sibi delegatum atque functionem exercent, quemadmodum Senatores alicujus Regni; aut potiùs multo magis, quemadmodum Deputati Provinciæ cujusque Fœderati Belgii aut Helvetici tredecimviratus ad Conventus generales missi: & tales fuisse Ministros ad Westphalicos tractatus missos, indicio esse videbatur nomen Deputatorum illis impositum in

 Trac-

Tractatu præliminari, quo à Legatis Plenipotentiariis exterorum distinguebantur; neque hinc sequi, majores minoresve esse Legatos, quàm Deputatos, sed hoc tantùm: functiones esse natura sua planè differentes: cùm Deputati potius quiddam magistratui sive Commissario, aut, si mavis, Senatori in Imperii Conventu sive Senatu, quàm Legato simile habere videantur. Sanè Cæsareus Commissarius in Imperio etiam vocabatur *Deputatus*, & speciatim ille ipse *Conradus à Luzow*, qui Hamburgensem Tractatum præliminarem composuit, qui ibidem nominatur Cæsareus ad Circulum Inferioris Saxoniæ & ad Pacis præliminaria cum potestate Deputatus. Nec tamen ille ideò cuidam exterorum Legatorum cessisset, imò *Memmius* & *Salvius* ipsi sine controversia cessere. Et non video, cur in aliqua Republica, verbi gratia Belgica, minor esse debeat Deputatus Provinciæ unius ut Hollandiæ ad Conventum Ordinum Generalem, quàm Legatus ejus ad exteros. Nam si Legati repræsentant Rempublicam apud exteros, Deputati isti repræsentant eam, imò quodammodo faciunt, sive constituunt domi: & illa Legatorum Belgii Fœderati ad Tractatus Monasterienses ex singulis Provinciis sumptorum multitudo tantùm imago quædam videri poterat magni Concilii domestici ex Deputatis Ordines generales constituentibus compositi. Unde intelligi potest, Deputatos, à Provinciis Suprematu gaudentibus ad ejusmodi Conventus, in quibus quodammodo summa potestas Reipublicæ residet, missos, Legatis ex iisdem Provinciis ab eodem Conventu ad exteros missis, quippe ipsos tantùm repræsentantibus, majores videri; adeoque, cùm suis Legatis sint majores, etiam majores esse Legatis exterorum, quippe quibus suos Legatos qualitate dignitatis cedere nollent. Et hinc rectè à nupero de Legatis scriptore harum rerum egregiè perito improbatur, quod Ablegatis sive Ministris minoribus exterorum Deputati Ordinum Fœderatorum locum potiorem in suo Conventu noviter cedunt, præsertim cùm Senatores Sueciæ *Excellentiæ* titulum sibi asseruerint, & tamen in Senatu Sueciæ summa potestas non resideat. Sed mittamus hæc, ac ponamus saltem (quod mihi rationibus positis insistenti manifestum videtur) hujusmodi Deputatos ad Imperii Conventus saltem ab eo missos, qui Legatos cum plena potestate etiam ad exteros mittendi jus habet; quales sunt præcipui Principes Imperii, non esse Legatis exterorum genere dignitatis inferiores; tunc sibi constabit Principum ratiocinatio: nam nolebant suos Deputatos Monasterii atque Osnabrugæ Legatis exterorum videri minores, quippe qui conventus Imperialis membra essent, cujus dignitas utique maxima est; nec tamen volebant eos uti exterorum appellationibus ac formulis, tum quòd propriè non essent Legati, tum etiam quod non putarent æquum ac decorum, in Conventu Imperii veterem formam exterorum supervenientium causa mutari. Hanc fuisse ratiocinationem Principum, non sanè contemnendam, ex eo apparet, quod suis Ministris nunquam injun-

junxere, ut titulum *Excellentiæ* obtinere tentarent, sed tantùm, ut ne illum concederent Ministris Electoribus, velut rem novam atque in Imperii Conventibus inauditam, atque iis, quæ secus fierent, interposita protestatione contradicerent. Cui sententiæ firmiter institere, neque vel minimum concessere, neque passi sunt, ut in subscriptione tabularum Pacis ullum inter Electorales atque Principum Legatos discrimen compareret. Quod verò exteri Electoralibus Legatis concessere titulum Excellentiæ aliaque, quibus Principum Legati contradicebant, id mirum non est; cùm enim mallent Principes in Imperii conventibus veterem retineri modum, quàm exterorum nos accommodari formulis; ideò contra exteri suos mores apud nos introducere maluere: præsertim cùm negari non posset, hos Consessus pro parte pro Conventu Imperii haberi posse, & pro alia parte pro Congressu exterorum: quo posito, non erat absurdum, Ministros Electorales duplicem sustinere personam, unam Deputatorum ad Conventum Imperii, alteram Legatorum ad Congressum Pacis generalis. Verùm sive ea in re rectè fecerint Electores, sive sine causa, ut Principes querebantur, receptam in Imperio formam exterorum intuitu mutaverint; constat tamen, quicquid tunc actum est, nullo modo juri Legationis Principum præjudicare, cùm suos Ministros non Legatos, (alioqui etiam postulassent *Excellentiam*, cujus tamen affectatæ causa Electorales culpabant) neque Ablegatos (alioqui sine difficultate Electoralibus atque exteris, sese qualitate minores agnovissent, *Excellentiam*que dedissent) sed, ut dixi, Deputatos ad quendam Imperii Conventum (quod & Tractatus præliminares innuere videbantur) adeoque separatæ cujusdam qualitatis, quæ tamen Legatis eos planè cedere vetaret, esse voluerunt: eaque ratione obtinuerunt, ut in subscriptione, prorsus quemadmodum in præliminaribus Tractatibus factum erat, Electorum pariter atque cæterorum Ordinum Ministri, non Legati Plenipotentiarii, sed communi nomine Deputati appellarentur, unde adeo dici potest, Principes sub ipsius denique negotiationis exitum, quod volebant, evicisse. Scilicet sub finem Instrumenti Pacis, tam cum Gallis, quàm cum Suecis initæ, hæc habentur verba: In quorum omnium & singulorum fidem majusque robur, *tam Cæsarei, quàm Regii Legati*, nomine verò omnium Electorum, Principum ac Statuum ad hunc actum specialiter ab ipsis *Deputati* [perinde ac si ex Deputationibus extraordinariis aliqua hic intervenisset] &c. præsens instrumentum manibus Sigillisque propriis muniverunt, &c. His positis nihil video, quid in Tractatibus Westphalicis actum sit, quod Principibus exemplo nocere possit; nam nec ipsi jure suo cessere, quia ibi neque Legatos neque Ablegatos habuere: nec controversiæ vim satis illi exterorum percepisse videntur, qui Principum Ministros, quod *Excellentiâ* non uterentur, Electoralibus dignitatis natura inferiores crediderunt, cùm eos nec desiderasse constet rem

 novam

novam & in Imperio incognitam, cujus usum improbabant. Eaque in re consistit maximè error diligentis alioquin Viri *Victorii Siri*, qui mihi sua pleraque ad hos Tractatus pertinentia à Nuncio Apostolico ejusve Secretariis habuisse videtur, ac proinde hoc loco deceptus est non minùs, quàm Nuntius ipse, qui cùm Comiti *de Wolkenstein* (non ut alii, alius ex alio, appellant, *Wollenstein*) Deputato Austriaco locum potiorem apud se negasset, Comes, ut par erat, indignatus, Nuntium amplius videre noluit, (quemadmodum nec Salisburgensis) eique necessariæ rerum Germanicarum cognitionis defectum exprobravit; quem verò Nuntius maximè, ni fallor, detexit respondendo. Cùm enim negasset, se tàm ignarum rerum Germanicarum, quin probè distinguere sciret inter eos, quibus jus Legati mittendi, & quibus non nisi Deputatos habere conveniret; tùm verò ignarum sese, aut parum instructum, aut certè valdè negligentem maximè ostendit. Mirum enim, quantum errorum lateat in tàm paucis verbis. An quisquam unquam dubitavit de jure Archiducum Austriæ mittendi Legatos cum pleno charactere, aut de jure Ducum Burgundiæ, qui aliquando Electoribus habiti sunt superiores, & hos tamen duos in Consessu Principum esse, & *Wolkensteinium* singulatim Austriæ nomine adesse constabat. Et nosse debebat Nuntius Deputatos, ut paulò ante ostendi à Legatis, non gradu, sed genere ac naturâ muneris differre, eundem & Legatos & Deputatos mittere posse: imò eosdem simul esse posse Legatos ad congressum exterorum, & Deputatos ad Imperii conventum: denique Deputatum hujusmodi nihilo esse Legato quocunque inferiorem; cùm ipse quodammodò Legatus sit Principis sui ad Conventum Imperii, & præterea, quod est amplius, ipsius Conventus, Rempublicam quodammodò gubernantis, pars sit: sed & introduci potuit, ut Deputati Ordinum ad Comitia hodiè Legati censerentur. Certè Plenipotentiarios haberi posse, & Gallicis Ratisbonam missis loco quidem, non tamen gradu dignitatis, cessisse constat. An autem *Gravellius*, (exempli causa) illic Legatus, an verò Ablegatus fuerit, excutere nihil attinet. Unum tantùm discrimen annoto in congressibus Westphalicis inter Electorum Principumque Ministros à Principibus ipsis toleratum, quòd scilicet, Ministris Principum ad Cæsareos invisentibus, tantùm Princeps Legationis Cæsareæ eos in ipso domus ingressu excipiebat, Collegis in loco, ad audiendum ipsos destinato, manentibus, sed Electorum Ministris obviam ibant omnes. Sueci tamen ea in re Electorum aut Principum Ministros non distinguebant. Sed hoc nisi fallor exigui momenti est, & si quod etiam majus discrimen fuisset observatum, nihil tamen, ut toties, dixi, nocere potuisset pleno juri Legationis Principum, qui se illic *non Legatos ad exterorum Congressum, sed Deputatos ad Imperii Conventum habere profitebantur.*

CA-

CAPUT XLVII.

NE quis verò à me fingi putet hanc Principum mentem, operæ pretium erit, verba ipsorum aut Ministrorum, quos habebant, adducere. Et quidem in Gravaminibus Politicis Statuum Evangelicorum anno 1645. Osnabrugæ oblatis, quæ exstant apud *Londorpium*, hæc verba habentur num. 4. *Die Herren Churfürstlichen Abgesandten haben auch bey itzigem ansehnlichen* Convent *und Friedens* Tractaten *ein bißhero ungehörtes* Prædicatum Excellentiæ *vor den Fürstl. Abgesandten* prætendirt; *allermassen nun solche Neuerungen den hohen Fürstlichen Häusern in Teutschland zu nicht geringer Verkleinerung, auch den itzigen* Tractaten *wegen abgehender* Communication *zu schädlichen Auffenthalt gereichen, die Fürsten des Reichs auch solche Neuerungen und ungewöhnliche* Titulaturen *nimmermehr einräumen oder* attribuiren *werden, also wird inständig gesucht, solche Neuerungen und dahero erfolgende* Consequentien *eins vor allemahl abzustellen.* Sed operæ pretium erit, illustrandæ hujus controversiæ causa huc afferre, quæ à me aliquando ex Relationibus Ministri, Magni cujusdam Principis ad Tractatus pacis Westphalicæ Deputati, excerpta sunt. Ita ergò illa Osnabruga 11. April. 1645. Domino suo perscripsit: *Disputatum esse inter Suecos Brandenburgicosque de titulis, quod Brandenburgici velut totius Collegii Electoralis Deputati* Excellentiam *postularent, quam Sueci velut à Brandenburgico Electore pendentibus tribuere nollent; tandem inter eos Conventum, ut Brandenburgici Suecos appellarent* Legatos Regios *Königliche Gesandten, vicissim Sueci* ipsos Ablegatos Brandenburgicos, *Brandenburgische Abgesandten, ambo* Excellentia *abstinerent.* Hæc Minister ille. In quibus notari potest pacti hujus irregularitas, nam si Ablegati tantùm erant Brandenburgici, cur Excellentiam Regiis Legatis dare verebantur, nisi malumus *Abgesandten* vertere non Ablegatos, sed Deputatos, eo sensu, quem paulò ante explicui: & hoc modo tunc Brandenburgici in Principum sententiam paulò ante explicatam concesserant. Notari etiam potest; initio Electorales Ministros non sibi singulis, sed totius Collegii Electoralis nomine tantùm *Excellentiam* postulasse, quanquam fiducia postea creverit successu: item notari debet, inter Suecos & Brandenburgicos Osnabrugæ tunc convenisse, ut ambo *Excellentia* abstinerent, & hoc scilicet illud erat, quod volebant Principes: Monasterii quoque primarius Minister Bavarus Gallis initio *Excellentiam* non dabat, sed loquebatur illis in persona tertia, idemque vicissim faciebant Galli, exempli causa: *Dominus Baro dixit*, &c. Idem quem dixi Minister 25. April. 1645. scripsit: *Electores etiam à Principum Ministris nova sibi concedi volunt*, Excellentiæque *titulum postulant*, quod rectè fieri Moguntinus Mecklenburgico multis ratiunculis persuadere conatus est; qui cum cæteris contulit.

tulit. Brunsvicensis Calenbergicus dixit, se *nihil innovaturum*; *sed illis ipsis titulis usurum, quibus Electorales in ipsis Conventibus Electoralibus Mülhusino* anno 1627. & Noribergensi 1640. *appellasset. Suorum Principum familiam antiquissimam esse, ac semper habitam* Serenissimam; *Dominum suum ab Imperatoribus ac Regibus descendere, majores ejus ab* 800. *annis* Principes fuisse. Respondisse Moguntinum, hæc à Bavaris Legatis potissimum urgeri. Tum verò Mecklenburgicus liberè dixit, *familiam Mecklenburgicam nihilo Bavarica inferiorem esse, imò à Regibus descendere.* Idem Calenbergicus suaserat Brandenburgicis, ut ne quid præter morem ac rationem tentarent, qui tunc acquiescere sunt visi. *Relatio de* 23. *Maji hæc habet*, [Magdeburgici nuper venientes consilium meum petiere; respondi, mihi *Excellentiæ* pessimam videri consequentiam; me à Domino meo super hoc negotio, licet non instructum, satis tamen meopte Marte judicare, nihil tale eum laturum. Diu me Imperii Conventibus interfuisse, satisque didicisse videri titulaturæ tricas, non hodie primum novas formulas sequi velle. Cæterum ipsos Magdeburgicos à filio Electoris missos rectè facturos, si defectum mandati allegarent, ne vel dominum, vel ejus patrem offenderent, neque præjudicium cæteris crearent pernicioso exemplo: se Brandenburgicos visitantem veterum morem secutum: si Moguntini his non contenti essent, à se ad Auream Bullam remissum iri.] *Relatio de* 30. *Maji.* [Brandenburgici mihi retulere, *Krebsium* Moguntinum *Excellentiæ* apud ipsos rursus meminisse, & quæsivisse, an non obtineri saltem posset à Principibus, ut vel in hoc tractatu indulgeretur aliquid Electoribus, exterorum causa, quod in cæteris Imperii Conventibus citra præjudicium foret. Respondi, me valde dolere vicem patriæ, cujus salus negligatur ac retardetur, dum interea illi, quibus potissimum ejus incolumitas curæ esse deberet, his nugis sese recreent, & inter dilaceratæ Germaniæ miserabiles gemitus novis titulis exultent: nolle me Principem meum in hoc Europæ theatro contumelia affici; & si monitis locus sit, monere, ut Electorales abstineant iniquis novitatibus, alioqui Camarinam moturos. Plerisque Principum Legatis absolutè interdictum esse, ne quid in hoc genere concederent. Magdeburgicos defectum mandati allegantes 28. die hujus mensis ad Moguntinos misisse, Moguntinos retulisse, se nec visitare, nec visitationem accipere posse, nisi communicato cum cæteris Electoralibus Consilio *Excellentiæ* causa] Addidere Moguntini Schedam, qua rationes eorum potissimæ continentur pro *Excellentia.* Omnis earum vis huc redit: Splendorem atque dignitatem Imperii consistere in Electoribus, cæteri Proceres, ibunt obscuri sola sub nocte per umbras. Ipsis Magdeburgicis visum, latere majus aliquid sub *Excellentia*, & hoc velut præludio patientiam Principum tentari. Sequuntur rationes à Moguntinis communicatæ Magdeburgicis. 1. Imperatorem mandasse suis Deputatis, ut primario Electorali Ministro *Excel-*

lentiæ

lentiæ titulum darent, itaque, argumento à majori ad minus ducto, non habere Principes, cur resistant. 2. Idem facere exteros. 3. Quod in honorem Imperii vergat, splendore Electorum in Principes quoque ac cæteros Proceres reflexo. 4. Verendum, ne, tergiversantibus Principibus, exteri quoque pedem referant, & ab optima erga Imperium voluntate divertantur. 5. Magno præjudicio fore toti Imperio omnibusque Ordinibus, si Veneti *Excellentiam* haberent, non Electorales, qui tamen omni jure ante Venetos sint habendi. 7. Sperandum itaque Germanos Germanorum potius dignitati velificaturos. 8. Denique nihil ex hoc titulo Electoribus novi accedere posse, quod Principibus suspectum esse debeat. Sed hæ rationes parum movebant Principes, quia negabant, se Electorales Ministros habere pro Legatis ad exteros, sed pro Deputatis ad Imperii Conventum, itaque nihil ad ipsos pertinere Venetos, nec Cæsarem Principibus creare præjudicium posse, quicquid Ministris suis mandaverit, & satis apparere, quòd Electores nova discrimina paulatim moliantur, tametsi, quod nunc fieret, imposterum præjudicio esse non debere, testarentur. Imperii autem dignitatem atque Majestatem, ut rectissimè dixisset olim *Maximilianus I.* Imperator, non tantùm in Imperatore solo, multò minùs in Electoribus, sed & in Ordinibus sitam esse. Hæc atque his similia, tunc utrinque jactabantur, ex quibus intelligitur, tunc inter Electorum Principumque Ministros tantùm de *Excellentia* fuisse certatum, nec proinde dubitandum esse, quin hi apud illos, cùm inviserent, superiorem habuerint locum: cætera enim omnia recepto in Conventibus Imperii more gerebantur, alioqui Principes haud dubiè questi fuissent. Hinc etiam intelligitur, Electorales obtulisse, ut saltem in hoc Conventu ipsis concederetur *Excellentia*, nullo imposterum præjudicio, nam in aliis Conventibus Imperii veteres titulos formulasque retentum iri; denique Electorales *Excellentiam* sibi non ut missis à singulis Electoribus, sed ut Collegii Electoralis membris postulasse, velut ad Imperii splendorem pertinentem. Principes autem declarasse, suos Ministros esse Deputatos ad Conventum Imperii, nec alios esse Ministros Electorales, adeòque se nihil innovatum velle, neque cæremoniarum exteris usitatarum in Conventu Ordinum Imperii rationem habendam esse. Itaque concludo, nihil actum esse Monasterii, quod Principibus præjudicare possit, quoniam secundum normam, in Tractatibus præliminaribus Hamburgensibus præscriptam, non nisi Deputatos ad Conventus Imperii misere, qui Osnabrugæ ac Monasterii celebrabatur, illuc Evangelicis Statibus, huc Catholicis coëuntibus. Deputati autem isti veteri cæremoniali in Imperii Conventibus usitato insitere, & Electoribus, Legatos se ad exteros ferentibus, novaque in conventu molientibus, contradixere. Quòd autem Legatorum titulis ac formulis usi non sunt, cùm neque Legati neque Ablegati essent (ut explicui) nihil aut Electoribus concesserunt, aut juri

Legationis Dominorum detraxerunt : denique sub finem negotii vicisse visi sunt, atque illud tandem obtinuerunt, ut Electorales cedentes, in subscriptione prorsus, ut in Præliminaribus Tractatibus, eodem cum ipsis jure censerentur, omnesque communi nomine modò Deputati, modò Legati Plenipotentiarii (vide infra Cap. 60. hujus num. 3.) appellarentur. Quare etiam Pax propriè non nisi inter Imperatorem & Imperium ab una, & Coronas ab altera parte inita est, & Electorum pariter atque Principum Ministri, non ut contrahentes per se ac sigillatim (quemadmodum Noviomagi à quibusdam fiet) nec proinde ut Plenipotentiarii Legati vel Ablegati, sed ut Deputati ad Imperii contrahentis Conventum intervenere, quemadmodum ex ipsis tabulis pacis patet, quarum initio non aliorum contrahentium fit mentio quàm Ministrorum Cæsaris & Coronarum, quanquam sub finem etiam Ordinum Ministri, ut in aliquo Imperii Recessu fieri solet, signaverint : quæ quisquis intelliget, facilè agnoscet, nihil actum esse Monasterii, cujus Principes pœniteat, neque exemplo Deputatorum ab ipsis ad Conventus Imperii missorum contra Legatos eorundem ad congressum exterorum destinatos abutetur. Tametsi, ut suprà dixi, non sint hi Deputati Plenipotentiariis inferiores & hodie meritò simul pro Plenipotentiariis habeantur.

CAPUT XLVIII.

CONclusâ jam pace Westphalica, in aliis postea Imperii Conventibus eadem controversia recruduit; Electoralibus tamen Ministris nonnihil, ut apparuit, de fervore remittentibus. Nam cùm Monasterii atque Osnabrugæ omnes, exceptis Saxonicis, *Excellentiam* sibi acriter postularent, contra in Comitiis Ratisbonensibus anni 1653. & 1654. omnes remissius egere, Bavaris tantùm exceptis : cùm viderent, alioqui consilia conferri non posse de Republica, omnesque congressus vel impediri, vel difficiles reddi, & homines judicarent, quando mutua inter Electores & Principes sit salutario, *E. Liebde*, incivile esse, (ut vir quidam doctus in Lucerna Imperii ait) *à Mandatariis plus prætendi quàm Principalibus competit*; *inde esse*, *quod compellatio hæc nova* (Excellentiæ) *in Imperii Conventibus intermittatur.* In iisdem Comitiis, cùm Elector quidam Electorum atque Principum Legatos tecto capite audiret, alii se vicissim texêre, alii venire recusarunt, quæ res fecit, ut Elector tandem hæc inusitata omiserit. Finitis porrò Comitiis, secuta est Deputatio Francofurtensis, anno 1655. in qua sub initium Conventus controversia de *Excellentia* rursus agitari cœpit, minore tamen Electoralium successu, quàm antea unquam. Nam cùm duo Comites *Fürstenbergii*, alter Coloniensis, alter Bavaricus Minister Deputatus, à Cæsareis Deputatis Episcopo Wormatiensi, Comite *Wolkensteinio*, & *Cranio* *Excellentiam* sibi dari vellent,

vellent, repulsam passi sunt. *Volmarus* verò, qui inter Principes Directorium exercebat, velut Legatus Archi-Ducis Austriæ, negavit ullum exemplo suo Principum collegio præjudicium creatum iri. Hoc amplius nec ipsis Electoralibus conveniebat inter se, nam Saxones veteri usui insistentes *Excellentiam* à nemine exigebant; præterea hactenus primarii Electorales (hi enim soli *Excellentiam* sibi vendicabant) fuerant Comites aut Barones; tunc verò *Portmannus* Deputatus Brandenburgicus & *Hammius* Palatinus, primarii & ipsi, vel certè nullum alium ante se habentes, eodem jure uti volebant quo cæteri: quod duo illi Comites minimè probabant. Atque ita *Excellentia* illa Deputatorum Electoralium sic satis adhuc incerta fluctuabat. Nec postea in ullo Imperii Conventu confirmatior reddita est, quemadmodum novissima Comitia testari possunt. Denique cùm conderetur fœdus, quod *Rhenanum* vocant, & quidam vellent distinctè nominari *Legatos* ac *Deputatos*, quasi prius nomen Electorum, posterius Principum Ministris conveniret, surgentes quorundam Principum Ministri evicêre, ut omnes sine discrimine Legati appellarentur, assentientibus, qui aderant, Coronarum Ministris.

CAPUT XLIX.

QUoniam verò video, nonnullos ad stabiliendam Electoralium præeminentiam abuti more Imperii, ubi Legati Electorales, in solennibus actibus Dominorum locum tenent, ac ne Principibus quidem præsentibus cedunt, ideò paucis ostendendum est, quam nihil inde duci possit in rem præsentem: quanquam & supra nonnulla huc pertinentia attigerimus. Primum controversiæ hujus Exemplum à *Caroli V.* Coronatione Aquisgrani 1520. celebrata reperitur. Cùm enim Elector Saxoniæ ob infirmitatem Coloniæ substitisset, à *Johanne* Clivensium Duce, 400. equitum manu stipato, Legatis ejus de ordine equitandi controversia mota legitur, ita ut pompam istam, qua Germania non viderat illustriorem, nox interpellaverit, ut ait *Sleidanus*; ubi rectè notatum est à *Bertramo* in libro *de Comitiis*, & post ipsum *Limnæo*, fundamento caruisse Cliviensis prætensionem. Legati quippe Electorum, ut maximè post cæteros in persona præsentes locentur Electores, non tamen publicis in actibus aliis Principibus qui & ipsi adsunt, posthabentur: per publicos autem actus intelligit solennes, ut subjecta materia postulat, qualis erat scilicet Inauguratio *Caroli V.* Ratio hujus conclusionis manifesta est, quia separatim equitant aut sedent Electores eorumque Legati, separatim & Principes aut Legati Principum. Itaque in omnibus actibus, ubi collegialiter sive curiatim comparetur, nulla inter Legatos Electorum ac Principes controversia nasci jure potest. At vero extra illos actus solennes, &, ut ita dicam, Collegiales, rideretur profectò Legatus Electoralis, qui magno Principi,

 quem

quem Cæsar ac Reges colunt, quem Electores, ut æqualem suspiciunt, controversiam moveret. Hinc mirum esse non debet, in collegio Electorali præsentem Electorem sedere ante aliorum Electorum Legatos, & præsentem Principem ante Legatos aliorum Principum, quemadmodum in Comitiis anni 1641. & 1654. non verò ideò principem ante Legatos Electorales quippe in alio Collegio intervenientes. Notandum tamen Austriacum, Burgundum, & Salisburgensem Legatos nihilominus, in scamno Ecclesiasticorum Principum sedere ante alios Episcopos præsentes, Directorii scilicet intuitu, de quo Austriacus & Salisburgensis (inter quos Burgundus medius sedet) alternant. Sed hæc omnia intelliguntur, ut dixi, de solenni Comparitione aut Sessione, non verò ad alios actus extenduntur. Unde Autor *der Grundfeste: Solches verstehe sich nicht weiter, als auff die* Session *im Reichsfürsten-Raht, sintemahl bey andern Begebenheiten, es sey auf den Reichstägen, oder sonsten, ein Fürst in Person intermeldten eben so wenig als den Churfürstlichen Gesandten die* Præcedentz *verstattet.* Porrò, quòd dixi de Collegiis non permiscendis, adeo verum est, ut etiam in ipso Collegio Electorali placuerit paria Electorum binorum junctim equitantium non esse permiscenda. Nimirum cùm in solenni Pompa equitant circa Imperatorem, insigniaque officii non gestant. Hoc placuit schema:

	Colon.	Saxo	Palatin.
R. Bohem.	Imperator.	Trevir.	
	Mogunt.	Bavarus	Brandenb.

Quòd si absentis Legatus adsit, cæteris loco non motis, semper in pari suo Sinisterior erit. Ut, si ponamus Saxonem ipsum adesse, Bavari Legatum tantum; schema erit:

	Colon.	Bavari Legatus	Palatin.
R. Bohem.	Imperator	Trevir.	
	Mogunt.	Saxo	Brandenb.

Atque ita Bavari Legatus locum habebit supra Brandenburgicum & Palatinum, quippe Cæsari propiorem, at infra Saxonem quippe Sinisteriorem; si verò insignia officii gestanda sint, tunc munere fungetur non Legatus, sed Imperii Subofficialis, ut, verbi gratia, loco Bavari *Dapifer de Waldburg*, isque eodem planè loco, quo ipse Elector, si adesset. Hinc ergo intelligitur à solennibus functionibus argumentum nullum duci debere ad ea, de quibus nobis quæstio est. Itaque etiam Capitulationes Ferdinandeam ac Leopoldinam, de ejusmodi solennibus Curiæ actibus interpretari oportet; nisi malimus dicere, Electores rem postulâsse ridiculam, ut Principes magni Electoralibus cedant Legatis, qui tamen ne Regiis quidem cedant in domo sua, nedum in aliena. At verò, inquies, Legati Regii præcedere contendunt Principes. Respondeo, eandem ab ipsis controversiam moveri Electoribus; nam suprà ostendi, Nuntium & Lega-

Legatum Anglicum pompa solenni Inaugurationis *Caroli V.* abstinuisse, quod cedere nollent Electoribus & eandem Francofurti nuper mentem fuisse Nuntio Apostolico & Legato Hispanico, cùm *Leopoldus* coronaretur, ostendi supra cap. 8. ex relatione *Galeacii Gualdi*, quam satis patet ex ipsius Nuntii aut familiarium commentariis sumptam esse. Itaque ne hac quidem in parte habent Electores, quo à præcipuis Imperii Principibus distinguantur. Sunt, qui discrimen essentiale inter Electores & Principes ex eo sumi posse putant, quod illi separatas habent mensas, cùm Imperator recens coronatus in publico cibum solenniter capit; hi verò mixti sedent. Sed præterquam, quòd ista ad pompam pertinent, cui Electores ratione Officiorum interveniunt, neque extra illum actum porriguntur, sciendum est, etiam in Cæremoniali *Christophori Marcelli*, Archiepiscopi Corcyrani, ita Reges ab Imperatore distingui apud Papam in publico cibum capientem, ut Papa & Imperator suam quisque habeant mensam, cæteri Reges uni mensæ mixtim assideant, *en foule*. Unde hoc saltem sequeretur; non magis Principes distingui ab Electoribus, quàm ab Imperatore Reges. Sunt qui Electores & Principes in eo quondam discretos putant, quod illi Regibus dignitatem Regiam tantùm ascriberent, hi verò Majestatem; sed hoc falsum esse, patet ex eo quod in Comitiis Ratisbonensibus anni 1641. cùm de literarum, Regibus Galliæ & Hispaniæ scribendarum, forma deliberaretur, visum est, simul scribere: *Regiam Dignitatem & Majestatem*, illam nomine Electorum & Principum, hanc nomine urbium Imperialium, ut ex Actis publicis patet. Quidam aliud discrimen in eo esse situm putant, quòd Electores Legatis Regiis ne domi quidem suæ cedunt, quod tamen faciunt Principes. Sed hoc quoque verum non est Nam Bavarum nondum Electorem & Neoburgicum hoc minimè fecisse constat, ut infra dicam; & contra autor Collectaneorum *de Legatis* refert, Electorem Saxoniæ aliquando cuidam à Galliæ Rege ad ipsum sine ullo charactere misso primum mensæ suæ locum dedisse; idem narrat in nuptiis Principis Daniæ & filiæ Electoris Saxoniæ Electricem collocatam infra Legatos Cæsareum & Gallicum, cùm tamen in hujusmodi negotiis plus etiam honoris fœminis quàm viris haberi postulet urbanitas. Nimirum apud multos locus potior, quem quis alteri domi suæ concedit, potiùs ad civilitatis arbitrium quàm regulas cæremoniales pertinere visus est. Unde supra cap. 34. adduxi exemplum Magni Ducis Hetruriæ, qui Legato cuidam Hispanico Romam destinato etiam recusanti locum superiorem dedit, quod alioqui fieri non solet. Sed quòd Elector Palatinus Cardinali *Richelio* in Domo ipsius Cardinalis cessisse dicitur, id tanto magis animadvertendum, quòd tunc recenti injuria affectus à Gallis non haberet, cur illis multum deferret. Et certè quisquis in re cæremoniali exempla colliget, cuncta fere incerta ac fluctuantia deprehendet, usque adeo ut Abbas Urspergensis memoret ad annum 1050.

Papam ipsum Archiepiscopo Moguntino in sua Diœcesi post multam contentionem cessisse, ratione motum, quæ planè hodiernis sententiis (nam sæpe etiam inferioribus in domo nostra cedimus,) contraria est; quanquam id à *Baronio* vehementer improbetur. Quoniam ergo hodie in ea tempora incidimus, in quibus omnia ad vivum resecantur; ratione, non exemplis veteribus pugnantibus & sæpe absurdis, utendum est ad constituendos cuique honores; sin minus, nunquam pugnarum ac contentionum finis erit, donec cuncta ad modum naturæ consentaneum reducantur. Cùm ergo suprà ostenderimus, Electores pariter & præcipuos Imperii Principes in eadem esse causa, quoad libertatem ac potentiam, nec nisi functionibus quibusdam ad intrinseca Imperii negotia pertinentibus differre; consequens est, ut nec dignitate atque honoribus, qui Suprematum habentibus aut eorum Legatis tribui solent, separentur.

CAPUT L.

Quoniam verò duobus potissimum exemplis hodiernis usuros nos diximus, Electorum Imperii & Principum Italiæ; & quod ad Electores attinet, planum fecimus, legitimum inde argumentum à nobis peti: superest ut *exemplo* quoque *Principum Italiæ* insistamus, idque tanto efficacius, quanto minùs apparet, non dicam, ratio, sed in plerisque ne color quidem discriminis ullus. Itali Principes sunt Dux Sabaudiæ, Magnus Dux Florentiæ, Dux Mantuæ, Dux Mutinæ, Dux Parmæ; nam Mediolani Ducatum Hispanus tenet, Ferrariam Papa sibi vindicavit parte ditionis Mutinensi relicta. Memorabantur olim Dux Venetiarum & Dux Genuæ. Nam & ex cæremoniali Romano constat, Ducis non Reipublicæ factam mentionem. Et de *Venetis* jam aliquoties diximus, superiore demum seculo eos obtinuisse honorem Salæ Regiæ in aula Romana, cùm antea eodem cum cæteris Ducibus jure uterentur. Ex eo tempore effecere in Gallia & alibi passim, ut Legati Veneti à Legatis Coronatorum Capitum non discernantur, quod satis apparet ex libro inscripto *il Maestro di Camera*, quem supra produximus. Electoribus olim postpositos Venetos, imo & Burgundiæ, Sabaudiæ ac Mediolani Duci, patet ex *Cæremoniali Paradis de Grassis*, loco supra cap. 44 adducto; sed & Bavari nondum Electoris Legati controversiam loci Venetis movere Tridenti. Hodie Sabaudus cedit Venetis, Electores non cedunt. Veneti, pro more Italorum perpetuo, amplificandis honoribus invigilantes anno 1636. Decretum Cæsaris elicuerant, quo Legatis eorum locus ante Electorales dabatur; sed huic postea in Capitulatione Leopoldina nominatim est derogatum. Romæ & in Gallia Veneti & Regii Legati nullo discrimine habentur, qui honor nec Sabaudis, nec Florentinis, nec Genuensibus habitus. In Aula Cæsarea & Hispanica variatum, prout Venetis gratificari

tificari aut ægrè facere præsenti rerum statui congruentius visum. Comes *Ognatius* Legatus Hispanicus apud *Ferdinandum II.* & *Gondemarius* apud *Jacobum* Angliæ Regem Legato Veneto *Excellentiam* dare noluere: idem fecere eodem ferè tempore Comes *de Kevenhüller* Legatus Cæsaris ad Regem Hispaniarum & Comes *Sarazenburgicus* Legatus Cæsaris ad Regem Angliæ. Sed Monasterii omnium consensu Legato Veneto plenus honor habitus est, nec ab eo tempore in dubium revocatus. Itaque in Gallia nihilo minore apparatu Venetus quàm Regius Orator excipitur. Jus Legati *Sabaudiæ* nonnihil fluctuavit, Sabaudiæ Comitem *Sigismundus* Imperator creavit Ducem, cujus exinde crevit autoritas, eousque ut Legati ejus haberentur ante Venetos, sed *Emanuel Philibertus* inter *Carolum V.* & *Franciscum I.* jactatus, reipublicæ amicitiam quæsivit, & filii S. Marci nomen sumsit, & Reipublicæ cessit, ea conditione tamen, ut quoad cætera Legati ejus Venetis æquales haberentur. Extat de *Controversia inter Venetos & Sabaudum* Libellus *Theodori Grasvinkelii*, ubi ista fusè discutiuntur. Porrò Sabaudi Legatus *Excellentiæ* titulo usus est inter primos. Olim ille titulus non nisi summis principibus dabatur, cùm nondum Celsitudo frequentaretur; postea mansit Principibus minoribus, sed ex Serenissima familia profectis; quanquam his quoque hodie Celsitudo tribui soleat. Cùm ergo *Ludovicus* Nivernensis *Henrici IV.* ad Pontificem Legatus, Excellentiæ titulo meritò uteretur, velut Princeps ex familia Mantuana, Legatus Hispanus, æmulatione motus, eundem sibi titulum dari curavit; secutus est Venetus, & Sabaudus, qui, quo faciliùs obtinerent ab aliis, eum sibi mutuò dabant: sed cùm postea inter successores ortæ essent simultates, Venetus Sabaudo *Excellentiam* negavit, quam tamen Nuntium Apostolicum concedere non ignorabat. Monasterii Nuntius Legato Sabaudo *San-Mauritio Excellentiæ* honorem habere noluit, provocans ad Exemplum Cæsareorum atque Hispanorum: Galli tamen & Bavari faciliores fuere. Tandem *Innocentius X.* Pontifex decrevit, *Excellentiam* Sabaudo pariter & Florentino Legato non abnuendam. Primæ quoque Visitationis honor Sabaudi Monasterii habitus etiam à Nuntio aliisque, qui *Excellentiam* tribuere illi nolebant; Sabaudus similes Regiis honores sibi tribui & Legatis suis tantundem concedi postulat, quantum Venetis datur; sed hactenus frustra: tametsi hac inprimis spe *Victor Amedæus* Cypri se Regem tulerit, & Cardinalibus *Eminentiam* Venetorum Exemplo negavit, quam secundum Decretum Congregationis Rituum anno 1630. sub *Urbano VIII.* promulgatum omnes exceptis Regibus Cardinali debent. Sed tametsi Legatus Sabaudiæ Ducis caput tegat coram Rege, nondum tamen efficere potuit, ut honor receptionis idem, qui Veneto, ipsi haberetur, qua de causa Marchio *de Villa* Lutetiam incognitus intravit potiùs, quàm ut aliter, quàm Venetus solet, reciperetur. Illud animadvertendum, soli ex Principibus Italiæ Sabaudo Regem Galliæ olim fratris appellatio-

pellationem adſcripſiſſe (ut notavimus ſupra ex illis formulis quæ tom. III. Commentariorum *Villaregii* extant) & Electores quoſdam Imperii circa annum 1658. pactos, ut Sabaudo Celſitudinis Regiæ honor haberetur. Sabaudo viciſſim Electoribus præcedentiam ſpondente, vel potius dudum debitam agnoſcente. Certum eſt enim, Electores ſemper ante omnes Italiæ Principes fuiſſe, tametſi nec olim à Rege Chriſtianiſſimo *fratres* appellarentur, nec hodie Legati eorum ſe tegant coram Rege, quorum utrumque Sabaudis non negatum. Unde irregularitas cæremoniarum hactenus in Gallia receptarum apparet. Sed nobis interea ſufficit, Sabaudi Legatis *Excellentiam* à pleriſque, primæ verò viſitationis, & credo etiam loci potioris honorem, ni fallor, ab omnibus conceſſam eſſe. *Magnus Dux Hetruriæ* hodiè à Sabaudo non diſtinguitur, quantum ad honores attinet, qui vel Dominis vel Legatis debentur. Hoc Romæ, hoc Lutetiæ extra controverſiam poſitum. Inter ipſos Florentinos Sabaudoſque crebræ non ita dudum lites. Olim cum Ferrarienſi certavit Florentinus, licet jam Magnus Dux creatus eſſet, & à Pontifice ac Cæſare cautum, ne quid illa creatio præjudicii aliorum dignitatibus adferret. Mirum eſt, Florentinum cùm hoc obtinere non poſſet à Pontifice, ut Rex crearetur, obſtante Cæſare *Maximiliano*: non ſaltem id effeciſſe, quod Veneti jam obtinuerant, ut haberetur Legatis ejus honos, qui Regiis: ita Magni Ducis appellatio aliquid ſaltem præter nomen attuliſſet. Sed credo tunc, ne ipſos quidem Italos eò, quò nunc, ingenioſæ ſcrupuloſitatis perveniſſe. Poſteà *Ferdinandus Coſmus* Hetruriæ Dux prætextu ſignificandi obitus Patris ſui *Ferdinandi* & continuaturæ à ſe amicitiæ Legatum *Coloredum* ad pleroſque Germaniæ Principes miſit, eo ferè conſilio tantùm, ut ſibi *Sereniſſimi* titulum ambiret: nam Legato in mandatis dederat, ut ne aliter ſcriptas literas reciperet. Sed, quod ſupra diximus, ſufficit, Florentinum in eadem cum Sabaudo cauſa eſſe videri. Legatus quoque *Mantuanus* ſe coram Cæſare & Regibus Galliæ atque Angliæ tegit; mirum eſt verò, Hiſpaniæ Regem id permittere noluiſſe, qui tamen ſe fortè nunc faciliorem præbet, præſertim ex quo Mantuana familia Auſtriacæ aliquoties illigata eſt. Cùm Legatus Mantuæ Ducis Monaſterium veniſſet, *Excellentiam* à Legatis Galliæ obtinuit, Nuntius reſiſtit, Cæſareanorum exemplo. Unde intelligi poteſt, parum rectè Gallos hodie erga Sereniſſimos Germaniæ Principes nihil niſi poſt Cæſareos facere velle; cùm tamen Monaſterii erga Sabaudum & Mantuanum facilitate primi fuiſſent, non expectato Cæſareorum exemplo. *De Mutinenſi & Parmenſi* non eſt, quod multa dicamus: nam non eſt, cur à Mantuano diſcernatur, & Duces ipſi Gallia, Parmenſis *Richelii*, Mutinenſis *Mazarini* temporibus maximis ac penè invidendis honoribus culti ſunt, unde dubium nullum eſt, Legatos quoque eorum in eo honore eſſe, qui cæteris Italiæ Principibus conceditur.

CAPUT

CAPUT LI.

HInc ergò constat plerosque Italiæ Principes hodiè pleno Legationis jure frui, & Legatos eorum non nisi in paucis à Regiis distingui. Quanquam enim ea solemnitate non recipiantur, quæ Regiis & Venetis Batavisque præstò est: tamen tegunt se coram Regibus, (quod nondum Electorales obtinuere) & in aliquo Legatorum inter se invicem congressu, *Excellentiæ* & primæ visitationis locique potioris honore fruuntur, quod nunc in Electoribus & haud dubiè mox in Serenissimis Germaniæ Principibus extra controversiam erit. Superest ergò, ut ostendam, id jure fieri, & Italos ab Electoribus, & nihilo minoribus Germaniæ Principibus, non nisi ineptè aut malignè divelli. Hoc mihi fatebitur, quisquis agnoscet, plerosque omnes Italiæ Regulos, aut Respublicas, Sacri Imperii Principes atque civitates esse; itaque Italiam penè totam Imperii patrimonium fuisse usque ad *Friderici II.* obitum, constat inter omnes, & maximè ex *Regno Italiæ Caroli Sigonii* intelligi potest. Idem *Sigonius*, quem plerique secuti sunt, refert *Rudolphum I.* Cæsarem in Germania constituenda satis occupatum, nec ad longinqua aspirare ausum, plerisque Italiæ Civitatibus libertatem plenam vendidisse. Quod si verum esset, credibile est, extituras uspiam tabulas authenticas, quibus vel in unica ex tot Civitatibus probari tanti momenti actus possit. Sed nemo scriptorum Italorum tale quippiam uspiam produxit, quanquam nihil ambitiosius affectent, quàm gentis suæ libertatem; & Genuenses ipsi à Marchione Finaliensi lite pulsati apud Cæsarem *Maximilianum II.* non nisi ad *Caroli V.* tabulas confugere, quibus libertatem, sed frustra, probare conati sunt. Quamque ista *Rudolphi* alienatio falsa sit, nullâ re magis constat, quàm præclarâ in Italiam expeditione magni Imperatoris *Henrici* Luxemburgii, cui nemo profectò Italorum, *Rudolphi*, licet recentis (nam *Alberti*, qui *Henricum* præcesserat, pater fuit) diplomata aut renunciationes objecit. Unde credibile est, quædam fortè privilegia ac regalia (ex illis scilicet, quæ Imperio reservavit *Fridericus I.* in pace Constantiæ in Comitiis anni 1183. condita, cujus textum *Baldus* commentario illustravit) tunc à *Rudolpho* remissa fuisse. *Henricus* autem à *Clemente V.* Pontifice Avenione agente in Italiam evocatus est, ut turbatis fœderibus unius autoritas mederetur. Italia tunc miserè distracta erat, diuturna Cæsarum, & novissima Pontificis absentia: urbes passim tyranniones premebant, *Scaligeri* Veronam, *Passerini* Mantuam, *Carrarienses* Patavium, sed & Veneti Ferrariam, Florentini Pistoiam expugnaverant. Imperator cùm Bohemiæ regnum filio *Johanni* procurasset, stabilitis in Germania rebus, Italiam magno bonorum applausu ingressus est; Mediolanensibus subactis vicarium imposuit, Cremonensium muros dejecit, Brixiam evertit. Quo

territi Mantuani, Veronenses, Placentini, Patavini, Tarvisini imperata se facturos datis obsidibus spopondere. Inde Genua ac Pisæ victori cessere: Romæ coronatum, jamque in Florentinos moventem, mors deprehendit, quam veneno in Sacra hostia dato adscribunt. *Ludovicus* Bavarus successor res Italiæ minimè omisit: initio Imperii *Galeatio* & *Cani Scaligero* Gibellinis auxilia Mediolanum ac Patavium misit; in Conventu Francfortensi *Castrucio* Lucæ Vicariatum dedit, ingressus in Italiam Mediolani Coronam regni Lombardiæ accepit, *Galeatium* in vincula conjecit; sed intercedente *Castrucio* restituit; Romæ Coronam Imperii sibi imponi curavit. Inde redux *Johannem* Regem Bohemiæ *Henrici* Luxenburgensis filium in Italiam ablegavit, is Brixiam, Bergomum, Lucam, Parmam, Rhegium, Mutinam urbes subegit; per filium *Carolum* Vice-Comites, Mediolanensem, Mantuanum & *Rainaldum Estensem* in ordinem redegit. Is *Carolus* postea Imperator Vice-Comitem Mediolanensem *Galeatium II.* perpetuum per Lombardiam Cæsaris vicarium constituit; formulam fiduciæ sive Investituræ se vidisse ait *Bodinus*. Postea *Wenceslai* ignavia & *Ruperti* debilitas Italos turbones rursus erexit, & secutum schisma in Ecclesia quod ægrè *Sigismundus* Imperator tollere potuit, confirmavit. *Fridericus* tamen Austrius ejus nominis *III. Sigismundi* successor Romæ coronatus, Italiam in Officio retinere studuit; sed filius ejus *Maximilianus* paulo efficacius verbis arma junxit. Hujus Majestatem Veneti in angustias redacti agnovere; Florentini ab eo quadraginta aureorum millibus Privilegiorum confirmationem redemere. *Julius II.* Papa numeratis aureorum triginta millibus obtinuit, ut Senensis Civitas Urbinatium Duci in Feudum daretur, quemadmodum habet *Bodinus* ex *Guicciardino*. Quanto nominis sui Gloria Imperii Majestatem in Italia asseruerit *Carolo V. Maximiliani* nepos, notius est, quàm ut huc referri debeat. Sed nunc paucis per Italiæ Principes præcipuos eamus, ut propiora nostris temporibus Imperii in eos jura intelligamus.

CAPUT LII.

SAbaudum Imperii vasallum esse, res indubitata est; *Bodinus* Instrumentum mandati à Sabaudiæ Duce, Investituræ in melius reformandæ causa, cuidam in Cæsaris aula Comiti missi, anno 1561. sibi visum ait. Sed res extra dubium erit inspicienti Instrumentum pacis cum Gallia Monasterii initæ, ubi hæc habentur: *Cæsarea Majestas decenter requisita concedet Domino Duci Sabaudiæ unà cum investitura antiquorum feudorum & statuum, qualem inclytæ memoriæ* Ferdinandus II. *Duci Sabaudiæ* Victori Amedæo *concesserat; Investituram quoque locorum, ditionum, statuum omniumque jurium Montisferrati cum appertinentiis, quæ illi vigore prædicti tractatus Cherascensis, nec non executionis inde subsecutæ decreta & remissa fuerunt,*

fuerunt, &c. Ad Comitia quoque vocatur Dux Sabaudiæ, ibique sæpe comparet per Deputatum, sed & relatus est in Breviarium Imperii sive Matriculam, eique adscripti sexcenti pedites & ducenti septuaginta septem equites ad Imperii usus mittendi, vel mille octingenti viginti & octo floreni. Trecentos florenos confert ad Cameralis Judicii sustentationem. Imò superioris seculi anno vigesimo quinto ab Imperiali Camera proscriptus est, ut refertur in Symphorematis *Gylmanni*, voce *Bannum*: & in recessibus Imperii aliquoties vocatur *Princeps*, *membrum*, *Vasallus* Imperii. In recessu Ratisbonensi 1541. §. *nachdem aber des H. Reichs*: & Recessu Spirensi 1544. procem. Sedem locumque in Comitiis habet post Brunsvicenses, Megalopolitanos, Würtenbergicos & Holsatos; ipse se vocat, *Prince & Vicaire perpétuel du S. Empire*. Vicariatus hæc vis est, ut, quamvis ab Imperatore dependeat, actus tamen Imperiales exercere possit, ut Marchiones, Comites, Nobiles creare; homagium Feudorum Imperii vice accipere; controversias velut delegata ab Imperatore autoritate terminare; aliaque id genus Imperiali nomine exercere. Additum, ut ne quis Comes Palatinus Imperialis in districtu, qui Vicariatui Sabaudi assignatus est, officium suum explicare possit. Unde patet ipsum Ducem quodammodo Comitem Palatinum perpetuum & unicum ibi constitutum; cùm verò Mantuanus hunc Sabaudi Vicariatum turbaret, & ad se traheret, Electores à *Leopoldo* Cæsare in capitulatione stipulati sunt, ut Mantuano ea re interdiceretur. Ex his ergo omnibus apparet, quàm nullo Jure Sabaudus ab aliis Serenissimis Imperii Principibus distingui possit, cùm & Saxonica stirpe & serti rutacei insignibus glorietur. Nec refert, quod quædam pleno jure tenet, ut apparet etiam ex Instrumento Pacis Monasteriensis dicto loco, nempe Rocheveranum, Olmum & Cæsolam, hæc enim non sunt tanti; præterea locum Instrumenti Pacis aliqui ita explicant, non quòd illæ ditiones non subsint Imperio, sed quòd non sint Feuda Imperialia. Nam quod est in territorio, præsumitur esse de territorio, nisi contrarium probetur; adeoque Imperium in omnia illa loca habet fundatam intentionem, donec sint, quæ justo titulo eximi doceatur. Jus in Regnum Cypri hîc non discutio, quanquam *Victor Amedaus* anno 1633. coronam antea Ducalem clauserit, & Legatos suos obedientiam Pontifici more solito denuntiantes in Atrio Regiis tantum Legatis destinato, *nella sala Regia* recipi, sed frustra postularit. Nam nec ista satis liquida sunt, neque unquam Cyprus illi à majoribus ejus possessa, & si hujusmodi prætensiones hic audimus, erunt, credo in Gallia, qui se Imperatores Constantinopolitanos, Duces Athenarum, fortè & Neapoleos Reges ferent, & quid non? sed esto illud jus, quantumcunque libuerit, illud tamen constat, nullos novos honores *Victorem Amedæum* ejusque successores illius causa impetrasse, nisi nudum Celsitudinis Regiæ nomen. Quare hoc loco in rationes id non veniet, cùm

 nobis

nobis sufficiat, eadem pro Germaniæ Principibus supremis impetrare, quæ Sabaudo ob suprematum, quem re ipsa tenet, conceduntur, quando nihil interesse certum est; neque enim Sabaudus liberior censeri debet, quam multi alii Principes, tametsi fortè ob distantiam aliquando plus, quàm jus permittit, aut conditio Principis Imperii fert, usurpavisset. *Dux Mantuæ* (qui olim Marchio appellabatur) se Principem Imperii vocat, & Vasallum agnoscit, ut ait *Bodinus*. Nec investituram tantùm recipit, sed & in summis Imperii Tribunalibus conveniri potest, quemadmodum patet ex Instrumento Pacis Monasterii inter Imperium & Galliam factæ, cujus verba sunt: *Similiter declarabit Imperator, Investitura Ducatus Mantuæ comprehendi Castra Regioli & Luzzaræ cum suis territoriis & dependentiis, quarum possessionem Dux Guastallæ Duci Mantuæ restituere teneatur, reservatis tamen eidem juribus pro sex millibus scutatorum annuorum, quæ prætendit, de quibus agere, & judicio experiri coram sua Cæsarea Majestate valeat adversus Ducem Mantuæ.* Origo horum Ducum longè infra plerasque Germaniæ Principum. Cùm aliquando Mantuanus cum Sabaudo de dignitate contendisset, objectum est à Sabaudo, *Ludovicum Gonzagam* civem fuisse Mantuanum circa annum 1327. natum matre ex familia *S. Martini* subdita Sabaudis, urbem anno 1369. in potestatem redegisse, ut Vicarium Imperii tantùm, quam sine ullo dignitatis titulo posteri ejus tenuerint usque ad annum 1433. tum primum *Johannem Franciscum Gonzagam* creatum Marchionem Mantuanum ab Imperatore *Sigismundo* & *Fridericum* à *Carolo V.* demum anno 1530. Ducem appellatum. Duci Sabaudiæ jam olim à Venetis Gubernatoribus Mediolani *Celsitudinem*, Mantuano tantùm *Excellentiam* tributam; *Emanuelem Philibertum* Mantuano dedisse non nisi *Excellentiam*, & tamen ab eo *Celsitudinem* recepisse. Cùm olim Sabaudus à Regibus Hispaniæ *Illustrissimus* appellaretur, Mantuanum tantùm dictum *multum Illustrem*. Sabaudiæ Legatum habere sedem certam in Sacello Romæ, in Gallia, Venetiis. Mantuanum autem in nullo Sacello Regio. Quæ omnia atque his plura in Tomo X. Mercurii, olim Gallicè editi, leguntur. Unde apparet, nihil objectum esse Principibus Germaniæ, quod non justius multò opponi Mantuano possit. Montisferratensem Marchionatum *Carolus V. Friderico Gonzagæ* fiduciario jure concessit, *Maximilianus II.* anno 1573. ad Ducatus honorem evexit. Casalenses per sententiam Cæsaream Montisferrati Principatui addicti sunt. *Florentinos* Imperio quondam subditos nihil unquam exemit; nam venditionem *Rudolphi I.* supra explosimus; certè *Henricus* Luxemburgicus Florentinis imminebat, nisi mors ejus arma stitisset. A *Maximiliano I.* Florentinos renovationem Privilegiorum impetrasse, supra diximus, hoc autem constat nisi à subditis non peti solere. *Carolus V.* Florentinos subegit, velut Majestatis reos concessis immunitatibus spoliavit, & ut *Clementi VII. Medicæo* gratificaretur, *Alexandrum* ex eadem familia

familia Principem civitati imposuit, sibique generum accivit, privilegia illi, quæ olim civitati concessa erant reddidit; adjecta (ut inter Imperii subditos fieri solet) decem Marcarum auri pœna in violatores, ut habet *Jovius*. Et Cæsareum Diploma ita conscriptum fuisse, notat *Guicciardinus*, ut appareret, *Carolum* velle, quæ egisset, non concessâ à partibus potestate tantùm, sed & Cæsarea auctoritate dignitateque niti. Nec tamen eo minus & *Alexander Medicæus* eo diplomate usus est, & Florentini se id servaturos juravere. Senas Imperator *Philippo* filio in Feudum dedit. *Philippus* Hispanus *Cosmo* in sub-feudum concessit. Cùm *Alphonsus* Ferrariensis *Cosmum* tanquam Imperii Beneficiarium (ut ait *Thuanus* lib. 54.) ad dicendam causam citasset, *Cosmus* se judicio sistere coactus est, eo eventu, quem narrat *Thuanus* lib. 60. ad annum 1575. nempe *Franciscum Cosmi* successorem tandem obtinuisse ut Titulus Magni Ducis à Cæsare *Beneficiario jure* confirmaretur. *Medicæam* familiam quoad originem cum plerisque Germanicarum conferri non posse constat, & si verum est ex duobus in eadem dignitate constitutis cedere inferiorem, certè *Medicæi*, non ita olim Duces, vix locum tuebuntur. Sabaudus certè ante *Medicæum* sedit, eique *Pius V.* honorem illibatum servari noluit, cùm *Cosmum Magnum Ducem* appellaret. Hodiéque Sabaudus Italiæ Principum primus à plerisque habetur, certa à Rege Christianissimo fratrem ante alios Italiæ Principes appellatum, supra notavimus. Itaque cùm Sabaudum nihilo præstantiorem habendum præcipuis Germaniæ Principibus, ubertim ostenderimus, non erit cur de magno Hetruriæ Duce aliter sentiamus. De *Parmæ ac Placentiæ* Ducibus non est cur dicamus. Constat enim eos Pontificis esse Vasallos, ut reliqui sunt Cæsaris. *Carolus V.* Parmam & Placentiam *Paulo III. Farnesio* permisit, cujus filius *Petrus Aloysius* eas primum tenuit, sed salvis ut videtur summis Imperii Juribus, quæ Cæsarem, vi jurejurandi Electoribus dati, non omninò alienare posse constabat. Cum *Mutinæ* quoque ac *Regii Ducibus* restat ut transigamus. *Atestina* familia ultra omnem memoriam vetustate assurgit, nullique aliarum nobilitate concedit, certè ex Italicis nulla est quæ diutius floruerit; ut cæteræ omnes si cum ipsa comparentur, nudius tertius natæ videri possint. Hujus originem Itali fere ad *C. Actium* quendam Romanum retulere; Germani plerique ad Saxonem *Witekindum*: ambo potiùs consuetudinem Genealogistarum pessimam fingendi quidvis, quàm idonea argumenta secuti. Equidem illud constat inter omnes ferè Germanos pariter atque Italos scriptores, *Azonem Atestinum Henrici II.* Cæsaris tempore gentis Brunsvico-Luneburgicæ atque Atestinæ Ferrariensis originem fuisse communem. Nam *Wolfgangus* vel *Guelpho IV.* ipsi natus ex *Cunitia* seu *Cunigunda* sive *Conradina* Guelfica (Bavariæ hærede, *Guelfonis III.* ultimi suæ gentis masculi filia) Germanicas ditiones & partem Italarum obtinuit; alter filius *Azo* ex *Judithe Conradi II.* Imperatoris

toris filia susceptus, Marchio *Atestinus* appellatus est, à quo familia Estensis in Italia propagata est. *Guelphonis* filius *Henricus* cognomento *Magnus* vel *Niger* cum uxore *Wulfilde* Saxoniæ Ducatum præterea accepit, ejus filius *Henricus Superbus*; at nepos *Henricus Leo* Bavaria & reliquarum ditionum magna parte exutus Ducatum Brunsvicensem & Luneburgensem posteris reliquit. Est ergo Brunsvico-Luneburgensis domus familiæ *Atestinæ* caput, nam frater *Guelphonis* natu minor *Azo* in Italia Estenses propagavit. Unde intelligi potest, si vera erant quæ jactabant Pontifices, sub exitum superioris seculi familiam *Atestinorum* Italiæ masculam legitimam fuisse extinctam, (quo certè titulo Papa Ferrariensem Ducatum sibi vindicavit,) non deesse rationes quibus successio tot opimarum ditionum saltem pro parte Germanicæ stirpi asseratur. Cæterum de prima gentis origine, & unde sit *Azo* ille Marchio totius familiæ autor, id verò, ut diximus, controversum est, aliis ad *Actium* Romanum, aliis ad *Wittekindum* Saxonem revocantibus. Quinimo sunt docti viri qui asserunt *Atestinam* familiam *Alboini* Longobardorum Regis fortunam secutam, ducentis ante *Carolum M.* annis in Italia floruisse. Sed ab his testes idoneos exspectamus; Hoc verò misso, illud nobis sufficit, familiam Germanicam Estensem & honore primogenituræ (ne quid de rebus gestis dicam) potiorem, neque ulla natalium dubitatione fuisse libatam, quæ Italicam graviter afflixit. Quare nuperus autor Collectaneorum de Legatis, ait, (quanquam id per omnia non probemus) *que le Duc de Modène est sorti d'un fils naturel de la maison d'Este, dont les Princes de Brunsvic & Lunebourg se disent estre les chefs.* Sabaudum *Sigismundus* Imp. Ducem creavit; Parmenses à superiore seculo dignitatem repetunt; *Medicæi* Florentini cives fuere.

CAPUT LIII.

Itaque concludo plerasque Italiæ familias quæ se Serenissimas ferunt, nec generis claritate, nec potentia, nec libertate Serenissimis quibusdam Germaniæ Principibus præferri, nonnullis nonnullas nec comparari posse. Quandoquidem ferè omnes maximam ditionum partem Imperio beneficiariam tenent, Sabaudus etiam in Comitiis comparet, Mantuanus quoque Imperii judicia agnoscit. At verò, inquies, alias quoque ditiones habent plerique Imperio minimè obnoxias. Respondeo, primum, eas ferè exiguas esse, aut utique controversam earum libertatem. Certè *Bodinus*, vir doctissimus, multis ostendit omnes Italiæ Regulos nihil possidere, nisi aut Ecclesiæ Romanæ aut Sacri Imperii beneficio Feudali. Deindè, qui territoria quædam exigua cæteris maximis ditionibus, Imperio sine controversia obnoxiis, undique cincta, in libertatem asserunt, profectò rationes luce clariores afferre debent, alioqui quod in territorio

est

est præsumitur esse de territorio; & Dominus (scilicet Imperator) fundatam habet intentionem. Deinde cùm negari non possit, Imperii, sive, si mavis, Regni Italiæ, omnem illum terrarum tractum fuisse, manifestum est hodieque ejus videri; nisi portio aliqua modo quodam jure approbato, amissa aut derelicta doceatur. Sed esto sanè, doceri plenam ditiunculæ cujusdam libertatem, nihil id quidem ad rem pertinebit, nisi ditio illa per se sit capax Suprematus, ut supra dixi. Regis Ivetotii in Gallia, aliquot pagorum Domini exigua credo fuisset inter Principes Christianos autoritas, tametsi plena libertate gauderet, quoniam ut supra ostendi, nemini Suprematus competit, nisi armipotenti. Denique etiamsi ditio esset capax Suprematus, & ab omni feudali nexu atque obligationis vinculo libera (quales nescio an reperiantur in Italia) non ideo tamen alteri præferenda esset quoad Suprematum; quoniam supra uberrimè ostensum est, Suprematum Principis nihil imminui feudali nexu vel homagio præstito, vel ullo vinculo, quod conscientiam, honoremque obstringit; dummodo brachia ipsi non sint actu ipso ligata, id est dummodo alteri jus non sit ditiones ejus in potestate habere militari manu, sed ipsi omnia integra & subditos coërcendi facultatem esse constet. Itaque nec Electori Brandenburgico Bavarus & Saxo cedent, quod Borussiam omni juris nexu liberam se tenere profitetur, neque Palatini, Brandenburgenses, Brunsvicenses, Duci Holsatiæ Gottorpiensis lineæ quicquam detulêre, ideò quod Slesvicensem ditionem pace Succo-Danica ab homagio absolutam, obtinuit. Porrò nihil refert quod nonnulli Italiæ principes Imperii Vasalli in Comitiis Imperii non comparent; hoc enim potiùs minuit quàm auget eorum libertatem, & qui secus sentiunt, sese & Reipublicæ in universum & Germanicæ in primis parum peritos ostendunt. Nam in unaquaque Republica libera civis ille censetur qui publicis deliberationibus intervenit, & suffragii jus habet, isque illo potior habetur, qui à Reipublicæ gubernatione remotus est, quemadmodum in Polonia nobiles soli cives sunt, quia soli de Republica sententiam dicere possunt. Idque manifesta ratione evincam; cùm enim constet Italos, quos recensui, Duces, esse Principes Imperii, utique suberunt Comitiorum Decretis quousque scilicet Princeps Imperii Comitiis summittitur; itaque alieno tantùm arbitrio subjacebunt, non suo; liberiores futuri, si quoque potestas facta fuisset sententiam inter cæteros dicendi. Constat autem in Comitiis res magni momenti tractari posse, his ergo excludi, & subesse tamen, incommodum non exiguum est, quin & Aula Cæsarea majore res Italicas libertate disponit & versat, quia Comitia & Capitulationes Cæsarem ligantes magis ad Germaniam quàm Italiam pertinere censentur. Ipsa Origo discriminis ostendit, ad gravandos id potius quàm sublevandos Italos pertinuisse. Nimirum Germani Principes, & jus eligendi Regis, & statuendi de Republica sibi sumsere, cui noluerunt intervenire

Italos,

Italos, velut victos & subactos. Nempè, ut ait vir quidam doctissimus; [quotiescunque de rebus etiam Italicis constituendum aliquid fuit majoris momenti, semper ex consilio atque autoritate Germanicorum etiam Principum omnia gesta fuerunt, quod infinitis exemplis facile ostensu est. Huc facit quod Italia omnem potestatem Cæsaris aut Regis constituendi, adeòque ejus qui & Italis omnibus imperandi jus habeat, uni Germaniæ citra omnem controversiam nunquam non concesserit, ex quo ab *Ottone* fuit devicta. Hinc jam olim sub *Friderico I.* Cæsare, Mediolanensibus suis Comes Blandratensis objecit illa quæ refert *Guntherus* lib. 8.

Reges Alemannia nobis,
Urbibus Italicis leges & jura daturos
Mittere ritè solet, postquam de partibus illis
Carolus & magni regnum surrexit Othonis,
Ausoniaque frui Reges cœpere Corona
Teutonici.

Apud eundem lib. 1. nescio quis alloquitur Germaniæ proceres:

Ex quo Romanum nostra virtute redemtum,
Hostibus expulsis, ad nos justissimus ordo
Transtulit Imperium, Romani gloria Regni
Nos penes est: quemcunque sibi Germania Regem
Præficit, hunc dives submisso vertice Roma
Suscipit, & verso Tiberim regit Ordine Rhenus.

Unde patet cur factum sit ut Urbes Lombardicæ (ex quarum rectoribus alicubi Principes orti sunt) non sint ad Comitia Germaniæ vocatæ; at verò, inquies, si ad Comitia non vocentur, etiam onera in Comitiis imperata non ferre; sed sciendum est, etsi Itali sub Imperatoribus Germanis satis liberaliter sint habiti, neque tributis pressi, tamen illos debuisse *fodrum*, id est pabulum, hospitium, & censum Capitolinum seu subventionem quandam pecuniariam Imperatori cum exercitu ad petendam Romæ coronam eunti, ac proindè necessitatibus Imperii succurrere debuere: præterea Imperator sibi Regalia vel ut quidam vocant, Regalias reservaverat; scilicet, fodinas, salinas, angarias & parangarias, aliaque Fisci jura, quæ passim Imperii vicariis postea constitutis fuere in Feudum data, aut certè permissa, cùm post *Fridericum II.* Imperatores Italiam rariùs adirent. Illud tamen hodièque certum est, Imperium suis in Italia Principibus protectionem, ipsos contra necessaria subsidia Imperio debere, si scilicet ita necessitas postulet: id enim munus est Vasalli, ut Domino serviat, milite, aut si ita malint ambo, pecunia. Equidem cùm in Comitiis subsidia Cæsari decernuntur, ea propriè non pertinent ad Italos Imperii Principes, sed tantùm ad Ordines, quibus in Comitiis deliberandi

randi jus eſt; non ideò tamen exempti putandi ſunt. Quod manifeſtiſſimo exemplo oſtendam, ex ipſa Germania petito, liberæ Nobilitatis; ea enim non vocatur ad Comitia, neque quicquam confert ad ea quæ Ordines Cæſari decrevere; extra ordinem tamen, ſi ita Imperatori & Ordinibus videatur, aut militare Imperio, pro feudi qualitate; aut pecuniâ ſubvenire debet; quemadmodum tum ex ipſa indubitabili Feudorum natura, tum ex Receſſibus Imperii conſtat. Eadem etiam Italorum Principum conditio cenſeri debet qui ab immediato Germaniæ nobili vel Dynaſta (qui ſcilicet Imperatori & Imperio tantùm ſubeſt,) non niſi Feudi magnitudine diſtinguuntur, quæ facit ut Itali Principes Suprematum habeant, cujus exiguum aliquod Feudum nobilis Dynaſtæ Germani, ut ſuprà oſtendimus, capax non eſt: alioqui Imperio eodem planè modo ſubſunt ambo, judiciiſque ejus & Comitiorum decretis ſtare debent, eandemque Cæſari obedientiam debent, quam ſcilicet homagii feudalis formula ubique ſimilis præſcribit. Poſito ergò, Nobilem Germaniæ Immediatum à Principe Italiæ non niſi magnitudine Feudi differre, jam patebit Analogia hæc quoque, quod quemadmodum in Germania illi Nobiles vel Dynaſtæ habentur potiores qui non tantùm immediati ſunt, ſed etiam jus habent Suffragii ſive Seſſionis in Comitiis; & nullus eorum eſt, qui non jus Seſſionis libenter redimeret, paratus ſolvere pro portione ſua, quicquid à Comitiis imperabitur, quod tolerabile admodum eſſe ſolet; ita ſimiliter in eo Principes Imperii in Germania potiores ſunt Italis, quod de tota Imperii Republica cum cæteris ſtatuunt, & Itali, ſi id quod ſua intereſt intelligerent, darent operam ut hoc quoque beneficio potirentur. Certè *Carolus V.* Princeps ſapientiſſimus Flandriam & alias ditiones, à Gallico jure Madritenſi pace abſolutas, poterat liberrima poteſtate tenere; ſed in Imperii Clientelam dare maluit, erecto Burgundico Circulo novo, qui & jus ſuffragii habet & Imperii neceſſitatibus ſubſidia confert, viciſſim protectionem Imperii efficacem hodie experitur. Scilicet in eo conſiſtit minorum Principum ac Rerum publicarum ſalus, ut inter ſe contra potentiores firmo fœdere defendantur. Quid aliud autem Imperium noſtrum eſt, quàm perpetuum ſub unius capitis Majeſtate fœdus, æquiſſimis profectò legibus initum, cui ſi jam dudum acceſſiſſent Batavi, ſaltem pro parte ditionum, non ita facilè nupera in eos tempeſtas detonuiſſet: ſemper enim Gallia hactenus aliquam erga magnum Imperii Corpus reverentiam profeſſa eſt, idque jam dudum pro noviſſimo afflictis rebus perfugio Rectores Reipublicæ illius habuiſſe, animadvertit Obſervationum nuperarum de *Fœderati Belgii Statu* illuſtris autor Anglus. Et ſi Gallia Plombinum ac vicina loca tenuiſſent (quod ne fieret domeſtica Regni diſſidia fecêre) belli mole in Italiam tranſlata; vidiſſemus credo Italos Principes certatim Imperii fidem implorantes, idque non ipſos minùs quàm Helvetios aliquando facturos auguror, (ne quid de Batavis dicam) ipſa

neceſſi-

necessitate compulsos, si Gallia perget ire, quo cœpit gradu, ad arbitrium rerum. Sed hæc quidem fatis relinquamus: nobis ostendisse satis est, tanto meliorem esse Principum Germaniæ conditionem, quàm Italorum, quanto satius est in urbe cum cæteris habitare, ibique locum habere in Senatu, quàm in argo solùm degere. Quod si Itali incommoda non sentiunt rupti vinculi, id casui tribuendum est; sapientes autem ratione moventur, nec tantùm quid fiat, sed & quid factum futurumque sit spectant. Nam quàm sæpè & quàm miserè Italia ab exteris ac civibus lacerata sit, ob absentiam Cæsarum, utique constat. Sed quoniam nos hic non de eo quod intereſt, sed de jure; nec de utilitate sed de dignitate loquimur; hæc quidem mittamus; contenti demonstrasse suprà, quòd Principes Itali quos diximus, non minùs Imperio subsint, quàm Germani; imò (quoniam de juribus Majestatis in Comitiis partem non capiunt) adhuc magis. Cùm ergo nec Suprematu, nec Feudorum qualitate, nec alio nomine, melioris sint conditionis Principes Itali quàm Germani, in nonnullis etiam deterioris; & cùm omnibus communis sit *Imperii Principum* natura & ratio, superest, ut dignitate quoque minimùm æquales censeantur, & quicquid Italis publici honoris concessum est, id Germanis quoque sine injuria & contumelia negari non possit. Itaque cùm Itali tum alia valde honorifica apud Reges, Principes, Respublicas pro more seculi obtinuerint, ut, Fraternitatem, Serenitatem, & quæ his connexa sunt; tum verò jus Legationis optimum maximum in congressibus Legatorum exerceant, quemadmodum prolixè docuimus; superest ut exempla eorum Germaniæ quoque Principibus proficere debere concludamus.

CAPUT LIV.

POstquam primùm *rationibus*, deinde *exemplis alienis* dignitatem & *jus Legationis* summorum Germaniæ Principum adstruximus, superest ut nunc propriis ipsorum actibus possessionem ipsis asseramus. Possidetur unaquæque res pro natura ac conditione sua *detinendo*, *insistendo*, *exercendo*, imò sunt quæ possidentur non amittendo; Mobilia detinentur, immobilibus insistitur, incorporalia (jura scilicet atque actiones) exercentur, denique quæ sunt naturalis libertatis & dicuntur *meræ facultatis* ea possideri intelliguntur ipso jure, & retenta censentur, nisi amissa esse doceantur: qualia sunt, re, conditione, dignitate mea uti ac frui; exempli causa, in meo ædificare, rem meam pro arbitrio vendere, aliaque id genus, quæ nemo impedire potest, nisi servitutem in fundo meo quæsiverit, aut jus retractus vel pignoris vel aliud jus in rem meam obtinuerit. Atque hæc ejus sunt naturæ, ut non amittantur non utendo; exempli causa si neque ipse, neque major meorum quisquam in avito fundo ædificasset, non ideo mihi domum objici

objici poterit præscriptio à vicino cujus luminibus ædificando obstruetur, neque enim illis quæ meræ facultatis sunt, ullo tempore præscribitur. Hujus autem naturæ est jus Legationis plenum, quod non minùs apertè ex jure Suprematus promanat, quàm jus ædificandi ex dominio in fundum competente sequitur. Modus rem meræ facultatis amittendi unicus est, voluntaria demissio, sive expressa sive tacita: tacita autem omissio censetur, si quis re in controversiam deducta oblataque exercendi occasione, destitit atque usu juris sui sine protestatione cessit: Nam si contradicat, & se temporibus atque occasionibus cedere vel etiam rationes habere testetur, cur nunc actu abstinere è re sua ducat, cessat voluntariæ demissionis suspicio; quare tunc jus non amittitur, ne quidem non-utendo. Atque hic est usus protestationum sollennium, passim etiam inter Principes frequentatarum, quibus unusquisque cavere se putat, ne quid juri suo decedat. Quæ cùm ita sint, ad possessionem Principum nostrorum in hoc negotio docendam nullis opus esset actibus, quoniam ut dixi *res meræ facultatis ipso jure possidentur*, nisi quis jure suo his, quibus dixi, modis cessisse probetur, quod factum à Germaniæ Principibus nemo sanus asseveraverit; constat enim Principibus nihil magis curæ cordique esse, quàm quicquid pertinet ad tuendam dignitatem, cui nunquam sponte ac deliberato animo renuntiabunt, quanquam sæpe aut effusa humanitate faciles, aut gravioribus distracti, aut negligentia torpidi, occasiones ejus ostentandæ amittant. Præterea si quid hujusmodi contra Principes allegari posset, id deberet actum esse à toto Principum Corpore. Neque enim una familia omnibus, imò fortè nec princeps ullus suis successoribus in hoc negotio præjudicium facit. Sed non est cur in has quæstiones digrediamur, quando constat nihil tale illis vel per somnium in mentem venisse. Illud verò notabile est, quod Jurisconsultis animadversum; si plures in eadem sint causa, nec nisi unus in judicio versetur, unum alteri prodesse, si causam vincat; non nocere, si perdat: cujus rei manifesta ratio est, æquitatis vim intelligentibus. Itaque si qui Principes juris sui parum tenaces fuissent, eos liquet cæteris rerum suarum satagentibus, non esse nocituros; at si qui lucrati sunt aliquid, reliquis quoque victoriam communicaturos. Quare non est necesse, ut illi qui nunc plenum jus Legationis exercere volunt, ostendant id à majoribus suis factum, si alii, qui melioris conditionis non sunt, aliquando exercuisse doceantur: tametsi nihil ad ipsos pertineat, si qui alii ostenderentur omisisse. Itaque *actus Electorum ac Principum Italiæ pro actibus possessoriis etiam nostris haberi possunt*, quoniam in conditione Suprematus, imò & Principis Imperii discrimen nullum esse docuimus. Nam si pro Germanis separatim, & pro Italis quoque separatim, actus exiguntur; expecto etiam ut adversarii pro quolibet Circulo exempla postulent, & actus Principum Circuli Inferioris Saxoniæ, Principibus Circuli Suevici utiles esse debere negent.

Eodem modo, si Electorum actus cæteris Principibus non prosunt, exspecto etiam ut actus Principum illorum qui ad Deputationes Imperii ordinarias nominantur, quasi scilicet inter reliquos emineant, ad alios porrigi debere negentur. Quæ omnia quàm inepta sint, quivis videt. Nec verò magis Electionis quàm Deputationis ordinariæ qualitas, jura Suprematus auget. Sed etsi actus nobis adesset nullus, non ideò minus adesset possessio, quemadmodum ex eorum quæ meræ facultatis sunt, natura ostendi; idque si quis rationibus juris manifesti contentus non sit, palpabiliter evinci potest; ecce enim, ponamus Magnum Ducem Moscoviæ, exutis paulatim gentis moribus, nostras cæremonias recipere; missisque Legatis in Congressibus ac Conventibus intervenire; nemo dubitabit, credo, quin salvum atque integrum sit illi jus suum, etsi nunquam usus esset. Longius ibo, ponamus Magnum *Neguz*, quem vocant, sive potius Abyssinorum Regem Legatos ad Cæsarem, ad Reges, imò, si Diis placet, Noviomagum mittere, ut Christianos Christianus ipse ad communia in hostes fidei arma capienda exstimulet; quisquamne obsecro quasi possessione carenti jus negabit? Imò fingamus Rempublicam aliquam potentem una nocte nasci, velut fungum, nonne illa eodem cum Veneta aut Batava jure utetur? Sed non opus est fictione, cùm enim non ita dudum, Respublica, vel potius abortus Reipublicæ in Anglia apparuisset, Reges inter se certârunt, quis prior aut effusior in ea colenda esset. Fateor hoc temporibus tribuendum, illud tamen constat, si jure freta fuisset, non fuisse habituram cur novitatem vereretur. Unde satis opinor liquet, in his rebus rationem pro possessione esse, imò qui jus habet possidere videri, tametsi nullum actum exercuerit.

CAPUT LV.

AT verò, inquies, reddendam nihilominus rationem videri, cur factum sit, ut creberrimi habeantur actus Principum Italorum, non æquè Germanorum. Possem sanè declinare hanc quæstionem, quoniam ostendi, tantùm abesse ut numerus actuum sit inspiciendus, ut contra potiùs hoc loco ne unus quidem sit necessarius ad possessionem: quemadmodum ego in possessione sum juris ædificandi in fundo meo, tametsi nunquam ædificaverim. Attamen ut animis Lectorum penitus satisfaciam hoc quoque explicabo, cogitandum est nimirum Italos semper habitos deliciarum magistros; Pictura, Sculptura, Architectura apud ipsos ex vetustis ruderibus resuscitatæ atque executæ, in reliquam Europam profectæ sunt. Musicam quoque ipsis debemus, imò & Religionem, quæ barbarorum animos in Occidente emollivit. Fateor Italos fuisse Græcis, quod nos ipsis, id est barbaros; certum est tamen Italiam velut canalem fuisse per quem his populis Occidentalibus Orientis artes

artes atque opes infusæ sunt, usque adeo ut viti culturam olim, & Serici conficiendi rationem, non ita olim, ad ipsos primum, deinde ad Gallos Germanosque propagatam videamus. Nimirum, ut Græcia capta ferum victorem cepit, & artes intulit agresti Latio, ita Italia à Francis & Allemannis domita, Francos & Allemannos vicissim domuit, & vitæ melioris dulcedine cepit. Itaque mirum non est, si quæ religionis, eadem morum magistra Italia, etiam cæremonias nobis peperit, subtiliorem disciplinæ moralis partem. Sed vetera mittamus; illud constat & Serenitatem, & Excellentiam, & honorem Manus atque Præcessionis, ac cæteras Occursuum, Visitationum, Comitationum subtilitates in Italia natas. Autor libri *della Real Grandezza della Republica di Genoa* contendit primos omnium Genuenses Duces in Italia *Serenissimos* appellatos. *Excellentia* qua occasione certus, ac constans Legatorum titulus esse cœperit, supra dictum est; cùm scilicet Dux Nivernensis, cui ille velut Principi Domus Mantuanæ debebatur, Legatus *Henrici IV.* esset ad Pontificem, & Legatus Hispanicus æmulatione Galli & Venetus Sabaudusque exemplo Hispani eundem titulum certatim sumsissent. Quousque curiositatis processerint in his rebus, id ex *Cæremonialibus Romanis*, & *Magistro Cameræ* Italicè scripto, quem aliquoties citavi, intelligi potest. Et sunt illis observationes quædam subtiles, exteris sæpè imperceptibiles; exempli causa, cùm Dux Venetiarum literas Reipublicæ causa scribit, ad alium Germaniæ aut Italiæ Principem primarium, inscriptio extrinsecus Latina est. *Illustrissimo atque Excellentissimo Principi.* At Celsitudo aut *Vostra Altezza* non nisi intus reperitur; quod alius fortè negligeret, at Sabaudus, gnarus animi eorum, ægrè tulit. Nam perinde est, ac si profiterentur se Celsitudinem non extra, id est publicè, dare velle; sed intus tantùm, velut privatim, ac nemine teste. Cùm hujusmodi minutiæ Italis succedunt, mirificè gloriantur; quemadmodum patet ex Itinerario *Danielis Eremitæ*, qui *Coloredo* Legato Florentino Comes Itineris fuit circa annum 1609. Nempè *Ferdinando* Magno Hetruriæ Duce mortuo filius *Ferdinandus Cosmus* successerat, is prætextu colendæ amicitiæ quæ Principibus Germaniæ cum patre fuerat, reapse, quantum ex tota legationis historia intelligi potest, ut sibi *Serenissimi* titulum aliaque id genus ab incautis, & talium incuriosis arte eliceret, & postea exempla, vel, ut loquuntur, actus possessorios allegare posset, Legatum in Germaniam miserat. Legatus Cæsare salutato primum ad Saxonem ivit, credo quod tunc opportunior calliditati isti videretur, quanquam & situs locorum ita ferret. Inde ad Brandenburgicum itum, ibi cùm fortè Landgravium Hassiæ offendissent, atque huic literas à Magno Duce attulissent, indignatus ille quod Excellentiæ non Celsitudinis titulo honoraretur, Legatos sine responso, ut apparet, dimisit, nec verò quisquam ex illis qui in Legatione erant, Celsitudinis nomine Landgravium appellaverat, necessitate ejus appella-

tionis apto verborum circuitu declinata. Indè ad Trevirensem itum, Confluentiæ degentem; Brunsvicensem adire debebant, sed obtentui sumptus pestis in illa regione metus; vera causa, quòd honores quos postulabant obtinere desperarent. Elector Trevirensis *Coloredum* supra se in mensa accumbere jussit, sed literas discessuro dedit ad Magnum Ducem, quibus ille Illustrissimi tantùm titulo insigniebatur. Negavit Legatus tituli mediocritatem ejus magnitudini convenire, à nemine aliter quàm *Serenissimi* nomine compellatum, nec eum honorem Saxoniæ vel Brandenburgi Electorem denegasse; mirum cur ille solus tam receptum ab omnibus morem cavillaretur. Cùm Ille contra instaret & asseveraret conceptissimis verbis, nullum Italicum Principem trecentis abhinc annis alio titulo à prædecessoribus suis insignitum: tum planè *Coloredus* refragatus est, &, literas, inquit, mittere, si placet, alio quàm me internuntio mittas, ego meum caput vocare in discrimen nolo, quod imminui Principis dignitatem facilè passus sim. Postulavit Elector, ut liceret inspicere à Saxone literas, quibus ut inscriptum Serenissimi nomen vidit, induci se passus est, & literas suas ad se recepit, mutaturumque se fidem dedit, dummodo scirent id non judicio aut prava voluntate, sed more factum. Ægrè habebat illum proculdubio, se Electorem Principem non alio quàm Illustrissimi titulo honoratum, nec si constitisset Saxoniæ Ducem ampliori honore à Magno Duce appellatum, ulla se ratione ad mutationem propositi sui flecti passus esset. Misit tamen literas manè, quibus *Serenissimi* nomen inscriptum erat. Inde ad *Johannem Schweickardum* Moguntinum venere. Is quoque Illustrissimi titulum conspiciens dubitare cœpit, an reciperet, negans eas literas sibi scribi. Præsciebat offensionis causam *Coloredus* & præmeditata oratione argutè divertit, & quod studio factum erat, id vitio scribarum, propria titulorum ignorantium, contigisse, nec nomina in tali officio, sed animos spectari ajebat; cùm tamen revera non alia esset Legationis causa quàm ut hæ minutiæ captarentur. Illud quoque penè ridiculum, quod addit auctor Itinerarii, se Germanici sermonis gnarum, subinde Electorem augustissimo titulo compellasse, errorem que literarum iterata honorum appellatione erasisse. Ita scilicet illi homines nostros Electores Principesque ludibrio habebant. Et postea Epiphonema addit de hoc Principe: *in summa*, inquit, *virum bonum facilè dixeris, in quo nihil ferè reprehenderis quàm nimiam facilitatem.* A Moguntino ad Herbipolensem, Palatinum, Wurtenbergicum, ivere; Palatinum morbus detinebat; Unus Wurtenbergicus ambitioni eorum minùs satisfecit. Nam cùm paulo antè Oratorem ad *Ferdinandum Cosmum* misisset, qui dolorem de morte amici Principis *Ferdinandi* Magni Ducis, testaretur, ille expectatione frigidiùs acceptus fuerat, ideo (ait autor) [Wurtenbergicus Italicæ gravitatis inimica imitatione eadem nos ratione tractavit, qua suum Oratorem tractatum Florentiæ acceperat, nostrasque nobis artes, velut in

in aliqua paris magnitudinis æmulatione, reddidit. Stabat ipse in medio atrii erectus, & nihilo secius quàm ipse Cæsar immotus, nec advenientibus obvius, nec comitatus abeuntes, quod à cæteris tamen Principibus factum. Nihilominus postridie, magis in sui gratiam, ne intermissa patriæ consuetudo ipsi vitio esset, quàm amore nostri, mensa nobiscum communi usus est. Et à prandio ad spectacula Circi educimur, comitante nos fratre ejus; quæ etsi nostro honori fieri fingerentur, intellectum tamen ea ex necessitate fieri, quo equorum habilitati, eadem proximis Ducis nuptiis exhibituri, insuescerent. Die tertia à discessuris postulatum, ut unum adhuc illi diem largirentur, sed nec ipse nec illius nomine quispiam affuit, majorque ea die solitudo penes nos aulicorum & famulantium, quàm ante erat, nec illi ipsi quidem nobiles, qui ante nobiscum assidui erant, ultra videbantur. Iamque frustra per vanam cunctationem consumpto die, tandem nobiles duo aderant, qui pro duce nunciarent, se toto die distentum, non potuisse simul & suæ voluntati & nostræ exspectationi satisfacere. *Coloredus*, etsi quàm officiosissimè, dissimulato intellectu, responderet, indignari tamen aliquantùm, & irrisos nos dolere. Cujus ego rei causam (inquit autor Itinerarii) statim subjeci, quòd scirem certum esse ea fuisse voluntate Principem, ut nos inviseret. Nam & de muneribus, quibus nos donaret, cogitaverat. Sed ille quem antea missum in Hetruriam dixi, constantiùs asseverabat, ibi nihil tale sibi præstitum, desineret immodicis honoribus imminuere fastigium dignitatis suæ. Plus apud exteros gravitate quàm familiaritate profici. Ita summo mane nullo comitante aulicorum discessimus, satis mirati quod solus ille nos tam parvo in honore habitos, adhuc pene inani frustratione delusisset.] Hæc autor Itinerarii *Daniel Eremita*; Ego addiderim, Ita meritos homines, qui ideo tantùm venerant, ut Principibus nostris os sublinerent, & postea domi inter suos eorum facilitatem irriderent. Electorem quendam contumeliosè appellat, ejus magnitudinem non nisi bibendi virtute metiendam, excepisse Legatos in pedes erectum, & operto semper capite, ignorantia magis morum, quàm judicii delectu; aliaque id genus habet etiam mordaciora. Digna est relatio hæc quæ expendatur, tam ut imposterum Principes nostri caveant, ne bonitatem nimis effusam exteris irridendam propinent, tum ut veræ intelligantur causæ, cur Itali potiùs quàm nostri, honores ejusmodi invaserint. His enim quæ nostris minuta atque inania visa sunt, illi potissimum invigilant, & non minùs exultant syllaba aut passu obtento, quàm urbe capta. Hinc etiam intelligi potest, plerosque actus possessorios, quos contra nos allegare possent, vitiosos esse, & clam aut precario obtentos adhibitis sæpe artificiolis illaudatis, quemadmodum ex Trevirensi ac Moguntino deceptis, hoc loco constitit. Cùm verò Principes nostri parùm olim Gallorum atque Italorum mores morarentur, mirum non est, quòd Germanici potiùs candoris, quàm frivolæ

volæ subtilitatis rationem habuere; sed admoniti artium extranearum nonnunquam consultum duxere gravitate se digna honorem tueri; quemadmodum fecit hic Wurtenbergicus, cæterorum exemplum secuturus, nisi fortè misso ante in Italiam Oratore, didicisset, exterorum fastum calcandum esse alio fastu. Principum ergo nostrorum facilitas huic uni rei imputari debet, quod à Roma cæremoniarum fonte remoti, & parum habentes, quod cum exteris agerent, ignoratione aut neglectu eorum, quæ extra Germaniam inter eos qui Suprematu eminent, observari solent, patriis moribus insistendum sibi putavere. Ausim certè asserere in Germaniæ aulis triginta ab hinc annis (ne de propiori tempore loquar) consiliariorum paucissimos intellexisse vim harum cæremoniarum aut discrimina *Legati* atque *Ablegati*, cæterasque inter exteros visitationum ac congressuum regulas. Et verò præter commercii cum exteris raritatem, diuturnum bellum eos ad graviores curas avertit, & Monasterii potiùs de recuperandis ditionibus quàm aucupandis titulis agebatur; cùm omnis mora perniciosa esset, exercitus alienos in suo sæpe alentibus. Præterquàm quod supra uberrimè ostendi, Monasterii fuisse non Legatos ad exteros, sed Deputatos ab Ordinibus ad Imperii Conventum: in quo nihil innovandum, nec à patrio ritu discedendum nostris Principibus videbatur. Huc accedit quòd subtilitates cæremoniales, quæ nunc maximè vigent, tunc magnam partem novæ aut certè parum stabiles erant. Nondum *Excellentia* Legatorum in Germania recepta erat, nondum eam Nuntius, Cæsareique atque Hispani Legati, Sabaudo aut Mantuano tribuebant, nondum omnes Electores ex familiis Serenissimis orti à Regibus *fratres* appellabantur, nec Reges à nostris omnibus *Majestatis* appellatione colebantur. Suprà audivimus, à Cæsareo ac Hispano, etiam Venetis, non ita olim *Excellentiam* negatam; & tandem controversiam *Memmius* quoque qui postea Monasterii cum tractandi potestate fuit, paulo antè cum *Tuillerio* Venetiis legationem obiens Legatis Provinciarum Fœderatarum movit, utcunque à Regis sui amicis & fœderatis venirent. Hi tamen omnes qui *Excellentiam* Sabaudis, Mantuanis, Venetis, Batavis, negabant, primæ Visitationis ac Manus vel primi passus honorem concedebant. Unus Comes *Harcurtius* longiùs progressus, Legato in Anglia Batavo præter *Excellentiam* etiam honoratiorem domi suæ locum visitaturo abnuit. Legatus Mantuanus coram Regibus semper caput texit, præterquam apud Hispanum; ubi tamen se tegunt *Grandes* Hispaniæ, quod in Gallia Duces ac Pares non ausint. Notandum est etiam hodieque Legatos Regios Ducalibus, ut Sabaudis aut Florentinis ubique domi suæ locum cedere, præterquàm Romæ. Denique non ita olim Parmensis quoque Regiis Legatis Domi suæ superiorem locum negare cœpit. Quæ omnia evincunt id quod in Resolutione sive Decreto Ordinum Fœderati Belgii supra citato annotatum est, pleraque cæremoniarum ac discriminum hujus generis non nisi hujus

hujus seculi inventa, novissimè demum vix ac ne quidem satis stabilita esse, ac proinde Principibus fraudi esse non debere, quod nondum satis constanter illis usi sunt.

CAPUT LVI.

TAmetsi autem hinc appareat ad ea quæ ipso jure competant persequenda nec exemplis nec actibus possessoriis opus esse, prætertim si occasiones utendi defuerint, aut res ipsa vel nondum satis stabilita vel nobis certè non satis fuerit explorata, juvat tamen ostendere nos ne quidem si *exemplis atque actibus* certandum esset, judicem vereri. Nolim verò lectorem ex illis qui à me adducentur, metiri illos, qui adduci possent. Nam privatus privatim scribo, meapte ex penu, nec nisi illa annoto quæ in mentem veniunt, audita nuper aut lecta visaque: neque enim satis otii ad inquirendum nunc fuit, nec olim materiam præparavi quemadmodum alioqui postulat argumenti natura. Constat autem argumentum aliquod ex tempore aggredienti, non solere statim exempla succurrere, quæ in promptu fuissent materiam diu meditatam tractanti; præterea si dignitatem tot magnorum Principum vindicanti aliquot Archiva patuissent, aut passim quæ opus erat, summissa fuissent, credo copia potius obruerer, quàm inopia laborarem: talia enim non uno ex loco petenda sunt; nunc verò passa non est temporis brevitas, ut auxilia conquirerem quæ majori otio servare satius duco. Fortasse tamen pauca illa quæ dicturus sum, aliquam convincendi vim habebunt. Non verò repetam quæ supra attigi, pertinentia ad dignitatem Magnorum Germaniæ Principum in universum; nec alia nova accumulabo, ut, quod etiam à Regibus fratres appellati sunt, (quemadmodum literis quæ in promptu sunt doceri potest) à Cæsare *Serenitatem* accepere, cum maximis Europæ potestatibus æquali jure tractavere; contentus hoc loco eo tantùm afferre exempla quæ ad jus Legationis eorum unicè pertinent. Ac primùm intelligo Baronem *de Serainchamp* Ministrum Lotharingicum nuper multis exemplis veteribus ac recentibus ostendisse, Serenissimos Lotharingiæ Duces solitos & mittere Legatos, & recipere pleno jure, à Gallia etiam sæpe agnito; quod scriptum quia in meas manus non pervenit, nec argumentis ejus uti possum; itaque satis habebo adjicere hoc loco Cæsaris & Hispaniæ Regis judicium, cujus interpres est Generalis Belgii Regii Gubernator, in fidei publicæ sive Salvi Conductus tabulis, quæ Lotharingicis Ministris Viennæ ac Bruxellis concessæ sunt; ubi expressis verbis *Legati & Ambassadeurs & Plénipotentiaires* appellantur, quod Galli hactenus recusavere. Nemo autem dubitare potest quin quod Lotharingo conceditur, ad alios quoque magnos Germaniæ Principes pertineat; nam pleraque sua Lotharingus ab Imperio feudali jure tenet, reliqua etiam Imperio summissa esse, satis mani-

manifestum est. Nam generaliter constat quicquid Germaniæ, Italiæ, Galliæque Reguli tenent, id omne olim aut Pontifici, aut Imperio, aut Regno Galliæ fuisse subjectum; si quis autem se exemtum ferat, probationibus luce clarioribus indigere. Imperium ergo fundatam in omnes intentionem habet qui Regnis Italiæ, Germaniæ, Arelatensi, Lotharienſi, comprehenduntur. Præterea *Bodinus* notat [*Stephanum* Bononiensem possessionem Lotharingiæ ab *Henrico I.* Cæsare adeptum, & se eo nomine fiduciarium Imperii professum, anno 1019. item *Fredericum* Lotharingum Vallimontis Comitem, mortuo *Carolo* Duce sine prole mascula, principatum ad se jure proximitatis pertinere contendisse, apud *Sigismundum* Cæsarem, coram Patribus Concilii Constantiensis, ob eam tantùm caussam quòd Imperiale Feudum esset, cujus incapax erat *Isabella Caroli* hæres, quæ *Renato* Andium Duci nupserat, qui & ipse non quidem negavit Imperiale Feudum esse, sed asseruit pleraque id genus ad fœminas delata fuisse. Quòd si Lotharingia Imperii Germanici finibus est comprehensa, neque Comes *Asperimontis*, neque Cumarum Dominus quæ Lotharingia continentur, jura majestatis sibi vindicare possunt, cùm ipso jure perspicuum sit, eos qui agrum certis finibus descriptum habent, eodem jure in singulos uti quo in universos; nisi singulari quodam beneficio immunes ac liberos esse tabulis certissimis testatum sit.] Hæc *Bodinus*. Sed Lotharingum Imperii Principem esse non aliunde rectiùs quàm ex *Chiffletio* discemus, juris Lotharienſis Hyperaspista, cui ex Archivo Ducis necessaria ad illustrandam familiæ dignitatem adjumenta subministrata sunt. Exhibet ille tabulas fiduciarias sive formulam homagiorum, Tractatum Noribergensem anno 1542. initum. *Formula homagii* quod à Duce Lotharingiæ præstari solet, ita habet: *Promitto & juro ad hæc sancta Dei Evangelia, corporaliter per me tacta, quòd ex nunc in antea* fidelis & obediens *ero Vobis Serenissimo Principi & Domino . . . . . Romanorum Imperatori semper Augusto, Domino meo Clementissimo, omnibus Majestatis vestræ successoribus Romanorum Imperatoribus & Regibus legitimè intrantibus, & sacro Romano Imperio, contra omnes homines: & non ero in Consilio, participatione, vel tractatu, ubi quicquam agetur contra Personam, honorem aut statum Majestatis vestræ, & Sacri Romani imperii, neque in id ullo modo consentiam, sed bonum, utilitatem & honorem Majestatis vestræ & S. Romani Imperii fideliter promovebo, & si quid tractari cognovero contra Majestatis Vestræ Personam honorem & statum, huic pro virili obstabo, & Majestatem Vestram incunctanter admonebo, omniaque alia & singula faciam, ad quæ* fideles Principes & Vasalli Imperii *Domino suo Romanorum Imperatori & Sacro Romano Imperio de jure vel consuetudine tenentur, dolo & fraude penitus semotis: Ita me Deus adjuvet & hæc sancta Evangelia.* Tractatus *Noribergensis* initus fuit in Comitiis Noribergensibus anni 1542. inter *Ferdinandum I.* Regem Romanorum, nomine fratris sui *Caroli V.* Imperatoris &

& Imperii ab una, & *Antonium* Ducem Lotharingiæ ab altera parte; de ſcientia, conſilio, & aſſenſu Sacri Imperii Electorum, Principum, & Ordinum, & poſtea probatus à *Carolo V.* Porrò ejus tractatus verba ad rem pertinentia hæc ſunt: *Convenimus virtute præſentis Inſtrumenti, ut noſter conſanguineus Dux Lotharingiæ non tantùm cum membris aut Statibus particularibus, dependentibus ex Feudo, & Feudo ſubalterno Imperii, verùm etiam cum Ducatu Lotharingiæ, & iis quæ ad illum pertinent, tanquam ad Ducatum, nempè Album montem, Muſſipontem & ſimilia, manere debeant impoſterum & in perpetuum ſub tutela & defenſione Imperatoris, Regis Romanorum, & Sacri Imperii, defendique ac protegi eodem modo quo alii Ducatus & Status Sacri Imperii: cujus rei cauſa offert Dux Antonius pro ſe & ſuis hæredibus ferre & perſolvere ratam ſuam portionem de omnibus & qualibuſcunque taxis & contributionibus quæ imponentur aut concedentur à Statibus Generalibus Sacri Imperii, quod eſt tertia parte minus eo, quod uni Principi Electori imponitur. Præterea* pro ſolutione talium collectarum & contributionum, pro conſervatione Publicæ pacis erectæ in Imperio, pro Securitate & Salvo Conductu *Cæſareæ Majeſtatis* [is conductus eſt Imperatoris Romam euntis, *Römer Zug*, ut ipſi ſcriptores Lotharingi apud *Chiffletium* interpretantur] *& nobis Romanis Imperatoribus & Regibus, qui quoque tempore erunt Sacro Romano Imperio ejuſdemque jurisdictioni ſuberunt & ad id ſpectabunt. Alias autem ipſi cum Ducatu Lotharingiæ ejuſdemque ſubditis ab omnibus proceſſibus, mandatis & judiciis Sacri Romani Imperii tam in prima quàm in aliis inſtantiis liberi & exemti erunt. Nulliſque proceſſibus, mandatis, citationibus, appellationibus acceptandis, aliiſque negotiis quocunque ſub titulo, nullo excepto (niſi iis, quæ ad ſolutionem collectarum & impoſitionum, ad manutentionem pacis publicæ, & ad Securitatem & ſalvum conductum, uti prædictum eſt, ſpectabunt) relinquentur immunes: Ducatuſque Lotharingiæ cum ſuis appertinentiis liber & non incorporabilis Ducatus erit & manebit ſemper &c.* Ubi notandum eſt, Ducatum Lotharingiæ ſubeſſe Imperio quoad publica, non quoad privata: nempè cum cæteris feret onera publica communis neceſſitatis cauſa indicta, ſcilicet collectas, & quæ Romanæ expeditionis cauſa Imperatori ſolvuntur, ſervabit Pacem publicam & ſuberit ejus executioni: id eſt ſi eam violet, ſubjacebit pœnis in rebelles decretis, & proſcribi atque executione Circulari compelli poterit. In privatis verò non ſuberit Imperio, id eſt non poterit à judiciis ejus ad Cameram appellari, neque ipſe quatenus Lotharingiæ Dux eſt, ob debita privata, & ſimiles cauſas, ſed tantùm ob debitas Imperio collectas, aut fractam Pacem, in Camera vel judicio aulico conveniri poterit. Ducatus autem declaratur liber & non *incorporabilis* Imperio, id eſt, non poterit ad Imperium recidere ex jure Feudi aperti, ſed utetur jure hæreditario, quemadmodum aliæ quoque in Imperio ditiones, quæ etiam ad fœminas tranſeunt. Ex quibus omnibus

patet, Ducem esse Imperii *fidelem* & *Vasallum*, ut constat ex homagio; sed & omnes ejus terras in Imperii esse clientela, imò quoad publica ejus *jurisdictioni* subesse, adeoque nullum magni ad Suprematum momenti discrimen inter ipsum & alium primarium Imperii Principem allegari posse, ut constat ex Tractatu Noribergensi. Eaque est etiam ipsorum scriptorum Lotharingorum sententia, quemadmodum ex *Chiffletio*, & illis quos producit in medium, doceri posset; qui etiam fatentur, Tractatu Noribergensi multò plus quàm antea immunitatis indultum, quia prius Ducis Lotharingiæ subditi ad Cameram trahebantur, & mandatis Imperialibus vexabantur.

CAPUT LVII.

HOc jam stabilito, *Lotharingum* esse Principem Imperii, cum cæteris (quoad potissima) æquali jure utentem; subjiciemus jam tabulas publicas Cæsareas & Hispanicas, in quibus jus mittendi Legati vel Ambasciatoris, quod illi competit, agnoscitur.

LEOPOLDUS, *divina favente clementia Electus Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtenbergiæ, Comes Tyrolis; Serenissimis Regibus, Fratribus & Consanguineis nostris charissimis salutem ac prosperrimorum successuum continuum ac perpetuum incrementum; Nec non universis & singulis Electoribus aliisque Principibus Ecclesiasticis & secularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Præfectis, Præsidentibus, Capitaneis, Locumtenentibus, Vice-Dominis, Gubernatoribus, Castellanis, Vexilliferis, Antianis, & Potestatibus, ac Urbium, Civitatum, Oppidorum, & quorumcunque locorum ac Communitatum Rectoribus, Burgimagistris & Consulibus, nec non portuum, pontium & passuum quorumvis custodibus, ac aliis qui præsentibus requisiti fuerint, cujuscunque status, gradus, Ordinis, conditionis, dignitatis aut præeminentiæ existant; benevolentiam & gratiam nostram Cæsaream, ac omne bonum. Cùm Seren. Carolus Lotharingiæ & Barri Dux, Consanguineus & Princeps noster Charissimus, præsentium exhibitores, supremum aulæ suæ Præsidem & Consiliarium intimum, Nobilem Claudium Franciscum Liberum Baronem de Canon - - - - - Legatum vel Legatos suos Plenipotentiarios ad Tractatus Noviomagi institutos mittat, Nosque iisdem ejus Legatis vel conjunctim, vel seorsim illuc proficiscentibus liberum passum, tutum, securum & expeditum iter obtingere, cupiamus, Serenitates ac Celsitudines ac Dominationes Vestras, aliosque nobis non subjectos fraternè, benevolè clementerque hortamur, & requirimus, Nostris verò & Sacri Imperii*

Regni-

Regnorumque ac Dominiorum nostrorum hæreditariorum subditis firmiter mandamus ac præcipimus, ut prædictos Sereniss. Ducis ad Tractatus Pacis Legatos Plenipotentiarios conjunctim vel divisim profecturos, cum famulis, equis, curribus, navibus, sarcinis, ac rebus quas secum habituri sunt omnibus ubique liberè, tutò & expeditè, ire, transire, proficisci, commorari, recedere ac redire sinant, nec ulla ipsos sive in personis sive in rebus molestia, impedimento vel injuria, afficiant, aut à quoquam affici permittant; quin potiùs ubi necessitas postulàverit aut ipsi id alias petierint, salvo eodem conductu, fide & securitate publica, viarum monstratoribus, equis, curribus, navibus, aliisque ad commodius conficiendum iter hoc suum necessariis opportunisve rebus, haud gravatim juvent atque ab aliis pariter id fieri sedulò curent. Facturi sunt in eo Serenitates, Celsitudines ac Dominationes Vestræ aliique nobis non subjecti rem sua æquanimitate ac solitâ in Nos observantia dignam nobisque gratam, reciproco fraterni amoris affectu, Cæsareaque nostra benevolentia & gratia per occasionem vicissim agnoscendam; Nostri verò & sacri Imperii, Regnorumque & Dominiorum nostrorum hæreditariorum subditi exequentur hac in parte seriam & expressam voluntatem nostram. Datum in Civitate nostra Vienna, die ultima Mensis Martii, Anno Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Septimo, Regnorum nostrorum, Romani decimo nono, Hungariæ vigesimo secundo, Bohemiæ verò vigesimo primo.

LEOPOLDUS.

Vt. Leopoldus Guilielmus
Comes in Königseck.

(L. S.)

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium

Christophorus Beyer.

DON CARLOS *de Gurrea, Arragon & Borja, Duc de Villa Hermosa, Comte de Luna, Gentilhomme de la Chambre du Roy nostre Sire, Lieutenant Gouverneur & Capitaine des Pays Bas & de Bourgogne, &c. A tous Generaux, Gouverneurs de Provinces, Admiraux, Vice-Admiraux, Lieutenants Generaux, Generaux de Bataille, Gouverneurs particuliers, Commandans, Lieutenants Gouverneurs, Chefs, Maistres de Camps, Collonels, Capitaines, & autres Officiers & gens de Guerre, tant de cheval que de pied, de quelle qualité, nation ou condition ils soyent; ensemble à tous autres Justiciers, Officiers & subjects de sa Majesté, qu'il appartiendra & ces presents verront, ou seront montrés, salut. Comme Monsieur Claude François Baron de Canon, President du Conseil privé de Monsieur le Duc de Lorraine, & Monsieur le Baron de Serainchamps, Ambassadeurs & Pleni-*

potentiaires du dit Seigneur Duc s'acheminent dés le lieu de leur Residence vers la Ville de Nimmegue pour le Traitté de Paix. Nous vous mandons & commandons au nom de sa Majesté tres expressement, de laisser librement & seurement passer, repasser, aller, venir & sejourner tant par eau que par terre, conjointement & separément par tous les lieux & endroits des Provinces & jurisdictions de l'obeissance de sa dite Majesté, estant soubs nostre charge & commandement; leur ayant à cet effect accordé ce present passeport, sauf-conduit, & seureté, tant pour leurs personnes, que pour leur suite, famille, valets, chevaux, armes, chariots, navires, bagage, equipage, papiers & escritures; mesmes pour des Couriers, qui seront depeschés de leur part, pendant la durée de l'assemblée & conference, qui se fera pour le dit Traitté de Paix; lesquels pourront aussi aller, venir & retourner seurement & librement, tant par eau que par terre, sans qu'ils puissent estre faits prisonniers ny arrestés soubs aucun pretexte en faisant apparoir des passeports & saufconduits particuliers qu'ils auront pris des dits Sieurs Ambassadeurs & Plenipotentiaires, voulans qu'au contraire il leur soit donné toute l'ayde, faveur & assistance, dont ils pourroient avoir besoing pour plus grande facilité & commodité des dits courses. Fait à Bruxelles le 7. de Juin 1677. Signé, *Villa Hermosa, Duc de Luna*, & cacheté du cachet du Roy & contresigné, *Verreiken.*

CAPUT LVIII.

Coeperam à Lotharingo exemplum arcessere, quoniam illius occasione mota primum à Gallis controversia est, sed si ordine dignitatis agendum erat, utique à Serenissimis *Austriæ Archi-Ducibus* incipiendum videbatur, quibus plenum jus Legationis competere multis exemplis ostendi potest. Suffecerit autem producere Archiducem *Albertum*, cui cum Infante Hispaniarum *Isabella Clara Eugenia* Belgium certis conditionibus in dotem datum erat: ejus certè Legatis ubique idem qui Regiis (ne quid dicam de Electoralibus) honor habitus est, imò frater appellabatur à Rege Galliæ, multò ante Electores, quemadmodum suprà notavimus. Et in Anglia anno 1612. Legatus ejus *Boischotius* cum Veneto de loco ac dignitate certavit, allegans rempublicam sine controversia majoribus Domini sui cessisse, cùm non nisi Burgundiæ Duces essent. Idque verum esse arbitror, nam suprà cap. 44. ex Cæremoniali Romano ostendi, *Ducem Burgundiæ* antepositum esse Duci Venetiarum Reipublicæ personam referenti. Rex *Jacobus* controversiæ hujus inter Legatum Archiducis & Venetum se judicem esse nolle declaravit & parti utrumque apud se honore esse scripto testatus est. Cùm de Induciis Belgicis tractaretur, & *Henricus IV.* Præsidem *Jeanninum*, postea Archi-Dux Audientiarium *Verreiken* Hagam misisset, scripsit *Jeanninus* Regi suo

ſuo (ultimo Julii 1607.) ſe (more conſueto) primæ viſitationis honorem *Verreikio* (qui noviſſimus venerat) habiturum fuiſſe, ſed veritum ne ſuſpicacibus jam tum populorum animis major ſermonum materies præberetur. *Negotiations du preſident Jeannin part.* 1. *pag.* 262. de l'édition de Hollande: *Le preſident Jeannin avoit écrit par un avis pris entre nous, que pour ne mettre en jalouſie ces peuples, ils ne l'iroient viſiter les premiers, attendu auſſi qu'il ne venoit ſinon avec les lettres de Spinola, & non comme Ambaſſadeur des Archiducs, outre ce qu'on avoit mandé d'Anvers, qu'il avoit commandement de ne voir perſonne, ayant dit & repeté ces meſmes propos à pluſieurs depuis ſon arrivée, & comme s'il l'eut fait pour s'excuſer de voir les Miniſtres du Roy dont ils ont mauvaiſe opinion qui nous faiſoit apprehender de le voir & de n'eſtre après viſités de luy. Toutesfois luy ayant eſté oüi le* 24. *& parlé au nom des Archiducs ſes Maiſtres, nous avons conſideré, que s'il n'eſtoit point viſité du tout, il ſe pourroit plaindre d'eſtre traité comme Miniſtre d'un Prince ennemy, ainſi qu'il eſtoit expedient de le faire viſiter par Monſieur de Ruſſi, qui eſt ordinaire & à la charge de reſider près de Meſſieurs les Eſtats, qui adjoutera, que ſi les Sieurs Jeannin & de Buzanval ſe ſont abſtenus de l'aller voir juſque alors, que ce n'eſtoit faute d'affection, mais pour avoir plus de moyen de le ſervir*, &c. Ex quibus patet, ſi ſuſpicio abſuiſſet, Legatos Regios Archiducalibus primæ viſitationis honorem fuiſſe habituros, & quia excuſavêre abſtinendi neceſſitate, jus agnoviſſe. Poſtea certè, cùm rediiſſet Audientiarius cum Patre Franciſcano, & correctam ratihabitionem Hiſpanicam nomine Archi-Ducum attuliſſet, Legati Regis eum primi viſitavere, ut patet ex literis *Jeannini* ad *Bernium* Miniſtrum Gallicum Bruxellis morantem ultimo Octobris 1607. Et poſtea cum *Spinola* & *Richardotius* Præſes veniſſent, hos quoque primus viſitavit *Jeanninus*, ut ipſe ſcribit [à Monſieur *de la Boderie* Miniſtre du Roy en Angleterre 5. *Fevrier* 1608.] Porrò ne quis cauſam Archiducum & cæterorum præcipuorum Germaniæ Principum non eſſe communem arbitretur, ſciendum eſt, Archi-Duces eſſe in Collegio Principum, ac *Ferdinandum* Grazenſem, aut *Carolum* Marchionem Burgovienſem, aut *Leopoldum* Epiſcopum Argentoratenſem nunquam majori honore cultos, quàm qui cæteris Germaniæ Principibus ditiones amplas tenentibus, habetur. Nec *Albertus* cenſeri poterat niſi Burgundiæ, Brabantiæ, Flandriæ, &c. dotali jure poſſeſſor, qui ſunt Imperii Ducatus aut Principatus: *Brabantia* olim ſine controverſia, pariter atque aliæ ditiones, Burgundia autem & Flandria ſaltem ex quo *Franciſcus I.* omni juri renuntiavit; & *Carolus V.* omnes illas ditiones in peculiarem Circulum redactas, Imperio tranſactione Auguſtana ſubjecit. Et verò cauſam Archi-Ducum Ducumque Burgundiæ eandem eſſe cum noſtra, apparuit Monaſterii, cùm Nuntius Comiti *Wolkenſteinio* Miniſtro in Collegio Principum Auſtriaco honoratiorem

tiorem locum domi suæ concedere noluit, quod crederet Principibus Germaniæ non competere jus Legationis, imperitiâ rerum Germanicarum, quam ei *Wolkenstenius* rectè objecit: cùm scire deberet, Austrios & Burgundos olim ante Venetos fuisse, hodie illis fortasse non esse cessuros. Principes autem Germaniæ amplarum ditionum possessores eodem quo Duces Italiæ aut Venetam Rempublicam jure Suprematus frui: certè Electoribus hac in parte non esse inferiores: *quare Serenissima Domus Austriaca cogitet suam quoque hic causam agi, ne si quorundam perversis suasionibus impulsa Principum juri adversetur, sibi ipsi præjudicium creet.* Porrò olim Duces Burgundiæ nec Electoribus cessere, & in Concilio Basileensi Episcopus Basileensis Legatus *Philippi Burgundi* ante Electorales locum tenuit decreto Patrum: in Comitiis quoque Ratisbonensibus anni 1471. *Caroli* Burgundiæ Ducis Legati Electoralibus cedere negantes, sessionem extra ordinem obtinuere. (vide supra cap. 44.) Et in Cæremoniali *Paridis de Grassis* sæpe à me citato Dux Burgundiæ ante Electores & Venetos ponitur, Dux Austriæ, post Electores ante Venetos. Itaque quod Electoribus hodie conceditur, quanto minùs illis negabitur, qui dudum habuere.

CAPUT LIX.

SEd ne quis putet, aliorum Germaniæ Principum nobis exempla deesse, ideò operæ pretium erit notabilem huc afferre locum ex Negotiationibus Præsidis *Jeannini* paulo ante citatis. Nempe Hagæ cùm de Pace vel induciis tractaretur anno 1608. aderant Legati quorundam Electorum Principumque Germaniæ, qui Regiis, Gallis, Anglis, Danis juncti velut Mediatores agebant. Hi communi omnes nomine literas dedere ad Præsidem *Richardotium* Legatum Archi-Ducalem, pacis promovendæ causa 10. Octobris ejus anni, subscriptio eorum hæc est: *Vos tres affectionés Serviteurs les Ambassadeurs des Roys tres Chrestiens, de la grande Bretagne & de Dannemark, & des Princes Electeurs Palatin, de Brandebourg, & Landgrave de Hessen.* Poterat ne quicquam fieri solennius, quo agnosceretur, jus Legationis Principibus nostris æquè ac Regibus esse? Sed exstat aliquid multo adhuc expressius. *Richardotius* initio cùm scripsisset Mediatoribus, literas tantùm Legatis Regiis inscripserat, sed *Jeanninus* usus concessa sibi potestate, adjecit inscriptioni etiam, Electorum Principumque Germaniæ Legatos, *l'adresse de vostre lettre* (Ita scribit Jeanninus Richardotio) *n'estoit qu'aux Ambassadeurs d'Angleterre & à nous, & j'ay fait adjouter à la superscription, des Electeurs & Princes d'Allemagne, craignant qu'ils ne se fussent offensés de cette obmission.* Adfuerat & Legatus Wurtenbergicus, sed ille jam tunc discesserat. Nec dubito, qui Archiva excuteret, innumera Legationum Principibus

pibus nostris pleno jure atque honore missarum exempla reperturum; Autor Gallus libelli cujus titulus est, *Mémoires & instructions pour servir dans les négotiations & affaires*, cùm notasset pag. 294. Principes Imperii uti titulo *Dei gratia*, & Legatos mittere ad Reges ac Principes exteros, addit postea pag. 268. *Guilielmum Ducem Juliacensem ac Cliviensem* Anno 1540. Legatos (Ambassadeurs) misisse ad *Franciscum I.* Sed & *Bavariæ Dux* multo ante quàm Electoratum obtinuit, Legatos optimo maximo jure mittebat. Notatum est in Concilio Tridentino Bavaros Venetis controversiam loci movisse, quemadmodum ipse Venetorum Historiographus *Petrus Justinianus* fatetur. Sed rem distinctè admodum exposuit Cardinalis *Pallavicinus* in Historia Concilii Tridentini, ex qua illud quoque discimus, Bavaros ante Helvetios & Florentinos locum tenuisse. Is ergo lib. XVI. cap. 6. *Arrivarono à Trenta due mandati dal Duca di Baviera, l'uno con titulo* (d'Ambasciadore) *ch' era il Doctor Agostino Baumgartner, l' altro Giovanni Cavillonio Teologo della Compagnia di Giesu, visitando essi i Legati esposer loro di tener instruzione, che l'Ambasciador non cedesse ad alteri Oratori, salvo di Rè, ò d'Elettori Imperiali, onde non poteva star sotto à quei di Venetia. I Presidenti risposero che quella Signoria godeva due Regni. Replicarono essi che per aventura il lor Principe comprendeva nel suo intendimento gli Oratori Veneziani fra i Regii, ma che non per tuttociò era parte loro il far questa interpretazione: che harebbono scritto di ciò al Duca e che fra tanto per non incorrere in lite desideravano di presentare loro mandati in una congrega, nella quale i Veneziani fosser contenti di non intervenire.* Idem eodem libro cap. 10. *In piu stretta necessità gli poneva la risposta venuta per dianzi all' oratore Bavarico, nella quale il Duca gli commandava, che se non havesse grado sopra i Veneziani, si partisse immantenente: il che portava con inevitabile necessità uno di duo grandissimi danni, percioche satisfacendosi al Duca si venivano à perdere gli Ambasciadori d'una Signoria ch'era il principal baloardo alla religione in Italia e l'unico sostegno di essa in Grecia. E satisfacendosi à Veneziani si perdevano gli Oratori d'un Principe ch'era l'appoggio della medesima religione in Germania: anzi venivansi à perdere insieme per aventura con tal esempio gli Oratori di tutti i Principi Tedeschi, eziandio Ecclesiastici, à titolo che si fosser negate le dovute onoranze à quelli di lor Nazione. Ed allora fù che i Legati presero tempo d'informarne il Pontefice, e lo fecero con la celerità d'un corriere, proponendogli d'inviar messo à posta che pregasse il Duca à suo nome di quella condescensione in Beneficio del Christianesimo, con rappresentargli le ragioni della convenevolezza. Significarongli anche, esser acconcia all' intento una presente opportunità, mentre il Bavaro dovea ritrovarsi à Praga il giorno decimoquinto di Giugno per la Coronazione del Re di Bohemia suo cognato: ove potrebbono concorrere ad espugnarlo i conforti dell' Imperadore procurati da sua Santità col mezzo del Nunzio Delfino.* Ex his locis intelligitur, Bavaros

Legatos ita fuisse instructos domi, ut in Concilio non nisi Regiis & Electoralibus cederent; cùm verò dubitaretur, an non sub Regiis comprehendi possent Veneti, ob Regna duo *Cypri* & *Cretæ* quæ tenebat Respublica, postulavere Bavari ut ipsi interim audirentur in congregatione, à qua Veneti abesse vellent, de reliquo se Dominum misso Celeri consulturos, qui cùm retulisset postea mandatum Ducis, ut, loco supra Venetos non impetrato, discederent, Legati Pontificis non parum perplexi Papam per cursorem consulere ac proposuere, ut per Cæsarem Nuntiumque *Delphinum* Bavarus tentaretur; ne vel Respublica religionis propugnaculum in Italia ac Græcia, vel Bavarus ejus defensor in Germania offenderetur. Ita tandem Bavarus persuaderi se passus est, ne Synodus Ecclesiæ religionis causâ congregata profanis litibus turbaretur: Itaque permisit ut Venetus locum, quem ante Bavari adventum habuerat, retineret, protestatione interposita, nihil suo aut Principum Germaniæ juribus indulgentia sua decedere debere. Sed audiamus Cardinalem lib. 17. cap. 4. *Nella competenza fra i Veneziani e i Bavarici ricorse il Pontefice all' interposizione di Ferdinando: il quale ricordasse al Duca Alberto suo genero che la Republica di Venezia era veramente Rè, e stava in possesso: che i suoi Oratori ottenessero luogo immediato doppo quello de gli altri Rè. Ma in si fatto litigio che tocca la più sensitiva parte de' Grandi, ricusò di porne la mano l'Imperadore, se non con Ufficii assai generali; e più scrivendo le proposizioni de' Presidenti* [Legati Pontificii nel Concilio] *al genero, che trattandone al nome suo proprio confortollo tutta via che non cagionasse disturbo al Sinodo. Neciò senza frutto, l'Oratore de Duca hebbe in fine comandamento di cedere à Veneziani, ma con protesto che ciò faceva per non turbare il concilio e senza pregiudizio del suo Signore. E così venne accolto nella congregazione à vinti sette di Giugno e protestossi allegando molti argomenti che il suo Principe dovesse precedere a quella Signoria, come di haver nella sua famiglia la dignità Elettorale: e d' havervi goduta ancora l'Imperiale. Alla qual protestazione s' oppose quivi con un' altra* Niccolo da Ponte *Primo Ambasciadore Veneziano, dicendo che quella precedenza era debita onoranza per sempre alla sua Republica, e non liberale condescensione al tempo. L'uno e l' altro si registrò negli atti: e la competenza giunse à tale, che'l Bavaro negò la copia della sua Orazione, perche l' havea prima negato il Venetiano.*] Protestationis Bavaricæ formam exhibet *Petrus Justinianus*, quemadmodum & reprotestationis Venetæ. Bavarus allegat, domum suam ab Imperatoribus, Regibus, Electoribus, originem traxisse; nolle tamen de priore loco certare in Concilio, in quo de pietate agitur, & ubi humiliatione Deus est implorandus, ut Ecclesiæ suæ misereatur. Ea tamen lege ac solenni protestatione præmissâ, ut hoc ipsum posthac in quibusvis Conventibus suæ Celsitudinis ejusdemque posteris *cæterisque Germaniæ Principibus Electoribus ac Ducibus* nulla ratione vel modo præjudicare possit vel debeat.

debeat. Unde patet, ipsum Bavarum judicasse, causam suam cum aliis primariis Germaniæ Principibus esse communem, quod etiam Patres Concilii judicabant; ideoque contra Bavarum pronuntiare verebantur, ne Germaniæ Principes universi offenderentur, ut notat Cardinalis. Eandem fuisse *Ferdinandi I.* sententiam judicat idem, ideoque tantùm Bavarum rogavit, ut aliquid condonaret publico rei Christianæ bono. Sed sicut Bavarus Veneto possessionem (saltem, ut Jurisconsultorum vocabulo utar, momentaneam) cessit, ita eam supra Helvetium Florentinumque *Cosmi* Ducis Hetruriæ Legatum duos inter hos obtinuit. Nam convenerat ut alternis congregationibus adessent, at Bavaro superveniente effectum est à Patribus ut ambo pacis studio tantisper congregationibus cederent, Bavaro solo actibus interveniente. Cardinalis dicto loco ita habet: *Con questa rimessione dell' Orator Bavaro le differenze per suo rispetto rimasero piu tosto mutate che quietate; perche havea ricevuta commessione di partirsi, ov' egli non precedesse all' Ambasciadore Elvezio ed al Fiorentino; onde i Legati (Pontificii) à fatica impetrarono dall' Elvezio che non comparisse finche di ciò avisasse i suoi Signori, e ne ricevesse nuovi comandamenti: e pregarono il Papa à fraporsi col Duca Cosimo; il cui Oratore in assenza dell' Elvezio soleva intervenire.* Ex his intelligi potest, nemini vel per somnium in mentem venisse, ut Bavariæ Duci, tunc *nondum Electori*, vel alteri cuidam magno Germaniæ Principi, jus Legationis plenum negaretur, imò contra cavisse Patres & Cæsarem ipsum, ne in eo cæteri Germaniæ Principes offenderentur. Illud utique constat, etsi Legatus ejus Veneto cesserit, parem tamen in ambobus fuisse Characteris honorem, præsertim cum Florentino non cesserit, sed ipsi pariter atque Helvetio prælatus videatur.

CAPUT LX.

Suprà multis ostendimus, Electorum Principumque reliquorum Legatos aut Ministros in eodem fuisse honore, iis denique nominibus appellatos in Tractatibus Præliminaribus Hamburgensibus, in subscriptione Instrumenti Pacis Westphalicæ, Fœderis Rhenensis, aliisque multis Tractatibus atque occasionibus; sed quoniam id uberius deducitur in brevi scripto, quod à Ministris Serenissimi Ducis Neoburgici Legatis Mediatoribus Anglis communicatum fuisse intellexi; ea, qua conceptum est, lingua, adjicere placet.

Bonnes & valables raisons, qui font voir, que les Ministres que les Princes doivent envoyer aux Traités de Paix qui se font à Nimégue, ont autant de droit de prétendre la qualité d'Ambassadeurs, (que les Roys de France & de Suède par une nouveauté mal fondée leur refusent dans leurs passeports)

que ceux des Electeurs, *& qu'on ne peut pas bien obliger les Princes de l'Empire à renoncer à leurs legitimes prétensions sur ce subject.*

» 1. Les Princes de l'Empire possédent effectivement au même degré » que les Electeurs la Souveraineté de leurs Pays avec les droits qui en » dépendent, comme entre autres *Jus Legationum*, & par conséquent » faudra-t-il respecter leurs Ministres si bien que ceux des Electeurs, » comme des Ambassadeurs, quand ils les employent en cette qualité, » & qu'ils sont revestus de ce caractère.

» 2. Les Princes ont indubitablement, de mesme que les Electeurs, » *Jus belli & Pacis itemque Fœderum*, non-seulement de toute ancienneté, » mais aussi par les Traités de Paix qui ont esté faits avec les Couronnes » de France & de Suède, & par consequent *Jus mittendi Legatos*, comme » ceux que l'on employe le plus souvent en de pareilles rencontres, & » sans lesquels on ne peut rien négocier.

» 3. Dans les Constitutions de l'Empire, comme aussi dans les Reso- » lutions & les Décrets de l'Empereur, l'on donne aux ministres des » Princes la mesme qualité qu'à ceux des Electeurs, ainsi que la prati- » que journaliére le témoigne.

» 4. Le mesme s'est fait dans l'Instrument de la Paix de Westfalie, » ainsi que cela paroist par le 17. Article du Traité entre l'Empereur & » la France, *ubi Cæsarei & Regii Ordinumque Imperii Ministri expresse* » *vocantur Legati & Plenipotentiarii.*

» 5. Or puisque alors dans un congrès pareil à celui qui se fait pré- » sentement à Nimégue, l'on n'a point fait de difference sur ce subject, » on ne la doit pas former non plus présentement.

» 6. D'autant moins, qu'il n'appartient pas aux Couronnes estrangéres » de changer les coûtumes de l'Empire, ni de revoquer en doute les » droits indisputables, dont les Princes de l'Empire jouïssent tous les » jours, ni de s'attribuer l'arbitrage à donner à l'un ou à l'autre tel » traitement qui leur plaira, ce qui ne peut servir qu'à causer de la dé- » fiance entre les membres & d'autres fâcheuses conséquences.

» 7. Donques de mesme que le Roy de la Grande Bretagne comme » Médiateur a trouvé bon de donner dans les passeports la qualité d'Am- » bassadeurs aux Ministres des Electeurs, l'on s'assure, qu'il ne jugera » pas moins juste & raisonnable de faire donner la mesme qualité aux » Ministres des Princes, *cùm inter Electores & Principes Imperii, extra* » *causam Electionis & quoad jura communia, quale Legationis hocce jus est,* » *nullum intercedat supradictum discrimen, quippe cùm omnes illi membra* » *sint ejusdem corporis, seu Reipublicæ, iisdem vivant legibus, par iis sit* » *in subditos ac Vasallos superioritas, eadem jura belli, Pacis, Fœderum,* » *& per consequens idem jus Legationum, eadem dignitatis nomina com-* » *parentibus in Comitiis Electorum & Principum Legatis.*

8. On

» 8. On a vû de tout temps, que les Princes de l'Empire ont toujours
» envoyé leurs Ministres auprès de l'Empereur, des Roys, des Princes,
» ou aux assemblées qui se sont faites, avec la qualité de *Legati*, ou
» bien avec un moindre caractère, ainsi qu'ils l'ont jugé à propos, *lesquels*
» ont esté aussi reconnus, reçûs & traites en cette qualité, en sorte qu'on
» ne peut se désister en cette rencontre, puis qu'il dépend entiérement
» de celui qui député, & non du bon plaisir d'aucun autre, de donner
» au Ministre qu'il employe telle qualité qu'il lui plaist.

» Sur quoi les Princes de l'Empire se sont tousjours reglés, & cela
» se trouve dans les Archives des Princes, aussi-bien que dans les actes
» imprimés de *Londorpius*; & dans les lettres que les Roys de France
» & de Suède ont écrites aux Electeurs & Estats de l'Empire, l'on ne
» trouvera point, qu'on ait fait de différence entre les Ministres des
» Electeurs & ceux des Princes à l'égard des titres, sur quoi l'on peut
» voir entr'autres les lettres de la Reine *Christine* de Suède du 22. Mars
» 1641. & du 23. Avril 1653.

» 10. Il se voit mesme par le texte des lettres de créance, que quand
» quelque maison des Princes a envoyé des Ministres à la Cour d'un Roy
» avec la qualité de Légats, ils y ont été reçus & traités en cette qualité,
» leur ayant esté donné dans les expéditions le mesme prédicat.

» 11. Et lors qu'en l'an 1658. l'on négocia l'Alliance du Rhin, &
» que dans la minute qu'on avoit dressée, l'on eust inséré les deux qualités de *Legati* & *Deputati*, on a, à l'instance de ceux qui se trouvérent à Francfort de la part des Princes, effacé le mot de Députés,
» pour précautionner, que l'on n'en pust tirer quelque conséquence préjudiciable à la grandeur & dignité des Princes: de sorte qu'on fit donner le mesme titre aux Ministres des Princes qu'à ceux des Electeurs,
» ainsi que plusieurs s'en souviennent fort bien encore.

» 12. Comme aussi qu'il y a environ huit ans, quelques Electeurs &
» Princes, ayant fait une députation pour moyenner un accommodement
» entre les Roys de France & d'Espagne, l'on donna les mesmes lettres
» de créance si bien aux ministres des Electeurs qu'à ceux des Princes;
» sans y souffrir aucune difference, aussi ont-ils esté traités à la Cour des
» Rois de la mesme maniére, sans donner aucune prérogative à ceux
» des Electeurs par dessus ceux des Princes. C'est pourquoi l'on n'en
» devroit point maintenant faire de différence.

» 13. Les Auteurs François disent eux-mesmes, que les Princes de
» l'Empire possédent entre autres droits celui d'envoyer des Ambassadeurs.
» Voyez les Mémoires & Instructions pour servir dans les négotiations
» & affaires, & dont l'auteur dit en la page 294. de l'édition de Hollande, *que les Princes de l'Empire prennent dans leurs lettres le titre*,
» *par la grace de Dieu, qu'ils envoyent des Ambassadeurs vers les Roys*

» *& Princes étrangers, &c.* Et y adjouste en la page 298, *Guillaume Duc*
» *de Juliers & de Cleves, en l'année* 1540. *envoya ses Ambassadeurs vers*
» *le Roi François I.* de sorte que selon leur propre témoignage l'on ne
» peut pas raisonnablement faire difficulté de donner la qualité d'Am-
» bassadeurs aux Ministres que les Princes envoyent.

» 14. On n'allégue point, que les anciennes familles des Princes sé-
» culiers ne cédent en rien quant à l'ancienneté de leur extraction, con-
» dition & dignité, droits & prérogatives, aux familles des Electeurs;
» ainsi qu'entr'eux ils se sont tousjours reconnus pour tels, & les estran-
» gers n'y ont jamais fait aucune difference: Mesme il y a quelques fa-
» milles des Princes, qui ont possédé leurs pays & terres plusieurs cen-
» taines d'années plustost que quelques Electeurs, ayant gouverné des
» grandes & considérables provinces *absolutâ & regia quasi manu*, les-
» quelles ils ont après incorporées à l'Empire.

» 15. Et bien que le pouvoir d'elire un Empereur, ou un Roy des
» Romains, soit cédé à quelques-uns des Princes, qu'on appelle main-
» tenant Electeurs, les histoires sont pourtant assez voir comment cela
» s'est fait; comme aussi, que cela n'a rien diminué des droits & de la
» dignité des autres Princes de l'Empire, & que cela n'y a pas pû pré-
» judicier, s'y estant toujours maintenus jusqu'à présent, aussi n'y a-t-il
» jamais eu de différent entre les Electeurs & les Princes, au regard du
» caractère d'Ambassadeur, Légat, ou Député.

» 16. Et bien que l'on pust alléguer, que Messieurs les Electeurs sont
» honorés de plus hauts titres que les Princes de l'Empire, & qu'on leur
» donne le rang & la préséance, à cause des charges qu'ils possédent
» dans l'Empire, il faut pourtant sçavoir, que des honneurs qui se ren-
» dent à leurs charges, l'on ne peut point tirer de conséquence pour les
» droits mesmes, ni de bonne preuve contre ce que nous soutenons.
» Néantmoins les Princes de l'Empire peuvent faire voir par plusieurs
» escrits, qu'ils ont esté traités par des Puissances estrangéres avec les mesmes
» honneurs, & qu'ils en ont receu les mesmes tiltres que les Electeurs.

» 17. Et il ne s'agit pas simplement ici des tiltres & de la qualité;
» mais il y va aussi des droits qui y sont attachés inséparablement; mais
» quant aux mots d'Ambassadeur, Légat, Envoyé, Député, Plénipo-
» tentiaire, il est certain qu'ils ont esté souvent confondus, & qu'autres
» fois on n'y a pas tant fait de différence. On peut voir dans le Recés
» de l'exécution de Nurenberg de l'an 1650. que parmi les Ministres
» qui s'y trouvérent, il y en eut quelques-uns qui ne prirent point du
» tout de qualité; ensorte que parmi ceux des Princes il n'y eut que
» celui de Wurtenberg, qui prit la qualité de Député; là où celui qui
» y estoit de la part de la Ville de Francfort, y fut traité de Légat,
» bien que la liste de ce qui devoit estre restitué, & qui fut concertée
» par

» par quelques Ministres des Electeurs & des Princes, pendant la mesme
» assemblée de Nurenberg, fust signée des Ministres des Princes aussi-bien
» que de ceux des Electeurs, ayant tous la même qualité de Légats.
» *Hactenus illud Scriptum.*

CAPUT LXI.

QUoniam autem in his rebus magnam vim habet confessio eorum, cum quibus disputamus, inprimis si aliis temporibus, quibus nemo de præsenti controversia cogitabat, eis exciderit, & tunc indubitabilis habita fuerit, ideò operæ pretium erit huc afferre excerpta ex Apologia, quam Galli edidêre pro *Philippo Christophoro*, Electore, Archi-Episcopo Trevirensi, & armis suis ejus defendendi aut potius ulciscendi causa sumptis. Hic enim primarius fuit color, cur anno 1635. pacem cum Austriaca domo, antea utcunque servatam, abruperint. Ea Apologia postea inserta est libro Lutetiæ Parisiorum apud *Cramoisi*, Typographum Regium Lupareæ Typographiæ præfectum, cum privilegio Regis, in folio, ut vocant, edito anno 1665. Cui titulus est: *Mémoires & Instructions pour servir dans les négotiations & affaires concernant les droits du Roy de France.* Ubi pag. 175. habetur dissertatio, cujus titulus est: *Justification du procédé de l'Electeur de Tréves & quelle est la liberté* des Electeurs de l'Empire & autres Princes d'Allemagne, *de faire des Traités & Alliances avec tous les Princes de la Chrestienté*; ubi expressis verbis quoad Suprematum Regibus æquantur, & plenum jus Legationis ipsis adscribitur. Quod scriptum sive Manifestum cùm publicam quodammodo autoritatem habeat, tantò minus à Gallis certè recusari potest, quanquam à nobis omnia, quæ de rebus Imperii habet, minimè probari possint. Porrò, quæ excerpsimus, ita habent.

L'*Empereur* Maximilian I. *bon & sage Prince*, *disoit ordinairement*, que des Roys de la Chrestienté l'un estoit Roy des asnes, l'autre Roy des hommes; mais que l'Empereur estoit Roy des Roys: *qualifiant Roys les Princes de l'Empire*: *& de vérité ils sont Roys de leur establissement & de leur authorité sur leurs subjets*, *& sur l'Empereur mesme*, *lequel est Empereur par eux.*

Les marques de cette puissance & authorité paroissent non pas en des priviléges, mais aux grands pouvoirs & aux libertés qu'ils ont dans l'Empire, libertés d'autant plus grandes & asseurées qu'elles ne sont point escrites, que dans l'usage ordinaire & très ancien, & ne sont point accusés de crime, quand ils les observent & quand ils en usent, comme veut faire aujourd'hui l'Empereur contre l'Electeur de Tréves pour le Traité qu'il a fait avec le Roy.

Les Princes de l'Empire ont autant de pouvoir dans leurs estats, que l'Empereur dans l'Empire.

Ils

Ils ont pouvoir sur la vie, biens & honneurs de leurs subjets.

Ils peuvent contracter librement des mariages avec les Princes estrangers, sans le sceû de l'Empereur, quand bien il ne l'auroit pas agréable, ils ne sont pas mesmes obligés de lui obéir.

Ils prennent dans leurs lettres le titre : Par la grace de Dieu.

Ils envoyent des Ambassadeurs vers les Roys & Princes estrangers.

Ils peuvent lever des gens de Guerre, non-seulement pour leur propre défense & conservation, mais pour assister leurs amis.

Ils peuvent fortifier leurs villes, & construire des places fortes aux limites de leurs Estats.

Il leur est permis de faire des traités entre eux & avec les Princes estrangers; non-seulement pour mettre ordre à la paix publique, & pour leurs affaires communes, mais pour rechercher leur protection, pourveu qu'il ne s'y fasse rien au préjudice de la République.

Pour l'exécution de cette liberté & prérogative, ils ont droit de faire des assemblées, sans estre obligés d'en demander permission à l'Empereur.

Nous avons un Traité fait l'an 1324. *par le Duc d'Austriche* Leopold *avec le Roy* Charles le Bel, *par lequel il lui promet de le faire eslire Roy des Romains, pour puis après être promeu à l'Empire.*

En l'année 1338. Albert *&* Othon *Fréres, Ducs d'Austriche, tant pour eux que pour leurs descendans, firent un Traité avec le Roy* Philippe de Valois, *par lequel ils lui promirent de lui estre bons & fidèles amis & de l'aider envers & contre tous, fors contre le S. Empire.*

En l'année 1430. Fréderic *Duc d'Austriche, de Stirie, & autres Seigneuries promit mariage pour son fils* Sigismond *avec* Radegonde *fille du Roy* Charles VII. *& ensuite il promit de faire la guerre contre les Bourguignons & le Roy d'Angleterre, en faveur du Roy de France.*

Ces exemples sont d'autant plus notables, qu'ils sont de divers Princes de la maison d'Austriche, qui ne crurent pas lors avoir besoin de l'authorité de l'Empereur.

Albert *Duc de Bavière, Comte de Hainaut & de Hollande, ne rechercha point le consentement de l'Empereur, lors qu'il traitta le Mariage de* Guillaume d'Ostrevant *son fils avec* Marie *de France fille de* Charles V. *l'an* 1373. *& ensuite du mariage, il fit un Traité pour la défense du Roi & du Royaume de France, tant pour lui que pour ses enfans.*

En l'année 1532. *l'Electeur de Saxe & son fils, les Ducs de Bavière, le Landgrave de Hesse, & autres Princes Allemands, après plusieurs assemblées, firent un Traité de Ligue pour la conservation des droits & libertés du Saint Empire, ils envoyèrent plusieurs fois en France requérir le Roy* François I. *de vouloir entrer avec eux en cette Ligue, qui n'alloit que pour empescher, que* Ferdinand *Roy de Bohême fust éleu Roy des Romains pendant la vie de l'Empereur* Charles V. *son Frére : ce qui estoit contre les priviléges de*

de la Bulle d'Or, les coustumes anciennes & la dignité de la Nation Germanique : néantmoins l'Election se fit, ensuite de laquelle Guillaume *Duc de Baviére, bisayeul du Duc de Baviére qui est à présent, donna pouvoir, tant pour luy que pour les autres Princes liguès avec luy, de traiter une ligue avec ledit Roy* François I. *au cas qu'ils fussent molestés pour s'être opposés à cette élection. On ne peut pas s'imaginer, que l'Empereur eust donné son consentement à ce Traité de Ligue & à ces oppositions.*

Guillaume *Duc de Juliers & de Cléves en l'année* 1540. *envoya ses Ambassadeurs vers le Roy* François I. *qui traitérent une ligue deffensive perpétuelle pour leur secours. Le Cardinal de* Tournon *& le Chancelier* Poyet *furent commis de la part du Roy pour faire ce Traité.*

Maurice *Duc de Saxe Electeur, & les principaux Princes de l'Empire traitérent avec le Roy* Henry II. *à Chambord l'an* 1551. *Ensuite de quoy le Roy* Henry *entra dans l'Allemagne, & depuis ce temps nos Roys rentrérent en la possession des Villes de Mets, Toul & Verdun.*

Les Princes Protestans d'Allemagne envoyérent en France un secours notable en faveur de ceux de la Religion prétenduë reformée en l'année 1571. *les mesmes Princes favorisans le feu Roy, lors Roy de Navarre, firent entrer en ce Royaume un notable secours, qui perit en partie à Anneau.*

L'Empereur ne donna jamais son consentement à ce secours, si l'on ne veut croire, qu'il ait favorisé ceux de ladite Religion au préjudice de la Ligue, dont le Roy d'Espagne espéroit tirer seul de l'advantage.

En l'année 1586. *les Electeurs & Princes Protestans d'Allemagne, & les Villes Impériales comme Strasbourg & Ulm, envoyérent une grande Ambassade vers le Roy* Henry III. *pour se plaindre de ce qu'il avoit revoqué son Edict fait en faveur des Huguenots, & pour le supplier de restablir ce qui avoit esté revoqué. Les Ambassadeurs furent fort mal receus par le Roy, non pas parce que l'Empereur ne les avoit pas authorisés, mais parce qu'il avoit fait dans son Estat ce que tout Prince Souverain fait absolument, & ordonne ce qu'il luy plaist, & connoit estre utile pour le bien de ses peuples.*

Au traité de Hall fait en Février 1610. *entre le feu Roi* Henry le Grand, *& les Electeurs Palatin & de Brandebourg & autres Princes & Estats de l'Empire unis, ces Princes furent sommés de déclarer, s'ils entendoient déférer aux mandemens qui pourroient venir de la part de l'Empereur, & de se départir pour cela de la défense de la cause qu'ils avoient entreprise, ils déclarérent qu'ils demeureroient fermes en leur union, sans avoir esgard à aucun mandement ou ban qui puisse venir de la part de l'Empereur.*

Quelques Electeurs & Princes Allemands en l'année 1612. *firent un traité avec le Roy d'Angleterre pour la conservation des Duchés de Juliers, Cléves, Berg, & autres. Ces Princes après avoir déclaré que ce qu'ils faisoient estoit pour le bien de l'Empire, & pour la conservation de l'authorité de l'Empereur, traitérent une alliance deffensive & reciproque avec le Roy, qui promit à ces Prin-*

Princes un secours specifié au traité, & ces Princes reciproquement. Au mois de May 1631. l'Electeur de Bavière seul contracta avec le Roy une ligue deffensive. Le Roy promettoit, le deffendre lui & son pays, avec les troupes y specifiées & luy au reciproque. Et par un article il est dit, que ce traité est licite & permis par le droit de nature, & convenable au Roy & audit Electeur, lequel reserve le serment par luy fait à l'Empereur & à l'Empire.

Les Princes Protestans en 1613. firent un Traité de ligue deffensive avec les Estats generaux des Provinces Unies des pays bas, avec beaucoup d'articles, qui contiennent particulierement les secours mutuels que les traitans se doivent rendre. En ce Traité il est parlé de l'Empire comme de la France, de l'Angleterre, & du College Electoral; mais il n'est point fait mention de l'Empire, ensorte que ces Princes crussent avoir besoin de l'authorité de l'Empereur pour rendre leur Traité valable. Hactenus illud Manifestum. Quod etsi subinde nimium detrahat Cæsari, (quod in Gallia mirum non est) illud tamen utiliter accipimus, quod fortissimis expressionibus tuendæ Principum nostrorum dignitati, & stabiliendo *Legationis Juri*, dicitur. Nec video, quid solidi à Gallis ei eludendo afferri possit; nisi affectus nudare, & fateri velint, se nulla juris ratione habita pro suis tantùm commodis & temporum facie ratiocinari.

CAPUT LXII.

Ex novissimis Legationibus non est opus memorare hoc loco illam satis splendidam, quam quondam Holsatiæ Dux *Fridericus* in Moscoviam Persiamque misit commerciorum causa, quoniam quid Moscus aut Persæ concesserint, apud nos exemplum non facit. Illud tamen annotare operæ pretium est, ad Narvam urbem Suecicam venientibus 18. Maji 1634. Legatos Suecicos in Moscoviam destinatos *Henricum Fleming*, *Ericum Gyllenstierna*, & *Andream Bureum* multo comitatu una ab urbe leuca obviam venisse, cæteraque eos velut magni Principis characterem referentes, omnibus honoribus coluisse, displosis cùm intrarent tormentis. Utraque Legatio iisdem cæremoniis à Russis excerpta est, cùm facile esset Suecis, qui aliquot septimanarum spatio præcesserant, avertere animos Moscorum per se satis in re cæremoniali difficilium, si quidem ipsis in mentem venisset, Principes Germaniæ præcipuos non eodem quo Reges gradu, jus Legationis habere; sed ad propria veniamus. Cùm anno 1646. *Uladislaus* Rex Poloniæ cum *Maria Ludovisia* Mantuana nuptias celebraret, comparuere solenni pompa Episcopus Arausionensis Legatus Ducis Mantuæ, proximi Reginæ cognati, & Episcopus Posnaniensis Legatus Neoburgici, qui Regis sororem duxerat, ambo à Rege pariter atque exteris Legatis æquali honore habiti. Nuper duas ejusdem Neoburgici Legationes solenni apparatu missas Polonia vidit; unam anno 1669.

1669. alteram anno 1674. in utraque Legati ejus splendidè excepti & magnificè culti sunt. Texêre caput coram Rege, posterior etiam coram Reginâ Cæsaris forore. Nec ulla solennium observatione à Regiis Legatis distincti sunt; nam & *Excellentiam* ipsis dedêre Legati Regum, & cæteroqui circa visitationem & loci honorem pari jure usi sunt; nemine tunc ne quidem suspicante quicquam de controversia, quæ nunc biennio post serò movetur; postquam res ampliùs integra non est. Hoc quidam ineptè sic excusant, quòd Legatus Neoburgicus à Coronæ Candidato venerit, ideòque liberaliùs sit habitus: quasi verò Candidatum esse jus tribuat, aut dignitatem ambientis augeat, cùm etiam Piastus, id est privatus, modò ingenuus atque indigena, in Polonia Candidatus esse possit. Neque verò Legatos magnorum Regum erga alios Ministros circa *Excellentiam* & *Visitationes locumque* liberales esse solere, constat ex tot concertationibus acerrimis, quarum aliquas nos quoque hoc loco memoravimus. Ita scilicet affectus viros etiam prudentes in transversum rapit, ut quid dicant nihil pensi habeant. Antequam finiamus, operæ pretium erit, attingi Legationem, quæ Electorum quorundam Imperii atque Principum nomine, promovendæ pacis causa, quæ postea Aquis-Grani conclusa est anno 1667. ad Regem Christianissimum missa erat. Equidem ambigi potest, Legati fuerint an Ablegati: (*Ambassadeurs ou Envoyés*) nam ni fallor Ablegati ab ipsis Dominis habiti sunt; in Gallia tamen Rex medium tenuit; nam quoniam hactenus non erat concessum Electorum Principumque Germaniæ Ministris, ut se coram Rege tegerent, ideò Rex eos recepit ipsemet stans detecto capite, ne ipsis tegendi sese occasio vel prætextus esset. Simile apud Reginam temperamentum adhibitum, ne quis Regem casu stetisse suspicaretur. Sed & recredentialibus Tabulis missio hæc *Legatio* appellabatur. Illud constat, cùm quinque fuerint Plenipotentiarii, tres fuisse ab Electoribus, duos à Principibus, neque à Rege Christianissimo distinctionem inter eos factam. Et qui nuper pro Serenissimi Electoris Brandeburgici jure mittendi plures æquali potestate Legatos scripsit, hoc exemplo usus est, quod utique claudicat, si Plenipotentiarii isti non Legati sed Ablegati fuere, ipsi enim autori de Legatis ratiocinari propositum erat. Itaque quoniam ipse alibi innuit, Monasterii discrimen inter Principum atque Electorum Legatos fuisse receptum (quod supra fusè refutavimus) argumentum hoc in ipsum valebit, præsertim cùm hoc loco dubitare videatur, jure an injuria Principes ab Electoribus distinguantur. Sed verba ipsius adducere pretium operæ erit; sunt enim notabilia, quia allegat, nullam inter Electorum atque Principum Legatos tunc in aula Gallica factam fuisse distinctionem, quamvis eam Minister Cæsareus facere voluerit. Et addit, notum esse, semper Regem Galliæ plus honoris Electoribus atque Principibus Imperii exhibere, quàm Cæsar solet. Quæ omnia prorsus ad rem nostram pertinent.

tinent. Quod vero addit, Ministrum Cæsareum eos discriminasse, id, si Ablegati fuere, inane fuit, constat enim Ablegatos Regum Principumque non solere honorum genere distingui; sin Legati habiti sunt, non fuit in ejus potestate distinguere eos qui pari jure pro indiviso gaudebant, & collegæ censebantur. Sed hoc misso, verba autoris hujus adducamus, ita ergo ille: *Considérons seulement, de quelle façon sa Majesté très-Chrestienne a traité les cinq Plénipotentiaires, qui luy furent envoyés l'année 1667. de la part de la Médiation, qu'en ce temps-là avoyent entrepris l'Electeur de Brandebourg avec les autres Electeurs, & quelques Princes de l'Empire pour moyenner la paix, laquelle peu après s'ensuivit, & fut concluë à Aix la Chapelle; le Roy, aussi-bien que ses Ministres, n'ont fait aucun scrupule de traiter les dits cinq Plénipotentiaires, comme estans envoyés d'un corps, munis d'un mesme pouvoir, & pourveus d'un mesme caractère, tous esgalement, sans faire entre eux la moindre distinction, laquelle autrement l'on auroit pû faire avec bien plus de raison & avec plus de prétexte entre ces cinq Plénipotentiaires envoyés de divers Maistres qu'on ne le sçauroit faire entre deux Ambassadeurs d'un mesme Maistre, pourveus & munis tous deux de mesme pouvoir & de mesme caractère. Nonobstant que le Sieur* Vica *Plénipotentiaire de sa Majesté Imp., qui en ce mesme temps fut à la Cour de France, fit entre les dits cinq Plénipotentiaires non-seulement une separation, mais aussi une assez grande & très-essentielle différence, (soit qu'il l'aye fait avec ou sans fondement) en traitant les trois premiers qui estoient envoyés de la part des Electeurs, tout autrement que les deux autres qui l'estoient des Princes. Exemple d'autant plus remarquable, qu'il s'est fait en mesme temps en France à la veuë du Roy & de ses Ministres, sans que ceux-cy pour cela l'ayent voulu suivre, pour faire entre les dits cinq Plénipotentiaires cette distinction là, laquelle y fit le susdit Ministre de l'Empereur. Si les Ambassadeurs de France voulussent seulement considérer cet exemple, ils en feroient convaincus, que c'est sans raison, de vouloir faire en ce lieu icy de la distinction entre deux Ambassadeurs d'un mesme Maistre, l'Electeur de Brandebourg, pourveus d'un mesme pouvoir & caractère.* Et comme il est notoire, outre ce que le dit exemple vérifie, que sa Majesté Très Chrestienne a toujours fait plus de civilité & d'honneur aux Electeurs & aux Princes de l'Empire & à leurs Ministres, que non pas Sa Majesté Imp. *qui est-ce qui pourra comprendre, que les Ambassadeurs de France refusent sur le Congrès icy à ceux de Brandebourg, ce que l'Empereur & ses Ambassadeurs y accordent aux Ambassadeurs dudit Electeur, & qu'ils observent avec eux sans aucune difficulté.*

CAPUT LXIII.

Sed misso hoc ultimo exemplo, quod in controversiam vocari potest, ad superiora redeamus. Nimirum Galli, cùm viderent Serenissimum Neoburgicum triennio abhinc sine controversia obtinuisse, ut Legati Regii

Regii Legatos ejus *Excellentiæ* appellatione cæterisque solennibus honorarent, neque negare possent, Episcopum de Beziers, mox Archi-Episcopum Tolosanum, hodie Narbonensem, Cardinalem *Bonzium*, & novissimè, biennio abhinc, Episcopum Massiliensem, Cardinalem designatum, in re manifesta manus dedisse, perplexi satis erant. Quoniam enim professi erant, se possessioni simpliciter insistere velle, & jus Legationis Lotharingi agnoscere, si exempla Gallica afferre posset, ideo cogebantur & Neoburgico concedere, quod illum per ipsos Gallicos Ministros habuisse, novissimo exemplo constabat. Itaque in tabulis fidei publicæ sive Salvi Conductus pro Ministris Neoburgici scriptis, quas Legato Anglico Mediatori jam in manus consignaverant Galli, nomen Legatorum (*des Ambassadeurs*) expressum erat. Et fama erat, eos Neoburgicum à cæteris Principibus, Brandeburgicum à cæteris Electoribus separare velle: sed uti posteriores cogitationes solent esse sapientiores, animadverterunt Galli, quàm absurdum futurum esset, si eos, qui omni jure ac propria confessione æquales erant, inepta argutatione distinguere conarentur; itaque declaravere idem cæteris Electoribus, quod Brandeburgico, idem cæteris Principibus quod Neoburgico jus fore, nec aliud remedium erroris admissi invenêre, quàm ut Literas Salvi Conductus Neoburgicis destinatas, quæ casu adhuc apud Mediatorem Templium reperiebantur, revocarent; quasi vocabulum *Ambassadeurs* negligentia scribentium irrepsisset. Quæ excusatio omnibus aliena visa est, quoniam constabat, Gallos paulo antè in hoc ipso nomine concedendo difficillimos se præbuisse, neque Lotharingo quicquam indulsisse. Quare si juris rigore cum ipsis agendum est, causam vincimus: nam fassi sunt, Neoburgicum in possessione esse, & possessionem habenti jus deberi. (quoniam ex hoc capite literis nomen Ambasciatorum inseruere;) Porrò fassi sunt quoque, qui in eadem causa sunt, eos pari honore frui debere, (quia literas Neoburgicis destinatas revocavere, ne cæteris quoque Principibus concedere cogerentur.) Itaque si primo suo judicio stabunt & parte postremi, jus Legatorum in cæteris quoque Principibus Neoburgico non inferioribus agnoscere non detrectabunt. Præterea Galli testati sunt, se quod Cæsar Principibus Germaniæ indulgeret, non recusaturos. Atqui Cæsar professus est, jus ipsis esse mittendi Ambasciatores cum repræsentatitio charactere, neque id à se in controversiam vocari, quod hactenus Galli fecêre. Tantùm circa cæremoniarum minutias à Ministris Cæsaris dubitatum est. Sed hoc quoque, quod restat controversiæ, facilè compositum iri credo: nam constat, non minus submissionem ab Electoribus, quàm à cæteris Principibus Cæsari deberi; nihilominus Cæsar Electorum Legatis *Excellentiam*, & *Visitationes*, & *Locum* visitantibus *honoratiorem* indulsit. Quare non habet, cur Principibus difficiliorem se præbeat, nisi Electores sibi minùs subjectos fateatur. Et frustra sunt, qui al-

 legant,

legant, olim Cæsareis Regiisque Legatis Principes cessisse domi suæ; non verò Electores, ut scilicet discrimen aliquod undecunque exsculpant: utrumque enim aliquando falsum est. Nam multis exemplis constat, aliquando Principes non cessisse domi suæ Legatis Regiis, & contra aliquando Electores ipsis cessisse. Consuli potest exhibita supra historia Itineris Danielis Eremitæ, cum Legato Florentino. Et Elector Saxoniæ aliquando nuntio Gallico (ne Ablegatum quidem professo) in mensa sua cessit: & Rex ipse Daniæ Legatos Cæsareum & Regium sibi aliquando antepofuit. Idem indulsit aliquando Hetruriæ Dux Legato Hispanico, cujus exemplum supra adduximus. Archi-Episcopus Ambrunius, Legatus Regis Christianissimi ad Catholicum Regem aliquando cessit *Johanni* Austriaco in ipsa *Johannis* Austriaci domo, quod tamen Cæsareus Legatus facere noluerat. Ideo etiam Ambrunius à *Lyonnæo* reprehensus est, vel ideo quòd constaret, *Hollisium* Anglum, & Legatum Venetum Principi *Condæo* ne in loco quidem tertio cedere voluisse; quæ demonstrant quàm ambigua sint hæc omnia. Sed operæ pretium est, adducere ipsa *Lyonnæi* verba scribentis Regi suo, sumpta ex scriptis quibusdam penultimo bello Belgico interceptis. Sic ergo ille: *Je voy par la dernière dépêche de Monsieur l'Archevêque d'Ambrun, qu'il a fait une très-grande faute d'avoir visité Don* Jean *d'Austriche, sans avoir eu la main droite chez luy, l'Ambassadeur mesme de l'Empereur ne l'a pas voulu faire, ny luy en montrer l'exemple, & ledit Seigneur Archevesque se laisse vilainement duper sur trois fondemens faux. Car je ne crois pas, qu'il soit vray, comme ledit Archevesque le mande, que Don* Jean *d'Austriche ayt precedé en Flandres l'Archi-Duc* Leopold, *ny que Don* Jean *ayt precedé en lieu tiers Monseigneur le Prince, & que Monseigneur le Prince ne donne pas icy la main chez luy aux Ambassadeurs des testes Couronnées. Un Ambassadeur de France ne doit point demeurer d'accord de cette prétention chimérique, que ce Prince tienne le rang des enfans de Castille: & ledit Archevesque n'a pu vivre avec Don* Jean, *que comme le Marquis* de la Fuente *auroit vescu icy avec Monsieur* de Vendosme, *qu'il pretendroit mesme préceder en lieu tiers. Nous avons vu Monsieur* Hollis *& l'Ambassadeur de Venise ne vouloir pas se trouver avec Monseigneur le Prince, pour ne luy pas céder. Cependant Monsieur d'Ambrun va chez Don* Jean, *qui est d'une condition inférieure à celle de Monseigneur le Prince, & chez luy mesme luy céde la main. Il n'y a plus d'autre remède à une chose faite, si ce n'est qu'afin que les Espagnols n'ayent pas sujet de se mocquer du Roy, & de ceux qui ont l'honneur de le servir, comme ils se feront mocqués dudit Archevesque, sa Majesté mande à celuy-cy qu'elle a fort désapprouvé sa conduite en cette occasion, & luy en dit les raisons, & qu'après elle luy ordonne de faire entendre dans Madrid, qu'il a reçu des deffenses de plus visiter Don* Jean, *s'il ne luy donne la main dans la maison, & mesme qu'il a ordre de ne lui pas céder en lieu tiers. Comme les Ambassadeurs des testes Cou-*

ron-

ronnées ne veulent pas céder icy à Monseigneur le Prince, qui doit bien tenir un plus grand poste qu'un fils naturel d'un Roy. Rex *Lyonnæo* ita respondit : *le Roy approuve tout cecy, pourvu qu'on ne parle point de la difficulté, que font les Ambassadeurs de céder à Monseigneur le Prince, laquelle il ne faut pas autoriser.* Quod si ergo Rex Legatos Regios vult cedere Principi *Condæo*, poteritne velle ut præcedant Principes Germaniæ, qui habent Supprematum & realem & personalem? cùm *Condæus* tantùm personalem habeat. Et certè Italiæ Duces Legato Regio nec Domi suæ cedunt. Eodemque jure usi sunt, Bavarus nondum Elector, & Neoburgicus, aliique apud nos Principes : quod paucis ex Collectaneis de Legatorum jure Gallicis versatissimi in his rebus viri, docere operæ pretium erit. Ita ergo ille : *L'an 1633. les Estats envoyèrent* Gaspar de Vorbergue *en qualité d'Ambassadeur à l'Electeur de Cologne, à l'Evesque d'Osnabrug, & au Duc de Neubourg. Le Duc receut l'Ambassadeur dans l'Antichambre, & le mena à la chambre, où il luy devoit donner audience, prenant tousjours la main & le pas sur luy. En se mettant à table, le Duc prit la première place, & fit témoigner à l'Ambassadeur, qu'il ne l'avoit jamais donnée à l'Ambassadeur des Provinces Unies; qu'il avoit traité de mesme façon le Comte* de Grimbergue, *que l'Infante luy avoit envoyé, & que mesme chez luy il ne cédoit point la main au Nonce ny aux Ambassadeurs de la maison d'Austriche, mais seulement à celuy du Roy d'Espagne,* [irrégularité manifeste, mais sans doute purement arbitraire] *qu'il ne se trouveroit pas, qu'aucun des Electeurs sur le Rhin l'eust fait : qu'ils estoient un peu plus ponctuels & difficiles au sujet des cérémonies que les Electeurs de Saxe, & de Brandebourg.* L'auteur adjoûte cecy : *Le Duc avoit raison en ce qu'il pouvoit prendre chez luy les mesmes avantages, que les Ducs de Savoye & de Mantouë & le Grand Duc se donnent chez eux sur les Ambassadeurs : mais je ne sçay pas, s'il se pouvoit mettre en parallele avec les Electeurs.* [pourquoy non en cecy, puisque les Ambassadeurs de Savoye, de Mantouë & de Florence font la mesme chose.] *Ce que le Duc de Neubourg dit, que les cérémonies sont mieux reglées dans les Cours, qui sont plus voisines de la France & de l'Italie, est très vray. La Cour de Dresde a tousjours eu ses maximes particulières. Au congrez de Westphalie les Plénipotentiaires de France ne négocioient pas immédiatement avec ceux de l'Electeur de Saxe, parce que ceux-cy ne voulant point donner le titre de Majesté au Roy, on ne leur vouloit point donner celuy d'*Excellence, *ny le Roy ne donnoit point à leur Maistre la qualité de frère, comme aux autres Electeurs séculiers. Les Plénipotentiaires de l'Electeur estant arrivés à Osnabrug n'attendirent pas la première visite de ceux de l'Empereur, mais ils la prévinrent : c'est pourquoy les Ambassadeurs de Suède prétendoient le mesme avantage, & l'obtinrent enfin, après une longue & très fâcheuse contestation. Pour faire voir, qu'à la Cour de Dresde on ne s'arreste pas beaucoup aux ponctualités des cérémonies; je ne marqueray icy qu'un*

qu'un seul exemple. En l'an 1632. le Roy de France y envoya le fils d'un Medecin de Metz nommé *La Grange aux Ormes*, sans autre qualité que de celle de porteur de lettre. L'Electeur ne laissa pas de le recevoir avec les mesmes honneurs, qu'il auroit pû faire à un Ambassadeur; le faisant laver le premier, & luy faisant prendre la premiere place à la table. J'ai veu des Princes d'Allemagne donner aux Ambassadeurs des Electeurs la place d'honneur par-tout, dans le carosse, à la table, & ailleurs. *Mais c'est ce qu'ils ne devroient pas faire à l'Ambassadeur du plus grand Roy de la Chrestienté; puisque le Duc de Bavière mesme, devant qu'il fust Electeur, ne le faisoit point, & les Ducs de Savoye, de Lorraine & de Mantoüe ne le font point encore. Ces Princes ne font point de distinction entre le Ministre & celuy qui l'envoye; & de l'autre costé ces Ambassadeurs oublient ce qu'ils sont, & s'imaginent qu'ils sont Princes en effect.* Le Roy de Dannemark mariant le Prince son fils à la troisième fille de l'Electeur de Saxe en l'an 1634. fit des honneurs si grands aux Ambassadeurs de l'Empereur & de France, que je ne sçay comment les Representans oserent les recevoir. Après la benediction du mariage le Roy, & les trois Princes qui avoyent conduit le marié & la mariée, prirent les premieres places, mais l'Electrice de Saxe mere de la mariée, fut placée après les Ambassadeurs. Le Roy ne se trouva point au souper, où les mesmes Ambassadeurs eurent les chaises immediatement après celles des mariés, devant celles de tous les Princes & de toutes les Princesses. Au souper du troisième jour les Ambassadeurs furent placés les premiers devant les nouveaux mariés; & au Ballet, qui se dança ensuite, *Le Roy mesme prit la quatriéme place après les trois Ambassadeurs.* Trois ou quatre jours après se fit le mariage du Comte *Pens*, avec une des filles naturelles du Roy, où les Ambassadeurs de l'Empereur & de France conduisirent le marié, le Roy & celuy de Pologne la mariée. Au carouzel, qui se fit le Dimanche suivant, le Roy prit encore place après les Ambassadeurs. *Les Roys & les Souverains, qui en usent de cette façon, ne connoissent pas la qualité de leur caractère, qui est tellement au-dessus du reste des hommes, qu'il n'y a point de civilité, qui les puisse obliger de céder à qui que ce soit, si non à leurs semblables.* Expendi hæc merentur, ut appareat, quàm parum in his, ut videri possit, minutiis exacti fuerint Reges Septentrionales & Germaniæ Electores ac Principes; ne scilicet imposterum illis nimia facilitas exprobretur. Postquam enim Rex Legatum, Elector vix Ablegatum Regium sibi antepoſuit, quid alios fecisse credemus? Ignorantiâ haud dubiè aut neglectu cæremoniarum, quæ apud exteros vigent. Nec ampliùs mirabimur, quòd Principum Ministri novissimè venientes aliquando visitationibus non expectatis ad alios Legatos ivêre, quoniam Regulam de novissimè veniente primùm visitando, novam apud Germanos fuisse, ex eo, quod Electoris Saxoniæ Legati fecere, constat; certè superiore seculo parum cognitam fuisse, intelligi vel ex eo potest, quod *Grignanus*

Grignanus Legatus *Francisci I.* apud Papam ad Comitem stabuli *Momorantium* scribit, se Imperatoris Legatum sibi novissimè venienti, visitationem primam minantem, prævenire voluisse, sed frustra: Venisse enim Imperatoris Legatum, antequam ipse egredi domo potuerat. Talia ergo olim parum fuêre stabilita. Idem est de honoratiore loco vel incessu, quem Legatus apud se Legato hodie debet, nullo mittentium discrimine; modò suprematum habeant; cùm olim hæc civilitatis potiùs quàm juris essent. Hoc autem semel recepto, Principes nostri Legatis suis dudum injunxêre, ut eâdem qua cæteri conditione utantur. Idque ab ipsis jure fieri, illustri admodum exemplo agnitum est à Cæsarianis, quod mihi à Magni Principis Ministro transmissum bona fide huc adducam. Nimirum anno 1655. ad Francofurtensem Deputationem convenerant complurium Principum Legati sive Ministri. Caput Legationis Cæsareæ sive primus Commissarius erat Reverendissimus Episcopus Wormatiensis, Sacri Imperii Princeps; ad hunc cùm die 6. Septembris invisisset Legatus sive Minister Brunsvicensis *Polycarpus Heiland*, primi gradus sive manus passusque honorem in domo ejus habuit; quod ut pateat clariùs, verba relationis ab ipso ad Dominum transmissæ exhibere, operæ pretium erit.

6. Septembris.

[*Bin ich zu gesagter Stunde nemblich um* 10. *Uhr nach denen Herrn Kayserlichen gefahren, an statt dessen aber dass ich vermainet, es wurde die Kayserliche Gesandtschafft beysammen seyn, habe ich doch nur allein dess Herrn Bischoffs zu Worms Furstliche Gnaden in der Thum-Probstey angetroffen, welcher dann in* respect *dess Furstlichen Hauses mir grosse Ehre angethan, und mit entblossetem Haupt mir an die ausserste Pforte entgegen kommen, mir auch im Eintretten in das Haus*, Anticamera, *und* Audienz-*Gemach den Vortritt gelassen; mich gegen dero ubergesetzet*, &c. *Nach gemelter* Conferenz *haben seine Furstliche Gnaden mich wider biss in den Hoff begleitet, und wie beym Eingehen geschehen den Vortritt mir allemahl gelassen* &c.] Nec verò putandum est, hoc indulgentia quadam vel facilitate factum, cùm eo ipso tempore jam cum Electoralibus recruduisset contentio de *Excellentia*, quam ab eodem Wormatiensi Episcopo Electorales frustra postulabant.

CAPUT LXIV.

ATque hæc jam exempla sufficient credo, ut appareat, magnos Germaniæ Principes plenum Legationis jus non habuisse tantùm, sed & exercuisse. Non dubito, quin innumera alia adducere posset cui passim in Archiva aditus pateret. Ego pauca, & non nisi ea quæ sese obiter quærenti primo obtutu objecêre, attuli, sed memorabilia satis, & ad evincendos actus possessorios valitura. Quibus tamen acti-

bus, supra demonstratum, non esse opus ad possessionem, quoniam quæ meræ sunt facultatis, & cuique ex natura dignitatis suæ cæterorum exemplo competunt, ipso jure possidentur; & in ipsius arbitrio est, exercere ubi commodum erit. Nunc autem inprimis jus urgendum est, postquam res in controversiam deduci cœpit; nam etiam quæ meræ sunt facultatis, amitti possunt, si tunc omittantur; quemadmodum apud Juris consultos ex Servitutum constitutione patet. Nec verò dubito, quin manifestæ æquitati locum daturi sint Cæsar & Rex Christianissimus, & cæteri Reges aut Suprematum habentes. Nam quod *Cæsarem* attinet, falluntur, quicunque nescio quas Austriacorum consiliorum nænias veteres repetentes credunt, interesse Cæsaris, ut Electores unicè colat, cæteris insuper habitis. Esto ita: fuerint tempora, quibus è re videbatur plus solito indulgere Electoribus, sunt tamen eruntve alia quoque, ubi non minor magnorum Principum habenda ratio videbitur. Neque enim quotidiè Romanorum Reges creantur. Nam quod ad Imperii administrationem attinet, non habet Cæsar; cur se potissimum applicet Electoribus, imò contrà ipsius interest, servari æquilibrium, quod ipse adjecto calculo suo in utramvis partem inclinare possit. Oligarchiam, seu paucorum Dominatum, odia parere constat ex regimine *Ferdinandi II.* qui Electores tantùm audiebat. Sapientiùs facit *Leopoldus*, qui omnibus æquum sese ac popularem ostendit, quæ est vera ad amorem, imò & ad potentiam via. Nimirum exuit ille veteris erroris præjudicium, quo Cæsares imbuti Comitia oderant, velut potestatis suæ frænum; nam contra felici hodie experimento constitit, Cæsari sapienti & justa tantùm affectanti, Comitia potentiæ instrumentum esse. Utile est, omnes consulere omnibus consulenti. Imò nunquàm rectiùs neque augustius apparet autoritas Cæsaris, quàm in hoc Theatro. Postquam ergo depositus est capitalis error, qui Cæsares a Comitiis averterat, credo & alterum cum ipso exstirpatum, qui à Principibus ad Electores omnia referebat. Tum demum extinctis odiis atque simultatibus vera Imperio tranquillitas redibit, cùm unusquisque intra limites concessæ potestatis se tenebit, & cùm autoritas cuique erit pro modo facultatum atque onerum: quod secus fit, iniquum nec durabile est. Electores plerique agnoscunt autoritatem suam pace Imperii inprimis stare. Itaque simultates vitabunt paci inimicas, nec illos audient qui soli in turbido piscantur. Pacem autem cùm nomino, non externam, sed domesticam intelligo. Nam cuivis hosti pares sumus, si domi pacem habemus. Sed digredior in alienum à meo argumentum; neque enim hoc loco suasoriam scribimus; sed, ut ita dicam, in judiciali genere versamur; nec quid intersit, sed quid justum sit, tractamus. Præterea etsi fortasse de Republica nec pauca, nec contemnenda, nec omnino aliena dici possent, ea tamen hoc loco producere, prostituere esset. Cæterum nihil mihi excidere, spero, passus sum, quod Electoribus

ribus grave esse possit. Imò contrà ipsis pariter ac cæteris Germaniæ Principibus magnis, Suprematum asserui multo apparatu, & fortè majore soliditate, quàm hactenus quisquam, salva Cæsaris Majestate. Nec video quid decedat Electoribus, si quos æquè liberos ipsi fatentur, æquo libertatis sive Suprematus jure utantur. Imò, qua sunt sapientiâ, libenter concordiam publicam omniumque amorem redimient tantilla facilitate. Et ad honorem Germaniæ pertinere fatebuntur, ut magni ejus Principes exteris, nihilo potentioribus, non inferiores censeantur. Cur enim in illis ægrè ferant, quæ in Parmensi aut Mutinensi tolerantur. Sed non est, cur de optimo eorum animo dubitemus; nam & qui nuper pro ipsis scripsère testati sunt, nunquam in mentem venisse Electoribus, ut cæterorum Principum honoribus obstaculo essent. Imò contrà, quanto Principum aliorum dignitas testatior, tantò ipsorum prærogativa eminentior erit. Nam sint, si videtur, Electores Regibus pares, eodem cum Venetis honore fruantur, in Sala Regia Romæ, & in Sacello locum inter Legatos Regios habeant, Legati eorum tali introitu excipiantur, qualis à Regiis fieri solet. Nostris Principibus sufficit, inter Duces Serenissimos, sive Suprematum habentes, locum tueri, & quicquid Florentinus, Sabaudus, Mutinensis, aut Parmensis obtinuêre, sibi vindicare. In quo nihil Electoribus decedit. Imò faciliùs Electores se Venetis id est Regibus æquales, orbi persuadebunt, si Principes nostri, quos sine controversia anteeunt dignitate, Florentino ac Sabaudo comparentur. Satis enim magnum hactenus intervallum inter Venetos & Florentinos, id est Regem ac Ducem, constituit usus, ut adeò Electorem paris à magno aliquo Germaniæ Principe discriminis pudere non debeat. Nec video, quomodo ipsis offerri à nobis honorificentiores Concordiæ cònditiones possint: itaque sibi ipsis proderunt, si nobis laborabunt. Et, si quod ex usu suo est intelligunt, (quod de tantis Principibus in dubium vocari non debet,) suis Ministris in mandatis dabunt, ut *Excellentiam* nostrorum, & cæteras Characteris consequentias primi agnoscant. Vicissim nostri Principes eundem Electoralibus, quem Regiis Venetisque honorem spondebunt. Quo transactionis genere neuter perdet; ambo lucrabuntur, ac suo pariter atque Imperii honori utraque pars velificabitur.

CAPUT LXV.

DE Hispanis non est cur separatim dicam, quia easdem ipsis cum Cæsare rationes esse, aut certè esse debere arbitror. Tantùm annoto, Gubernatorem Generalem Belgii Regii, qui in his rebus plena potestate utitur, promptitudinem suam prolixè testatum esse. Sed & Cæsarei professi sunt Noviomagi, ex Domini mandato, agnituros se in Principum nostrorum Ministris Legatorum characterem. Tantùm circa

ca cæremonias nondum conventum, quia nec tractatum est, quod ipsi Cæsarei satis insinuavère verbis, ex quibus judicari possit, plura, quàm quidam suspicati sunt, concessuros, si, ut par est, cum hoc ipso Cæsare hac de re (Brandenburgici exemplo) tractetur. Apparet hoc ex *Beverningii* relatione, qui cùm ex Sententia Ordinum pro Ministrorum Neoburgicorum, Luneburgicorum, ac Lotharingorum jure apud Mediatores, cæterosque Ministros Fœderatos egisset; hoc à Mediatoribus Regis Magnæ Britanniæ Legatis, & postea à Cæsareis quoque responsum tulit: Mediatores cum Legatis Regis Christianissimi contulisse, & Principum supradictorum causa officia sua interposuisse, sed responsi loco duas à Legatis Gallis quæstiones retulisse, unam, an allegata eorum Principum jura tantùm à Fœderatis Ordinibus, an verò & à cæteris Fœderatis, Cæsare, Rege Catholico, Rege Daniæ, sustinerentur; alteram, an ipsi Mediatores hoc velut Mediatores, an verò velut Legati Regis Magnæ Britanniæ urgerent. Denique Gallos declarasse, etsi in suo Archivo vestigia hujus Principum juris nulla reperissent, [hoc quàm rectè dicatur, ex iis judicari potest, quæ exemplis ac rationibus demonstravimus] se tamen cæterarum Potestatum Christianarum sententiæ non obstituros. Hoc fuit Gallorum responsum. At Comes *Kinskius* Cæsareus Legatus hæc duo, cur assentiri nondum posset, allegavit; quòd scilicet nec dum apud Cæsarem ea de re egissent Serenissimi Principes, deinde quod Cæsarem certum esse oporteat, Gallos exemplum secuturos. Verba *Beverningii* ita Dominis suis referentis, Belgicè, uti concepta sunt, exhibere operæ pretium erit: Maer wy hebben tot noch toe het ongeluck gehadt, dat den Heere Grave *Kinsky* daer toe niet heeft konnen werden gedisponeert, hebbende sijne Negative daerop gefondeert, datter aen sijne Keyserlicke Majesteyt niet en werdt geverght, noch yets aen deselve versocht, ende datter geene redenen en waren, waer om deselve sigh voor af soude verklaren sonder verseeckert te zijn, dat den Koningh van Vranckryck daer aen by gevolge soude defereeren, &c. Hæc *Beverningius*, 22. Febr. 4. Mart. hujus anni 1677. Unde intelligi potest, Cæsarem meritò voluisse ac debuisse rogari exemplo Brandenburgici; de reliquo autem jus nostrum plerisque indubitabile videri, etsi alter alterius declarationem exspectet. Quod ut appareat clariùs, libet illius ipsius verba adducere, qui Dissertationem sub titulo: *Lettre d'un desinteressé*, &c. pro Electorum prærogativa edidit. Ille professus, Electores dignitati Principum, & nominatim Juri Legationis non obstare, subjicit pag. 38. & seqq. [Je m'étonne grandement, que les Princes dans l'estat, & considerés qu'ils sont, & où leur supériorité n'est contestée de personne, agissent neantmoins tout de mesme, comme si leur dite supériorité estoit douteuse, & que la France en fust l'arbitre & le maistre. Ils pourroient en tout cas soustenir à très bonne raison, comme je vois, que là où un Prince de son propre chef peut

envoyer

envoyer ou employer un Envoyé avec plein pouvoir dans un congrès, comme eſt celui de Nimweguen pour traiter la paix, il y pourra envoyer auſſi un Ambaſſadeur, ſans qu'il aye beſoin d'en demander ou de tirer la permiſſion ou l'authoriſation des paſſeports du Roy de France, puiſqu'il n'y a point d'autre différence, que je ſçache, entre un Ambaſſadeur & un Envoyé Plénipotentiaire d'un meſme Maiſtre, ſinon les frays & la parade, que l'un eſt obligé de faire plus que l'autre. Les Princes feroient certes, à mon petit avis, beaucoup mieux, de ſéparer ſoigneuſement leur intereſt & celui de l'Empire d'avec l'intereſt de la France, & de ſe tenir ſur leurs gardes, ſans donner lieu à des propoſitions ſi ſuſpectes, comme toutes celles qui en viennent, & qui n'ont rien de bon & de ſolide qu'en apparence. Pourquoi donc s'attacher aux déſirs paſſionnés de cette nation capables de les ruiner de fond en comble? Ils ne s'en devroient point mettre en peine, quel Paſſeport la France leur voudroit donner, pourveu que leurs Miniſtres y trouvaſſent leur ſeureté, pour aller à Nimweguen, & en retourner librement, & qu'on ne leur y ôtat rien de leurs droits de Supériorité; Ils pourroient en tout cas donner des Paſſeports en meſme forme aux Plénipotentiaires François, qu'ils en recevront. Ils pourroient envoyer leurs Miniſtres au Congrès avec tel caractére qu'ils trouveront bon. Et ſi la France voudra faire difficulté d'accepter leurs Plénipotentiaires en telle qualité qu'ils les envoyent, ou ne leur faire l'honneur qui leur appartient; il ne tiendra qu'à eux de n'accepter non plus les pouvoirs du Roi Très-Chreſtien, & de traiter ſes Plénipotentiaires de meſme qu'ils traiteront les leurs; en attendant ce qui en deviendra, ils pourroient eſtre aſſurés, que l'Empereur & les Electeurs les aſſiſteront, ſi les François leur voudroient refuſer ce qui leur eſt deu, ſi bien que les François n'y trouveroient nullement leur compte.] Ubi, ut obiter dicam, in eo errat, quod Legatum ab Ablegato non putat differre niſi ſumptu & pompa, cùm differant qualitate dignitatis, & Charactere repræſentatitio. Sed ſatis eſt, eum probare jus Legationis Principum; eoſque hortari, ut non exſpectatis Gallorum Salvi Conductus tabulis ſuo jure utantur, & recuſantes Gallos eodem planè modo tractent, quo ipſorum Miniſtros tractabunt.

CAPUT LXVI.

IDem tamen autor paulo ante nonnulla dignitati Principum objecerat, quæ diſcuti merentur. Ita enim habet pag. 36. [Il eſt vrai, ſi nous voulons regarder l'ancienneté, la ſplendeur, le luſtre & la puiſſance des familles d'aucuns des Princes de l'Empire, dont quelques-uns ſont iſſus meſme des maiſons Electorales; qu'on en trouvera parmi eux, qui ſont très conſidérables, & où il n'y a rien à redire, mais il faudra

avoüer aussi, si lesdits Princes voulussent pour cela introduire cette nouveauté dans l'Empire, que de s'égaler & parifier aux Electeurs, qu'il n'y auroit point d'Evesque d'Allemagne si petit, ny aucun Prince si nouvellement receu, & si peu considerable qu'il puisse estre, se trouvant aux Assemblées & Dietes de l'Empire avec les susdits Princes, & y joüissant avec eux du droit de suffrage, lequel ne voudroit marcher avec eux sur le mesme pas: ce que lesdits Princes trouveroient sans doute bien ridicule. Et si les Princes voudroient fonder leur prétension (d'estre autant que les Electeurs,) sur leurs droits territoriaux & de supériorité, ne seroient-ils pas obligés d'avouer, (ce qui néanmoins seroit encore beaucoup plus estrange) que les Prélats, les Comtes, les Barons & les Villes Impériales, qui ont aussi bien des droits territoriaux, pourroient prétendre avec eux tout le mesme. Si bien, que dans l'Empire il n'y auroit plus de regle, ni d'ordre, ni aucune mesure à prendre.] Hoc ideò adduxi, quia scio, etiam exteros quosdam hoc phantasmate nimiæ Regulorum ac Rerumpublicarum in Germania multitudinis terreri. Sed præterquam quòd non sunt tot in Germania Domus Serenissimæ, quot Romæ reperiuntur Cardinales, (qui tamen cum Electoribus contendunt) nec numerus Germanicarum usque adeò magno excessu Italicas vincit; Hoc, inquam, misso, considerandum est, Principes nostros non niti jure superioritatis Territorialis, sed Suprematus; quem non nisi pauci in Mundo exercent; illi scilicet, qui exercitum extra fines suos ducere, armisque & fœderibus plurimum ad summam rerum conferre possunt, quod Serenissimis Germaniæ domibus competit. Horum ergo Ministros congressibus pleno jure & honore intervenire æquum est, quoniam de jure gentium seu belli ac pacis non minus ac alii participant. Et si hoc ipsis negaretur, fieri posset, ut congressus animos exacerbaret magis, quàm pacem promoveret; nam omne contemtûs signum erga potentes periculosum, & ideo paci, primo juris gentium scopo, contrarium est; Cùm inter omnes Suprematu gaudentes quandam velut Societatem & quodammodo æqualitatem natura constituerit, & jus gentium pacis causa exigat, ut suprà multis ostendi. Quæ omnia cessant in illis, qui solam habent superioritatem territorialem, ut plurimi in Germania & alibi Dynastæ, (qui aliquando Principum nomen ferunt) & urbes Imperiales, & Principes aliqui noviter creati. Sed difficultatem motam non miror, quia nullus scriptorum hactenus discrimina ista distinctè satis explicavit.


CAPUT LXVII.

PORRO cùm ex his pateat tantùm superesse, ut publica confessio manifestissimi juris nostri habeatur; ideò in rem istam apud Imperatorem, Hispanum, Electores, quæ diximus; apud Gallos verò & apud Suecos

Suecos quæ dicemus, urgeantur; Sueci in Collegio Principum locum habent, Galli monebuntur primum, Imperatorem & Regem Catholicum jam partem itineris confecisse agnita Legati qualitate, ipsos verò gratiam absolvendi habituros, si re concessa etiam annexa cæremonialia nostris deberi profiteantur. Nec exemplo Imperatoris (à quo tamen nostri eadem quæ Italis Imperii Principibus conceduntur, exspectant) præfractè adeò Regem Christianissimum insistere debere, nisi velit inter ipsum quoque & Imperatorem à nobis essentiale dignitatis, & in Legatis characteris, fieri discrimen. Præsertim cùm Galli Monasterii Sabaudis & Mantuanis *Excellentiam* à Cæsareis negatam dederint, & Principibus quoque Imperii plus semper honoris à Rege Christianissimo quàm ab Imperatore sit habitum: certè Paterfamilias suos propinquos (quales quodammodo respectu Cæsaris sunt Imperii Ordines,) familiarius tractat quàm ab exteris fieri deceret, & rectè ait autor *de la lettre d'un desinteressé*, qui pro Electorum prærogativa scripsit pag. 30. [Les Roys de France ont de tout temps accordé & exhibé aux Princes d'Allemagne beaucoup plus d'honneur & de civilité, que non pas les Empereurs qui en sont reconnus comme Chefs de l'Empire. Le Roy Très Chrestien trouveroit aussi sans doute bien estrange, si l'Empereur ou quelqu'autre Roy ou Potentat voudroit entreprendre de traiter un frére du Roy, un Prince de Condé, &c. de la façon que le dit Roy Très Chrestien les traite.] Addi possunt quæ iisdem pene verbis supra adduximus ex autore libelli: [*Denouement de la question*, &c.] qui æqualitatem duorum Electoris Brandenburgici Legatorum asserit; & placuit quod alibi observatum vidi his verbis: [il seroit en quelque façon contre la justice du Roy Très Chrestien de s'en vouloir rapporter à l'Empereur sur les choses qui peuvent préjudicier à l'estat des Princes, ne le suivant pas en des choses favorables; estant connu, que l'Empereur écrivant aux Princes d'Allemagne leur donne la *Sérénité*, & se souscrit avec courtoisie; ce que le Roy ne fait pas.] Constat autem, semper Regem Christianissimum fuisse professum curæ sibi Principum libertatem atque honorem esse, in Monasteriensi pace id egisse, ut publica Imperii lege condita jus quod ipsis dudum competebat fœderum, Legationum, belli & pacis, verbo Suprematus, publica declaratione constaret. Rectè facturum Regem, si Beneficium suum integrum esse velit, ne quod una manu dedit, altera adimat. Suprematui enim dignitatem & honores connecti, qui Ministris, charactere utentibus, sine controversia conceduntur. Denique si Regi justum videtur, cum nostris Principibus æquè ac cum Italis fœdera inire, justum etiam ipsi videri debere, in utrisque æqualiter agnoscere liberi Principis notas. Et scire velim, quo denique colore rationis Parmensem aut Mutinensem anteferant nostris, quos paulo plus aliquando posse ad summam rerum, ni fallor, constat. Promptiores fuere nostri in concedendo Regi titulo Majesta-

Majestatis, nec vicissim (ut Electores fecère) stipulati sunt, quæ sibi deberi dudum arbitrabantur; an ergo æquum erit, hanc facilitatem ingenuam ipsis præjudicio esse; cùm contra ad generositatem Regis pertineat, pari eam candore agnoscere. Nam si Rex, in sua Cancellaria non invenit Principum nostrorum Legatis concessum olim fuisse *Excellentiam*, credo nec sibi olim inveniet tributum à nostris Majestatem; cùm tamen *Majestas* sit vetus, *Excellentia* Legatorum nova. Etiam in Parmensi & Mutinensi, imò & Sabaudo aut Electorali Legato serò demum agnitum, quod nostris negatur, quoniam tota harum cæremoniarum & nominum ratio diutissimè fluctuans, nunc demum in ordinem redigi cœpit; injustum est autem, omnia in aliorum gratiam novari, nostris solis vetera opponi; cùm tamen cæremoniæ, velut nummi, ex usu temporum valeant. Quibus addantur, quæ sub finem Præfationis diximus. Nec verò prudens quisquam dubitabit, quin paucis ab hinc annis tam stabile & certum apud omnes futurum sit jus magnorum Germaniæ Principum, quàm nunc est Italorum: natura enim inter nostros Italosque Principes æqualitatem constituit, naturæ autem munera frustra artibus differuntur. Tantum ergo quæritur, quis suam promtitudinem, ac in manifestissima causæ æquitate agnoscenda facilitatem, Principibus nostris probare velit primus: Christianissimo ne an Catholico Regi priùs aut plus debituri simus. Certè si nostri, ut Itali solent, talia dudum curassent, mille habebant occasiones in manu, qua exprimere exteris poterant juris sui confessionem. An enim *Georgio* Luneburgico, aut *Elisabetæ Amaliæ* Landgrafiæ Hassiæ, aut nuper fœderis Rhenani sociis quicquam hujus generis Galli Suecique negassent? at nostris, juris sui certis, inutile visum est, emercari, quod dudum tenere videbantur. Sed quid in re manifestissima amplius verba perdo? & certè propè vereri debeo, ne aliquot ab hinc annis, quando in confesso apud omnes erunt Principum jura, me clarissima tanto apparatu probantem fuisse nugatum, homines arbitrentur, quasi in meridie facem Soli accenderim. Sed affectus erga patriam, cujus honor in summis ejus Capitibus situs est, & argumenti dignitas, incitavit me non alioqui scripturientem. Et jam nunc finiendi tempus esse arbitror, ubi primum testatus fuero: Terrarum Dominis, Cæsari, Regibus, Electoribus ac Magnis Principibus nihil à me detractum esse, & cum argumenti necessitas Advocatum causæ æquissimæ liberius loqui coëgit, profundæ summissionis reverentiam semper integram fuisse.

COGI-



COGITATIONES
DE IIS QUÆ JUXTA PRÆSENS JUS GENTIUM REQUIRUNTUR.

I. De titulis honorificis. II. De titulis regiis. III. An Dominus Rex effici possit. IV. De regno Borussiæ.

I. COmpertum est sæpius nomina, quæ ad res potissimum spectant, non parvâ æstimatione digna fieri, cùm res ipsa quemadmodum & nomen, in hominum liberâ & voluntariâ institutione consistit; quamvis natura aliquam occasionem præbeat, & fundamentum præstet. Ita accidit in eo, quod spectat ad mensuram, pondus & quantitatem. Licet pes, & cubitus per quos metiuntur lineæ ex humano pede, & cubitu desumantur; tamen cùm non sint inter se paria, in civili societate, certa constituitur mensura, proprio nomine affecta: Quamvis hæc mensura, & verborum sensus significationem propriam, non a definitione, sed tantùm ab *exemplificatione* deducat, atque hujus mensura, aut in metallo, aut in lapide diligenter custodiatur. Jam verò si ætate hac nostra quoddam horologii phænomenum inventum fuit, ut nostræ mensuræ exactè ad posteros transmitterentur, licet corporeæ mensuræ omnes deficerent, hoc in aliâ eaque durabiliori *exemplificatione* consistit, videlicet temporis, cælestium motuum, quorum duratio hic supponenda. Nomen præcipuè suam sibi vindicat efficaciam in verbis, quæ honorem aut dignitatem exprimunt, quæ est quædam *quantitas existimationis*; & quantumvis natura aliquod fundamentum præstet, nihilominus nominis adjunctio quandam rei perfectionem addit. Verbi gratiâ, doctoratus fundamentum est scientia, equitis virtus; ideoque Doctor nemo, aut Eques efficitur, si in illis a supremâ potestate, & ab iis penes quos auctoritas inest, honoris titulus non confertur. Sed quum honoris titulus datur prærogativæ quædam consequuntur, quarum causâ, is, qui eo nomine decoratur, jure potest membrum Reipublicæ effici. Hinc est, ut illum, qui *Equitum auratorum*, aut alio fortasse equitum ordini adscribi velit, necesse fateamur ex iis esse, cui spectatæ virtutis causâ nomen, juribus & honoribus adjunctis ab illo, qui potestatem legitimam habet, fuerit collatum: Ita etiam fieri consuevit, cum Nuncio, aut Legato. Tum cùm horum nonnullus Regias fert litteras, atque magno & spectabili famulatu sti-

patus est, quamvis spectatus dominus esset, nihilo tamen minus, si in prædictis litteris nomen legati aut nuncii, aut ejusdem generis non invenitur, tunc tanquam privatus rerum administrator respicitur. Igitur nomen rem ex integro conficit. Jam verò quis hodiè specificam Margravii, Comitis Palatini, Landgravii, Ducisque definitionem ferre potest? Erant antiquitùs Margravii quidam Imperii principes ad fines tuendos; Comites provinciales tam ingentes viribusque pollentes comitatus habebant, ut tanquam principatus æstimari possent: Duces in Imperio erant etiam paucissimi, omnibusque Imperii circulos conjunctim regendi cura erat, quorum aliqui, longâ ante temporum serie, Regna vocabantur, uti a *Ditmaro* dictum est de regno Francorum, Bajoariorum, Saxonum, Lotharingorum &c. in quorum singulis singillatim Imperator coronabatur. Hujusmodi verò Regna & Ducatus sua quæque habebant *officia*. Illa præsertim Comitum regii palatii, aut Palatinorum Comitum: Ideo Comites Palatini Rheni erant in regno Austrasiæ, aut *Ducatu Francorum*. Comites Witelsbacher in Bavariâ, Comites Sommerschenburgi in Saxoniâ, Comites Tubingen. in Sueviâ, aut Alemaniæ regno: Domini autem liberi Comitatus Burgundiæ erant Palatini Comites regni Burgundiæ; illi autem Champaniæ erant idem in regno Franciæ occidentalis: Præmittere tamen necesse est hosce dominos unà cum feudis ipsorum dignitatibus adjunctis, suos etiam habuisse principatus hæreditarios *Allodiales*! Usque dum temporum progressu alii aliis commixti fuerunt; quæ res a multis non benè perceptæ fuerunt, nam pauci, tam de Germanorum Principatuum origine, quàm de diversis eorumdem formis originariis, ac de quæstione an ab initio solæ dignitates essent ad vitam, satis rectè judicarunt. Et si hujuscemodi nomina Margravii, Comitis Palatini, Landgravii, Ducis &c. certas habuissent significationes, hæc tamen jamdiu interierunt solo manente nomine *aut titulo*, ita ut res ipsa solius nominis definitione effulgeat, nec aliud dici possit, nisi quòd Margravius, Landgravius &c. Princeps est, qui tale gerit nomen. Antiquitùs Comites quidam spectabiles sub nomine Principum complectebantur, ut diplomata ferunt; Verùm cùm aliæ opiniones paulatim invectæ fuerint, horum nonnulli Comites, Principes fuerunt nuncupati, quamvis ab initio hujusmodi decore non indigerent. Nunc verò Principes non solùm a Comitibus distinguuntur, sed etiam prærogativis quibusdam peculiaribus, quæ Principum sunt propriæ differunt, quemadmodum Palatini Comites, Margravii, Duces &c. Exindè tamen non sequitur, qui Princeps tantummodò nuncupetur, cedere debere cuique eorum, quorum Principatus peculiari nomine non effulget. Exempli gratiâ, Anhaltenses Principes, Landgraviis Furstenbergensibus præcedunt, qua re non alia in præsens definitio illi, qui solummodò Princeps sit assignari potest, nisi quod ejus Principatus peculiari nomine non gaudeat.

II. Quod

II. Quod ſupremam Regis dignitatem ſpectat, hoc etiam ratio aliquomodo occurrit, titulum nempè rei *complementum eſſentiæ* addere, undè Rex nullus eſt, qui Rex non nominetur, etſi quoad potentiam aliaſve circumſtantias de eo dici poſſit, uti ante jam de hodierno Boruſſiæ Rege *habet omnia Regis.* Itaque nomen idem rei adjunctum fuit, dicique poteſt *definitum ingredi definitionem quaſi materialiter.* Rex eſt, qui Rex vocatur, & cui ex conſuetudine prærogativæ, honoreſque nominis conſectarii adduntur: Fundamentum quod natura ſuppetit potentia eſt. Debet ergò Rex eſſe ex jure Princeps magnus, & potens, uti & Eques ſtrenuus. Nomen ipſum præſumptionem rei ſonat. Si in urbe Regem advenisse rumor eſt, quiſque magnum Principem advenisse cogitat, ingenti poteſtate præditum ad beneficia præſtanda, neque minori robore & vi ad ſcelera vindicanda. Licet verò *Johannes* adeſſet *Caſimirus*, qui ſuam vim & potentiam exuerat, ſuâ tamen dignitate ſemper ſervatâ veluti *caractere indelebili*: Nihilo ſecius exceptio a regulâ habenda eſſet, illique honores præſtandi, qui regio capiti debentur; Etſi populus hæc honoris inſignia omittere potuiſſet, Magiſtratus tamen, & ſapientes homines qui adeſſent nullomodo nec ritus & conſuetudines, neque *ſtylum curiæ* immutare deberent, ſecùs enim uſitato populorum juri injuria in præſens irrogaretur. Hinc patet etſi Rex regulariter debeat potens eſſe, hoc tamen non eſſe dignitati ſuæ apprimè neceſſarium, & mutationibus aliquandò ſubjectum fuiſſe, ſicut Juriſconſulti diſtinguunt in ſuis contractibus *naturalia inter, vel regularia & eſſentialia.* Factâ igitur hypotheſi Imperatorem, & potentes Gallorum Anglorumve Reges caſtra adeuntes in promiſſionis terram fortuitò incidiſſe, & minorem Principem liberum ità ſtrenuè ſe geſſiſſe, & chriſtiani nomen promeritum fuiſſe, ut eum ſuæ virtutis ergo vocare & inſignire Regem quoad viveret judicaſſent, aliaſque omnes dignitates Regias adjunxiſſent, verus profectò foret Rex: Igitur non minùs rarum eſſet ac inſolitum, minorem Principem Regem fieri, atque tunc illa omnia ſingularibus circumſtantiis tribuenda eſſe. Quapropter nemo Rex eſt, quia Dominus liber, ſed quia præterea *potentiam proximam* non habet, multò minus *actum primum.* Princeps profectò viribus præditus, quamvis liber non ſit, plus habet *proximæ potentiæ* ad regiam dignitatem, quàm is qui magis liber ſed ſine viribus. Hoc plurimi Reges comprobant, qui ab aliis regna ſua feudalia agnovere, hodieque etiam non nulli eorum cognoſcunt: ſed *Adoniſedechi* temporibus aliam omninò Regis nomen ſignificationem præferebat, qui tamen in præſentiarum ità parum ſonat, quemadmodum Imperatoris tituli ſignificatio, qui ab exercitu Duci fuit tributus, ſi quid eximium & præſtans geſſit, uti *Ciceroni* in ſuo proconſulatu. Verum quidem minuſcula adamanthia, adamanthia eſſe, ſed ea poſſe adeo imminui, ut in adamanthium pulverem reddantur. Quapropter etſi *Monenſis inſulæ* Rex invenitur,

niatur, de quo in codice juris gentium, ficut ex quodam diplomate conftat, videndum tamen eft an tanquam Rex cognofcatur, debeantque potentes Duces dexteram cedere, quod tamen regii juris certum confectarium eft. Majores tamen Principes quibufdam de caufis minori hoc concedere deberent; ideoque nihil obftat, quin verus Rex haberi poffit. Idcircò ut fuprà memoravimus, ut quis Rex fit, nec ingentes vires, nec integra libertas ab omni vinculo exempta erga potentiorem, neque alii tituli honoris neceffariò requiruntur, ut patet in Regibus qui fuam abdicaverunt dignitatem.

III. Aliud autem eft, quando quæritur an Dominus privatus effici poffit Rex, ad hoc enim 1°. neceffe eft ut liber fit, 2°. ut fit potens, illud facit ut res benè cedat iftud, ut non incongrua reputetur, quemadmodum ex commentariis Boruffiæ regni deducitur, quibus conftat regium titulum Principibus fuis permitti, eo quod nec in ipfius introductione injuftum effet, nec ullo modo incongruum, ubi integra libertas fatis congruæ potentiæ adjuncta eft. Eftne Dominus liber? nemo prohibere poteft quin in fua ditione Rex, aut Imperator dici velit, fi verò iis viribus non polleat, ut ab exteris Rex dicatur, tum derifioni objicietur, ftante etiam regiâ dignitate, quum nullum *jus domefticum*, fed duntaxat *res juris gentium* præferat, firmiori modo, ut illud tueatur neceffe eft. Dominus potens & liber habet *potentiam proximam*; fed quoniam alii certis ab ipfo honoris infignibus honeftandi funt, & certas ipfi pariter honoris fignificationes tribuere debeant; fic conftat regiam dignitatem accipere, cujufpiam *puræ* & *meræ* prorfus facultatis non effe, fed aliam ad ejufdem confecutionem auctoritatem requiri, quæ in affenfu plerorumque, & præcipuè præftantiorum chriftianitatis Principum *repofita eft*, cum quibus de ufitatis juris gentium honoribus, vel addendum vel detrahendum eft. Hoc efficit ut alii jure, & conftanter adverfari nequeant quin faltem amicitiæ vinculum effringant, vel aliquomodo infirment, quod a jure gentium, quoad fieri poteft fervari debet. Quia verò Imperator apud Chriftianos non folùm Princeps habetur, verùm infuper tanquam *totum civile* in quo fuum habet *directorium*, tefte auctore de fuprematu; fic æquum eft illius auctoritatem communi fententiæ fundamentum præftare; Ita exemptionis ab aliis potentiis, & principibus, ne quis imperatoriæ auctoritati obfiftere poffit, nulla ampliùs requiruntur argumenta. Non fatis medii ævi hiftoriam callet, qui recens in Hollandiâ fe attollens contra *Grotium de tranflatione Imperii Romani in Carolum Magnum*, Romanum imperium omninò defeciffe oftendere conatus eft; nofque pariter Germani, nec jure, nec meritò facimus, cùm contra nos ipfos hujufcemodi paradoxologis auctoribus adjungimur, penes ipfos, qui Romanæ Ecclefiæ adhærent, ficut Catholicorum plerique in Europâ duobus ab hinc annis præftiterunt. Pontifex tanquam ecclefiafticorum Princeps habe-

habetur, & quoniam unctio in inauguratione habendâ tanquam ecclesiasticum ministerium censetur; sic Pontifices maximam sibi in regnum *recognitionem*, quemadmodum, & in aliis plurimis functionibus magnam sibi auctoritatem adrogaverunt, eamque maximâ ex parte plerorumque Principum indulgentiâ consecuti sunt, quod tamen in omnibus, & apud Romanos ipsos jam in more positum non est. *Inchofer in historiâ Ecclesiasticâ Hungariæ*, litteras affert pontificias, aut diploma *Sylvestri secundi* ad *Stephanum* Ducem Hungarorum datas Romæ VI. Cal. april. indict. XIII. anno scilicet Christi millesimo, in quibus sic legitur: *Cuncta a nobis & sede apostolica expostulata, Diadema, nomenque regium, Strigoniensem metropolin, & reliquos Episcopatus concessimus*: Ex quibus patet ægrè tum titulum regium pagano Domino, Pontificem tribuisse, & novum quid in christianitatem induxisse, ut inter cætera hujusce etiam honoris spes, eo magis animos ad christianam fidem accenderet, eamque tueretur; Quumque ipsi pagani Domini aliquantulum barbari essent, eo melius cum ipsis hac ratione agebatur. Dilatatâ verò in rebus temporalibus Pontificiâ auctoritate penes Francos, Longobardos, Visigothos, Anglo-Saxones, Bavaros &c. negotia omnia doctrinam aliquam requirentia apud hasce gentes ab Ecclesiasticis gerebantur, qui e re suâ censebant auctoritatem pontificiam servare, sæculares coercendo sub divinæ jussionis specie. Uti etiam barbaros, qui de armis solummodo cogitantes, ab his, qui mente pollerent aliquomodo coercendi erant. *Caramuel* verò nunc optimè judicavit, jus Regis constituendi Pontifici non adesse, quamvis suum *Petri patrimonium* in regnum erigendum daret, ut facere moliebatur Pontifex quidam litigiosus in novo Adriæ regno sic nuncupato, ut apparet ex codice jurisgentium. Sic *Maximilianus II.* jure merito adversatus est, cùm Pontifex ad Etruscorum regnum *Cosmam* attollere molitus est; sed quia Romani ipsi & Imperator quandoque de hoc non consenserunt, nulla ratio est in his quæ illis pertineri possunt, diutius immoremur.

IV. Quum Rex Borussiæ regium diadema suscipere voluit, secum ipse meditatus est, & ob id omnia sapientissimè constituit, atque ad regiam dignitatem *omnia requisita* se habere, non satis sibi esse arbitratus, aliorum etiam Principum, & Potentatuum assensum exquirendum rectissimè judicavit, resque adeo prosperè gesta fuit, ut nihil videatur, quod meliorem optatumque eventum habere potuerit. Non nulli profecto verebantur ne quipiam id ægrè ferentes actum sumendæ possessionis, vel regalis investituræ turbare possent. Non solum enim *Investitura est*, quod spectat ad feudum, sed *omnis quæcumque additio possessionis*. Nemo tamen huic rei obstare ausus est, & Rex regiæ Majestatis *possessionem, sive dignitatis* ullo sine obice adivit; Quin imò & gratulationes, regiosque honores a plerisque christianorum potentissimis Principibus obtinuit; ita ut nullum aliud negotium faciliùs gestum, ac citiùs perfectum fuerit.

 Causa

Causa autem præter Deum, & datam a Deo Regi sapientiam, potissimum regiæ potentiæ adscribenda est. Penes quem jam ante nomen, potestas, Regisque splendor erat, ut quisque neuter fateri debet. Protestantes agnoscant non parum esse quartum Regem obtinuisse, qui feliciori exitu illorum negotia tueri potest. Iidem Romani Catholici Europæ felicitatis studiosissimi, ipsi libenter etiam cernent novum Regem recenti fœdere cum Cæsareâ majestate adeo conjunctum, ut totius Europæ consensus accesserit: supervacaneum enim hic est, ut, si de novo isto regno quæstio est, priscorum, aut recentium istorum minorum Regum exempla exquiramus, qui secundum hodiernum jus gentium tanquam Reges non haberentur. Illud enim quod de primo Lusitaniæ Rege adducitur, ut si de minori Domino actum fuisset, quia duorum solùm millium militum turba stipatus erat, hoc obstrictè intelligendum non est, sed *stylo antiquo* de duobus millibus gravis armaturæ equitibus, id est cataphractis, quorum quisque unicum aut binum famulum habebat, reliquâ militari turbâ præteritâ. Quid est hoc, cum Regis Borussiæ potestate comparatum? Et diceret fortasse aliquis regnum Borussiæ solùm minimam partem constituere Brandeburgicæ potestatis, idcircò regiam dignitatem non mereri. Sciendum tamen est Borussiam non ita parvifaciendam, ut quidam putant, tertiam propè partem regiorum subditorum continet, quia, ut ex tabulis liquet, ex 65400. hominum qui in omni regiâ ditione nascuntur in anno, in Borussiâ solum 22680. numerantur, de cætero juvat hæc observatio ad deducendum rectum judicium de regiâ potestate; Invenitur enim, si numerus natorum per 30. multiplicetur totam quantitatem hominum producit, si unicè sumitur 30. solus dat productum 1962000, quod est ferè 2000000; Ut non credatur id parum esse sciendum est in toto potenti & populoso Angliæ regno non amplius quam 5500000. hominum inveniri. Vera ergo regni potestas in hominum numero consistit, ubi enim sunt homines, ibi substantiæ & vires, & quantò magis diligentiores, & laboriosi, & ditiores in substantiis homines erunt, ibi tutiores sunt, præcipuè si in operibus utilibus illis utimur, sicuti in manufacturis, quæ sub quocumque Dominorum in Germaniâ & Septentrione magis non floruerunt, quàm sub Rege. Quia ergo patet ex iis omnibus, quantum ponderis regia majestas habeat in Europæ rebus, & ut non deest illi nec sapientia ut viribus suis rectè utatur, nec laudabilis ac justa intentio, ad illas sanæ doctrinæ, & communis tutelæ conservationem adhibendas; ita omnes probi viri in hujusmodi periculis temporum nihil aliud, quàm magnum sibi polliceri possunt, & mecum Deum precentur, ut incolumem longa temporis serie, prædictum Regem cum Reginâ, & Principe Hæreditario, totumque cæterum regium genus, ac illius regnum summâ felicitate coronet.

BRE-



BREVIS DEDUCTIO

SISTENS DISCRIMEN, QUOD INTERCEDIT INTER VEXILLUM SEU BANNERIUM IMPERII PRIMARIUM, ET VEXILLUM CONFLICTUS WURTENBERGICUM.

German. ſcripta, & ex Caſſandri Thucelii, *electis juris-publici curioſis, depromta.*

I. CUm ex præcedentibus pateat, metui a parte Sereniſſimæ domus Würtenbergicæ, ne nuper introductum munus Archibanneretis privilegiis & juribus ſuis a certo quodam Conflictus Vexillo dependentibus damno ſit; animus eſt paucis in hujus Vexilli conditionem & reliqua quæ ei adhærent inquirere & demonſtrare: Imperii primarium Vexillum a Würtenbergico illo Conflictus Vexillo & natura & uſu planè differre, atque ita Sereniſſimæ domui Würtenbergicæ præjudicio eſſe haud poſſe; licet futurum eſſet, ut Sacra Cæſarea Majeſtas muneri huic alias ambulatorio, qualis Vexilli Imperii cuſtodia hactenus eſſe ſolebat, ſedem fixam in domo aliqua Sereniſſima aſſignaret, inque eum finem Principem aliquem Virum nova iſta Imperii inveſtitura privilegiiſque Archibanneretis, quod munus hucuſque nemo ſibi tribuere potuit, gratioſè donaret.

II. Primum itaque opus erit, ut tam originem quàm effectum juris Würtenbergici, reſpectu ſupradicti Vexilli Conflictus conſideremus. Origo ejus a *Conrado Schlüſſelburgi Comite* ſeu Domino repetitur, cui Imperator *Ludovicus Bavarus* & arcem & urbem Grœningam Sueviæ & Vexillum Conflictus in feudum conceſſit; poſteaque etiam in feudi hujus venditionem *Ulrico Würtenbergæ Comiti* factam conſenſit. Sunt tamen, qui opinentur, Grœningam jam ante ditioni Würtenbergicæ domus fuiſſe ſubjectam, vel tanquam rem propriam, vel, ut *Cruſius* vult redimendam, ex *Alberti I.* Imperatoris pignoratione anno 1301. atque ut aliqui volunt anno 1312. denuo ad Imperium rediiſſe; & quoniam Würtenbergici auctores ſuſpicantur, Vexillum iſtud Conflictus jam inde a longa

longa annorum ſerie ad arcem urbemque Grœningam pertinuiſſe: concludunt inde Signiferi hocce officium jam dudum Würtenbergicæ domui fuiſſe proprium & ita ſolummodò reſumtum renovatumque eſſe. Ita enim celeber quidam Conſiliarius Würtenbergicus in notis ad *Monzamban.* p. 481. ſcribit: *Conjectura fortaſſe non vana licet ſuſpicari, Grœningæ hoc regale cohæſiſſe, propterea que Comitibus Wurtenbergicis poſſeſſoribus illius competiiſſe etiam priusquam ad Conradum Schlüſſelburgicum perveniret.* Ad hoc confirmandum provocat ad teſtimonium *Gabelkoveri* ſuperioris ſæculi ſcriptoris, cujus chronicon manuſcriptum & a *Cruſio* ſæpius citatur, qui teſtatur, ſe in originali inſtrumento Fundationis Monaſterii Steinhemii ad Murrham vidiſſe, officium hocce ibi *Hartmanno Comiti Grœningano* in teſtibus nominato jam fuiſſe adſcriptum. Quicquid vero hujus ſit, non tamen intelligi poteſt, quomodo id, quod in litteris Würtenbergicis ad Archiepiſcopum Moguntinum datis affirmari voluit, acſi Vexillum Conflictus jam per quingentos annos ad domum Würtenbergicam pertinuerit, poſſit adſtrui: licet initium a dicta pignoratione *Alberti primi* ſumatur nihilque dicatur de irruptione illa, quam ſecuta revolutio creaverat.

III. Cùm autem feudum illud Grœninganum rurſus Imperii feudum factum eſſet, *Ludovicus Bavarus* Imperator arcem oppidumque Grœningam ex ſingulari gratia *Conrado Schlüſſelburgio* Comiti conceſſit, qui in prælio illo decretorio, quo *Fridericus* Auſtriæ Dux & contra *Ludovicum* electus Imperator captus eſt, Vexillum geſſerat; atque *Ludovico* ingentia officia præſtiterat. Teſtatur hoc *Albertus Argentinenſis* ad annum 1323. his verbis: *Vexillum Conflictus committens Comiti de Schlüſſelburg*, ipſeque Imperator in litteris feudalibus datis anno Regni ſui octavo, teſte laudato auctore ad *Monzamb.* p. 479. ait: *Specialiter præ oculis collocantes, quod tu Vexillifer in magnifico Triumpho belli noſtri ſtremuus fuiſti*: licet Vexillum hoc Conflictus cum altero illo Vexillo non ſit confundendum: Illud enim Imperator ſecundùm qualitatem perſonæ ei in prælio conceſſit, qui optima ipſi officia præſtare potuit; hoc verò tanquam Imperii feudum cum arce Grœningana poſtea propter merita & ideo fortè, quia Comes *Conradus* Imperatoris Vexillum in prælio adeo feliciter geſſerat, conceſſum eſt: Propemodum cogitare quis poſſet, in litteris iſtis feudalibus Imperatoris Vexilli Conflictus nullam omnino mentionem occurrere, vel ſaltem non eo modo, ut neceſſe fuerit viſum id notum facere, quia auctor iſte ejus non meminit. An fortè ſpeciales litteræ feudales ab Imperatore ſuper ea re datæ exſtent, vel quomodo alias ea res ſit comparata, in dubio relinquitur. Adducuntur tamen eo loco ſequentia verba ex literis conceſſoriis, quas *Balduinus* Trevirenſis Archiepiſcopus tanquam Elector ſuper conceſſione iſta Imperiali de anno 1332. dedit: *Ad hoc, quod ipſi* (ſcilicet hæredes Schlüſſelburgici) *Vexillum ejuſdem Imperii dictum Sturmfahne in vulgari, debitis temporibus ratione dicti feudi ducere*

ducere debeant. Fatendum interim est, ex ejusmodi imperfectis diplomatum excerptis, qualia hactenus propter Würtenbergam edi cœpta sunt, veram rei indolem & constitutionem non posse percipi, sed adhuc dubitandum, annon unum alterumve incertum planè in iis contineatur, quamdiu contextus integer non edatur.

IV. Postea anno 1336. arx & oppidum Grœninga cum annexo jure Vexillario a *Comite Schlüsselburgio*, Würtenbergæ Comiti *Ulrico* venditum, & ab Imperatore confirmatum; Würtenberga etiam tam Grœningà quàm Vexillo Conflictus investita est; quippe de qua Investitura literæ exstare dicuntur, quæ quidem in sæpedictis ad *Monzamb.* notis citantur; verus tamen earum tenor nec ex toto, nec ex parte adjungitur & ex hoc propriè tempore terminus a quo Würtenbergici Vexilli Conflictus arcessendus est: qui terminus jam non multum ultra trecentos quinquaginta esset annos & ita admodum longè abesset ab illis quingentis annis, qui nuper in antè citatis Würtenbergensium ad Moguntinos exaratis statuuntur literis.

V. Cùm etiam *Maximilianus I.* Imperator *Eberhardum* primum Würtenbergæ & Teckæ Comitem creasset, feudum Vexilli Conflictus renovatum est. Feudales de ea re literæ Wormatiæ 23. Julii 1495. datæ, quantum quidem huc pertinent, ita sonant: *Nos Maximilianus, Dei gratia Romanorum Rex fatemur, nos nostrum Imperiique Conflictus Vexillum commisisse Illustrissimo Eberhardo Seniori Würtenbergæ & Teckæ Comiti: & ad hæc tum ipsum, tum omnes ipsius hæredes investivimus arce, oppidoque Grœningæ cum hominibus bonisque ac omnibus ad ea pertinentibus, siquidem id nostri Imperiique Vexilli Conflictus feudum est & ad id pertinet ..... cum ista injunctione, ut ea præstent officia, quæ ritè præstanda sunt. Debent etiam & sese obligarunt, se Vexillum Conflictus curaturos & custodituros, sicut id ritè meritoque custodiri atque curari debet.*

VI. Apud *Hortlederum de Germanici belli causis* lib. 3. c. 1. Scriptum insertum est Cancellarii Würtenbergici, in quo Investituræ istius solennitas aliquo modo describitur & narratur: novum Ducem cum quinque Banneriis apparuisse, quæ fuere:

1. Ducatus Würtenbergensis.
2. Ducatus Teckensis.
3. Comitatus Montisbeligardensis.
4. Bannerium flavum cum nigra aquila habet Romani Imperii Vexillum Conflictus,
5. Rubrum totum erat Vexillum sanguineum, significat Regalia, seu jus sanguinis.

VII. Ex hoc tempore Illustrissimis Ducibus seria cura erat, hujus sui juris memoriam ritè conservandi, ita ut, sicut apparet, in literis feudalibus hujus juris semper mentio facta sit & in novissimo Leopoldinæ

Investituræ diplomate hæc verba contineantur: *Et super his nostrum Imperiique Conflictus Vexillum cum omnibus juribus & privilegiis.* Et cùm Imperator *Maximilianus II.* mense Julio 1566. ob periculum ab Turcis metuendum certum quoddam Imperatorium Vexillum in expeditionem exire aulicumque Ministrum armatum præsto adesse, Vexillumque istud, (ut *Ulricus Zasius* in suis ad *Christophorum* Würtenbergæ Ducem literis tradit) Pomeraniæ Duci tradi jussisset; Dux *Christophorus*, veritus quodammodo est, ne id suo Conflictus Vexillo damno esset, & ideo literas ad Imperatorem dedit, ad quas Imperator ipse respondit; sicut ex literis Consiliarii aulici *Zasii* apparet, quarum excerptum in supradictis ad *Montamb.* notis editum est. Cujus verò tenoris Imperatoris responsum fuerit, eo loco addere haud visum est.

VIII. Quod ad Vexilli Conflictus formam attinet, ante citata relatio vetus apud *Hortlederum* eam ita describit: Esse Bannerium flavum cum aquila nigra. *Crusius Suevicor. Annal. part.* 3. *L.* 3. ait: *Esse nigram aquilam unicipitem in flavo campo, quem supra tamen transeat viridis limbus.* Supradictus Consiliarius aulicus Würtenbergensis in illis sæpe memoratis notis, viridis limbi non meminit; nec ille conspicitur in duabus ab ipsis repræsentatis figuris, licet in iis colores per consueta signa (*hachures*) indicentur; ita ut dubitari possit, annon dudum limbus ille (qui sine dubio ad Grœningam alludere debebat) omissus fuerit.

IX. Duæ illæ figuræ Vexilli Conflictus Imperii in supradictis notis litera B. & C. signatæ sunt. Figura C. antiquissima perhibetur, sicut ea in quibusdam antiquis insignibus Comitum Würtenbergensium observatur. Descriptio ejus hæc est: Parvum ferè quadratum Vexillum flavum cum aquila nigra unicipite hastam respiciente affixum lanceæ sive hastæ longæ, sine ullo ornatu aut inciso manubrio; supra id volat quasi limbus ruber longus & tenuis in cuspidem desinens. Si limbus ille viridis esset, existimari posset, adesse eum loco limbi viridis a *Crusio* traditi. Figura B. ostendit, quomodo Vexillum Conflictus postea a primi Ducis *Eberhardi* tempore usque ad hodiernam diem apud Würtenbergicam domum in usu fuerit: Pertica scilicet rubra cum inciso consueto manubrio, cui affixum sit magnum Vexillum; latum, qua proximè perticæ seu hastæ adhæret, paulatim verò de sua latitudine perdens, donec in cuspidem abeat. Cujus generis Vexillum heraldicæ artis periti, ut videtur vel *Guidon* vel *Pennon* vocare solent. Quod etiam, ut suspicari licet, ruber ille limbus in antiquo parvo Vexillo indicabat, quod pluribus infrà (§. 25.) examinabitur: Alias & color & forma tam aquilæ, quam color campi in utraque figura inter se conveniunt.

X. Hoc ergo illud est, quod, Würtenbergicum Vexillum concernens, in facto consistit, quantum quidem ad nostram memoriam pervenit;

venit: Quod verò ad ejus jura pertinet, quando, ubi & in quem usum finemque in Imperio gestum, vel porrò gerendum sit: ejus rei notitia a Wurtenberga ex concessionibus vel actibus fortè adductis exspectanda esset; interim tamen huic Imperii Conflictus Vexillo plus, quàm probari potest, non tribuendum. Quippe cùm quæstio oriatur, utrum vel quatenus Sacræ Cæsareæ Majestati & Imperio per jus quæsitum manus ligatæ sint. Ejusmodi autem circumscriptio summæ potestatis non præsumenda sed clarissimè demonstranda est. Hactenus quidem non invenitur neque in literis feudalibus, neque in aliis diplomatibus, quæ a parte Würtenbergæ scripto sunt tradita, vel aliunde manifestata, vel minima hujusce rei specialitas.

In *Maximiliani I.* literis feudalibus Duci *Eberhardo* ejusque posteris, tuendi Vexilli Conflictus cura commissa est, sicut id ritè custodiri & curari debeat. Investitura quidem Leopoldina novissima loquitur de juribus & privilegiis ad Cæsaris & Imperii Vexillum Conflictus pertinentibus. Quomodo verò Conflictus illud Vexillum ritè curandum sit, quæque jura & privilegia præter arcem oppidumque Grœningam ipsi sint propria; de eo nemo quicquam prodit memoriæ. In his ergo subsistere & contentus esse aliquis posset: hoc unicum & indubitatum esse, quod si a parte Würtenbergæ demonstrari nequeat, in quo tandem jus Vexilli illius Conflictus consistat, quave in re Archibanneretis munus eidem contrarium sit: Sacræ Cæsareæ Majestati liberum sit dictum Archibanneretis munus, ut sibi proposuerat, sine mora instituendi.

XI. Nihilominus verò ad clariorem rei informationem paulo propiùs accedetur, & in sequentibus examinabitur, quid tandem auctores de ea re sentiant; & quonam fundamento, tum etiam quid natura rei, circumstantiæ & historiæ suppeditent, hac cum restrictione, animum non esse quicquam referre, quod domui Würtenbergicæ ullo modo detrimento esse queat; sed cùm fortè accideret, ut plura de ea re eruerentur vel manifestarentur, (quod tamen in omni casu & quoquomodo comparatum esset, novo Archimuneri neutiquam impedimento esse posset, sed ad id inserviret, ut probabiles Conflictus Vexillo attributæ functiones excluderentur) eidem plenum exercitium omni meliori modo libenter concedetur.

XII. Si respiciamus ad illos auctores, qui Würtenbergici Conflictus Vexilli meminere, inveniemus, eos plerumque parum certi de ea re affirmare posse, vel etiam in eam rem non accurate satis inquisivisse; ut exempli gratia *Lazius de Rep. Rom. lib.* 7. *c.* 7., qui videtur istud Conflictus Vexillum cum Imperii Vexillo confundere: *Ubi Sacri Imperii copiæ*, inquit, *in aciem educuntur præsente Imperatore, tum & Labarus aureus volitat, nigra aquila exornatus, cujus ferendi facultatem ex veteri prærogativa Duces Würtenbergenses habent.* Jam satis constat,

quantam fidem *Lazii* assertiones mereantur, utpote cujus multa errata satis cuique sunt nota: Sic etiam infra probabitur, in nobilibus Imperii expeditionibus Würtenbergense Vexillum Conflictus cum aliis Imperii Banneriis comparere non fuisse solitum; quod itaque cum solenni Imperii militari Bannerio, quod ex præcepto Constitutionum Imperialium præsente Sacra Cæsarea Majestate explicatum volitare debet, non est confundendum, quod tamen a *Lazio* factum.

XIII. *Crusius*, cui Vexilli istius notitia accuratior fuit, de eo quoque accuratiùs loquitur ac id quidem *Vexillum militare Sacri Romani Imperii* vocat, sed addita insuper hac restrictione *Oppidi Grœningæ & arcis*; quasi in dubio relinquere vellet, utrum non plura alia ejusmodi Vexilla Imperii militaria reperiantur. Quod tamen & sic intelligi posset, acsi illud modo voluisset vocare Vexillum militare Sacri Romani Imperii oppidi & arcis Grœningæ, quod tamen pro certo affirmare nolimus. En ejus verba: *Cæsar Comiti Ulrico Vexillum militare Sacri Romani Imperii Oppidi Grœningæ & arcis dedit.* Videtur epitheto Vexilli militaris Germanicum vocabulum *Sturmfahne* inopia proprioris Latini vocabuli exprimere voluisse; Vocabulum verò *Sturmfahne* singulare quiddam indicare, postea demonstrabitur.

XIV. *Limnæus* paulo ulteriùs procedit, sed suo potiùs ex ingenio, quàm rerum documentis. Ex ejus mente (Tom. 4. Jur. publ. 181.) Imperium duo Vexilla bellica habet; majus Vexillum peditum, minus equitum, utrumque aquila Imperii exornatum: minùs existimat vocari *die Rennfahne*, Vexillum cursus, & hoc Duci Würtenbergico commissum: quod & Sacri Romani Imperii Vexillum Conflictus vocatur.

At in paucis istis verbis multa latent erronea & dubia. Nam, ne dicam, utrum non interdum præter *Drapeau* peditum & *Guidon* vel *Cornette* equitum vulgare Bannerium (*Hauptpanier*) *la Bannière generale*, vel etiam *l'Etendart general*, in usu fuerit; etiam distinctio illa inter Vexillum Imperii equitum & peditum nondum adeo certa est; cùm Cæsar Imperii Vexillum modò Civitatibus, modò Imperii Equitibus commendaverit, ut postea demonstrabitur. Nec id quod Imperii Vexillum Cursus & Vexillum Conflictus unum idemque sint, nusquam, quantum quidem scimus, nisi apud *Limnæum*, atque eos, qui eum secuti sunt, exstat.

XV. Si igitur eorum Auctorum opiniones, apud quos parum fundamenti & certitudinis reperitur, seponamus, remque ipsam consideremus; non sine magna ratione existimari posset, Vexillum Conflictus Würtenbergense originaliter particulare quiddam & fortè Vexillum Conflictus Imperii, antiquissimi Sueviæ Ducatus fuisse, quod nihilominus Imperii Vexillum appellari potuerit: Quippe constat, ministeriales Ducum, Imperii ministerialibus annumeratos fuisse, ut id diplomata probant; ne jam alia exempla afferamus.

XVI.

XVI. Manifeſtum quoque eſt ex Sigillis, veteres Duces equis inſidentes repræſentari cum lancea, cui affixum eſt Vexillum ſive Bannerium, ita ut interdum Vexillum pro Ducatu, ſicut ſceptrum, diadema vel ſolium pro Regno ſumtum fuerit: Hinc *Adelboldus* Epiſcopus Ultrajectinus in vita *Henrici II.* qui ex Duce Bavariæ ad Imperium evectus eſt, ſcribit: *Henricus Dux glorioſus ſic in Ducatu vixit, quod omnibus placuit, ut de Ducatu tranſduceretur ad Regnum, de Vexillo ad Solium.* Quanquam mos iſte, Vexillum in Sigillo geſtandi non ubivis obſervatus eſt; Siquidem *Henricus* Dux Saxoniæ & Comes Palatinus Rheni in quibuſdam ſigillis gladium nudum, in aliis Vexillum manu tenet.

XVII. Marchiones & Landgravii etiam cum Vexillis interdum in Sigillis conſpiciuntur. Marchio *Adalbertus* (vulgo *Albertus Urſus*) in quibuſdam Sigillis pedes repræſentatur Vexillum manu tenens. Et hinc fortè eſt, quod Græcus quidam Auctor *Nicephorus Gregoras* (agens de *Bonifacio III.* Montferrati Marchione, patre *Yolandæ*, ſecundæ conjugis Imperatoris Conſtantinopolitani *Andronici II.* cujus ſigillum forte conſpexerat) aſſerat: Marchiones Imperatorum eſſe Vexilliferos. Niſi fortè iſte *Bonifacius* Marchio, ſingulari Imperii Vexilliferatu in Regno Longobardiæ inveſtitus fuerit; ſicut verba *Nicephori* alibi fidem facere nobis poſſent, qui fortè ſpeciale iſtud jus omnibus Marchionibus generatim tribuit.

XVIII. Fieri interim poteſt, ut ii, quibus Imperii Vexillum tanquam feudum conceſſum eſt, interdum Vexilliferi ſint vocati. Et celebris auctor diſſertationis de Vexillis Imperii cap. 4. exiſtimat: quando *Caſtrucius* Dux Lucanus ab Imperatore *Ludovico Bavaro* in ipſo Ducatus diplomate Vexillifer Imperii appelletur, Vexilliferatum iſtum nil aliud deſignare, niſi ipſum Ducatum Lucanum: Vexilliferatum ſcilicet Ducatus Lucenſis. In quo tamen ei aſſentiri vix queo; etenim ne dicam, nullum, quantum ſcio, exſtare exemplum certum, quo Vexillifer Imperii pro Duce ſumatur: duo diverſa hujus Imperatoris exſtant diplomata: in utroque *Caſtrucius* aliquoties Vexillifer Imperii appellatur & inſuper Ducatus Vexilliferatui contradiſtinguitur, ita ut id ſingulare quid eſſe videatur, cùm alias ejuſmodi exempla præſertim in diplomatibus tam ſolennibus, qualia ſunt iſta, quorum unum continet erectionem Ducatus, alterum conceſſionem Comitivæ Palatinæ Lateranenſis, non inveniantur; nec tam frequens tautologia vel expreſſio nihil operatura præſumenda ſit: ſuper hæc particula *ubilibet* Vexilliferatui Imperii addita plus indicare velit & alioquin *Caſtrucio* Comitiva Palatii Lateranenſis in ipſa Coronatione Imperiali ſolenniter obeunda, collata ſit, quæ Vexilliferatui bene conveniebat.

XIX. Sæpe etiam in Sigillis reperiuntur Comites, Comitatus ſui Ve-

xillum gestantes; ita habuere quoque Comitatus sua Banneria; sicut *Carolus IV.* in propria suæ vitæ narratione refert: se, cùm per stratagema in urbem Belluno venisset, Banneria Regni Bohemiæ & Comitatus Tirolis explicata volitare vidisse. Et in antiquis quidem sigillis non solum maximi Comites, qui revera Comites Provinciales vel hisce similes fuerunt, ut Flandriæ, Sabaudiæ &c. sed & alii quidam, qui istos dignitate non assequuntur, sicut Comes Osterburgi & alii ejusmodi Vexilla tenent: Fieri itaque potuisset, ut Comites Grœningani prærogativam aliquam habuerint Vexilla gestandi, seque inde Imperii Vexilliferos nominarint; quales & Comites Osterburgi in Saxonia inferiore fuerint.

XX. Certe viridis ille limbus, qui antiquitus in Vexillo fuerat; Investitura Imperatoris *Maximiliani I. Crusius* etiam aliique Scriptores Würtenbergici testantur, hoc Vexillum arci urbique Grœninganæ fuisse proprium, adeo ut Auctor notarum ad *Monzamb.* ut supra dictum, existimet, illud huic loco adhæsisse, antequam *Schlüsselburgi* Comitibus fuerit attributum; quo nempe tempore proprios Grœninga habuit Comites, quod ex Chronico manuscripto *Gabelkoferi* affirmat, de quo jam supra §. 2. mentio facta est.

XXI. Licet igitur concedere vellemus, Comites Grœninganos non solùm Comitatus sui, sed & officii ipsi adhærentis gratia sæpe dictum habuisse Vexillum, non tamen facile ad credendum est, illud publicum Imperii Vexillum fuisse: quomodo enim vilis ejusmodi arx oppidumque Grœninga ad tantam prærogativam pervenire unquam potuisset, ut illius participes tot magnos Principes sub suo Vexillo haberent & totius Imperii Insigne dignitatis perpetuo jure custodirent. Existimandum potiùs est, fuisse illud Vexillum quoddam particulare Ducatus Suevici & quidem ejusdem Conflictus seu Expeditionis Vexillum a primario Vexillo ipsius Ducatus, quod solius Ducis proprium erat, planè diversum: siquidem & urbi Halæ Suevorum particulare Vexillum in Expeditionibus Imperii a *Crusio* part. 2. lib. 7. c. 5. adscribitur, cujus verba: *Signum sive Vexillum Halensium in Expeditionibus Imperii inter Antecursores & Rorarios est* (in agmine perdito); ita etiam posset peculiare quoddam speciale Imperii vel Circuli Vexillum nominari.

XXII. Ejusmodi particularitas in Imperii Officiis nihil novi est: Ne mentionem faciam Dapiferorum, Pocillatorum, aliorumque officiorum hæreditariorum cujusque Ducatus; ita constat, Imperatores suos in diversis Ducatibus Comites Palatinos habuisse; in Saxonia scilicet, in Bavaria, in Burgundia, ad Rhenum & Romæ: In Saxonia noti fuere *Palatini Sommerschenburgici* aliique: in Bavaria *Wittelsbachici*: Comites Burgundiæ liberi Comitatus Principes erant Palatini Comites Burgundiæ. Palatini ad Rhenum propriè erant Palatini Comites Ducatus Franciæ

Franciæ Orientalis, vulgo Franconiæ, tandemque aliquo modo Franconiæ Ducum locum obtinuere: & Romæ fuerat Comes Palatinus Lateranensis, qualis ille *Castrucius* Dux Lucanus ex *Ludovici Bavari* concessione fuit. Ita quoque Imperatores in diversis Imperii Regionibus proprios Seneschallos vel Dapiferos habuere, ita ut *Alphonsus* recens electus Rex Romanorum anno 1258. *Friderico* Lotharingiæ Duci diploma dederit hisce verbis: *Debes esse summus Seneschallus in aula nostra citra Rhenum* (ita etiam in Regno Lothariensi) *& debes nobis servire in annalibus festis de primo ferculo Eques*: Fuerit hoc antiquum aliquod jus, quod Lotharingiæ Duces sibi tribuerant, quod *Alphonsus* tantùm renovarit: Sicut Dux in suo Homagio diplomati inserto fatetur, se officia in concessione memorata Imperio præstare debere. Notus ille *Gervasius Tilberiensis* semet ipsum subscripsit: *Mareschallum aulæ Imperialis in Regno Arelatensi.* Comites Virneburgici vocati sunt *Mareschalli Westphaliæ*, & ita porrò; quæ partim ab antiquis, postea verò pœne obliteratis Regnis & Ducatibus orta sunt, & ad specialia officia Imperii ansam dedere.

XXIII. Testantur quoque auctores æquè ac diplomata, Comites Arnsbergenses jus primi pili, vel jus Antebellatoris (*de l'Avantgarde*) Rhenum inter & Visurgim, id est, in Ducatu Westphaliæ obtinuisse, quod jus non parum cognationis habet cum jure signiferi, quod, ut notum, quibusdam in locis Seneschallo vel Dapifero concessum est. Iis quoque Seneschallis erat jus protutelæ & retutelæ, ita ut, cùm exercitus educeretur, primi; cum reduceretur, ultimi essent, & ita loca honorifica (vel *les postes d'honneur*) haberent; sicut de magno Seneschallo Franciæ (Regni Dapifero & Signifero) *Hugo de Cleeriis de Majoratu Franciæ* apud *Carolum Ducangium* ait. *Credibile igitur est, Comites Arensbergicos non minus Signiferos, quàm Antebellatores Imperii intra Rhenum & Visurgim in Ducatu scilicet Westphaliæ fuisse, ac ibi fortè Vexillum Conflictus Imperii habuisse, æquè ac Comites Grœningani in Suevia, qui quodammodo signiferi & fortè Antebellatores Suevorum fuere, sicut* Radulphus de Conchis *Signifer Normannorum hæreditarius apud* Ordericum Vitati *occurrit.*

XXIV. Nec dubium est, quin aliquis simplicem aquilam in Vexillo Conflictus Grœningano aut Würtenbergico tanquam notam minorativam vel particularitatis respecturus sit. Negandum quidem non est, Imperatores olim & in sigillis & alibi aquila unicipite fuisse usos; existimatum tamen jam diu est, ad vera Imperia Insignia & sic quoque ad publicum Imperii Vexillum bicipitem aquilam pertinere, quod jam ante ducentos quinquaginta annos *Nicolaus Uptonus* scripsit: *Portabit Romanus Imperator unam aquilam nigram, fissam & explanatam in campo aureo. lib. 3. de Officio milit.* p. 106. quod & *Johannes de Bado* ejusdem tempo-

temporis scriptor iisdem ferè verbis posuit, pag. 9. & inde clarè apparet, eos per aquilam fissam aliud nihil intellexisse, nisi consuetam illam bicipitem Imperii aquilam. *Freherus* ejusmodi aquilam jam tum Orientalibus Imperatoribus (ex figuris *Nicephori Gregoræ* historiæ præfixis) adscribit. Existimari certè posset, si Vexillum Conflictus Grœninganum generale Imperii Vexillum fuisset jam tum, cùm *Eberhardus* Comes ab Imperatore *Maximiliano I.* ad Ducatum evectus est, ubique recepta duplex aquila in Vexillum posita fuisset; inprimis cùm forma Vexilli fuerit mutata. Auctor notarum ad *Monzamb.* observat, ab istius *Eberhardi* Ducis temporibus majus & alterius formæ Vexillum assumtum fuisse, quàm id fuerat, quo veteres Comites Würtenbergici antea usi fuerant: hinc & supra allegatus Auctor dissertationis de Vexillis Imperii c. 3. p. 15. optimè judicavit: *Aquilam Serenissimæ domus Würtenbergicæ esse unicipitem; sed in Vexillo Imperiali majore cæterisque insignibus Imperialibus bicipitem exprimi*: ut ejus verba habent: Existimavit itaque, bicipitem aquilam in Vexillum Imperiale majus pertinere.

XXV. Ita quoque ruber ille limbus, antiquum Grœningo-Würtenbergicum Conflictus Vexillum supervolitans videtur ex vulgari Heraldicæ artis opinione nota minorativa esse, sicut forma *Pennonis* seu *Guidonis* in novo Vexillo: Vel enim ipse limbus *Pennonem* significat, vel ejusmodi habet scopum: Quod signum *Pennonis* sit, inde conjici posset, quia abrogata veteri forma, majus Conflictus Vexillum Würtenbergense figuram tantùm *Pennonis* vel saltem *Guidonis* habet, quibus essentialis ista nota communis est, ut decrescant, donec in cuspidem desinant: Cùm contra Bannerium ubique æquè latum maneat. Limbus autem iste tam quoad formam *Pennonis*, cumque ipsam decrescentem Vexilli partem efficit, quam alias, si Vexillo tantùm affixus est, pro nota Vexilli minorativa acceptus est. Hinc Heraldicæ artis periti dicunt: Si quis ex mero Equite Banneretis factus sit, limbum de *Pennone* abscissum, ex eoque Vexillum purum quadratum seu Bannerium effectum fuisse: id vocabant: Facere ex Pennone Bannerium (*faire de Pennon Banniére*): siquidem non solum Regna & Principatus; sed & qui Dominatus saltem erant, Banneria sua habuerunt talesque, a quibus gestabantur Domini, Bannerii Domini seu Banneretes nominabantur, sub quorum Vexillo alii Domini vel Equites bellabant, reliqui verò *Pennonem* saltem habebant. Hæcque proportio vel discrimen etiam quoad Imperii Vexilla observatum est, ut verum Vexillum principale seu majus formam Bannerii habuerit, cùm alia viliora & inprimis Imperii Vexilla specialia fortè *Pennoni* saltem fuerint similia.

XXVI. *Stumpfius* lib. 6. c. 17. Historiæ Helvet. observat, quosdam esse, qui existiment, limbum in Vexillo significare, id aliquando amissum hosti in prædam cessisse; quod in medio relinquimus & putamus, opiniones

opiniones ejusmodi de limbo isto inde ortas esse, quòd Bannerium, seu Vexillum quadratum purum signum sit eminentioris majorisque libertatis, *Signum domini liberi, quod opponitur ministeriali*: limbum contra *tanquam vinculum, sive signum hominis ligii, vel saltem obligationis*. Olim certè ejusmodi opinionem dubiam aliquomodo viguisse oportet, quia *Stumpfius* ait: *Itaque sæpedictus limbus post victoriam Moratensem in* Caroli *Burgundiæ Ducis Vexillo per* Reinhardum *Lotharingiæ Ducem in honorem Urbis Tigurinæ abscindebatur*. Præfectus etiam Copiarum, Banneretes & Senatores urbis Tiguri, qui in Castris fuerant, ejusdem cum *Reinhardo* Duce Sententiæ fuerunt, cùm libero suo tunc Vexillo contenti lætique domum reversi sunt; sed seniores urbis Senatores minimè ea re contenti, id ignominiosum ducebant contendebantque, limbum esse singulare honoris signum, quo Imperatores Regesque Bannerium suum ornassent, jubebantque Præfectum suum & Banneretem limbum rursus alligare & ita in urbem introire eodem, quo exiissent modo.

XXVII. Quæstionem istam dirimendam nunc non suscipiemus, quippe cum ea de rebus ritibusque antiquis agat, qui jam non amplius satis noti atque re ipsa in more ad tempus saltem durante, vel etiam in imaginatione mera consistunt: Hæc tamen omnia judicia particularitatis vel minorativa augent; Siquidem & Tigurinorum explicatio, ac si ruber ille limbus honoris signum præmiumve esset, malè ad generale Imperii Vexillum applicaretur. Et saltem re ipsa confitendum erit, in renovato Grœningo-Würtenbergico Vexillo receptam loco limbi *Pennonis* formam (tanquam minorem) id ab Imperii Bannerio seu primario Vexillo satis distinguere.

XXVIII. Meritò quoque mirari quis posset, quod in *Eberhardi primi* Ducis Investitura Vexillum Conflictus Imperii, ne dicam post Vexilla Ducalia Würtenbergensia & Teckensia, sed etiam post Vexillum Montisbeligardense gestum sit; id pertinet ad indicia, id planè habitum fuisse Vexillum Comitum Grœningæ, quod propriè non totius Imperii sed Sueviæ proprium fuerit. Etsi exempla adducta aliorum ejusmodi Imperii particularium munerum, obscuritatem urbis Grœningæ, viridem limbum, unicipitem aquilam, limbum & Pennonem aliaque hactenus indicata paulum aspiciamus & ex opposito consideremus, quemadmodum Imperator *Ludovicus* non frustra quasi ad excludendam particularitatem, alioqui in talibus usitatam Lucano Duci jus Vexillum ferendi ubilibet expresse concesserit & generalitatem signanter exprimere voluerit; cùm contrà ejusmodi expressio in Würtenbergensi Conflictus Vexillo in diplomatibus aliisque authenticis Scripturis nunquam, sæpius verò relatio ad Grœningam clarè occurrat; nemo se facilè impediri patietur, nisi contrarium solidis argumentis probetur, quominus particularissimum aliquem hic agnoscat.

XXIX. Mirum alicui videri posset, cur tandem præ aliis specialibus Imperii Conflictus Vexillis jam dudum abolitis, Suevicum & nomina &

 privi-

privilegia conservarit? at illud ortum esse videtur ab antiqua prætensione Suevorum, quod ipsis in Imperii expeditionibus prærogativa debeatur; Jus primæ aciei in exercitu Imperii, inde præ aliis Imperii nationibus, ad hæc attendisse deque iis gloriatos esse. Antiquus quidam Historicus *Lambertus de Aschaffenburg* ad annum 1075. dicit: ***Ab antiquis** jam diebus lege latum esse, ut in omni expeditione Regis Teutonici ipsi* (***Suevi***) *exercitum præcedere & primi committere debeant.* Res verò multis dubiis obnoxia est, & quod de lege lata asseritur, parùm habet verisimilitudinis. Saltem prætensum hoc jus non semper valuit, nec ad posteros propagatum est. Interim traditio hæc in Sueviæ regionibus altas egit radices: hinc & Hala Suevorum cum suo Vexillo (ut suprà §. 21. diximus) singulare quid prætendit & Vexillum Conflictus Grœningo - Suevicum etiam præ aliis Imperii Circulive Vexillis nominis famam obtinuit.

XXX. Jam bonum esset scire, quid propriè Vexillum Conflictus (*Sturmfahne*) significet. Vexillum militare, ut *Crusius* vertit, nimis generale est. Quod *Limnæus* Vexillum Cursus (*die Rennfahne*) & Vexillum Conflictus (*die Sturmfahne*) pro uno eodemque sumit, id sine fundamento facit, nec apud quenquam alium præter eum, eosque qui eum sunt secuti, invenitur, Vexillum Cursus Würtenbergo adscriptum. Contrarium potius affirmari potest. Id quidem observatione dignum est, & diplomata & scripta authentica constanter & ferè pertinaciter unico illo vocabulo Vexilli Conflictus uti, nec quicquam amplius addere, quasi in honorem Procerum illorum, qui id gestant, nomen quidem singularis Imperii Vexilli libenter concederent; simul verò consulto evitare voluissent, ne plus illi tribuerent, quàm revera in eo comprehendatur.

XXXI. Licet igitur significatio Vexilli Conflictus adeo sit dubia & documentorum inopia non facile decidenda; potest tamen & debet probabili ratione, donec aliud probetur, omnino existimari. Vexillum Conflictus instar Campanæ incendiariæ (*Sturm-Clocke*) ad improvisum tumultum & ad summum ad evocationem militarem trahendum, quod *Haribano*, sive *Heeresbano* (ex quo Galli suum *Arrièreban* construxerunt) fortè comparandum. Et ita valde est apparens: in unoquoque Imperii loco, vel (ut anticipando ita loquar) in unoquoque Circulo, itaque & in Suevia, præcipue in subitis casibus, vel aliàs, si necessitas id exigit, Conflictus Vexillum explicatum volitare solitum ad evocandos & cogendos tam mediatos quàm immediatos Imperii Vasallos.

XXXII. In hac literali interpretatione meritò acquiesci posset, quamdiu aliud nihil afferatur, licet nec major probatio adesset. Sed invenitur locus expressus *Alberti Argentinensis* auctoris contemporanei, qui scilicet eo vixit sæculo, quo antiquissimum documentum de Würtenbergico Conflictus Vexillo exstat, quod præsentem significationem quasi ex compacto confirmat. Verba ejus ad annum 1349. ita se habent: *Conquerebantur*

bantur tunc, quum Rex Carolus IV. *Spiræ esset, Civitates Rhenenses, quod* Rupertus *Dux Bavariæ haberet Castrum, dictum in nova Curia, distans ad unam leucam a Civitate Spira, in qua latitarent latrones, qui mercatores transeuntes viam publicam versus Wormatiam in nemore dicto* Rechholz *despoliarent: Rex hoc audito statim Bannerium suum, quod dicitur (Sturmfahne,) super turrim Ecclesiæ Spirensis constituit & populo civitatis ad arma mandari per Magistros Civium præcepit & egressus Civitatem cum sua gente armatus, populo eum sequente, cum Bannerio ante Castrum prædictum ipsum funditùs destruxit.*

XXXIII. Hinc perspicitur, quomodo Imperator in subito casu, cùm inopina hostilitas in vicinia se exercuisset, Bannerium suum, Vexillum Conflictus dictum in alto constitui jusserit ad copias necessarias celerrimè congregandas. Verisimile admodum videtur, tam ex circumstantiis, quàm ex verbis, *Bannerium suum*, vocabulum *Bannerii* latè sumendo, hoc Imperatoris proprium Vexillum Conflictus fuisse. Verba limitativa *Alberti*: *Bannerium suum, (quod dicitur (Sturmfahne,)* bene sunt consideranda, & probant, hoc Vexilli genus peculiare quid fuisse ad hosce casus destinatum. Ut taceam, Imperatoris proprium Vexillum, quod a Grœningana distinguendum est, (cum Comitis Würtenbergici nulla in ista expeditione mentio fiat, nec is cum Vexillo suo tam celeriter adesse poterat,) supra memoratam multiplicitatem Vexilli Conflictus & particularitatem Vexilli Grœningani confirmare: quippe & natura Vexilli Conflictus seu subiti tumultus postulat, ut, siquidem quis ejusmodi Vexillum habere velit, Circulus saltem quivis Imperii, imò & Imperator suum habeat proprium, quo in subitis ejusmodi casibus eo, sicut tum Spiræ accidit, utatur.

XXXIV. Possent quidem literæ quædam produci, quas idem Imperator multos post annos anno scilicet 1363. *Eberhardo* Würtenbergæ Comiti, tanquam Præfecto Sueviæ inferioris, Consuli quoque, Senatoribus, Civibusque Civitatis Strasburgensis communiter scripsit: apud auctorem de Vexillis Imperii cap. 4. in quibus hæc occurrunt verba: *Si accideret, ut expeditionem susciperetis contra latrones malosque homines & nominatim contra Ducem* Ruprechtum *Rheni apertum nostrum hostem, ut nostrum & Imperii Bannerium, nostri Imperiique causa explicatum erigatis, sub eoque proficiscamini, eaque ita custodiatis, sicut id facturos confidimus.* Ex quibus verbis suspicari quis posset: Conflictus Vexillum esse verum Imperii Bannerium.

XXXV. Istæ verò literæ huic opinioni potiùs refragantur contrariumque probant. Si enim ibi sermo est de Vexillo Conflictus; id Comes Würtenbergicus jam ipso jure sui feudi habebat, nec alia concessione Imperiali opus erat: Apparet ergo etiam hinc, Imperii Bannerium planè aliud quid esse, quàm Vexillum Conflictus in quæstione; nec Comes

Civitatem Argentoratensem in communionem juris sibi proprii recepisset. Præterea quæstio nunquam est de Banneriis Imperii generalibus, sed clarissimè apparet, Imperatorem diversis Statibus in locis diversis jus potuisse tribuere suo Imperiique nomine contra quosdam hostes, proscriptos & turbatores pacis expeditionem suscipiendi, inque eum finem majoris efficaciæ causa, peculiare Imperii Bannerium ante suam aciem erigendi.

XXXVI. Ejusmodi etiam exstat exemplum de Imperatore *Sigismundo* de anno 1424. qui in literis ad certum aliquem non nominatum Principem datis, propter expeditionem contra *Fridericum* Austriæ Ducem, his utitur verbis: *Quoniam singularem in te ponimus fiduciam, commendamus tibi nostrum Imperiique Bannerium.* Et si suprà memoratæ literæ ad Comitem Würtenbergensem aliquid probarent, non minùs Argentoratensium Civitati prodessent, quæ tamen sibi nullum unquam Imperii Bannerium adscripsit, sed semper suum proprium tantùm gestavit atque hoc saltem contendit: Si Imperii Bannerium urbibus mandetur, hæque inter se varient, Argentoratum initium facere debere, & ita præ aliis civitatibus prærogativa gaudere: sicut id ex privilegiis civitatis Argentoratensis & prædicta dissertatione de Vexillo Imperii intelligitur.

XXXVII. Hoc mirandum est, non solùm nullum exstare exemplum vel actus, quo Würtenbergensium Vexillum Conflictus in acie apparuerit; sed etiam sub *Friderico* ejusque filio *Maximiliano I.* ut & *Carolo V.* & *Ferdinando I.*, quantum animadverti potest, ejusmodi ne quidem quæsitum esse; cùm tamen de Vexillo Sancti Georgii a *Friderico* usque ad *Carolum V.* tot quæstiones & lites motæ sint, quod & Imperii Recessus Spiræ 1542. §. *Si etiam* &c. expresse dicunt. Solummodò Auctor notar. ad *Monzamb.* ex Würtenbergico Archivo adducit: *Christophorum* Würtenbergæ Ducem anno 1566. cùm quoddam Imperiale Vexillum speciale adversus Turcam erectum esset, ad juris sui custodiam per literas apud *Maximilianum II.* aliquid movisse, sicut suprà allegatum est. Non verò videtur, responsum ex voto aptumque fuisse ad aliquid per extractum illis notis inserendum.

XXXVIII. Si unquam Würtenbergense Imperii Conflictus Vexillum occasione magnæ Imperii expeditionis tanquam commune Bannerium vel generale Vexillum apparere debuisset, id fieri debuisset in expeditione Imperatoris *Friderici* contra *Carolum* Burgundiæ Ducem apud Nissam; cùm Civitas Argentinensis jus suum tueretur & Sancti Georgii Vexillum non parum contentionis excitaret. Clarè autem perspicitur ex documentis Argentinensium loco citato: *Eberhardum* Würtenbergi Comitem in expeditione quidem fuisse, sed nec Vexillum Imperii, nec Bannerium gestasse, sicut expressis verbis dicitur: *quod præter Bannerii Magistrum a S. Cæsarea Majestate denominatum nemo Imperii Bannerium habuerit præter Civitates liberas*, quibus id pro tunc commissum sit. Ex quibus sine controversia sequi-

sequitur: Würtenbergicum seu Suevicum Grœninganum Imperii Vexillum Conflictus Circulare a Bannerio Imperii generali planè diversum fuisse, nec unquam cum illo in universali Imperii expeditione apparuisse, sed propriè domum ad Circulum pertinuisse, ubi ad ejus securitatem & evocationem militum in repentinis motibus adhibitum sit.

XXXIX. Memorabile est in ista expeditione: Imperii Bannerium tum non Proceribus & Equitibus, sicut alias sæpius accidit, sed Civitatibus custodiendum traditum esse; ex quo conjici potest: hoc justum Bannerium generale fuisse, nec equitatui, nec peditatui dicatum, quia æquè nobilitati, (id est Proceribus cum eorum Equitibus) ac Civitatibus Imperii pro arbitrio commendari potuit; & ita non ad certum aliquem Imperantem tanquam feudum hæreditarium pertinuisse. Idque confirmant privilegia Civitatis Argentinæ apud *Knipschildum* & *Limnæum* his verbis: *Quando etiam in Sacri Romani Imperii exercitibus Imperii Bannerium ab Imperii Præfecto liberis Civitatibus gestandum mandatur & non nobilibus; Civitas Argentina id semper prima ad gestandum accepit, postea cæteræ liberæ Civitates, quæ id singulis diebus alternatim gestarunt, donec iterum ad Argentinam pervenerit.*

XL. Quum igitur feudum Vexilli Conflictus particulare quid sit, quod pro locorum occasionumque ratione institutum est, perspici non potest, cur non, licet res ita se habeat, generalis aliquis Imperii Vexilliferatus introduci queat. Tale fuerit Vexillum *Castrucio* Duci Lucano commendatum, quia in ejus literis feudalibus vox *ubilibet* expressè invenitur; ipse etiam ceu Comes Palatii Lateranensis inprimis in Cæsaris coronatione officium suum habuit. Ubi notandum, *Conradum Comitem de Schlüsselburg* in diplomate Imperatoris *Ludovici Bavari* de anno 1328., in quo *Castrucio* Vexilliferatus Imperii adscriptus est, ipsum inter testes nominari: corrupta licet lectione *Conradus de Zolusselberg*. Si verò id nunquam adhuc fuisset, quid S. Cæsaream Majestatem impediret, quominus novum Archibannerium institueret, idque tali privilegio donaret, ut non minùs belli quàm pacis tempore in rebus controversis æquè ac ad honores pertinentibus produci possit. Fatentur Würtenbergenses suum Conflictus Vexillum unicè ad bellum pertinere, nec acta publica togata quicquam concernere; nam usus ejus extra militiam nullus est; uti loquitur laudatus Auctor notar. ad *Monzamb.* Cùm contra S. Cæsarea Majestas novo Archi-Vexilliferatui & ei adjuncto primario Imperii Bannerio talia privilegia tribuere possit, ut non solùm in expeditionibus Imperii, sed etiam, ut alia ejusmodi primaria Imperii munera, & præcipuè in coronationibus Cæsarum adhibeatur. Et cùm alias Imperii Bannerium nunc a Proceribus & Equitibus apud Equitatum, nunc a Civitatibus Imperialibus apud Peditatum custodiatur, & pro lubitu nunc huic nunc illi Principi aut Statui datum sit, primarium hocce Bannerium nunc locum fixum & custo-

 dem

dem certum habere, & proprio Imperii Bannerii primario ac hæreditario muneri ad decus & tutamen committi posset.

XLI. Ad majorem rei confirmationem hic adhuc paucis istam mutabilitatem & ambulatoriam naturam Bannerii Imperialis probabimus. Id nempe antiquitus nulli certæ domui proprium, nec in Imperii feudo comprehensum, sed ab Imperatoribus pro arbitrio nobilibus, fortibus, plerumque junioribus Procerum attributum fuisse, a quibus in expeditionibus præliisque revera curari potuit. Probant id historiæ, & jam ab eruditis Viris observatum est. Auctor citatus Diss. de Vexillo Imperii c. 4. p. 22. ait: *Munus gerendi Imperialis Vexilli sub Francicis* (*Carolinæ stirpis*) *Imperatoribus ambulatorium fuisse.* In eum finem adducit ex *Eckardi junioris Casibus Sti Galli c.* 3. exemplum cujusdam Principis, cui tum adversi quid accidit: *Arripit ille infelix futurus Labarum, eo die Ordinis sui Dominum antecedendi &c.* Sub sequentibus Germanicis Imperatoribus *falum arbitrarium & prout Imperatori videretur e dignitate vel usu cujusque expeditionis esse, uni subinde ex Proceribus delatum*: inquit idem Auctor Diss. de Vexillo Imperii dicto loco, inque eam rem affert exemplum Bavarici Comitis Palatini *Ottonis de Wittelsbach*, qui in expeditione Italica Imperii Vexillum sub *Friderico I.* Imperatore gestavit: sicut *Otto Frisingensis* de gestis Friderici l. 2. c. 16. & 25. & post eum Poëta *Guntherus* memorant.

XLII. Magnum deinde post Interregnum, cùm Imperii Officia magis magisque vigerent, id tamen in Imperii Bannerio non observatum est. Cùm enim *Rudolphus I.* contra *Ottogarum* Bohemiæ Regem duxisset exercitum, *Henricus Marchio Hochbergicus* Imperii Aquilam gestabat; sicut in citata Dissertatione ex *Gerardo de Roo* ad 1278. Itidem a *Reinhardo Comite Hanoviæ* sub *Adolpho Nassovio* ex *Herzogii* Chronico Alsatico l. 5. p. 62. observatur. Comes *Conradus de Schlüsselburg* Vexillifer partium *Ludovici Bavari* in ea pugna, qua contra *Fridericum Austriacum* superior discessit, æquè ex *Alberto Argentinensi* ad annum 1323. ac ex Cæsareo diplomate jam suprà allegatus est.

XLIII. Huic adhuc antiquius adjungi posset exemplum *Conradi* Franconiæ Ducis, qui Imperatori *Lothario Saxoni* de Cæsarea dignitate litem movit, postea verò se humiliavit & cum Imperii Vexillo tum contentus fuit; quod *Gothfridus Viterbiensis* in Pantheo suo hisce versibus significavit:

Regnat Lotharius, Cunradus amicus habetur,
Summus & Imperii Signifer ipse fuit.

& postea:

Interea Juvenis Regni Vexilla tenebat,
Et prior in Ducibus semper primusque sedebat.

Hac

Hæc verba fortè ab aliquibus ita intelligi possent, quasi summus Signifer nil aliud esset, quàm primus Ducum, quia Duces, ut notum & ante probatum, Vexilla gestarunt. Sed ut taceamus, sicut supra ostensum: Signiferum Imperii ita interpretari velle, esse sine exemplo; hæc quidem propriè non erant Regni sed Ducatus vexilla. Verba igitur illa: *Regni vexilla tenebat*, videntur plus & quidem hoc significare: *Conrado* ut summo Signifero, sicut eum hic *Viterbiensis* vocat, primarium Imperii Bannerium traditum, primumque inter Duces locum concessum esse. Et id sine dubio tam respectu Regiæ originis a Matre, quæ fuit filia Imperatoris, quæ etiam causa fuit, cur Imperium affectaret, quàm, ut Imperator ei submissionis suæ gratia generose aliquid gratificaretur: ita ut ipsi non solùm locus præ aliis Ducibus fuerit assignatus, sed etiam munus summi Signiferi, supremi Imperii Banneretis commendatum sit.

XLIV. Bene alias potest fieri etiamque natura officii ambulatorii id requirit, ut primarium Imperii Vexillum gestandum primario Duci, qui præsens adest, concedatur, sicut id & *Viterbiensis* allata verba confirmant, quod verò potiùs honoris ergo pro occasione circumstantiarum intelligendum est. Plerumque enim alias inprimis verò in expeditionibus & præliis visum est id committere nobili cuidam forti juveni Principi; quoniam in ejusmodi casibus non tam de dignitate nobilitateque, quàm de viribus & animo agitur. Alibi quoque demonstratum est, summos Seneschallos seu Dapiferos tanquam primarios Imperii Ministros vel Satrapas tam Imperii Bannerium, quàm jus Antebellatoris habuisse. Ejusmodi verò munera, Imperatoris *Lotharii Saxonis* tempore (sicut id ex historiis verisque monumentis satis superque patet) in Imperio nondum fuere hæreditaria, sed pro data occasione administrata sunt, atque ita tunc Vexillum Regni & jus summi Signiferi *Conrado* Duci postea Regi personali privilegio obtigit. Etenim non facilè reperietur, Duces Franconiæ vel Franciæ orientalis perpetuam prærogativam præ aliis Ducibus habuisse, sed ea in re variè se gessisse: vulgo ad ætatem, auctoritatem, meritaque personæ aliasque ejusmodi circumstantias respectum fuisse. Unde & apparet, eum, qui ex Ducibus prærogativam habuit, sibi etiam, si voluerit præsensque fuerit, Vexillum Regni ut summum Signiferum vindicare potuisse.

XLV. Interim aliqui contendunt, *Bernhardum Anhaltinum Comitem*, antequam ab Imperatore contra *Henricum Leonem* Dux creatus fuerat, in expeditionibus Italicis æquè ac *Otto de Wittelsbach* Vexillum gestasse. Quod verò de *Ottone*, non de *Bernhardo* apud antiquos repertum est: alia quoque exempla affatim allata sunt, ex quibus videre est: Imperii Vexillum ambulatorium, nec certæ cuidam domui assignatum fuisse; præterquam quod *Ludovicus Bavarus Castrucio Duci Lucano* cum Comitiva Palatii Romani concesserat, quod verò cum obitu *Castrucii* iterum abolitum est.

est. Controversia quoque caret: Munus Banneretis Imperii ante ducentos annos sub Imperatore *Friderico V.* (vulgo III.) in expeditione adversus *Carolum Burgundiæ Ducem* nondum sedem certam habuisse, sed Principem aliquem nobilitate virtuteque insignem tum Imperii Banneretem creatum; ei magnum Imperii Bannerium datum; aliud Imperii Bannerium tum temporis Civitatibus Imperialibus custodiendum commissum fuisse. Præter quæ duo Imperii Banneria aliud non adfuit, licet *Eberbardus Comes* in expeditione adfuerit; sicut id manifestum est ex relatione Præfectorum Copiarum urbis Argentinæ ad Magistratum ex castris Imperii prope Nissam circa Pentecosten 1475. data, sæpiusque citatæ dissertationi de Vexillo Imperii c. 4. inserta.

XLVI. Interea tamen historiæ & diplomata probant, quomodo Officia Imperii principalia aliaque generalia & specialia sensim sensimque plerumque æquè ac Imperii Judicia ex ambulatoriis sedentaria talesque dignitates Imperii feuda facta sint.

XLVII. Ita jam suprà narratum est *Alphonsum* Regem Romanorum Lotharingiæ Ducem Imperii Dapiferatu in Regno Austrasiæ fortè Antecessorum exemplo investivisse. Itidem Ducem Brabantiæ *Caroli IV.* temporibus antiquum allegando jus Regni gladiatorem apud Austrasios esse voluisse. Et ita etiam antea Comites Arensbergæ & Grœningæ, illi in Westphalia, isti in Suevia Antebellatores vel Signiferi in natione sua aliquo modo creati fuerint. *Ludovicus Bavarus*, qui Vexillum Conflictus Grœninganum *Comiti de Schlüsselburg* commisit, ejusmodi re ex sæculi sui genio liberalis fuit Ducemque Lucanum Imperii Vexilliferum Comitemque Palatii Romani & Geldriæ Comitem Ducem & Protovestiarium Imperii creavit; passim quoque Imperii Vicarios constituit; imò & Delphino Viennæ administrationem Regni Arelatensis conferre voluit, sicut ea omnia diplomata confirmant. Ut jam silentio prætermittam alia Imperii officia, ut sunt Monasterii Sacri Romani Imperii; Venatoris Imperii primarii; (*des Reichs Dickmeisters*) aliaque, de quibus non adeo certi quid constat: Ante quæ omnia Imperii Bannerium ad novum Imperii Archimunus pro rerum statu & quoniam novum Electoratum introduci placuit, aptissimum esse videtur.

XLVIII. Hinc, quoniam a parte Würtenbergæ ne minima quidem Specialitas de Officio & jure Vexilli Conflictus allata, multo minus probatum est, id novo Achibanneretis officio ullo modo obesse, ab ista parte verò comprobatum est, Vexillum Würtenbergicum antiquitus parvo oppido Grœningæ in Suevia adhæsisse; post Comitis Montisbeligardi Vexillum gestatum, & ita vilius habitum; ob quod propter laciniosam ejus formam *Pennoni* potiùs, quàm libero Bannerio simile fuisse, & limbum habuisse, qui nota erat minorativa, vel si quis favorabilius paulo interpretari voluerit, compensationem fuisse, quæ tamen & ipsa in effectu minorativum quid

quid est, nec omnino convenit cum generali Imperii Vexillo. Uniceps quoque Aquila, meritò nota particularitatis habetur & ita (exemplo aliorum, quæ citavimus, ejusmodi particularum Imperii munerum, quæ apud quasdam Imperii terras vel Germanicas Nationes in usu fuere) Grœninganum Vexillum, ut videtur, propriè & originaliter Sueviæ proprium est. Id porrò etiam in omnibus authenticis scriptis non aliter, quàm Conflictus Vexillum appellatur & quasi sollicitè cavetur, ne quid ulteriùs ei tribuatur, & non solùm ex literali verborum interpretatione, sed etiam ex loco antiqui Auctoris contemporanei tantùm concludere licet: Vexillum Conflictus instar Campanæ incendiariæ ad subita, vel saltem ad excitandos proximè sitos Imperii Vasallos & subditos certi alicujus ipsi adsignati districtus vel Circuli, sicut in *Arrierebano* adhibitum fuisse; alius verò ejus usus non reperitur; sed Comes aliquis Würtenbergicus, cùm Imperii Bannerium ipsemet contra pacis turbatores erigere vellet, speciali permissione opus habuit & nec in Imperii expeditione adversus Burgundiæ Ducem, cùm alia Vexilla se præsentarent, & *Eberhardus* regens Comes Würtenbergicus præsens esset, nec alias hoc Conflictus Vexillum in acie apparuit, multo minùs tanquam generale Imperii Bannerium gestatum est; sed potiùs in dicta Burgundica expeditione expresè & exclusivè commemoratur, præter duo tunc aliis Principibus & statibus commissa pro Imperatoris arbitrio Imperii Banneria aliud nullum fuisse. Quo Würtenbergensium prætensio clarissimè refutatur. Tandem etiam Vexillum Würtenbergicum ex propria confessione ad militaria solummodò pertinet: Verum autem Imperii Bannerium ita privilegiis muniri & potest & debet, ut non in expeditionibus tantùm, sed etiam in solennibus coronationum &c. adhibeatur. Ex his facilè conjici potest: novum Archibannerium nec Würtenbergico conflictus Vexillo, utpote adeo ab eo diverso & tam arctis limitibus circumscripto, nec hoc illi ullo modo præjudicare seu impedimento esse posse. Atque ita Serenissimam domum Würtenbergicam nullam causam habere vel contra id sese opponendi, vel damnum inde pertimescendi, multo minùs sub prætextu juris quæsiti S. Cæsareæ Majestati in eo limites ponendi. Cùm in se manifesti nec controversi juris sit, modò dictam S. Cæsaream Majestatem liberam potestatem habere Imperii Bannerium ex ambulatorio fixum faciendi, ejus antiqua jura renovandi & sine aliorum præjudicio extendendi & ita generale Bannerium ad certas quasdam graves & decentes actiones tam in solennibus Coronationum similibusve, quàm in militaribus instituendi; ei certam sedem in domo aliqua Principali tribuendi; & servandis matura cum deliberatione gravesque ob causas novum Imperii Archimunus ad ejus custodiam & curam creandi & ita etiam jus tribuendi, ut, quod ab aliis in eo casu non allatum est, id in S. Cæsareæ Majestatis & Imperii honorem & obsequium a futuro Archibannereta ritè semper perfici possit.



SPECIMEN
DEMONSTRATIONUM POLITICARUM
PRO ELIGENDO
REGE POLONORUM;

Novo scribendi genere ad claram certitudinem exactum.

AUCTORE (a)

GEORGIO ULICOVIO LITHUANO.

Juxta exemplar editum Vilnæ anno 1659.

PRÆFATIO.

RAram novamque scribendi rationem affero, Lectores, cui utinam tam par essem ego, quàm ipsa materia digna est! Controversia, quâ nunc per orbem ingenia exercentur, à cujus eventu Europæ fata dependent, dedignari mihi visa est, sive inanes Oratorum argutias, sive humi repentes scholasticorum Syllogismos. Venit in mentem masculum illud, breve, & torsum, & ipsa subtilitate cultum Orationis genus, quo se Hippocrates collegit, quo Euclides astrinxit, quo Aristoteles contorsit, quo admirabilis Jureconsultorum veterum in Pandectis brevitas se diffudit. Sed ipsam con-

(a) Hunc tractatum viginti duo annos natus, vacante Poloniæ coronâ quam *Johannes Casimirus* abdicaverat, scripsit author noster. In eo probare nititur, nihil melius a Republicâ, quam *Philippum Wilhelmum Neoburgensem*, *Comitem Palatinum* eligendo fieri potuisse. Licet hic tractatus in frontispicio *Vilnæ* 1659. ferat, fuit tamen

connexionis formam à Mathematicis petendam censui, qui soli propè mortalium nihil dicunt, quod non probent. Etiam nunc nostro seculo certitudo earum artium bono generis humani, exundare in cæteras scientias cæpit. Princeps Galilæus *reseratis motuum claustris, naturalem scientiam novâ fæcunditate irrigavit. Hujus exemplo* Cartesius *altiorem in Metaphysicæ sublimia aquæ ductum, impari tamen successu, molitus est. Aturi ingeniosissimus*, Thomas Hobbes *Anglus (cui* Hugonem Grotium *materiâ magis quàm methodo jungas) inter plana & abrupta medius Philosophiæ civili se se infudit. Quæ cùm duabus partibus constet, justo & utili, priorem ille persecutus est, utinam tam verè quàm acutè! Posterior novos cultores, & solito nervosiores expectat. At verò posterior sola est, ex qua grandis illa Polonicæ Electionis quæstio pendet. Neque enim quisquam nunc tam audax est, ut jure sibi Coronam asserat. Utilitatis specie animis illabuntur, Candidati;*

Pars invenit utraque causas.
Jupiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, & fata imponit diversa virorum.

Me verò incuriæ humanæ admiratio percutit: qui motus corporum ad calculos revocamus, iidem motus animorum nobis intimos, nec minùs certa lege constantes, obiter percurrimus; de horologio aliquo demonstrationes, de salute tot populorum declamationes habemus. Ergo impetum sumsi, eo in campo certitudinem humanam periclitandi,

quem nulla pedum vestigia signant.

Nemo idem primus optimusque est, levis armaturæ milites exploratum mittuntur; Successus meus audaciæ melioribus, lapsus cautioni erit. Si superbum putas, in tanta re certitudinem polliceri, incomparabilis Baconi Verulamii *Angliæ Cancellarii eleganti sententiâ me tuebor. Quisquis libero manuum impetu rectissimas semper lineas, æquabiles circulos, regularissimas omnis generis figuras descripturum se prædicat, is profectò magnum aliquid promiserit. Sed qui*

Vvv 2

men *Gedani anno 1669.* typis datum; Decem annos exsecaverat Cel. *Leibnitius* ut personam tegeret: Fatetur tamen in suâ ad *Ferd. Orbanum* Epistolâ in Tom. V. p. 196. nostræ collectionis relatâ, suum verum nomen litteris initialibus, sub vocibus *Georgii Ulicovii Lithuani* quæ *God. Villelh. Leibnitium* præbent, indicare voluisse.

qui regula; qui circino, qui normâ adhibitis idem præstare profiteatur, ille, opinor, non admodum jactator erit. Ita si ab ingenio acri, à repentino cogitationum ardore hæc sperem, inducetur præstantiæ comparatio. Nunc contractis in arctum spatiis, septis itineribus, continuò etiam nexorum sibi Soritarum filo vestigia regente, quid mirum est, etiam in labyrintho, etiam à cæco non vacillari? Id verò filum mihi ipsa demonstrandi forma est, perpetuâ rationum catenâ constans & implicantibus sese propositionum annulis innexa. Ausim dicere, à me primò sic scribi. Nam nec Geometræ cum in demonstrando rigorem tenent, materiæ evidentiâ sermonis hiatum supplente. At in civilibus, tam variè contortis, nemo, nisi à summa severitate ratiocinationis, certitudinem speret. Dedimus tamen auribus aliquid, & de re nihil, de vocum geminatione nonnihil remisimus. Exemplo res declaranda est, demonstravimus prop. 14. omne turpe periculosum esse (*seu, ut ait* Petronius: *intuta quæ indecora*) *hunc in modum*:

Omne turpe honorem *minuit.*
Honor *est* opinio potentiæ
Qui minorem potentiæ opinionem habet,
Lædi facilior *habetur.*
Quod facilius habetur, id minùs molestum factu habetur.
Ergo libentius fit.
Esse verò, qui libenter nos lædat, periculosum est:

Si majoris novitatis specie & chartâ & patientiâ lectoris abuti maluissemus, sic staret demonstratio:

Omne turpe honorem minuit.
Quod honorem minuit, opinionem potentiæ minuit.
Quicquid opinionem potentiæ minuit facit lædi faciliorem haberi.
Quicquid facit lædi faciliorem haberi, facit læsionem minus molestam factu putari.
Quicquid facit læsionem minus molestam factu haberi, facit læsionem libentius fieri.
Quicquid facit læsionem lubentius fieri, id periculosum est:
Ergo omne turpe periculosum est.

Vides

Vides multùm chartæ, certitudini nihil, nihil evidentiæ addi, dummodo non huic detrahatur. Cæterùm illud affirmare non dubitem, si quis hac ratiocinandi viâ perpetuò ingressus fuerit, suspenderitque eousque judicium, quod tamen affectus nobis raró permittunt, artem non facilè errandi *facilè assecuturum. Ego quæ hic demonstrata sunt, mihi ipsi primùm persuasi, à lectoribus, maximè quorum interest, non nisi attentionem & tranquillitatem postulo, qualis quum scriberem, mihi fuit. Illud enim audeo profiteri, nulli me Candidatorum beneficio aut injuriâ cognitum, quæ consului & Poloniæ necessaria, & Europæ salutaria credidisse. Si quis dissentit, id enim prohibere, ne in* Archimedis *quidem fuit potestate, is si partem vellicaverit, si objectiones moverit, nisi parem argumentandi rigorem attulerit, nisi retexuerit telam, & labentem in nodis hiatum detexerit, sciat, se nihil egisse. Unica demonstratio onere nos levat mille objectionibus respondendi. Interea vale, Lector, & pro salute Poloniæ, Christianorum antemuralis, DEUM O. M. mecum deprecare.*

PROPOSITIO I.

Bonum Reipublicæ cum bono Nobilitatis in Polonia jure coincidit.

IN Comitiis Poloniæ, suffragia jure in Nobilitatis potestate sunt.

Magistratus Urbani: Cracoviensis, Vilnensis, & Dantiscanus, Nobilibus comparantur.

Ergo & Comitia.

Comitia Rempublicam repræsentant.

Ergo & res publica jure in nobilitatis potestate est.

In quorum potestate jure est respublica, in eorum potestatem translatum est Jus Reipublicæ.

In jure reipublicæ persona ejus civilis, seu moralis continetur.

Nam omnes personæ civiles, seu fictæ Corporum, Collegiorum, Universitatum, in aggregatione Jurium consistunt.

Ergo persona Reipublicæ in Nobilitatis personam translata est:

Quorum persona coincidit, eorum & bonum coincidit.

Ergo bonum Reipublicæ cum nobilitatis in Polonia jure coincidit.

Seu, cùm quæritur quid sit utile Reipublicæ Polonicæ, de jure quærendum est, quid sit utile Nobilitati Poloniæ.

PROPOSITIO II.

Nobilitas & per consequens Respublica Polonica sibi sufficit.

Nobilitas in Polonia Territorium habet.

Nam & Episcopi regulariter ex nobilitate esse debent. *Stanislaus Hosius* vir cetera maximus, quòd plebejus esset, ægrè admissus est.

In Polonia Territorium lignis, frumento, melle, sale, pecore abundat.

De quo pluribus autor Poloniæ defensæ, contra *Barclaji* Iconem animorum, illum nonnulli *Staravolscium* putant.

Lignum ædificiis, mel & frumentum potui, sal, frumentum, pecus; cibo sufficiunt. Pecus & vestes præbet.

Ædificia, cibus, potus, vestes sufficiunt vitæ necessitatibus, Polonia ergo alendis hominibus sufficit.

Porrò hominum Polonia tantum habet, quantum terra postulat.

Regio verò, quæ tantum hominum habet, quantum colendæ & tuendæ terræ, tantum rerum, quantum alendis hominibus sufficit, ea sibi sufficit.

Habet scilicet sua bona in potestate, potest cuncta sibi præstare, modò & velit, seu studium & artem copiæ addat, ab exteris certè non pendet.

Ergo Polonia sibi sufficit.

Scio, *Georgium Ofzolinskium*, magnum virum, lautam aliquando cænam præbuisse; cui plerique etiam Legatorum exterorum intererant. Procedente convivio, studiosè requisivit, essetne quod in conditura ciborum hospites desiderarant; protestatus etiam, nolle se laudari, quod displicuisset; peculiarem causam habere, cur sic rogaret. Mirari omnes, quid hoc vellet sibi, nec convivarum quisquam fuit, qui suo palato satisfactum negaret. Tum verò *Ofzolinskius*, rem omnem exposuit; scilicet experimentum opum patriarum se capere voluisse; nihil appositum, quod non in Polonia natum factumque esset; judicium hospitum tantorum expectasse. Eos nunc se testes appellare; iis expendendum relinquere, quàm stultum damnosumque sit, cùm patria non vitæ solum, sed & voluptati sufficiat, dulce exitium adversosque non gulæ sed temperamento nostro cibos immani fœnere ab externis mutuari. Neque verò ideo minùs sibi sufficere Polonia putanda est, quòd *ab exteris Regem* accipit. Hoc non necessitas vitæ, sed Status conservandi utilitas postulat & in eo sumendo, unde lubet; circumscribendo ut lubet, suæ potestatis Gens est.

COROLLARIUM.

Polonia quando debilitata est, solâ quiete reconvalescit.

Nam Poloniæ sufficientia à natura terræ pendet, *per proximè demonstrata.* Naturalis terræ bonitas, vi humanâ tolli non potest.

Si

Si naturalis terræ bonitas supereſt, ſpontè naturæ iterum res hominesque ſuccreſcent, dummodo non impediantur.

Non impediuntur, modò res intus extusque ſint quietæ.

Ergo ad reſtituendam Poloniam debilitatam ſola *quiete* opus eſt.

Hoc ideo poſui, ne inani tot millionum ſtrepitu, quot *Moſci Galliqve* jactant, capi nos patiamur. Fac, promiſſis ſtaturos, quis diſpenſandis pecuniis proprior rege erit? Ergo ad parandam ſibi factionem utetur, dividet in paucos, vix ad milleſimum quemque fructus perveniet. Et ii ipſi qui accipient, in pompam, in luxum, in allatas è Gallia novas veſtium formulas, prodigent, ſi placere aulæ Galliciſzanti volent. Ita redibit in Galliam pecunia, quæ à Gallia venit! Pravæ monetæ prorſus tollendæ nulla alia via eſt, quam ut Rex Magnatesque impoſito primùm pretio eam recipiant, non niſi verò rurſus expromant; regreſſu ad ſarciendum damnum in depravationis autores, niſi condonare malint, utantur. Cæterum *ex hoc Corollario* infra prop. 34. deducemus, Rege non bellaturiente, ſed quietô opus eſſe.

PROPOSITIO III.

Scopus Reipublicæ jure eſt Nobilitatis libertas, quanta maxima tutò haberi poteſt, ſeu libertas ſecuritate frænata.

Poſſemus hoc ſine demonſtratione ſumere, confeſſione gentis, & tota Reipublicæ ſtructura certum, niſi non *verum* tantùm, ſed etiam *rectum* hoc eſſe, demonſtrare ſuſcepiſſemus.

Scopus cujuſque eſt illa pars finis in qua conſequendâ maximè laboratur.

Finis eſt felicitas.

Felicitas eſt præſentia bonorum, abſentia malorum, quanta haberi poteſt.

Bona quanta haberi poſſunt, aut ad *uſum* aut *voluptatem* abundantem, pertinent.

Quæ pertinent ad voluptatem abundantem, in iis maximè laborandum non eſt.

Ergo *Scopus* eſſe non debet.

Hunc Scopum cùm Sybaritæ tenuiſſent, facilè proſtrati ſunt à Crotoniatis.

Bona quæ ad uſum pertinent, regio quæ ſibi ſufficit, (qualis Polonia eſt *per prop.* 2.) ſibi & jam præſtat.

Quod regio ipſa ſibi præſtat, in eo maximè laborandum non eſt.

Id ergo nec ſcopus eſt.

Ergo bonorum præſentia ſcopus Reipublicæ Polonæ jure non eſt.

Ergo malorum abſentia potiùs.

Mala aut à natura, aut ab homine.

Malis naturæ depellendis bonitas naturæ ſufficit.

Ergo & bonitas naturæ quæ (*per demonſtrationem prop.* 2.) in Polonica regione eſt.

Ergo malorum naturæ depulſio ſcopus Poloniæ (ſeu in quo maximè laborandum ſit) non eſt.

Ergo

Ergo superest, ut malorum ab hominibus imminentium depulsio Reipublicæ Polonæ scopus esse debeat.

Ea aut à pari, vel etiam inferiore imminent; aut superiore: item aut corpori, aut animo, seu voluntati.

Iis carere, *securitas*, his *libertas*.

Ergo scopus Reipublicæ Polonicæ *libertas* & *securitas* esse debet.

Quicquid *absolute* scopus est, id, quantum maximum haberi potest, scopus est; & quicquid cum *addito* scopus est, quantùm per additum licet.

Jam Respublica Polonica in nobilitatis potestate est. *per demonstrationem propositionis I.*

Ergo scopus Reipublicæ Polonis esse debet libertas Nobilitatis quanta maxima tutò seu salvâ securitate haberi potest.

Libertatis in Polonis *amorem* ex eo imprimis principio hic demonstravimus, quia terra sibi sufficit. Ibi enim ille ubique sequitur, nisi educatione, vi, arte, à Rectoribus eradicetur. Quod in Polonia ideo fieri non potest, quia penes multitudinem summa rerum est. Sunt & aliæ in Polonis causæ amatæ libertatis: origo Scythica, vita campestris, multitudo hominum, planities regionis, absentia Castellorum, &c. Securitatis tamen curâ libertas temperanda est, ne unione dissolutâ hostibus inermis Respublica objiciatur.

PROPOSITIO IV.

Respublica Polonica vult nobilium ÆQUALITATEM, quo ad ejus fieri potest.

Respublica Polonica vult nobilium libertatem quanta maxima haberi potest. *per prop. 3.*

Duo maxima æqualia sunt.

Vult ergo æqualem libertatem.

Quorum libertatem æqualem vult, eorum & causas libertatis æquales vult.

Causa libertatis etiam potentia est.

Ergo & potentiam æqualem vult.

Quorum potentia æqualis est, illi in Republicâ simpliciter æquales sunt.

Nam cives in republica ex eo æstimantur, quòd efficere possunt Reipublicæ utile vel damnosum.

Ergo Respublica Polonica ut libertatem maximam, ita & æqualitatem Nobilium vult.

Jam libertatem vult, quoad ejus fieri potest, *prop. 3.*

Ergo & ÆQUALITATEM quo ad ejus fieri potest.

Idem aliter.

Respublica Polonica circa Jus suffragiorum in *Comitiis* Nobiles æquales vult.

Comitia habent summam in Republica potestatem.

Ergo

Ergo circa participationem summæ potestatis æquales vult.
Quos circa maxima æquales vult, simpliciter vult.
Ergo Respublica Polonica Nobiles simpliciter æquales vult, scil. quoad salvâ Republicâ fieri potest.

Neque enim aliter in Republica fieri potest, quin alii præ aliis dignitate & opibus emineant; quin Magistratus certis personis credantur. Id tantùm curandum est, ne de summa potestate plus alter altero in se trahat. Cæterùm hinc inter alia *infrà prop. 60.* demonstrabitur: *Piastum* vitandum esse.

PROPOSITIO V.

Respublica Polonica REI MILITARIS rectè studiosa est.

Respublica Polonica gravissimis hostibus, Turcis, Tartaris, Moschis contigua est.
Eadem naturâ & arte munita non est.

Caret enim montium muris, fluminum fossis, arcium propugnaculis; (quantulum enim sunt Cracovia, Leopolis, & arces aliquot privatorum? Borysthenem præsidiis munire frustra aliquamdiu agitatum est.)

Ergo solo corporum objectu resistere debet.
Corporibus ad militiam studio & exercitio opus est.
Ergo Polonia rei militaris rectè studiosa est.

PROPOSITIO VI.

Nobilitas Polona MILITIÆ RECTE studiosa est.

Nam Respublica Polonica militaris est, *per prop. 5.*
Ergo *perpetuo milite* indiget.
Perpetuum militem in Gente libertatis studiosâ decet *internum* esse.
In perpetui militis potestate solet esse Respublica.

Documento Jennitsari, Prætorianique sunto.

In quorum potestate solet esse Respublica, ii sunto in Polonia Nobiles, *per prop. 2.*
Ergo in Polonia perpetui milites debent esse nobiles.
Perpetui milites rectè sunt militiæ studiosi.
Ergo Nobiles in Polonia rectè sunt militiæ studiosi.

Accedit, quòd libertatis & militiæ studium parallela sunt. *Crœsus Cyro* apud *Herodotum* lib. 1. ad domandos rebelles *Lydas* id consilii dat, si armorum studium animis excutiat, voluptatis atque otii dulcedine omnes pelliciat, servituti paratos fore: Et causa est quia militia ferociam gignit, ferocia libertatem.

PROPOSITIO VII.

ORBIS CHRISTIANI consentientis & Nobilitatis Polonæ scopus coincidunt.

Nam Poloni in Christianorum & Barbarorum confiniis locati sunt.
Prope fines hostium positos studio militari excellere reliqui optant.
Ergo Polonis studium militare optant reliqui Christiani.
Idem Poloni Nobiles optant sibi, *per prop.* 6.
Ergo scopus Orbis Christiani consentientis, & Nobilitatis Poloniæ coincidit.

Hinc libertatem Polonam opprimi, orbi Christiano periculosum; nam & virtus infringetur. Securitatem verò multò magis; nam propugnatores amittet. Et certè à Polonico maximè latere Germania Barbaris patet. Ab eâ parte Tartari in Silesiam irrumpentes, Ducem occurrentem cum flore Juventutis magna strage occiderunt. Idem à Temure lenco, seu Tamerlane terror incubuit. Recens ille metus est, quem in Moraviam delatæ aliquot Tartarorum alæ vicinis injecerunt.

PROPOSITIO VIII.

Nobilitatis Polonæ SCOPUS JUSTUS EST.

Quod Polonicæ Nobilitati utile; id orbi Christiano utile, (seu bonum ejus privatum coincidit cum bono publico orbis Christiani) *per prop.* 7.
Orbis Christianus est optima pars universi.
Quod optimæ parti Universi utile, id universo simpliciter utile.
Quod universo utile, id Deus vult.
Quod Deus vult, id omnipotens vult.
Omnipotens habet jus in omnia *per demonstrata Hobbesii in Elementis de cive.*
Quod is vult, qui in omnia jus habet, *id justum est.*
Ergo quod Poloniæ Nobilitati utile, id justum est.

At inquies, quid si Nobiles plebem ad incitas redigant, bestiarum numero habeant; libertatem in licentiam vertant, an hoc quoque justum erit? minimè verò, sed hoc ne ipsis quidem Nobilibus reverà utile esse, Cosacci tristi exemplo docuerunt; libertatem quoque securitatis curâ suprà frænavimus, quæ ingruente licentia constare non potest.

PRO-

PROPOSITIO IX.

Quidquid est contra LIBERTATEM, idem in Polonia est contra SECURITATEM.

Quidquid contra libertatem est, id est contra rem Polonis optatissimam, *per prop.* 3.
Poloni Gens bellicosa sunt *per prop.* 5.
Quidquid gentis bellicosæ votis contrarium est, belli facilè causa est.
Ergo quidquid contra libertatem est, in Polonia belli facilè causa est.
E. belli intestini facilè causa est.
Intestinum autem bellum periculosum est.
Quidquid periculosum est, contra securitatem est.
Ergo *quicquid est contra libertatem, idem in Polonia est contra securitatem.*

PROPOSITIO X.

Polonia DEBILITATA EST, seu tempora nunc Polonis periculosa sunt.

Hoc in facto consistit, & ideo magis *inductione*, quàm *demonstratione* conficitur.

Regionis potentia consistit in *terra*, *rebus*, *hominibus*.

Terra Poloniæ imminuta est, amissa Moldavia, Wallachia, & Livonia; defectione Cosaccorum & Russorum nigrorum cum tota Ucrania; resignatione summæ potestatis in Prussiam Electoralem.

Res opesque attenuatæ disturbatis commerciis.
Commercia disturbata, depravatâ communi cum exteris pretii mensurâ, *Monetâ*, *arte Gallicanâ*.
Hominum decrevit *multitudo*.
Multitudo tot bellis: Moschico, Scythico, Suecico, intestino.
Poloniæ igitur & terra, & opes, & homines imminuti.
Ergo Poloniæ potentia debilitata est, seu quod idem: Poloniæ Status periculosus est.

PROPOSITIO XI.

TEMPORE PERICULOSO indifferentia fiunt periculosa; periculosa verò periculosiora.

Indifferentia sunt, quæ æquè facilè benè, quàm malè cedere possunt.

Periculosa sunt, quæ probabilius est malè, quàm bene cessura.

Ergo *tempus periculosum* est, quo omnia facilius malè quàm bene cedunt

Ergo & indifferentia, in tempore periculoso constituta, pondere, velut bilanci adjecto, in deterius inclinantur.

Periculosa præter probabilitatem mali quam in se habent, novam à tempore accipiunt.

Fiunt ergo tunc periculosiora.

Ergo *Tempore periculoso indifferentia fiunt periculosa, periculosa verò periculosiora.*

PROPOSITIO XII.

DISSIDIA Polonis præter cæteras Gentes periculosa sunt.

In Polonia Comitia sunt supremus Judex controversiarum.

Voluntas & Judicium Comitiorum non est in potestate, sed à *Casu* consensus partium pendet.

Nam in Comitiis cœteris, quilibet *Nuncius* terrestris habet *Votum negativum*, & intercessione ejus concluditur. In Comitiis Electionis majus etiam aliquid, & propè incredibile dictatur, singulos nobiles (quia in Electione tam per Nuntios, quàm per se conveniunt) habere votum negativum; & regem non nisi omnibus consentientibus inaugurandum esse. Ita in Polonia *pluralitas votorum* in Comitiis non valet. In Imperio quoque Imperator, Collegium Electorum, Collegium Principum, Collegium Civitatum, singula habent votum negativum, & omnium consensus impetrandus est. Quanquam verò pluralitas votorum non sit de necessitate Juris naturalis (de æquitate certe est) deceret tamen esse aliam saltem viam certam & infallibilem decisionis in bene constituta Republica, etiamsi vel sors esset qualiscunque enim consensus hic dissensu potior.

Ergo & una *voluntas*, unitasque *personæ civilis*, qua Respublica constat, *casu* pendet.

Unitas Reipublicæ à casu pendens, seu incerta, imperfectaque est.

Unitas imperfecta, vel parum imminuta, planè solvitur.

Omnia dissidia aliquantum solvunt unitatem.

Ergo facilè penitus imperfectam.

Ergo facilè penitus Polonicam.

Unitatem penitus solvi, est Rempublicam interire.

Reipublicæ interitus periculosissimus.

Ergo dissidia Polonis periculosissima.

In cæteris Gentibus tot *Vota negativa* ignorantur;

Ergo minor causa metûs.

Ergo DISSIDIA Polonis quàm cæteris gentibus periculosiora.

Præsertim cùm Poloniæ tempora periculosa sint *per prop.* 10. Et dissidia per se periculosa, *ut hic*, fiant periculosis temporibus periculosiora per prop. 11.

PRO-

PROPOSITIO XIII.

NOVA sunt cæteris paribus periculosa.

Cæteris paribus i. e. nisi periculum aliunde aut spe magnâ aut certo bono compenfetur vel superetur. Et ita omnes demonstrationes in *rebus concretis*, ubi multæ qualitates & circumstantiæ concurrunt, uti in Physicis, Mechanicis, Medicis, Civilibus, intelligendæ sunt. Nam & in Machina aliqua aut horologio demonstratio motûs certò secuturi sic imitanda est, si scilicet externi alicujus impulsu non disturbetur aut constringatur. Tales verò limitationes ex natura rei subintelliguntur, & ideo adjici non debent: quod semel in universum monuisse eos sufficiat, qui *artem demonstrandi* non tenent.

Nova inexperta sunt.
Rerum civilium certitudo maximè ab *experientia* pendet.
Ergo res civiles inexpertæ, incerti eventus sunt.
Quæ incerti eventus sunt, indifferentia sunt.
Indifferentia tempore periculoso sunt periculosa, *per prop.* 11.
Poloniæ tempora periculosa sunt *per prop.* 10.
Ergo *Nova Polonis periculosa.*

Idem amplius aliter:

Nova displicent firmatis, placent illis qui spe aluntur;
Utrinque multi sunt.
Ergo multis placent, multis displicent.
Ergo causa dissidiorum sunt.
Hæc periculosa, inprimis *per prop.* 12.
Ergo nova Polonis inprimis periculosa.

Idem absolutè, ex eodem.

Nova displicent firmatis, placent spe viventibus.
Ergo displicent melioribus, placent deterioribus.
Meliores sunt sapientiores, deteriores sunt stultiores.
Quæ sapientioribus videntur, sunt *probabiliora*, quàm quæ stultioribus, *per defin. Aristotelis.*
Ergo probabilius Nova esse mala.
Cujus *malitas* probabilis, id *periculosum* est.
Ergo Nova sunt periculosa.

Hoc axioma multis infra applicabitur: *Aristocratiæ, Democratiæ, Piasto.* &c. Cæterùm non frustra nonnunquam *pluribus modis* idem *demonstramus*. Nam quanto sæpius idem prædicatum v. g. periculositas de eodem subjecto v. g. novitate, demonstrari potest, tanto plures gradus prædicati subjecto insunt, & tanto Novitas est periculosior.

PROPOSITIO XIV.

Omne TURPE est periculosum.

Omne *turpe* honorem imminuit.
Honor est opinio potentiæ.

De interno loquor, qui in animo consistit; nam *externus* est illius opinionis signum.

Qui minorem potentiæ opinionem habet, lædi facilior habetur.
Quod facilius habetur, minus molestum factu habetur.
Ergo libentius fit.
Esse verò qui libenter nos lædat, periculosum est.
Ergo omne turpe periculosum est.

Hactenus de generalibus quibusdam fundamentis & ipso *Reipublicæ scopo*, nunc ad rem propiùs acceditur in sequentibus, differiturque tum, quæ *forma Reipublicae* eligi debeat; tum si Regia, quæ in *Candidato dotes* requirantur.

PROPOSITIO XV.

INTERREGNUM in Polonia diuturnum ne esto.

Interregnum est forma Reipublicæ est constituentium intentione temporalis.

Interregni naturam, nescio an quisquam hactenus definitione complexus sit. Neque enim interregnum Regni tantùm, sed & Aristocratiæ vel Democratiæ interruptio est (uti datur *Tyrannis Aristocratica* v. g. triginta Tyrannorum Atheniensium) Decem-Viri apud Romanos toto legum ferendarum tempore Interreges erant. Etiam illud interregnum est, quando suspensâ ad tempus populi aut optimatum potestate, uni potestas concreditur. Ita dictatores Interreges erant; ita illi quos expressè Romani sic nominabant, Comitiorum habendorum causa creati *Interreges*.

Ergo Ordo quoque Imperantium temporalis est.
Ergo & summa potestas jubendi, & *necessitas parendi*, *temporalis*.
Ubi summa potestas temporalis est, ibi qui habet eam, aut egregiè bonus est, quod rarum, vel quod probabile, flagrat cupiditate, *dum tempus patitur*, utendi quàm maximè potest; etiam cum ipsius potentiæ secuturo aliquando interitu vel detrimento.

Et hæc ratio est, cur Romani cæteræque eorum exemplum secutæ gentes, Legem de *cautione Ususfructuariâ* tulerint, quâ cavere debet usufructuarius, ferè usurum boni viri arbitratu, & ut bonus paterfamilias in re perpetuò suâ futurâ, faceret.

Ubi potestas, certò, cupiditas seu voluntas probabiliter adest, ibi probabile actum secuturum.
Actus verò iste abutendi potestate temporali in interregno exitiosus est Reipublicæ.

Pro-

Probabilitas actus exitiosi summè periculosa.

Ergo quanto diutius tempus patitur, sex quanto diutius est interregnum, tanto periculosius.

Idem aliter:

Porrò similiter, ubi *necessitas parendi* temporalis, ibi metus summo minor.

Minor ergo quàm qui debetur summæ potestati.

In *Interregnantibus* autem est interim summa potestas.

Ubi metus debito minor, ibi paulatim contemptus.

Ubi contemptus, paulatim audacia resistendi.

Ubi audacia resistendi superioribus, ibi facilè exardescit paulatim bellum intestinum. Id verò summè periculosum & contra securitatem.

Ergo *Interregnum diuturnum summè periculosum.*

Idem aliter de Polonico tantùm:

Tempore Interregni Polonici in omnibus quæstionibus civilibus & cœteris altioris indaginis, *Justitium* est.

Ubi diuturnum justitium est, ibi ad incitas rediguntur, quorum fortunæ à maturâ causæ decisione pendent.

Tales ubique, & in Polonia quoque, multos esse necesse est.

V. g. qui de fama & existimatione, de maxima parte fortunarum, de integra hæreditate, litigant, & in naturali possessione non sunt; item, qui criminali processu pulsantur, & sub inquisitione trepidant.

Ergo ubi diuturnum Justitium, multi ad incitas rediguntur.

Ad incitas redacti, ad latrocinia, proditiones, vim, fraudes, vindictam, se plerumque convertunt, turbulento præsertim Reipublicæ tempore.

Id verò Reipublicæ damnosum.

Ergo *diuturnum INTERREGNUM Poloniæ periculosum.*

Is quoque metus fecit, ut delictorum sub interregno admissorum *pœnæ* in Polonia *duplicentur*, sed hoc non metuit, quisquis latere sperat.

Idem aliter:

Interregni tempus aut *Comitiale* est, aut *inter-Comitiale.*

Comitiale tempus diu durare non potest.

Tum ob multitudinem eorum, qui in Comitiis hærere volent, tum ob Legem Regni, quæ intra sex hebdomadas ab inchoatis Comitiis numerandas Regem eligi jubet.

Ergo in interregno diuturno superest, ut tempus Inter-Comitiale sit diuturnum.

Uti tempore Comitiali in ipsis Comitiis; ita tempore Inter-Comitiali in paucis, nempe *Inter-Rege* & *Mareschallo*, summæ potestatis exercitium est.

In Inter-Rege Primate cognoscendi & statuendi, in Mareschallo exequendi. Cæterorum *Senatorum* munia cessant. Nisi quòd more non ita veteri aliquot velut Reipublicæ

blicæ deputati, Primati nunc adduntur. At Mareschallo, cujus præsentior longè & anceps magis potestas, similisque Præfectis Prætorio Romanis, & *Majoribus Domûs* Galliæ, in quorum manibus sæpe Respublica fuit; adjecti sunt, quod mirum est, nulli.

Ergo sub interregno, tempore inter-Comitiali summæ potestatis exercitium in Polonia penes pauciores est, quam sub *Rege*.

Paradoxum hoc, sed manifestum. Nam sub Rege, & Rex summae potestatis plurimum tenet, & Primas quoque, qui superstite Rege etiam si quid perniciosum Regem moliri videat, convocare ex causa Rempublicam in Comitia potest. Et Mareschallus invito etiam Rege curam armorum cum Rege sibi vindicat, & concurrunt tot alii: Exercituum Regni generalis, Exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ generalis, Exercituum Regni Campestris, Exercituum M. D. L. Campestris, Militiæ aulicæ Præfectus, aliisque in togatis quoque negotiis Cancellarii, & Vice-Cancellarii authoritas, ut *Cromerus* ait, eo usque patet, ut multa inconsulto Rege signare; quæ verò contra Leges esse videntur, jubenti illi negare possint. Et plerique *Magistratus Majores* in Polonia cùm primum à Rege, constituti sunt; tùm statim ipsi immediatè de summa potestate participant, & nec abdicari rursum à Rege, neque cursus eorum officii sisti potest. Neque quenquam habent, qui absolutè eorum actus irritos reddere possit, præter Comitia. Ergo tempore inter-Comitiali non proprietatem quidem, usum, tamen & exercitium summae potestatis *ἀνυπεύθυνον* habent. Sed hæc omnia munera tempore interregni cessant, & cura eorum ad Primatem cum deputatis, vis ac potestas ultima, & quod, ut JCti loquuntur, *extremum* est *in Jurisdictione*, ad solum Mareschallum redit. Imò tempore inter-Comitiali actus quidem Primatis & Deputatorum à Mareschallo irriti reddi possunt, si jubentibus illis non exequatur; at actus ipsius qui executor est, à nullo irriti reddi possunt, nisi à Comitiis. Ergo tempore Interregni inter-Comitiali apud Primatem & Deputatos quodammodo, apud Mareschallum solum simpliciter summæ potestatis Exercitium est.

Quantò pauciores sunt, tantò potestas major in singulis.

Quantò potestas major in his, tantò minor in cæteris civibus.

Ergo tanto minor æqualitas libertasque, contra *scopum Reipublicæ prop.* 3. & 4.

Ergo *interregnum diuturnum summè periculosum est.*

Idem aliter ex eodem:

Quo pauciores, hoc facilior conspiratio.

Conspiratio vel cum hoste externo vel interno.

Illa contra libertatem, hæc contra securitatem.

Utraque contra scopum Reipublicæ, *prop.* 3.

Ergo *Interregnum diuturnum summè periculosum est Poloniæ.*

Non dubitamus, eos, qui nunc interregnantes sunt, probatissimos Viros, nihil unquam commissuros, unde neglectæ salutis publicæ argui possint. Sed *demonstrantis* officium est, naturam rei exponere, quemadmodum qui de horologiis faciendis scribit Mathematicus, non considerat ex auro an ære confecta sint. Ita demonstrator formam Reipublicæ per se contemplatur, nec præsenti tantum tempori alligatus est; neque enim, si nunc ita felix Respublica est, ut bonis Viris Rectoribus utatur, ideo statim & perpetuò tales habebit. Prodest, de natura & consectariis *interregni* sui in universum moneri gentem. Et præterea hoc ipsum miserum, hoc ipsum periculosum est, ab unius aut alterius licet summæ virtutis Viri (qui quantuscunque est, mutabilis tamen est, homo est, illecebris corruptelisque vinci vincirique potest) sperata fide tot millium salutem libertatemque diu pendere.

PRO-

PROPOSITIO XVI.

Democratiæ Exercitium in Poloniam non cadit.

Democratia eſt forma Reipublicæ, in quâ ſumma rerum eſt apud Populum.

Populus eſt Civium collectio.

Civis eſt, qui Regiminis particeps aut eſt, aut eſſet, niſi id aliò (v. g. in Collegium optimatum aut Principis perſonam) tranſlatum eſſet.

Ita emendanda *Ariſtotelis* definitio, ut omnibus formis quadret.

Tales in Republica Polonica ſunt ſoli Nobiles, & quos Nobiles admittunt.

Nam plebs ſervorum loco eſt, oppidani peregrinorum, de quo *Theodorus Scuminovius* noſtras tr. de Jure Perſonarum.

Ergo ſi in Polonia Democratiæ Exercitium eſſe debet, penes omnes Nobiles Exercitium ſummæ poteſtatis eſſe debet.

Exercitium ſummæ poteſtatis, eſt continuus ſummæ poteſtatis uſus.

Ubi continuus ſummæ poteſtatis uſus, ibi continuò debet deliberari in commune.

Ergo & continuò conveniri.

Ergo & continuò conveniri poſſe.

Continui conventus in tam immenſam Nobilium Poloniæ multitudinem non cadunt.

Ergo nec *Democratiæ exercitium in Polonia locum habere poteſt.*

Democratici Regiminis exercitium vix alibi quàm in populo exiguo, unius ferè civitatis muris incluſo, ab omni retrò memoria repertum. v. g. Athenis, Romæ, Carthagini, Syracuſis, &c. Etſi enim multas alias gentes ditione premerent, tamen non niſi Athenarum aut Romæ populus ad deliberationes in foro quotidie convênit. Cæterum notanter dico: *Exercitium Democratiæ* in Poloniam non cadere: *Vim* enim ejus haud dubiè continet. Nam omne jus, & ita jus quoque Majeſtatis, tum in ipſa vi & poteſtate, tum in exercitio conſiſtit. Idque ad *mixturas* quoque *formarum* applicandum eſt, quod hactenus factum non memini. Viderunt aliquid per nebulam, qui inter *formam internam & externam* diſtinguunt, ſed quia Juris prudentia deſtituebantur, in intima rei animo non pervaſerunt. In Uſufructuario, in Dictatore, in Interregnantibus, in Rege quoque, qui ordinibus ſubeſt, ſummae poteſtatis exercitium eſt; jus ſcilicet temporale, quod in alterum, aut ipſo temporis lapſu, aut implemento conditionis, aut voluntate alterius, recaſurum eſt. Ita in Polonia quoque Rex Summae Poteſtatis exercitium habet; nam tempore intercomitiali ſuperiore caret. At durantibus Comitiis exercitium ſummae poteſtatis ejus, velut proprietati conſolidatum, in pendenti eſt, & irritum reddi poteſt. Quam tamen ut *Grotius* rectè diſtinguit, non ipſi *Summitati Poteſtatis*, ſed *modo habendi* officit.

PROPOSITIO XVII.

ARISTOCRATIA Polonis periculosa est.

Aristocratia est forma Reipublicæ, in qua Collegium Optimatum, seu aliquot Civium summam potestatem habet.
In Optimates eligentur non facilè nisi Potentissimi.
Nam qui rem summam sibi efficere possunt, *Potentissimi* sunt.
Ergo territorio, familiæ, clientelis, &c. valentes.
Porrò Optimates aut consentient, aut dissentient.
Si consentient, probabiliter volunt bonum Collegii commune.
Volent ergo potentiam Collegii, quantam possunt, seu absolutam.
Porrò singuli per se opibus tantum valent, quantum Rex ex indigenis electus.

Nam Rex, ex indigenis electus, antequàm eligatur, & per se, nihilo major est, quàm unus ex primariis & potentissimis civibus, territorio, familiâ Clientelis valentibus.

Ergo singuli si consentient, tantum efficere poterunt ad potentiam Collegii Optimatum stabiliendam, quantum Rex indigena ad suam.
Ergo tanto major potentia fiet Collegii optimatum, quàm Regia, quanto plures sunt consentientium Optimatum (v. g. si decem, dempto major erit.)
Quanto major potentia habentis summam potestatem, tanto plus periclitatur Libertas.
Ergo tanto plus periclitabitur libertas, sub Optimatibus, quàm Rege indigenâ, quanto plures sunt Optimates consentientes.
Ergo cùm Rex indigena eligendus non sit *per prop.* 60. *independenter ab hac demonstratam.*

Scilicet singuli Optimates velut *totidem Piasti* erunt. Apparuit hoc in Republicâ Romanâ sub Decemviris, in Atheniensi sub triginta Tyrannis concordibus.

Sin dissentient, primaria Reipublicæ membra dissentient.
Dissidia Polonis periculosissima sunt, maximè verò totalia seu primariorum membrorum; cætera in partes trahentium *per Prop.* 12.
Ergo Aristocratia si consentient Optimates, *Libertati*; sin dissentient, quod vix potest non fieri, *securitati* internæ periculosa erit.
Ergo Aristocratia est contra scopum Reipublicæ Polonæ *per Prop.* 3.
Ergo Aristocratia Polonis est periculosissima.

Poloniam bis Palatini rexerunt, vice alterâ infeliciter, altera breviter. Illud quoque videndum erit, cui tempore status Aristocratici, arma in Republica Polonâ, militiæ *per Prop.* 5. necessariò studiosâ, credenda sint; si uni, facilè Rempublicam opprimet, ut in Angliâ, *Cromwellus*; sin pluribus, vis militiæ dissolvetur, quæ nisi Monarchico regimine ægrè constat. Accedit Aristocratiæ novitas, quæ *per Prop.* 13. periculosa hoc præsertim tam periculoso Reipublicæ tempore, *per Prop.* 10. & 11.

PRO-

PROPOSITIO XVIII.

REX quamprimùm in Polonia eligitor.

Reſpublica in proximis Comitiis conſtituenda eſt.
Ergo vel extra ordinem & ad tempus, vel firmâ quâdam & ſtabili ratione.
Si extra ordinem; erit *interregnum*, *contra Prop.* 15.
Ergo ſtabili quadam ratione, quo facto aut Democraticum, aut Ariſtocraticum aut Monarchicum regiminis exercitium eſſe debet.

De exercitio loquor, nam *vi ipsâ* jam tum Reſpublica Democratica eſt, *per Prop.* 16. demonſtrationem. *Mixtum* à potiore denominatur.

Non Democraticum, *per Prop.* 16.
Non Ariſtocraticum, *per Prop.* 17.
Ergo Monarchicum.
Ergo proximis Comitiis ſeu quamprimum Rex eligendus eſt.

Congruum hoc publicis Legibus, quibus placuit, mortuum Regem priorem nonniſi proximo ante Coronationem ſucceſſoris die humandum eſſe.

PROPOSITIO XIX.

Electio non per SORTEM, ſed rationalis eſto.

In Electione per Sortem eligitur in quem Sors cadit.
Sors eſt eventus incertus.
Ergo in quem caſura Sors ſit, incertum eſt.
Ergo æquè facilè deterrimus quam optimus eligi poteſt.

Niſi DEUS extra ordinem aſſiſtat, quod quia non promiſit, tale quid ab eo ſperare, DEI tentatio eſt.

Imo quia plures indigni quàm digni.
Et probabilius eſt, Sortem caſuram in unum ex pluribus, quàm paucioribus;
Probabilius etiam erit, indignum quàm dignum electum iri.
Indignum eligi, malum;
Probabilitas mali *periculoſa*.
Ergo Electio per SORTEM ſeu irrationalis periculoſa. Danda potiùs opera eſt, ut Rex eligatur ille, qui utilior eſſe videatur.

Hoc præſertim tam periculoſo tempore, quo indignus & ineptus Rex totam facile Rempublicam evertere poteſt. Ceterùm an Sortes rectè Oraculi inſtar, & velut Signa voluntatis divinæ, conſuli poſſint, nihil ad Politicum; Theologi ea excceptabunt. Nec ita diu eſt, quod *Girbertus Voëtius* è Belgio, & *Thomas Gatakerus* ex Anglia, eo in campo conflixerunt.

PROPOSITIO XX.

Eligendus NOTI GENII esto.

Electio non per sortem sed rationalis esse debet, *per Prop.* 19.
Electio rationalis personæ virtutes æstimat.
Quod æstimandum est, notum esse debet.
Ergo Eligendi genius notus esse debet.

Hinc deducitur, neque *Moscum* puerum, neque *Lotharingum* etsi cetera laudabilem Principem, tamen privatam hactenus vitam degentem, nulloque negotiorum Reipublicæ & consiliorum experimento Orbi cognitum, eligendum esse, At Legionem duxit? Duxit verò sed exiguo tempore, modico Nomine, donec fama diu tacita nunc velut postliminio evigilavit. Nam si proximi belli Hungarici omnes Novellas, Tabulas, Theatra, Diaria, Relationes, & quas non schedas, excutias; altum de Lotharingo silentium mirabere. Duxerit verò etiam laudatissimè quod agnoscimus. Id audaciæ tantùm & animi, non verò ingenii specimen erit. Ingenium in iis tantùm negotiis elucet, in quibus non jussus alterius, ut in militia Imperatoris, cæco impetu sequimur, sed deliberamus ipsi. Si more nonnullorum Juvenum Principum Legationes obiisset, Provinciæ alicui Cæsareæ cum potestate, vel Collegio Consiliorum cum authoritate præfuisset, hæc illi non rectè objicerentur. Si bellica Laus placebat, iisset in Belgium, Poloniam, Candiam, Hispaniam, Lusitaniam, nullibi deficientibus bellis; ut timido peritiam adjiceret; Surrexisset ad altiora, ad Ducis Generalis munus; ut *Rupertus* Palatinus, Princeps Sulzbacensis, Badensis, aliique æquales. Quod obtinere, (si paululum aptâsset sese) à Cæsare, tam favente, non difficile erat. Nunc ingenium ejus aliquo experimento publico cognitum dici non potest. Et etsi ignota ferè hactenus vita nec laudi nec vituperio pateat, hoc ipsum tamen parum laudabile est, nihil egisse. Contra *Neoburgicus* & *Condæus*. *Condæus* exercitum ipse duxit, maximas res molitus est, ingeniositatem factionis Condæanæ sensimus Poloni & Lituani plusquàm vellemus. *Neoburgicus* diuturna experientia nulli cedit, non exiguos principatus tot jam annis rexit, cum omnibus per Europam aulis de gravissimis rebus tractavit, Bellum cum Electore Brandenburgico gloriosè fine auxiliis magnis gessit, confœderationibus maximi momenti concorpor interfuit. Ergo qualis, quantusque sit, Orbi ignotum esse non potest.

PROPOSITIO XXI.

Eligendus in Regem reapse Rex nobis esse posse debet, seu PER VICE-REGEM imperaturus ne esto.

Scopus Polonorum est libertas quanta maxima tutò haberi potest.
Ergo potestatem Regis tantùm imminutam volunt, quantum res fert.
Duplicata potestas est, posse potestatem alteri *delegare.*

Hoc enim est, duplicare quodammodo se ipsum.

Ergo & potestatem delegandi ademptam Regi volunt, si tutò possint.
Tutò adimi potest, quod necessarium non est.

Dele-

Delegatio necessaria non est nisi Principalis, vel *ineptus* sit, vel *majore alio negotio* occupetur.
Eligendus *ineptus non sit.*
Majus in Polonia *negotium* negotio Regni nullum occurrere potest.
Negotia verò extranea Poloni regno suo prælata nolunt.
Ergo necessitas delegandi Regii muneris, Polonis probanda, occurrere non potest.
Ergo nec necessitas Vice-Regis.
Ergo potestas constituendi Vice-Regis tutò Regi adimi potest.
Ergo ademptam Poloni volunt (& jure quidem.)
Ergo Eligendus per VICE-REGEM imperaturus ne esto.

Hinc neque puer eligendus, de quo infra *Prop.* 28. neque qui per se regnum habeat, de quo *infra prop.* 58. Per utrumque *Moscus* excluditur.

PROPOSITIO XXII.

Eligendus CATHOLICUS esto.

Catholicus est, qui in unitate Catholica & sedis Apostolicæ, communione, Christianæ Ecclesiæ pars est.
Ecclesia Catholica est cœtus, caritate unus, Religione Catholicus.
Religio Catholica est, quæ à Christo per Apostolos ad nos continuò universalitate temporis derivata est.
Hæreticus extra Religionem Catholicam est.
Ergo extra Christum.
Ergo Hæretici salus nulla.
Schismaticus extra caritatis unionem est.
Ergo in peccato mortali continuò.
Ergo damnandus nisi mutetur.
Mutatio difficilis.
Ergo Schismatici salus difficilis.
Ergo qui Catholicus non est, ejus salus externa aut nulla aut difficilis.

Nulla, si est *Hæreticus*; difficilis, si *Schismaticus*.

Ergo Catholicum esse, maximum bonum est.
Ergo, in Republica, ejus impedimenta vitanda.
Impedimentum tanto majus, quanto plus & potest nocere & vult.
Vult maximè qui Catholicus non est, potest maximè qui Rex est.
Ergo Rex non CATHOLICUS, ne esto.

PROPOSITIO XXIII.

Eligendus ANTE SPEM REGNI Catholicus esto.

Quisquis in Regno, dissidentis Regis incapace, tum demum Catholicus fit, cùm spem Regni hausit; is tum demum Catholicus fit, cùm hoc ei necessarium est.

Qui necessario tempore Catholicus fit, is nisi alia causa appareat, necessitate Catholicus fieri præsumitur.

Necessitas in animum non cadit.

Ergo qui necessitate solâ Catholicus est, animo catholicus non est.

Catholicum esse in fide intellectus, & caritate voluntatis, utraque in animo, consistit.

Ergo, nisi alia mutationis causa appareat, (quæ non præsumitur,) Catholicus non erit.

Qui præsumitur Catholicus non fore, is nec Rex esse debet *per Prop.* 23.

Ergo eligendus, nisi ANTE SPEM REGNI Catholicus sit, Rex esse non debet.

Idem Clerus Poloniæ, idem Sedes Apostolica monet. Mercenaria religio nulla est. *Jagello* dudum à Christiana Religione non abhorrebat, sed apud suos erumpere ausus non est. (nam lubricam domi ejus potentiam fuisse *Kojalowicius* tradit) donec aliunde firmamentum accepit. *Henricus IV.* Rex Galliæ jam dudum Catholicus futurus erat, sed pudebat Legum à subditis impositarum. Cùm primùm verò eo in gradu locavit res suas, ut per se prævaliturus videretur, amotâ jam necessitatis deformi specie, professionem fidei facere non dubitavit, longè aliter *Moscus*. Huic enim imprimis illa opponuntur. Eum quis somniaverit animum Catholicis dogmatibus adjecturum fuisse, nisi oblatâ tam grandi Offâ?

PROPOSITIO XXIV.

Eligendus JUSTUS esto.

Eligendo Regi multa credenda sunt.

Neque enim Respublica in omnibus cautionem à Rege postulare, ubique ei Ephores adjungere potest. In multis ei fides habenda, multa soli ejus Religioni & conscientiæ committenda, inprimis in officiis, beneficiisque dispensandis, in expediendis rebus, quæ moram & Comitia, & Senatus præsentiam non expectabant. Et omninò quo major aliqua potestas est, tanto plus ei credendum est.

Cui multa credenda sunt, eum fidem fallere periculosum est.

Ergo & justum non esse.

Eligendus ergo JUSTUS esto.

Omnes prudentes, quem Dei, conscientiæ, æternitatis metu non teneri sciunt, eum & timent, & oderunt. Etiam Atheorum hæc ars est, ut alios quàm maximè pios optent.

Idem

Idem aliter.

Rex eligendus Poloniæ utilis esto, *per Prop.* 19.
Ergo scopo ejus conformis.
Scopus Reipublicæ Polonæ justus est *per Prop.* 8.
Ergo & *Eligendus JUSTUS esto.*

Hanc Propositionem Candidatis applicare nimis invidiosum est: Fama hic suas partes agat.

PROPOSITIO XXV.

Eligendus PRUDENS esto.

Eligendus utilis esto, *per Prop.* 19.
Ego quod bonum est facito.
Faciet autem certò & constanter, si & *velit*, & *sciat*, & *possit*.
Poterit, quia *Rex* erit, per *hypothesin*.
Volet quia *justus* esse debet *per Prop.* 23.
Restat ergo ut sciat, quod bonum est.
Qui scit, quid bonum sit, *prudens* est.
Eligendus ergo PRUDENS esto.

Hinc patet, in eo qui Justus & Prudens sit, Virtutes omnes virtualiter, ut sic dicam, licet non formaliter, contineri. Etsi enim talis habitum fortis, temperantis, modesti, &c. non habeat; idem tamen aget cum habente, etsi molestia & difficultate majore. Cæterùm hæc propositio est pro *Neoburgico* & *Condæo*, contra Moscum & *Lotharingum*. Illi enim præ his prudentiæ documenta dederunt. Moscus puer est, de *Lotharingo Condæo* & *Neoburgico* Autor Anonymus cujusdam schedæ sequentia disserit, quæ exscribenda duxi, quod nonnulla præclarè monita contineant; etsi fatear pleraque justò acerbiora esse, & ideò mea facere nolim, cursus tamen orationis tardari, & separatione modestiorum ab acrioribus connexio dissolvi non potuit. » Sic » igitur ille: *Lotharingus*, inquit, vix quicquam egit publicè, & quæ egit, exiguum » prudentis specimen dederunt. Primum quod negotiis Reipublicæ animum, maturè » non applicuit, nam qui legioni etiam optimè præfuit (quod tamen de illo dici non » potest, qui Viennæ militem egit, in aulâ, in Gynæceo, castra vix ægrè aliquando » salutavit) is non ideò imperator, multò minus princeps bonus est. Danda ei opera » erat, ut Legationes Cæsaris nomine obiret, ut sanctiori ejus consilio cum dignitate » interesset, ut vicario jure certis Cæsaris vel Hispanorum Provinciis cum potestate » præesset. Quantulum enim erat, obtinere à Cæsare, ut Bohemiæ fortè aut Moravix, aut Tirolensi ditioni præficeretur? Hoc ipsi futurum erat longè honorificentius, quàm Colonelli vel Tribuni gradum non supergressum, ab alterius, con» ditione longè inferioris, imperiis pendere, nunc præsertim postquam tam diu bel» lum cessavit? quanto id utilius in omnem eventum, & nunc ad Commendationem » validius, quàm aulicis delitiis Viennæ diffluxisse, crepundiis illis animum corpus» que exercuisse, spectaculum populo histrionicis equorum choreis, præbuisse, nuptiis » alterius velut meritoriâ in arenâ operam locasse? (*hæc ab autore illo nimis acerbè » dicuntur; bonus ille Princeps conjungi tam arctè non potest.*) Sed & in eo gravi» ter peccatum est, quod vicinus Polonis eventum vacaturi regni, prospici à tot » jam

» jam annis facilem, non prævidit; spes ipse suas non prænovit, animis præparandis
» operam non dedit. Poloniam nec semel de limine salutavit, vel imprudentiâ vel certè
» superbiâ, cur enim eos colat, quibus scilicet imperaturus est. Nunc verò subitò
» calore correptus, vel potius aliorum tandem consilus monitus è somno evigilavit;
» quod tot annorum negligente morâ tardatum deperditumque est, aliquot septimana-
» rum festinatione restitui posse credidit. Ergo inconsulto impetu ad fines advolat,
» præsentationibus popularibus cuncta permiscet, vix ac ne vix quidem ditione Po-
» lonicâ abstinet, Venationibus, conviviis, blanditiis imperitorum juvenum animos
» captat. Nam viris certè prudentibus non persuadebit, ut ab aliquot horarum con-
» gressu, juvenem, aliàs incognitum, Regem sumant, cùm tantulum tempus nemo
» sanus vel amico explorando sufficere putet; Cæterum & immodestius ferociusque
» agit, religiosorum susurris, cursitationibus, obtestationibus animos movet, idque
» nimis publicè, nimis scandalosè: ita ut ad extremum ipse Societatis Jesu Genera-
» lis, Vir gravissimus & antiquæ disciplinæ, emissarios istos ad sua Collegia, suas
» Provincias velut edicto revocârit, quod nescio an Principi mittenti honorificum esse
» possit. Quis verò illud ferat, quòd aliquot militum millia à Cæsare impetravit,
» hæc in Poloniæ finibus collocavit, sive tuendæ Silesiæ, quam nemo invadet, sive
» tutandi Corporis specie, revera ut arma è propinquo ostentaret, si scinderentur stu-
» dia, si aliquot suffragia obtineret, statim Cracoviæ, capiti Reipublicæ immineret,
» & paratis in viciniâ armis suæ factioni audaciam, cæteris metum adderet? Quâ
» re effecit, ut ipse Mareschallus Coronæ, Vir vigilantissimus, militem suum non
» procul à Silesiæ finibus locaret, ob viam iturus si qua tentarentur; tum verò mi-
» litibus suis gravissimè interdiceret, ne cum principe Lotharingo commercii quicquam
» haberent, ei adequitarent, ejus illecebris caperentur, & mox toto exercitu, fa-
» ctiones, studia, rumores, fictas laudes aliquot munusculis vel blandis vocibus em-
» tas disseminarent. In quibus omnibus manifestum est, multis modis Lotharingum
» impegisse. Quemadmodum nec illud prudentis fuit, nimium suum in Religiosos,
» eos præsertim, qui suspecti præ cæteris habentur, affectum renudare, per hos se-
» creta negotiari, his spes suas credere. Malo certè omine, dominatus ejus quem
» obtenturi illi in aulâ essent, si Lotharingus voti damnaretur. At verò potentia eo-
» rum in aulâ *Sigismundi III.* quàm perniciosa fuerit Reipublicæ, quàm afflixerit Cra-
» coviensem Academiam, quàm in Sueciâ tenendâ nocuerit, quàm Clerum Secularem
» & Episcopos ipsos summos animarum Pastores malè habuerit, pro me *Piasecius* Epi-
» scopus quondam Premisliensis, Vir magni Candoris dicet. *Condæanæ* factionis inge-
» niositatem etsi, ut dixi paulo superius malo nostro didicerimus, eò tamen impegit,
» quod non amore illabi Polonorum animis sed arte & factione eis sceptrum extor-
» quere conatus est; quòd paucis, largitionum, corruptelarum, fœminarum, hono-
» rum lenocinio sibi paratis, ideo statim in Polonia plurimum se valiturum credidit;
» malè à Galliâ suâ ratiocinatus, in qua, si aliquot hominum, animos habeas, totam
» Gentem ad libitum circum agere possis. At in Polonia alia facies, ubi tot pro-
» vinciæ, tot familiæ à se independentes; porrò emendis omnium animis, qui aut
» juvare ad summam rei in Polonia aut nocere possent, ne sufficerent quidem om-
» nes Galliæ divitiæ, etsi sufficerent, ab antiquæ fidei generositatique tenacibus ad-
» huc plerisque (neque enim ita inimica nobis fata sunt, ut non plurimos saltem
» cives bonos, & à proditoriis artibus abhorrentes servaverint) respuerentur. Illud
» quoque à prudentia alienum, quod in Gente libertatis tenacissima super omnes Orbis
» populos, rem maximè libertati evertendæ valituram, designationem successoris su-
» perstite Rege, obtinere posse credidit, nec exhorruit reliquos adhuc patriæ aman-
» tes, eam rem in odium autoris versuros. Sed si omnino necesse videbatur, vivâ
» Reginâ rem tentare, alia arte opus erat, nempe tegendum erat *Condæo* suum no-
» men, substituendus alius aliquis, qui primos odii impetus exciperet, tum demum
» illo

» illo dejecto aperire se & tentare animos non aversos tempestivum erat. Nunc *Con-*
» *dæus*, quod sibi per alium præstare debebat, præstat *Neoburgico* ipse, ut scilicet suis
» odiis alteri glaciem fregerit. *Neoburgicus* igitur in hoc negotio perpetua prudentiæ
» & moderationis specimina dedit. Ut Lotharingus nihil, *Condæus* nimium, sic ille
» quantum & prodesse & excusari possit, ante vacantis regni tempus egit. A multis
» annis sibi animos paravit, à multis annis medium nullique invisum se tenuit, anti-
» quam cognationem novâ affinitate renovavit, Regum *Uladislai* & *Johannis Casimiri*
» animos cepit, & posterioris superstitis nunc quoque amorem tenet. Polonos perpetuò
» coluit, his aulam implevit, cum his familiarissimè versatus est. Tum verò cavit
» ante interregnum quicquam agere, quod meritò culpari possit, alios omnes præire,
» prætentare animos, passus est, horum lapsu admonitus meliori se occasioni servavit.
» Porrò mira arte simul & Polonis & exteris placuit, & quod admirabilius, adver-
» sissimos inter se ad sui commendationem junxit. Quis enim crederet eundem ab Au-
» striacis, Gallis, Suecis, imò Anglis quoque commendari posse, nisi meritis suis id
» extorqueret, nisi aliter honestè facere non possent. Nam si, ut imperitè quidam ob-
» jiciunt, uni intimiore quadam & suspectâ necessitudine junctus esset, continuò alter
» omni ope obniteretur. Illud quoque in magna victoriæ parte ponendum est, quod
» eos ipsos, qui ex fama publica occultè alium fovent, uti Galli *Condæum*, Austriaci
» Lotharingum, arte tamen, & officiis, & modestia suâ, & dispensato in omnes
» æqualiter cultu, junctis sibi cunctis *Neutralibus* eò adegit, ut etiam fœderibus ictis
» promiserint, alium nullum adjuvare. Quod quomodocunque fiat, id tamen effecisse
» satis magnum est, quod omnes apertè aliud agere non possunt, & Rex ipse Chri-
» stianissimus, famæ inprimis tuendæ studiosissimus, magno Polonicæ libertatis bono
» factioni Condæanæ manus, quod publicè quidem appareat, subtraxit. Occulta au-
» tem auxilia, si qua sunt, neque tanta, neque tam valitura, neque tam speciosa,
» neque perinde in animis gentis efficacia esse possunt. Cæterùm non minor in *Neo-*
» *burgico* Domi prudentia. Cùm divina benedictione copiosam sobolem masculam ha-
» beat, his plerisque per summas in Germania Electorales, Archi-Episcopales & Epis-
» copales Ecclesias de loco beneficiisque providit, sibi sumtus minuit, illis & pietatis
» curam, & stimulum, spemque altiorum addidit, & Polonos incubituræ in se nu-
» merosæ prolis metu levavit. De quo pluribus infra *prop.* 32. Bello se Suecico &
» Gallico nunquam immiscuit, Cæsaream Majestatem, ut decebat, coluit, in fœ-
» dere Rhenensi, tuendæ paci Westphalicæ inito, inter primos fuit, maximas res bello
» paceque gessit, controversiæ Juliacensi felicem coronidem imposuit, Serenissimum
» Electorem Brandenburgicum præter omnium opinionem sibi conciliavit, dissidentes
» moderatè tractat, conjugem alteram, Lutheranam, arte & ratione subitò ad meliora
» convertit, tum verò ditiones suas ita rexit, ut subditis non Dominus, sed pater
» habeatur. Augendis subditorum rebus variis artibus invigilat, in necessitatis casu eos
» tanto promptiores habet. His ille artibus, vel quiescendo, Poloniam redintegrabit.
» Solâ, ut sic dicam, Oeconomiâ indiguit Respublica nostra, perturbata est ab exteris
» commerciorum ratio, Judæorum sanguisugiis, peregrinorum expilationibus, monetæ
» depravationibus laboramus. Materiam rudem apud nos nascentem vili pretio vendi-
» mus, præparatam ad speciem majus quàm durationem decuplicato sumptu recipimus;
» de cætero etiam quæ apud nos non nascuntur, emere infecta decebat, & nostris
» potiùs opificibus manu pretium concedere, quàm exteros ditare. Solo hactenus Rege
» Oeconomo destituti sumus, hunc cùm primum nacti erimus, efferet Polonia caput,
» & desinet plus semper pecuniæ expendere quàm recipere, quæ ad paupertatem com-
» pendiosa via est. Huic rei neque Moscus aptus est, qui commercia ad se solùm trahit,
» qui ipse unus suæ Gentis mercator est, qui universale Monopolium habet; non Lo-
» tharingus juvenis talium consiliorum fortè non capax & lenti fructus, qui in talibus
» expectandus est impatiens. *Condæus* verò non nobis sed Gallis suis ditandis ac regioni

» magis magisque expilandæ operam dabit, præsertim cùm merces Gallicæ luxui potius, quàm vitæ serviant, & polliciant magis specie, quàm Constantiâ prosint. *Neoburgicus* solus & ætatis judiciique maturus est, & lenus exspectandique consiliis » suetus, & subditos non habet mercaturæ deditos, ut metuendum sit, ne in eos lucrum derivet. Circumspicite nunc Candidatos cæteros, in eorum vitam, mores, » successus, inquirite; cedam loco, si horum umbram reperietis. *Hæc ille, etsi sæpè verè, tamen nimis vehementer.*

PROPOSITIO XXVI.

Eligendus EXPERTUS rerum esto.

Rex prudens esse debet, *per prop.* 15.
Prudens debet scire, quid bonum sit.
Bonitas circumstantiis facti variatur.
Circumstantias facti nosse est singularia nosse.
Singularia nosse est expertum esse.
Ergo eligendus EXPERTUS rerum esto.

Experientia iterum major in *Condæo* & *Neoburgico*, quàm Lotharingo & *Mosco*.

PROPOSITIO XXVII.

Nihil obstat Eligendum LINGUÆ POLONICÆ IMPERITUM esse, dummodo Latinæ peritus sit.

Si obstat, aut opinio eligentium aut damnum secuturum obstat.
Non ob opinionem eligentium, quia eligentibus Poloniæ in *Henrico Valesio* adversum non fuit, qui eum *Ernesto* Austriaco, Slavonicæ linguæ non imperito, prætulere.
Et nunc multo minùs adversum est, aucto in gente studio peregrinandi.
Non ob damnum secuturum, quia omnes alicujus momenti actus linguâ Latinâ peraguntur.
Ergo nihil obstat, eligendum LINGUÆ POLONICÆ imperitum esse, dummodo Latinæ peritus sit.

Hoc verò tanto minus obstat, quanto plus aliarum linguarum peritus est, quemadmodum *Neoburgicus* Latinam, Italicam, Germanicam, Gallicam, Hispanicam, non intelligit modò, sed & promptè loquitur: nec Polonicæ insciens est, sed eâ nec indelectatur.

PRO-

PROPOSITIO XXVIII.

Eligendus PUER ne esto.

Si Rex puer est, per se regnare non potest.

Ergo regnabit vel per ordinarios Coronæ Officiales, perinde ac si Rex electus non esset, & ita erit in effectu interregnum.

Vel per extraordinarios Delegatos, sive ii Tutores, sive Curatores appellentur.

Et ita in effectu per Vice-Regem.

Sed neque interregnum *per Prop.* 15. neque Vice-Rex *per Prop.* 21. esse debet, quoad ejus fieri potest.

Fieri autem potest in novo Rege ex nova familia eligendo.

Secus est, quando Liberis prioris Regis inhæretur, ne perpetuis concertationibus opus sit.

Ergo eligendus PUER esse non debet.

Hæc propositio nulli præter *Moscum* obstat.

PROPOSITIO XXIX.

Eligendus corpore VEGETUS esto.

Nobilitatis Polonicæ studium militare jure est, *per Prop.* 5.

Ergo & Reipublicæ *per Prop.* 1.

Ergo & Rectoris Reipublicæ, seu Regis.

Rex ergo studio militari aptus esse debet.

Ergo corpore Vegetus, quoad ejus fieri potest.

Initio autem, ut vegetus eligatur, fieri potest.

Satis molestum est, quòd Regis semel facti superveniens infirmitas tolerari debet.

Ergo Eligendus corpore VEGETUS esto.

Hæc Propositio obstat *Mosco* puero vix 16. annorum, quanquam Magnum Ducem dubitare adhuc ajunt, an nos primogenito dignari debeat. Cæterorum nulli obstat. Nam *Lotharingus* Juvenis est, *Condæus* infirmus est, *Neoburgicus* ita maturus, ut tamen nihil de vigore remiserit.

Cruda nempe *Neoburgico* viridisque ut Poëta ait, & fœcunda, imò nulla senectus; qui superiore anno filium ex Conjuge sustulit, eum senem nondum esse, quemadmodum qui generare cœpit, non amplius puerum dici debere, Philosophi naturales docebunt. Quinquagesimum tertium annum habet, quæ hæc Senectus? nonne ætas Stata potius, & rebus gerendis matura? Nondum illi gelidus circa præcordia Sanguis concrevit; mirus, & Juvenum plerisque inimitabilis vigor, dies indies negotiis continuare, ludus illi est, durato in laborem corpore, & Deo propitio repetitam Juventam permittente. Omnibus ipse Consiliis præsidet, Supplicationes legit, querelas audit, Re-

ſcripta examinat & ſubnotat, aditu affatuque facillimus; res extra provinciam maximas tota Europa literis, nunciis, conſiliis complexus, paucis admodum miniſtris ſubnixus, ſummam rerum prope ipſe ſolus, verſans, famam prudentis moderatique tum venerationem & amorem ubique implet. Tot negotiis implicitus, ſuarum nihilominus ditionum Pater eſt; his ita providet, quaſi aliud nihil ageret, nullæ Subditorum querelæ, nullæ propè calumniæ, quas alioqui nec optimi Principes vitant. Interea venationibus, armis, exercitiis equeſtribus potiùs (quibus illi per Germaniam communi opinione pauci pares, Superiores nulli habentur) quàm fomentis medicamentisque corporis valetudinem curat, cujus hactenus rarò ſollicitatam firmitatem poſt DEUM huic potiſſimum excitato, & duro & Principe digno vivendi generi tribuit, nec à ſolita iſta victus ratione augeſcentibus annis quicquam remittit; tantùm abeſt, ut Senex invalidus, capularis, decrepitus fit, quemadmodum vel improbi vel ignari calumniantur. Dictis meis Poloni, quibus aula ejus ſalutata eſt, teſtimonium perhibebunt: Iidem confirmabunt, neminem eo minus *avarum*, minus *auſterum*. Splendidus eſt intra frugalitatem, amœnus intra gravitatem; urbanitate ingenii, nativis ſalibus, hilari Vultu, quoties animum laxat, omnibus amabilis, & cùm frontem contrahere curæ jubent, maturus, cordatus, gravis, ſerius, amabilis, promptus, facundiâ ſponte profluente admirabilis.

PROPOSITIO XXX.

Eligendus potiùs PRUDENTIOR animo, quàm corpore vegetior eſto.

Nam corpus Vegetum ob munia viribus corporeis obeunda expetitur.

Ea munia alteri delegari aut in plures dividi ſine periculo poſſunt.

Id enim quotidie in miniſtris, ſervisque fit.

Contra gubernatio prudens, ſi cui deleganda eſt, notitia vel ſemel commiſſa auferri iterum non poteſt.

Poteſtas corporea poteſt.

Ergo periculoſius, animi quàm corporis *Vicario* uti.

Ubi Vicarius periculoſus, ibi Vicarii neceſſitas periculoſa.

Vicarii neceſſitatem efficit defectus aptitudinis in Principali.

Periculoſius ergo, *prudentiam* quàm *robur* deeſſe.

Ergo *Rex potius prudentior quàm vegetior eligendus eſt.*

COROLLARIUM.

Ergo Rex potius SENIO quàm pueritiæ VICINIOR eligendus.

Nam Senio Vicinior, expertior eſt.

Idem eſt in decremento.

Ergo prudentior, ſed debilior.

Contra Pueritiæ Vicinior, eſt imprudentior.

Idem, quia in incremento, vegetior;

Prudentior verò potiùs, quàm corpore vegetior eligendus.

Te

Per Prop. hic.

Ergo Senio potiùs quàm pueritiæ vicinior eligendus.

Ergo quod ad hoc quidem caput attinet, *Condæus* & *Neoburgicus*, *Mosco* & *Lotharingo* præferendi. *Cæteris paribus*, ut omnes ejusmodi demonstrationes accipi debent, scilicet nisi fortè hi duo posteriores ex alio majoris momenti capite aliunde se præferendos ostendant.

Certè periculosa est natura Juvenum Principum, vanissimis Consiliis velut vento se pascentium: ut de *Rohoboamo* nihil dicam; *Osmanes* Turcarum Imperator eùm Poloniam aggrederetur, jam ex mari Baltico classes in Oceanum Germanicum destinabat. *Sebastianus* Lusitanus ab expeditione contra Mauros totius Africæ sibi Imperium promittebat. *Uladislaus* Ungaro, Polonus, Varnensi Strage notus, orientem animo complectebatur; *Joh. Fridericus* Dux Saxoniæ Gothanus à perduellibus ob Episcopi Herbipolensis cædem proscriptis, Imperium sibi Romanum, conjugium Regium, *Elisabethæ* Angliæ: aliasque nugas persuaderi passus est. Non absimilia *Joannes* Austriacus, *Caroli V.* filius naturalis, cum Ericordo agitabat. Non mirum igitur, si Princeps Lotharingius, qui nunc primum caput negotiis inserere incipit, mirabiles & ampullosas spes animo conceperit; Unde quorundam laudatorum de jure ejus in Regnum Hierosolymitanum, debellando, cùm Rex Poloniæ factus erit, Turcâ, & recuperanda terra sancta, ad exemplum *Godefridi Bullionæi*, ridiculæ & monstrosæ jactationes. Sed

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Polonis opera danda est, ne eum Regem sumant, cujus calida juventus, dulci vanitate inflata, sibi exitium, Regno damna maturet.

PROPOSITIO XXXI.

Prodest, eligendum ÆTATE PROVECTUM esse, maximè autem SI FILIOS HABEAT.

Quo enim ætate provectior; hoc minus spatii habet ad firmandam potentiam intestinam.

Tanto ergo minùs nocebit libertati.

Tanto etiam minùs filiorum successionem ab invita Republica poterit extorquere.

Optabit tamen filios succedere.

Restabit ergo, ut à volentibus Subditis obtineat.

Ergo amori Subditorum operam dabit, tanto magis, quanto plures liberos habet.

Eum verò amorem non nisi beneficiis obtinebit.

Ergo Reipublicæ proderit.

Prodest ergo, eligendum ÆTATE PROVECTUM ESSE, maximè si FILIOS HABEAT.

Breves Rectores esse, Reipublicæ libertatis Studiosæ interest; quemadmodum breves Vice-Reges esse interest Regis. Jam & Rex velut Vicarius est Reipublicæ: Ergo, qui

qui de novo eligitur, eum, non admodum prodest, Juvenem esse. Etiam inter Pontificis Maximi merita Senium censetur. Cæterum liberis quoque susceptis non parum animi emolliuntur, qui hos habet, etiam ultra mortem sollicitus est pro salute eorum, in quibus superstes erit. Massilienses apud *Strabonem* lib. 4. Geographiæ nullum alium τιμοῦχον creabant, nisi qui liberos suscepisset. *Sigismundus III.* tum primum machinationes & suspecta illa cum Austriacis commercia deposuisse dicitur, cùm plena liberis domo Studiis civium indigeret, & *Stephanus Batorius*, quod orbum se videret, tanto acrius præsenti potestate usus est. Nam ut supra in interregno *Prop.* 15. demonstravimus, naturâ propendemus & inclinamur ad effusum ejus occasionis usum, quæ citò abitura est. *Orbus* in Republica instar mercenarii, conductoris, usufructuarii, haberi debet; atqui transmittere potestatem in liberos cogitat, videtur sibi se ipsum continuare, amatque æternum sui in suis bonum. *Uladislaum* nostrum nuperum narrant, cùm miro belli Turcici amore arderet, ægrè multis precibus ordinum, mistis etiam minis, retentum esse. Unum erat, cujus aspectu mollesceret, parvulus domi infans, cui pacata omnia, Studiaque non ambigua gentis relinquere optabat. Hujus amor maximè effecit, ut ad dimittendas copias adduci se pateretur. Vix præstiterat, cùm nuncium de acerba filioli morte accepit, ad quem ille, mistum pœnitentiâ dolorem non ferens; utinam, inquit, ô fili, Si mori constitueras, aliquot mensibus exautorationem militum antevenisses. *Hieronymus Spanorchius Italus in divinatione de Regno Poloniæ post mortem Stephani* ait: Nobiles Polonos quærere liberos habentem, ne quovis interregno novum ab exteris Regem emendicare cogantur. Cæterum hæc propositio pro *Neoburgico* potissimùm adjecta est. Cui quoniam nonnulli liberorum multitudinem objiciunt, ascribam rursùs *verba Anonymi* ex scheda suprà citata, contra quendam *Neoburgici* calumniatorem; » Crambem toties à Vestris appositam tu quoque, ut video, recoquis, & cùm Vitia » non possis, felicitatem & fœcunditatem Optimo Principi objicis. Benedictionem di» vinam, vitæ continenter actæ, castique matrimonii fructus, munimentum domûs, » quæ prudentes in laude ponunt, tu culpas. Multos, inquis, liberos habet. Quid » tum, habet & unde alat, florentes nec exiguas ditiones, opes nullâ luxuriâ immi» nutas, tum verò quod maximum est, prudentiam educatricem, quâ cos jam tum hic » virtutibus assuefacit, quas qui habet, etiamsi humili loco natus sit, emergere ad » summa quæque potest, ne dum adolescens, cujus generi & virtutibus concurrenti» bus, vastissimus ad res maximas bello paceque gerendos campus aperitur. Circum» spice paulùm, & cogita, quot Principes Germaniæ secundo genitos, ditione carentes, » virtus evexerit: Ex sola Domo Palatina: Rex *Carolus Gustavus*, parens hodierni » Suecorum Regis, *Rupertus* Palatinus, *Eduardus* Palatinus, Princeps Sulsbacensis, » quod sors nascendi negaverat, virtute suppleverunt. Nec verò solo eos bello incla» rescere necesse est; habet abundè Germania, unde Principibus intra se reductis, » tranquillitatem mentis, interiorem Dei amicitiam, cultum conscientiæ solito cura» tius quæsituris, copiosè satisfaciat. *Neoburgicus* certè, quâ prudentiâ est, effecit, » ut plerique filiorum, quos vel ipsorum voluntas, vel interim, dum quid velint, » appareat, parens, sacris destinavit, in summis per Germaniam Metropolitanarum & » Cathedralium Ecclesiarum Collegiis, Moguntino, Trevirensi, Coloniensi, Osnabru» gensi, Argentinensi, & aliis structo ad summos Electorales, Archiepiscopales & » Episcopales honores gradu, passim sint recepti. At Poloniæ graves erunt, inquis; » qui possunt? cùm plerique tantarum Ecclesiarum Canonici, & residentiam, quam » vocant, servare debeant, & cœptis semel consiliis, ac spei ascensûs ad Summa » aperti, insistentes, vix spatium aliquando habituri sint, Germaniâ egrediendi quis» quis ergo prudens est, ac Germanicarum Ecclesiarum peritus, Polonos deposito hoc » metu securos esse jubebit. Adolescentes isti Principes non solùm eis non oneri erunt, » sed & eo loco sunt, ut prout se tempora cœlitus dederint, ad summa Antistitum » Insignia enisi; quibus Electorum ac Principum Imperii connexæ sunt dignitates; » decori

» decori, ornamento, munimento, auxilio Poloniæ esse, Germanicum ei Imperium,
» cujus magna, & princeps pars, Episcopi tales sunt, firmo mutuæ opis vinculo,
» colligare, si quid Regni cautà apud Imperii ordines agendum sit, commendando,
» suffragando juvare, denique neque Parenti, neque Regno se pœnitendos præbere,
» ipso facto possint, quare Pater, cur secum eos in Poloniam adducat, causam non
» habebit, relicturus in tot hæreditariis provinciis, in Ecclesiarum Cathedralium col-
» latis semel aut conferendis beneficiis, in Germania egregiorum Principum uberrima
» altrice, nisi quos accire eum velit, jubeatque Senatus populusque Poloniæ, cui ille
» totum hujus rei arbitrium plenè permittit, quem optat ei rei numerum, legem mo-
» dumque statuere, paratus, tum Satellitium omne Germanicum emittere, tum ex filiis
» vel tres, vel duos tantùm, vel etiam unum adducere, prout illi volent; Cæteris
» si onera Poloniæ hinc metuenda spectes, sic futuris, quasi non sint. Nam, si tres
» tantum secum habebit, Polonia eum, nisi tres habere, non sentiet. His velut molli
» adhuc ceræ, linguam, vestitum, mores, habitum, animum denique vestrum nullo
» negotio imprimetis; his militaribus negotiis, tutandis finibus, arcendis barbarorum
» excursionibus, pellibus, frigori, acinaci, assuefactis, (à quo generosa eorum multis
» jam speciminibus emicans indoles non abhorret; velut totidem *Uladislaus* habebitis,
» parente cum Regni proceribus totam molem consilio sustinente, manu, fortitudine,
» celeritate jussa exequentes, & reapse ostendentes singulos Regis liberos bene edu-
» catos, singula velut propugnacula Regni esse, onus verò nullum. Quod à tribus filiis
» *Philippi* nostri in Polonia futuris, majus certè imminere non potest, quàm à quinque
» *Sigismundi* natis, qui utinam plures habuisset, Polonia non recidisset ad orbitatem;
» illustri documento quàm multa, quod absit omen, illustribus familiis numero etiam
» munitissimis, incidere possint. Et verò quod onus tandem fringi potest. An regnum
» exactionibus gravabitur? minimè verò: Certi sunt regii reditus, numero liberorum
» nec augendi, nec minuendi. At officia & beneficia in eos distribuet? ne hoc qui-
» dem. Capitulationes honestas sibi, ut valetis, circumscribi patietur. Et verò jam tum
» Polonia sibi providit, antequam illi vitilitigatores nati essent. Nam & *Paulus Pia-
» sec us* Episcopus Premisliensis in Chronicis ad annum *1632.* refert Regem initiâ Re-
» publicâ officia & beneficia filiis suis conferre non posse. Quod uti verissimum est:
» ita hoc quoque onus ipso jure nullum est, sed tædet in objectione manifestè inani
» verba perdere, cui hoc unum responderi satis est: Neoburgicum filios non adduc-
» turum, nisi quos Poloni volent, adductis nihil collaturum, nisi quod iidem volent:
» breviter quicquid oneris Reipublicæ imminentis dici, cogitari, fingi potest, id tol-
» lere, permittere, moderari, in absoluta eorum potestate esse, & per consequens,
» quia nemo se sciens gravat, nullum esse.

PROPOSITIO XXXII.

Eligendus PATIENS ET MODESTUS esto.

Poloni libertatem quærunt, quantam maximam possunt *per prop. 3.*
Libertas est immunitas à Superiore.
Ergo & à superioris agnitione seu submissione.
Ergo & à signis submissionis alieni sunt. (Saltem illorum aliqui.)
Signum submissionis est *honor*.
Ergo honorem quantum maximum possunt, sibi, quantum minimum, aliis tribuunt.

Ergo

Ergo nec honorem ſemper dant, neque ejus contrarium ſemper non dant, ſeu nec ſemper à contumeliis abſtinent.
Ergò aut crebrò cum iis diſſidendum.
Aut neceſſe eſt, ut & crebrò feras contumeliam, quod eſt *patientis.*
Et non crebrò exigas honorem, quod eſt *modeſti.*
Jam Regem à ſuis crebrò diſſidere, periculoſum.
Ergo eligendus PATIENS ET MODESTUS eſſe debet.

Idque tanto magis, quanto facilior externæ pompæ jactura eſt, modò poteſtas ipſa debita teneatur. In Belgio dum ordines fœderati liberas plebi linguas permittunt, ſeditioſà omnes loquuntur, ſeditionem nemo excitat. Cæterùm imprimis in petendo Regno Poloni à Candidato modeſtiam requirunt. *Fredro in Henricæi regiminis hiſtoria* refert, diſplicuiſſe Polonis præmaturam Oratorum Cæſareorum pro *Erneſto* Archi Duce intercedentium in Regno diſcurſationem. Quid ſi illi nunc viverent, cùm inter viſcera Regni tot annis *Conlæana* factio nihil non tentavit? *Sigiſmundum* Marchionem Brandenburgicum, *Ludovici* Regis generum; (nam *Hedwigis* poſtea *Jagelloni* nuptæ ſororem duxerat,) Succeſſorem Poloni, contemtum repulſà vindicantes, vel ideo excluſerunt, quod Proceres quoſdam eorum Convivio aliquando non adhibuiſſet. Quid nunc illi ſuperſtites dicerent, ſi viderent *Moſcum*, filio coronam flagitantem, totam Rempublicam, quaſi imparem, literis non dignari, tranſlato in Conſiliarios ſuos officio, quibus tamen ille perinde, ut ſervis utitur; quaſi ſcilicet Senatores Regni Poloniæ Regis Ephori, non plus in Republica, quàm Moſcica illa mancipia, ſolo magni Ducis nutu caſura, poſſent. *Maximilianus* Archidux, quòd arma in Polonos pro Corona expediiſſet, inviſam illam Auſtriacis legem meruit. Quid Moſcus? qui nunc nobis & per Coſaccos & per ſuos non obſcurè extrema minatur. *Uladiſlaus* ultimus filius Regis, propè certus Rex, quòd ad Comitia Electionis injuſſus acceſſiſſet, non parum offendit: At nunc *Lotharingum*, Principem extraneum, regno incognitum, interregni tempore accedere ad regni fines, Candidatum priùs quàm amicum agere, Legatum ſui ipſius eſſe, ſerere in propinquo ſemina factionum, pro *argumentis armamenta* è vicinia oſtentare, (certè aliquot militum millia non procul Cracovià conſiſtunt) id multi antiquæ generoſitatis retinentiores ſatis concoquere non poſſunt. Mallent domum redire, & patienter expectare, quid de ſe ſtatuat Reſpublica, quam fictà popularitate incautorum juvenum animos prenſare, & occaſionem turbis præbere. At *Neoburgicus* patientiæ modeſtiæque grandia ſatis documenta dedit; Regiæ ſtirpi ſanguine proximus, tum matrimonio illigatus, Regibus, Gentique charus, cùm publice de vivi Regnantiſque ſucceſſore tractaretur, aliquot abhinc annis, nec deeſſent, qui hortarentur, ut ſuum quoque jam tum inter Candidatos nomen profiteretur, noluit, quà erat modeſtià, intempeſtivo & illegitimo ambitu notam ſibi gentis generoſitatem irritare, paſſus eſt, *de Anguieno*, *Longavillæo*, *Eboracenſi* aliiſque nihil prorſus ad Poloniam pertinentibus, tractari, nihil ſe commovit, melioribus temporibus commendavit ſpes ſuas, quòd ſolita ſibi prudentia prævideret, intempeſtivis illis Candidatis non duratura diu ſtudia gentis, evigilaturos paulatim prudentiores, qui agnoſcerent, quàm pernicioſo in libertatem exemplo, & ſoli *Jagelloni* vix ægrè, nec ſine pœnitentia permiſſo, præſenti Regi Succeſſor deſignaretur. At, inquies, *Neoburgicus* cum exteris de Corona noſtra tractavit. Quid tum? oſtendemus infra *prop.* 57. aliud eſſe exteris *niti*, aliud *uti*. Si excluſi prorſus à nobis Exterorum Miniſtri eſſent, ne uti quidem illis fas eſſet, nunc quando Moſchicis, Gallicizantibus, Auſtriaſtris pleni ſumus, nonne contrariis artibus obviam eundum eſt; nonne commercia cum illis ineunda ſunt, ut ſi non proſint, ſaltem ne noceant.

PRO-

PROPOSITIO XXXIII.

Eligendus QUIETUS esto, seu BELLATURIENS ne esto.

Polonia debilitata est, *per prop.* 10.
Eadem solà quiete convalescet, *per Prop.* 2. *Coroll.*
Ergo quiete indiget.
Ergo & quieti Rectoris.
Ergo Eligendus hoc rerum statu QUIETUS esto.

Componendis magis domi rebus, & colendæ foris amicitiæ, quàm novis molitionibus, & irritandis vicinis intentus. Moscos certè, Turcas, Tartaros, quietentes, non nisi stultè lacessemus. Sinamus eos collidi inter se potius, uti jam cœperunt, & artificiosis flabellis discordiam eorum alamus, illud *Taciti cogitantes: Maneat duret ue gentibus si non amor nostri, saltem odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil fortuna dare majus potest hostium discordiâ.* Si sic agemus, *Octavianus Augustus* aliquis, sedatus at prudens Princeps, æquè magnas res geret, quàm *Julius Cæsar*, aut *Germanicus*, cladibus passim datis acceptisque irritantes magis hostem, quàm delentes. Unde *Tiberii* consilium rectè idem *Tacitus* extollit, qui inter *Marobodum* & *Arminium* odii semina ferens, alterum per alterum fregit, *Germanicum* verò vehementius invehentem, & magna cautis præferentem, mature è Germaniâ revocavit. Porrò de *Mosci* pueri genio dici non potest, de *Lotharingo* hac in parte non satis, ferociam tamen nonnulli & nobilitatem ex naturâ familiæ, gentis, educationis, tum etiam ex *transfugio* ab Hispanis ad Gallos (quod contigit cùm Patruo ab Hispanis vincto speraret, Gallos ablatam ei ditionem sibi soli reddituros) & *refugio* à Gallis ad Austriacos cùm factam à Gallis spem decollare videret, non absurdè ominantur. *Condæi* impetuositas, & nimius bellandi ardor, satis comperta. De eo hæc nuper Polonus aliquis, sed justo acrius scripsit, quare nec per omnia probanda sunt. » In urbium, inquit, » in castrorum oppugnationibus nulla ei humani sanguinis reverentia, ac parsi- » monia fuit, cadaveribus fossas implere ludus, majore suorum strage victoriam eme- » re, gloria; plus semper caloris, quàm consilii. Tum Galliam factionibus, bellis, » turbis implevit. Regem suum propè dubii juris, dubitatus ipse, facere ausus est; » in hujus perniciem extrema moliebatur. Cùm verò innatus apud Gallos legitimi » Principis amor prævaleret, ad Juratos Gallici nominis inimicos, Hispanos transfu- » git, atrocissimum patriæ hostem se præbuit, tandem in gratiam receptus suam ipse » culpam agnovit. « *Neoburgicum* nemo talium reum peragere potest, flagrante bellis Germaniâ inter paucos medium se gessit, neque Gallis, neque Suecis, neque Austriacis se miscuit; alibi ei meliores spes fata parabant. Composito Bello Germanico ad simultates cum Electore Brandenburgico tractus, omni ope nisus est, ut quàm primum in perpetuum valitura reconciliatio sequeretur. Quod & magna providentiæ modestiæque gloria efficit, & controversiæ Juliacensi finem imposuit, quæ Europam aliquando in partes traxerat; & cum Electore Brandenburgico propè nato sibi adversario tam solidam amicitiam iniit, ut nunc alter alterum ad summas spes contendentem fovere non vereatur. Fœderi quoque Rhenensi, tuendæ paci Westphalicæ inito, non sine autoritate nomen dedit, unus deinde fœderis viribus effectum est, ut Monasterium & Erfordia suo quoque Præsuli redderentur.

Idem aliter:

Rex *bellaturiens* est, qui bellum cupit sine necessitate.

Bellum sine necessitate injustum.
Injustum est contra scopum Poloniæ *per prop.* 8.
Ergo & Rex bellaturiens esse non debet.

Idem aliter.

Rex bellaturiens dux ipse esse solet.
Militiam ergo in potestate habebit.
Potestas in militiam despotica est.
Qui militiam Polonicam in Despotica potestate habet, ei in Polonia resisti non potest.

Quia ex quo *Quartiani* in Polonia constituti sunt, cæteri cives, vel ut amoliti à se onus, non ita acriter studio militari incubuerunt, arcanâ Regum arte enervandæ & virtuti, & libertati reliquorum intentâ.

Cui resisti intus non potest, is libertatem opprimere potest.
Id verò periculosum *per Prop.* 3. *&* 9.
Ergo Rex BELLATURIENS periculosus.

Satis documenti Polonis, *Stephanus Bathoræus* dedit: *Uladislaum* ultimum valetudo destituit, Plebs Romana senatum incusabat, bella ex bellis seri. Batavi quoque perpetuis timoribus bellorum, animos continent. Angliæ Rex largâ venæ sectione opus suæ Reipublicæ esse credidit. Rectè *Boterus* notat, Orientales illos in India, Asiaque absolutos Imperatores soli militiæ omnia deferre. In militia novorum hominum evehendorum prætextus non desunt. Rex Daniæ infelici erga hostem bello prosperitatem in subditos debet. Neque enim desunt, qui suadeant, partem Reipublicæ casui objiciendam, ut reliqua absolutiore Dominatu prematur; id quod exemplis probare obvium est.

PROPOSITIO XXXIV.

Eligendus ex FAMILIA TURBULENTA ne esto.

Familia turbulenta turbarum haud dubiè causas habuit.
Mutatio earum non præsumitur.
Ergo restante causâ restabit effectus: *turbæ.*

Item.

Qualis familia, talis educatio præsumitur.
Qualis educatio, tale ingenium.
Quale ingenium, talis actus.
Ergo ex turbulentæ familiæ Principe turbæ præsumendæ.
Ergo eligendus è FAMILIA TURBULENTA ne esto.

Hæc propositio est contra *Condæum*, & *Lotharingum*; utriusque familia turbulenta, fax & tuba motuum in Gallia; utraque religionis prætexta. Illa reformatæ, hæc Catholicæ. *Condæi* arces munierunt, oppida ceperunt, exercitus duxerunt, peregrinos evocarunt contra Reges *Franciscum*, *Carolum*, *Henricum III.* At *Guisii* & *Lotharingi* hoc amplius de Regno invadendo, Rege in monasterium detrudendo, familiâ regiâ extin-

extinguendâ cogitarunt; sese ex verè regia *Caroli Magni* stirpe ortos jactârunt, sibi regnum asseruerunt. *Henricum III.* Regem per sicarium trucidârunt, *Henricum IV.* debito sibi regno propè excluserunt. Nuperrimè quid *Condæi* in Regem violentiâ, de qua paulo ante, quid Lotharingicâ inconstantiâ notius? *Carolus* Candidati nostri patruus, quoties patronos mutavit, quoties à Gallis ad Hispanos, aut contra, transiit? Ab utrique certè mercedem tulit, nam à Gallis ditione exutus, ab Hispanis, quibus tam diu militaverat, ad extremum captus, & in Hispania diuturno carcere detentus est. Dimissus Pyrenæâ pace ne nunc quidem quiescit; ut nuptias ejus taceam, quas vivâ priore conjuge cum vidua Ducis *de S. Cruce* contraxit, quæ ideo invaliditatis accusatæ, ipse excommunicationis Pontificiæ fulmine percussus, liberi minus legitimi declarati; At *Caroli* illius frater, Candidati novi Pater, *Nicolaus Franciscus*, primum Cardinalis, deinde, cùm infelix fratris matrimonium viderat, reversus & ipse est, liberos suscepit, Viennæ Imperatoria liberalitate sustentatus est. Cùm frater in vinculis detineretur Hispanicis, copias ejus, favore *Leopoldi Wilhelmi* Archiducis, obtinuit. Sed à Gallis spe restituendi Ducatus illectus, deformi fugâ se proripuit, supellectile etiam ablatâ, quam illi Archidux splendidam instruxerat. Filii, quos inter & *Carolus* Candidatus noster, à Parente moniti, Bruxellis, ubi ab Hispanis liberaliter habebantur, præcipitato raptim abitu Galliam, & ipsi, insalutato hospite, petierunt. Sed cùm delusos se viderent, & Gallos id agere cernerent, ut Ducatus omnino in provinciam redigeretur, *Carolus* necessitate compulsus, clementiam liberalitatemque Cæsaris denuo imploravit, qua & hactenus vixit, & nunc quoque unicè *nititur*.

PROPOSITIO XXXV.

Eligendus DISSIDENTIBUS vim ne facito.

In Polonia potentes sunt *dissidentes* & per se.

Quia jungent se in casu necessitatis, uti in conventu Sendomiriensi Lutherani, & Calviniani etiam Theologicè; Græci verò & protestantes aliàs saltem politicè fecerunt.

Et potentiâ faventium vicinorum.

Lutherani Suecorum & Danorum, Calviniani Brandenburgicorum, Græci Moscorum; Russorum, Cosaccorum.

Vis in Potentes periculosa est.

Ergo in Polonia vi in dissidentes abstinendum.

Ejusmodi scilicet morbi non tam Chirurgiâ, quam Diætâ curantur.

Idem aliter.

Dissidentes membra Reipublicæ magna sunt.

Vis in ea bellum intestinum creat.

Bellum intestinum periculosum maximè Polonis *per Prop.* 12. maximè periculoso tempore *per Prop.* 11.

In primis *bellum sacrum*.

Quo nullum atrocius geri solet, plebe vel Religione accensâ, vel superstitione fusci natâ. Neque enim quisquam affectus prudenti, ne dum simplici, æternæ vitæ appetitu ardentior esse debet. Accedit, quòd qui ob religionem bellum gerant, alios orco damnatos, Deo, exosos bestiis deteriores, jure occidendos, generis humani pestes, animarum prædones, creaturas execrandas putant.

Ergò *BELLUM SACRUM INTESTINUM Poloni vitandum.*

Idem aliter :

Si diffidentes vi in eos factâ vincentur, durior eorum quàm reliquorum civium conditio fiet.

Ergo potentia eorum minuetur.

Potentia autem iis adempta, transferetur facilius in propiorem, quàm remotiorem.

Proximus autem victo, tempore victoriæ, est immediatè vincens.

Scilicet is, cujus auspiciis bellum geretur, nempe Rex.

Ergo oppressorum civium potentia in Regem transferetur.

Id libertati periculosum.

Si ipsa victoria nostra nobis periculosa est, quanto magis aut incerta belli alea, aut clades erit?

Vel cujus rei eventus felix periculosus est, ea tota periculosa est.

Ergo bellum in diffidentes libertati periculosum.

Scilicet si vincantur; sin vincant, nostræ securitati periculosum erit: Utrumque contra scopum Poloniæ. *per Prop. 3.*

Eligendus ergo vim diffidentibus ne facito.

Cui non dictus Hylas? Argumentum ergo à versantium multitudine prope detritum; de *libertate Religionum* non resumo. Hoc unum præterire non possim, quod *Gramondo* excidit, optabilem scilicet Gallis protestantium exarmationem fuisse; si eadem nunc genti quæ stante *Rupella* fuerat, libertas superesset. Apud nos res controversiâ caret, postquam ordines extinctâ in *Sigismundo Augusto* masculâ *Jagellonum* stirpe anno 1570. 28. Januarii, sine discrimine, libertati religionis publico edicto, & solenni juramento caverunt, & ex eo tempore in eadem verba Regis omnes adegerunt. Cæterùm hæc propositio est contra *Moscum*, cujus natura est diffidentes à se persequi. Græcorum in latinos implacabilia odia sunt; Turcis quàm Catholicis Palæstinam seque maluerunt. Christianos negant, qui ter mersi non sunt & in summa ruditate rationi & historiæ aditus non patet. *Lotharingus* quoque est, cur suspectus haberi poterit; insitum illi familiæ, implacabiliter Protestantes odisse strages Gallicæ, Parisiensium Nuptiarum infame nomen, tumentes sanguine rivi his consultoribus debentur. Nec quicquam per ectum, nisi ut ipsi Catholici in summum discrimen adducerentur. Donec *Henrico IV.* Rege longè aliis artibus recuperato, remittentibus mutuò odiis plerique ad Ecclesiam sponte redierunt. *Condæus* meminit credo, ex quibus ipse sit. *Neoburgicus* quàm non nimis faveat Protestantibus, susceptum cum Brandenbúrgico certamen; quàm non oderit, ditiones ejus in quibus Imperii leges servat, satis abundeque confirmant. Certè quando plus in movendis animis ars importunitate possit, domestico in secunda conjuge exemplo comprobavit. Hanc enim Hasso-Saxonicâ paternâ avitaque domo natam desponsam Lutheranam, duxit Catholicam, stupentibus cunctis, qui eam ante damnassent propè conjugium, nunc dexteritatem Principis in re difficili tanto gloriosiorem, quanto insperatiorem admirabantur.

PRO-

PROPOSITIO XXXVI.

Eligendus DESPOTICO REGIMINI seu absolutæ potestati ASSUETUS ne esto.

Quò absolutior potestas, hoc magis fit quod Rex vult.
Fieri quod quis vult jucundum.
Jucundum est bonum saltem apparens (quod ad movendos animos sufficit) & quidem maximum.

Nam alia pro bonis habentur, quia jucundi causa sunt:

Ergo absoluta potestas bonum, & quidem maximum apparet.
Bonum suetum magis expetitur.
Suetum est *bonum* cùm quis diu expertus est sive voluptatem præsentiæ in se ipso.

V. g. qui ipse ex domo regnatrice est, ut *Moschus*.

Sive dolorem absentiæ in se ipso, in alio voluptatem.

V. g. qui ex Republica, ut *Condæus*, aut gente despoticè regnata est, ut *Lotharingus*. Maximè, si non gens aut Respublica tantùm, sed & persona ejus sub illo despotico regimine, multa passa est, quod & *Condæo* & *Lotharingo* à Rege Galliæ contigit.

Huic ergo absoluta potestas magis expetitur. Id verò Polonicæ libertati periculosum.
Ergo eligendus ABSOLUTÆ POTESTATI suetus ne esto.

ALIQUOT LEMMATA.

Hactenus *dotes Candidati absolutæ* expositæ sunt, nunc de *relatis*; amicitiâ, & hostilitate, videndum est, quas cum Polonis aliisque exercet. Ideo de natura *veræ amicitiæ, beneficii, & gratitudinis aliquot lemmata præmittemus.*

PROPOSITIO XXXVII.

Verus amicus Amici bona per se expetit.

Ubi vera amicitia, ibi amor.
Amare est delectari alterius bonis.

Innumeras Platonicorum de *amore* & *pulchro* contemplationes, à Philosophis, inprimis Italis, ingeniosis Viris, penultimo & antepenultimo seculo resumtas, invenimus tandem huc omnes redire. Et ratio suadet; Nam *amor* pulchri est. Pulchrum est, cujus contemplatio jucunda est; cujus contemplatio jucunda est, ejus bonis delectamur. Ergo *amare* est alterius bonis delectari:

Quod delectat, per se expetitur, licet non ob utilitatem.

Rectè *Epicurus* olim & *Laurentius Valla* in libello de summo bono, & nostra memoria defensor *Epicuri Petrus Gassendus*, summum bonorum in voluptate collocarunt. Nam si, abducti à scholasticorum inanibus verbis, mente, respiciamus ad praxin vitæ, apparet, ubique nos voluptate duci, dolore absterreri. Quis pius est, quem non cœli præmia excitent, horror inferni percellat? Etiam quod solius Dei amore fit, id ob eam voluptatem fit, quæ ex contemplatione Dei capitur. Nam hoc ipsum est *amare*: contemplatione alterius *delectari*. Certè sola *voluptas* alterius causâ non expetitur; Quid enim est, quod ultra gaudii perpetuitatem optemus? cætera bona ideo tantùm bona sunt, quia vel efficiunt voluptatem, vel tollunt dolorem. Voluptas autem est, vel animi hinc *Bonum Honestum*; vel Corporis, hinc *Bonum Jucundum*; vel causa, aut requisitum utriusque: *Hinc bonum utile.*

Ergo verus Amicus Amici bona per se expetit.

Licet enim alia utilitas nostra non intercedat, hoc ipsum tamen satis utilitatis est, cujus bonis delectamur, ejus bona aucta delectationis materiam nobis auxisse. Hoc discrimen est veræ *Amicitiæ* à forensi, in qua multorum familiaritate utimur, non ut delectent, sed ut prosint. Cæterum, ut verè amicus amici bona per se expetit, ita & malis condolet; & ex hoc confirmatur, nostra *Amoris* definitio, quæ consistat in *congaudendo* bonis alterius, *condolendo* malis.

COROLLARIUM.

Verè amicus magnum bonum alterius parvo suo præfert.

Bonum est, quod appetitur.

De quo *Cardinalis Sforzia Pallavicinus* ingeniosissimo opere *de bono:*

Ergo duo involvit, à quibus intrinsecè æstimandum est: id quod appetitur, & ipsum appetendi modum.

Æstimatio illius est, quantitatis, molis, & extensionis; Æstimatio hujus est qualitatis, virtutis, & intensionis; illa materiæ, & objecti, hæc formæ & modi.

Appetendi modus eo variat, quod aliud per se, aliud ob aliud expetitur.

Per se expeti, summum est; propter aliud, infra summum.

Summitas non recipit gradus; quod verò infra summum est, id recipit, dum aliud aliò propiùs summo.

Ergo per se expeti, non recipit gradus, seu non potest, aliud magis, aliud minus per se expeti.

Porrò bonum veri amici per se à nobis expetitur *per Prop.* 36.

Ergo quod attinet ad gradum appetendi nostrum, non differt illud à summo Bono nostro.

Ergo restat, ut æstimetur tantum quantitate boni in se spectatâ.

Ergo bonum verè Amici majus; nostro minori simpliciter, etiam nobis majus est.

Ergo verè Amicus magnum bonum alterius parvo suo præfert.

PRO-

PROPOSITIO XXXVIII.

Vera amicitia est non nisi inter valdè aut sapientes aut stultos.

Verè amici bonum per se à nobis etiam sine utilitatis respectu expetitur *per Prop.* 37.

Interea, etsi utilitatis respectu non expetatur, suâ naturâ aut utile est, aut anceps (vel etiam quod deterius) planè damnosum.

Utile suâ naturâ illud bonum est, quo abuti nemo potest.

Quicquid *abusus* incapax est, erroris damnosi incapax est.

Erroris damnosi incapax est is solùm, qui quod optimum factu sit, novit.

Scientia optimi *sapientia* est.

Ut scientia boni *Prudentia*.

Ergo bonum amati suâ naturâ utile, sola ejus *sapientia* est.

Et quia in amicitia mutuus amor, mutua etiam sapientia erit.

Cætera bona omnia, ingenium, robur, decus, opes &c. abusûs capacia sunt.

Ea per se amare, est id per se amare, quod incerti eventûs est, & ita aliquando damnosum esse potest.

Rem verò incerti eventûs per se, id est, in omnem eventum, seu nullo utilitatis, damnique respectu amare, stultum est.

Et quia mutuus amor, mutua etiam stultitia erit.

Ergo vera amicitia non est, nisi inter aut sapientes valde aut stultos.

Hinc patet omnes illas teneriores *amicitias* inter necessarios, fratres, conjuges, collectaneos, condiscipulos, socios periculorum, conterraneos. Si sapientiâ non condiantur, aut esse instabiles, & momentaneas, aut stultitiâ, tantumque puerili lusu, vel fœmineâ mollitie, magisque appetitûs sensitivi impetu, quàm ratione contineri.

PROPOSITIO XXXIX.

Amicitia vera non nisi animi esse potest.

Amicitia vera est delectari amici bonis.

Non hoc aut illo scilicet ejus bono in specie, sed absolutè delectari hoc ipso, quod illi bonum sit.

Et ita delectari ipso Personæ corpore aut animo.

Corporis bona mutabilia sunt, & à persona separabilia.

Ergo qui corporis in aliquo bona amat, personam per se non amat.

Ergo omnis amicitia in amorem ANIMI alterius reducitur.

Nam ut rectè olim *Plato*, nunc *Cartesius*, *mens* est illud, quod sumus.

PRO-

PROPOSITIO XL.

Amicitia vera non nisi ex intimæ FAMILIARITATIS conversatione nasci potest.

Amicitia vera est fixus amor, seu amor cum intentione perpetuitatis.

Amor nisi noti esse non potest.

Et fixus amor non nisi ex notitia exacta, aut ejus saltem opinione (illud in sapientibus, hoc in stultis.)

Nemo exactam notitiam alterius, vel habere, vel quod habeat, sibi persuadere potest, sine intimæ familiaritatis conversatione.

Ergo amicitia vera non nisi ex intimæ familiaritatis conversatione nasci potest.

Familiaritas est, aut animorum tantùm, qualis etiam inter ignotos per litteras esse potest, aut corporum quoque. Quanquam fatear, rarò posse veram amicitiam existere, nisi & corpora familiaria fuerint. Nam & exacta animi notitia vix, nisi & corpore perspecto, haberi potest. Multum physiognomia, multum sermonis habitus, opinionem de altero adjuvat, & in repentinis eorum vocibus difficilior, quàm meditatis scriptionibus dissimulatio est. Porrò *sapientum amicitia* animo maximè, *stultorum* corpore conciliatur.

PROPOSITIO XLI.

Amicitia vera hodie inter principes rara est.

Rarò hodiè inter Principes intimæ familiaritatis conversatio est.

Neque etiam admodum suadenda. Nam animos puros servari decet ab affectibus; ut status rationi intentius invigilent. Innumera exempla sunt *ejus quod interest* inter pocula deserti. In congressu trium magnorum Principum, *Maximiliani I. Sigismundi* Poloni, *Ludovici* Hungari conclusum est connubium illud cum Austriacis, quod istis in Hungaria & Bohemia fundamenta jecit. In congressu Dresdensi Archiducum Austriæ cum Electore Saxoniæ, paulo ante bellum Bohemicum, tarda illa consilia, septem viri animis insinuata, quibus prope se pessundedit. Solent & ministri alterius alterutrius auro occupari. Multi in Germania quæruntur, plus in Westphalia, ac Noribergæ conviviis, quàm in toto Imperio armis Austriacos gessisse. *Cominæus* rectè notat, periculosos esse magnorum principum congressus, idque ille præsens exemplo *Caroli Burgundi*, & *Eduardi Angli* comprobat. Etiam induci solet varia quædam ostentationis comparatio, ex qua plus odii quàm amoris non rarò nascitur: constat enim unius aculeati dicterii memoriam in omnem vitam hæsisse. Ut de insidiarum metu nihil dicam:

Ubi rara intimæ familiaritatis conversatio, ibi rara quoque vera amicitia.

Ergo inter Principes rara vera amicitia est.

Neque etiam suadenda; nam ipsos non sibi sed Reipublicæ vivere decet: Principibus;

pibus; ut rectè *Argenidi Meleander*, ea dulcedo exuenda est; nihil gratiæ dandum; quod utilitati decedat. Innumeris exemplis constat, rebelles vitâ donatos præposteram misericordiam parricidio pensasse; sed illustrius nullum esse potest, quàm ipsius *Jagellonis*, nondum Christiani, qui toties à cognato *Vitoldo* servatus, quam gratiam ejus parenti *Kieystuto* rependerit, legi apud *Koialowicium* potest. Cæterum Principes, Juvenes rarius hodie, nisi cognati, simul educantur, peregrinationibus quoque à prudentioribus prohibentur. Hinc amicitiarum fundamenta jaci vix possunt, sed nec duraturæ facilè sunt. Principum non stultorum amicitiæ. Omnibus enim affectibus dominandi cupiditas flagrantior. *Navarrenus* & *Guisius* tam arctam Juvenes familiaritatem contraxerunt, ut communi etiam lecto uterentur: Iidem postea internecinis odiis in publico Galliæ theatro confixerunt.

PROPOSITIO XLII.

Amicitia vera INTER RESPUBLICAS nulla est.

Amicitia vera non nisi ex animo est, *per prop. 39.*
Animus nonnisi personarum naturalium est, civilium nullus.
Item:
Respublica est una persona civilis, sed in qua naturales sunt in perpetuo fluxu.
Ergo & animi eorum.
At *amicitia vera* non nisi *fixa* esse debet cum intentione perpetuitatis.
Ergo inter Respublicas vera amicitia nulla est, ergo nec odium.

Multa de populorum naturali Antipathia jactantur, quemadmodum *Carolus Garcias* Hispanus, & *La Mothe le Vayer* Gallus, de Gallorum & Hispanorum odio peculiare opus composuere. Sed si acutius introspicias, semina aliqua à natura jacta fatebere; at quæ non nisi novis causis, iisque non perpetuis erumpant. Nulla olim Gallorum & Hispanorum, sed Gallorum & Anglorum antipathia memorabatur. Nunc contra; (etsi fortasse aliquæ superent in plebe reliquiæ) in prævalentem Hispanum aliquandiu ab utrique conspiratum est. Quis crederet, inter Hispanos & Batavos odia cessatura? Unde ingeniosi Poetæ illud de viro quodam Magno, multarum linguarum perito:

Et quod postera secula obstupescant:
Hispanus simul, & simul Batavus.

Cessarunt tamen & propediem incipiunt in Gallos transferri. Vicini etiam plerumque odiis colliduntur. Hinc Galli olim Polonis, longè quàm Germani gratiores; nunc postquàm mutuò se experti sunt, contra est. Sed esto, sint toti populi sibi infestissimi; aliud populus, aliud Respublica est. Si Rectores se ament, jam inter Respublicas amicitia erit, sed non *vera*, non *fixa*, non duratura ultra Rectorum vitam.

PROPOSITIO XLIII.

Beneficium (& damnum) plus animo dantis, quàm facto æstimandum est cæteris paribus.

Qui vult juvare, (nocere) ille, quoties potest, facit.

Ergo animus bonus, (in aliis) seu voluntas juvandi (nocendi) indefinitè tot beneficia (damna) virtute continet, quot aliquando possibilia erunt.

Plura autem simul sumta, cæteris paribus, quiddam uno majus constituunt.

Ergo cæteris paribus BENEFICIUM (damnum) *plus ANIMO quàm facto æstimandum est.*

Beneficium est factum unius, quod est causa boni alterius; perinde, ut *damnum* mali. Utrumque aut *casuale* aut *voluntarium*. Casuale aut contra aut præter *voluntatem*; Voluntarium, aut *tertii* aut *dantis* aut *accipientis* causâ collatum. Ex his propositioni præcedenti applicatis hæc *Corollaria* sequuntur: (1. *Beneficium casuale contra voluntatem* (v. g. si incendiarius flammam domui injiciat, & eo terrore Dominus Podagrâ, hujusque præsentiâ, & sedulitate rursus domus igne liberetur: (*ipso nihilo adhuc minus esse.*) Scilicet incontrarium versum, & potius pro damno habendum. Uti numeri illi ficti in Algebrâ tria demtis quatuor. 3 - 4. Et uti obæratus ille dicebat, aliquam multis talentis opus est, ut nihil habeam (2. *Beneficium casuale propter voluntatem*) quod & in bruta cadit: v. g. cujusdam dormientis os grandis bufo constrinxerat; dum igitur expergefactus amoliri non potest, & hæret miser araneus è summo tecto collineans uno ictu bufonem interimit. Fingamus hominem amore aranei captum, accuratè eum servari curasse, & in cibum ejus aliquot muscarum greges aluisse; quis non eam gratitudinem stultam, & risu dignam habituras erat! (*nullum esse*) Nam cùm ab animo æstimandum sit, & animus sit nullus, nulla etiam æstimatio erit, deficiente velut forma beneficii: Cæterum si hoc nullum est, quod est præter voluntatem, adhuc minus & ita minus quàm nullum erit (3. *beneficium voluntarium, quod alterius causa datum est, esse exiguum*; (4. *quod dantis causa datum est, esse SEMIBENEFICIUM* (5. *quod accipientis causa, id demum esse INTEGRUM.* Nam quintus & mihi & meâ causâ prodesse vult; quartus mihi sed suâ causâ; ergo dimidium requisitorum abest; erit ergo *semibeneficium*; id verò adhuc tolerabilius, ipsum se quàm alium mihi prætulisse, ergo ille in ordine tertius, qui alterius causa me juvat, ne *semibeneficii* quidem nomen meretur. Cæterum hæc eadem de *damno* seu *maleficio* pari ratione intelliguntur.

PROPOSITIO XLIV.

Ubi beneficium in facto simul & animo, ita contrà gratitudo in solo animo consistit, seu pro beneficio nil nisi par ANIMUS debetur.

Debetur enim quod alter præstitit.

Sed

Sed nec alter nisi animum præstitit, occasionem expectavit.
Ergo nec beneficiarius nisi ad animum tenetur, seu summum conatum, ex quo datâ similiter occasione factum sponte sequetur.
Ergo gratitudo in solo animo consistit.

Scilicet ut per nos non stet, quo minus beneficium referatur; seu ut pro virili nostra parte nihil deesse patiamur.

PROPOSITIO XLV.

Beneficio CASUALI nulla gratitudo debetur.

Nam in beneficio Casuali animus juvandi non est.
Ergo nec animus referendi debetur.
Jam in solo animo referendi, omnis gratitudo, *per Prop.* 44.
Ergo beneficio Casuali gratitudo nulla debetur.

Hinc sequitur pro *beneficio casuali contra voluntatem* ei qui animo nocendi imprudens profuit (si daretur ut bonorum ita & malorum debitum) nihil aliud debitum iri, quam itidem animum nocendi, cujus eventus etiam fortunæ permittatur, si detorquere ictum, & mutare venenum in medicinam insolitatâ felicitate velit: similiter pro *beneficio casuali præter voluntatem*, deberi nihil, quàm ut rerum nostrarum satagamus, & fortunæ permittamus, si eâ occasione alteri felicitatem moliatur.

PROPOSITIO XLVI.

Beneficio etiam voluntario non accipientis, sed dantis aut tertii causa vel amore dato, gratitudo itidem non debetur.

Ergo qui suo vel amici commodo nobis profuit, debemus itidem nil aliud quàm ut nostro prosimus ipsi; id est, ut quemadmodum aliàs, conemur prodesse nobis ipsis.
Interim non impediamus obiter sua sponte internascens ipsius bonum, nobis non malum.
Sed adhæc jam tum & nobis, & cuilibet homini *naturali jure* tenemur.
Ergo ex beneficio tali nulla nova obligatio est. Jam *gratitudo* est obligatio ex beneficio orta; ergo beneficio tali nulla gratitudo debetur.
Ergo *soli beneficio integro, seu ex nostri amore profecto, gratitudinem debemus.*

Hæc *lemmata* ideo in primis à nobis curiosius exquisitiusque demonstrata sunt, ut vulgares quædam opiniones, quas de Principibus Viris plebs concepit, animis excutentur. Nam si Principem Principi familiarius assuescere, si cœptis ejus favere, si beneficia accipere, aut dare vident, causarum ignari, jam veram amicitiam, jam gratitudinis necessitatem somniant, quæ omnia procul à vera status ratione remota sunt.

 Nam

Nam demonstravimus, inter Respublicas ipsas veram amicitiam nullam esse posse *Prop.* 42. Ex quo sequitur Principes quoque, si status rationem, idque quod suæ Reipublicæ interest, servare velint, veros amicos esse, nisi ambo sapientissimi aut stultissimi sint, *Prop.* 38. non posse, sed & alia ratione idem evicimus, cùm enim conversatio fundamentum amicitiæ sit, *Prop.* 40. conversatio autem Principum rara sit, amicitia quoque inter eos rara erit, *Prop.* 41. Neque vero ex beneficiis amor arguitur. Non enim amicus verus est, nisi qui alterius bona per se expetit, *Prop.* 36. procul aut spe sua, aut mutuo metu. At vero beneficia pleraque, non ex amore sed utilitatis propriæ cogitatione proficiscuntur. Illis vero nec gratitudo ulla debetur, *per Prop.* 44. 45. 46. Cùm igitur inter Principes rarò vera amicitia sit, nisi cognatos, aut simul educatos *per Prop.* 41. Beneficiis autem tantùm externâ amicitia profectis gratitudo debeatur, *per Prop.* 46. consequens est, metuendum non esse, ut Candidatus, Polonico solio impositus, ei qui prius juvit, cum detrimento Reipublicæ gratus futurus sit, nisi necessitudine interiore devinctus, *aut quod interest*, utrique commune sit. Hæc *Theoremata* sunt contra *Moscum*, *Condæum*, & *Lotharingum*; non contra *Neoburgicum*. *Moscus* enim Rex factus haud dubiè amabit suam familiam, gentemque & illa ipsum. Ergo mutua in Poloniam conspiratio erit, nam & utilitas utrique communis erit: Polonos domari. *Mosco* quidem, ut suam ditionem augeat, ut perpetuum in vicinia hostem frangat, Regi Moscluico, ut facilior sit ad opprimendam libertatem via. *Condæum* equidem amore Regis sui nullo aut exiguo teneri, facilè concessero, sed tamen Monarchiam Gallicam amare, hanc promotam optare, nemo negaverit, tum Patriæ affectu, tum spe sua; Condæana enim familia Navarrenæ proxima est, & 30. ab hinc annis propè successionis certa erat. Accedit *ejus, quod interest, coincidentia.* Nam si *Condæus* Rex fiet, scopus ejus erit, potentiam augere, libertatem opprimere. Hic in Vicinia Adversarios Austriacos habebit, hos fractos cupiet; *eosdem fractos cupiet* Rex Galliæ prosequendæ Monarchiæ causa. Ergo hactenus amici erunt, ut Rex Galliæ *Condæum* in opprimendis Polonis, *Condæus* Regem in debellandis distinendisque Austriacis juvet. *Lotharingus* nisi prorsus ingratus est, aliquo necesse est amore Cæsaris Domusque Austriacæ teneatur, in qua educatus est, cujus beneficio tam diu lautè vivit, quæ summa quæque licet aliquando non satis merito procurare studet, quæ secretioribus eum pignoribus sibi obstrinxit, quæ non obscure generum designatum habet; si qua unquam hæc certe officiendæ veræ amicitiæ paria sunt, sed & utilitatum communio stimulat. Nam Lotharingus, cùm gener erit, orbitati cæsareæ imminebit: Imperatoris etiam Romani & Hungariæ Bohemiæque Regis nomen affectabit. Sin Domus illa Augusta novis velut supplementis, quod omnes optant, instaurabitur, grandes equidem spes istas omittet, communi tamen consilio res agentur. Austriaci Polonis sub jugum redigendis omnia conferent, contra à Genero jam firmato certum contra Turcos, Bohemos, Germanos, Gallos auxilium habebunt. Tales suspiciones in *Neoburgicum* per naturam rei non cadunt. Amore equidem Austriacis, Gallis, &c. extra ordinem obstrictum nemo prudens dixerit.

PROPOSITIO XLVII.

Eligendus ORBI CHRISTIANO gratus esto, seu Orbis Christiani consentientis consilia in eligendo à Polonis utiliter audiantur.

Orbis Christiani & Poloniæ scopus coincidit, *per Propos.* 7.

Quorum

Quorum ſcopus coincidit, eorum bonum idem eſt.
Ergo alter alterius bono delectatur.
Ergo verè Amici ſunt.
Amicorum verorum etiam amici communes ſunt.

Nam omnia communia ſunt, dum quiſque alterius bonum per ſe expetit, *per Prop.* 36. ſeu pro ſuo computat.

Ergo qui Orbi Chriſtiano conſentient; gratus, charus commendatuſque eſt, Polonis quoque commendatus eſto.

Ergo in Eligendo, ORBIS CHRISTIANI conſilia utiliter à Polonis audientur.

Hæc propoſitio uni *Neoburgico* favet, cæteris omnibus adverſa eſt. Moſcum certè nemo Chriſtianorum Principum ſuadet, nota ejus perfidia, barbaries, Tyrannis. Etiam Pontifex Maximus, etiam Clerus inſidioſam illam Pellaciam vitandam. Porrò *Lotharingicus* & *Condæus* inter ſe orbem Chriſtianum factione quadam diviſerunt, cùm enim potentiſſimæ Domûs ſint, & quæ Monarchiam affectent, aut minentur: Auſtriaca & Borbonica; ſeu Hiſpanica & Gallica; illa *Lotharingum*, hæc *Condæum*, omni niſu fovet: Ergo alter alterius patronum Hoſtem experitur, uterque *Neutrales* adverſos habet; Anglos ſcilicet, Suecos, Danos, Batavos, Principes Germaniæ, Italiæque, ut de Turca, quia Orbis Chriſtiani pars non eſt, nihil dicam. Alterutro igitur Rege ſumto, Polonia hoſtes ſibi, Regi ſuo amicos nimios emet, quorum neſcio, utrum ſit periculoſius. Nam ut hoſtes Gentis, *ſecuritati*, ita Amici Regis, *libertati*, quarum duarum conjugio ſcopus Poloniæ conſtat, *Prop.* 3. extremam perniciem intentant. At in *Neoburgicum* magno Chriſtianorum conſenſu itur. Neutrales, quos nominavi, omnes in hunc non obſcurè inclinant; Duæ verò factiones illæ, quemadmodum non amant, ita nec oderunt; Adverſario igitur utraque prælatum optat, admirabili fatorum & Poloniæ & *Neoburgico* faventium concurſu; *Neoburgico*, dum à cunctis juvatur; Poloniæ dum ille juvantium nulli obſtringitur; idque evidentiſſimè *demonſtrari* ſic poteſt:

Quem omnes juvant, is omnibus æquè obſtringitur.
Qui omnibus æquè obſtringitur, is alteri contra alterum non obſtringitur.
Jam aliquid in alterum conferre eſt contra alterum.

Nam Principes creſcere alterius potentiam nolunt.

Ergo ad aliquid in aliquem eorum conferendum non obſtringitur.
Ergo *quem omnes juvant, is nulli obſtringitur.*

Neque enim poſſibile eſt, ut in omnes æqualiter ſe diſpertiat, ut omnibus ſatisfaciat, quin ſe ipſum exhauriat. Si ut ineptè putant, Brandenburgico Boruſſiam, Suecis Samogitiam, Cæſari Cracoviam tradet, quid ſibi retinebit, quid Gallis, quid Polonis reſpondebit? Plebeia hæc ſomnia ſunt.

Item: *Neoburgicum* fortè non tam amore, quàm metu tertii juvant.
Pro beneficiis non amore noſtri, ſed ſua cauſa ab alio collatis, non obſtringimur *per Prop.* 47.
Ergo Neoburgicus *commendatoribus rerum ſuarum ſatagentibus ultra externa & forenſia officia non obſtringitur.*

Cæterum si oblato eorum favore non uteretur, saltem ad alteram factionem, aut utramque frangendam, non modestus, sed stultus esset: Præsertim cùm Polonia utriusque factionis hominibus plena sit, & ars contraria arte eludi debeat. At, inquis, Gallus *Condæum* reverà optat, Austriacus *Lotharingum*, quomodo ergo dici potest, orbem Christianum *Neoburgico* favere? Ego verò hoc in argumentum potius commendandi *Neoburgici* trahendum censeo, idque hâc demonstratione convinco.

In suffragiis æstimandis illa pro nullis habenda sunt, quæ manifestè ex amore aut utilitate propria proficiscuntur.

Demtis his Gallo *Condæi* nominandi, Austriacis *Lotharingi* incrustandi potestas auffertur.

Si suus cuique in quo nominando manifestè suspectus est, dematur, *Neoburgicum* omnes nominabunt.

Ergo suffragii eorum non pro suo, sed pro *Neoburgico* ratio habenda est.

Ergo in Neoburgicum *Orbis Christianus consentit.*

Ut taceam à nullo etiam apertè nisi *Neoburgicum* laudari, quod aliter scilicet honestè facere non possit, idque obtinuisse *Neoburgico* magna victoriæ pars, magnum virtutis testimonium est.

PROPOSITIO XLVIII.

Eligendus ne esto, qui Polonos LÆSERIT.

Qui semel, (multo magis qui sæpè, qui graviter) læsit; is animum lædendi habuit;

Mutasse non præsumitur.

Quod malum præsumitur, periculosum est.

Benefaciendo potentia augetur.

Periculosum auctâ potentiâ fit periculosius.

Maximè autem maximo beneficio, Regna.

Ergo *qui læsit* (scilicet nisi animum mutasse probetur) *eligendus non est.*

Idem aliter sub alia limitatione.

Qui *læsit*, opinionem potentiæ nostræ imminuit.

Opinio potentiæ est *honor.*

Honorem imminui nec restitui *turpe.*

Inter modos restituendi honoris *vindictæ deprecatio est.*

Vindictæ deprecationem à lædente faciendam non curat læsus, qui ejus promovendæ occasionem sciens omittit.

Occasio promovendi est conferre beneficium lædenti; sub conditione deprecandi.

Hanc omittit læsus, si *purè* beneficium confert.

Beneficium, & quidem maximum, Regnum est.

Omittere

Omittere occasionem recuperandi honoris turpissimum, & ab omni generositate alienum est.

Ergo qui læsit nec deprecatus est pœnam; eum eligere turpe est.

Omne turpe periculosum est *per Prop.* 14.

Ergo qui læsit nec pœnitentiæ signa dedit, eligendus non est.

COROLLARIUM.

Eo minus eligendus est qui læsit, quando eodem genere LÆSIT.

Turpe est, si quis honoris restitutionem sciens omittat, *per proximè demonstrata.*

Ergo tanto major turpitudo est, quanto certius est scientem fuisse.

Id verò tanto certius, quanto certius tempore conferendi beneficii; prioris læsionis recordatum.

Recordationis autem causa: similitudo.

Tanto facilius ergo recordatus, & per consequens turpior est, quanto similius est beneficium hoc priori læsioni.

Ergo eo minus eligendus qui læsit, quando in eodem genere læsit.

Hæc propositio cum suo Corollario manifestè *Condæo* & *Mosco* adversa est. Uterque læsit, uterque in hoc ipso genere læsit, in quo beneficium flagitat, nempe in negotio Electionis. *Condæus* quantis turbis suam ambitionem nobilitaverit, multis etiam hominibus orbitates, minæ, dissidia, proscriptiones, confœderationes, conjugia, moneta, aula, senatus, Tribunalia campique loquuntur. Infelicem illam & libertati ominosam de Successore Regis designando quæstionem, ejus factio excitavit, Gallicis mulieribus regnum implevit, lenocinnis grassata est, vacantia munia in gregales contulit, integerrimos viros corruptelis aggressa est, pertinaces & frangi nescios quæsito Majestatis crimine perculit, dissidia in regno aluit, tumultum militarem anxiè quæsivit, necessitate quâdam obstringere regnum voluit ad mutuandam à Gallis pecuniam, ad induendum se illis vinculis, unde pedem referre non posset. Cùm res non procederet, corrupta sine necessitate moneta est, ut vel sic ad auriffuos illos fontes, sitientes recurrere, cogeremur. Sed pertinax in libertatem Polonia, maluit sub tot malis gemere, quàm levamentum petere à tam inimicâ manu. Horum ego non ipsum prorsus Principem *Condæum* insimulo, sed paucos quosdam ambitiosulos Gallos Gallasque, qui domi famelici jam spe Palatinatus & Castellanias devorârant. *Moscus* ille, qui nunc nostrum Sceptrum suo filio indebitum flagitat, suum Sceptrum Regis nostri filio debitum, perfidè ac perjurè abstulit. *Uladislaus* noster electus erat, Magnus Moscoviæ Dux, Sacramento se illi obligaverant Mosci, paulum solennitati, nihil juri deerat. Cùm subitò unius seditiosi vocibus accensi in diversa, velut lymphati feruntur. Nihil illius scelere felicius, nihil nostrâ turpitudine infamius; si Regum nostrorum prædoni Regnum nostrum damus. Nihil de internecinis illis odiis, nihil de barbarâ feritate dicam, quâ Moscus in bello contra nos gerendo Turcam nuper facilè post se reliquit.

PROPOSITIO XLIX.

Eligendus COGNITÆ ante ambitionis materiam Polonis BENEVOLENTIÆ esto.

Qui benevolentiam tum demum declarat, cùm beneficium, & quidem maximum flagitat, quale Regnum est, is necessario tempore declarat.

Quod quis necessario tempore facit, necessitate facere intelligitur, nisi alia causa subesse probetur, præsertim si dudum potuerit.

Benevolentia necessaria nulla est.

Ergo ea declaratio ficta intelligitur.

Cujus benevolentia erga gentem ficta est, is Rex eligendus non est.

Ergo eligendus COGNITÆ ante ambitionis materiam BENEVOLENTIÆ esto.

Non satis est Candidatum nos non læsisse, decet etiam amicum fuisse. Ut igitur præcedens propositio contra *Condæum* & *Moscum*, ita præsens est contra *Lotharingum*. Is enim cùm à tot annis vacaturam Poloniam præviderit, cùm in vicinia fuerit, cùm nullo propè negotio Polonis innotescere potuerit, à nonnullis vel impudentiæ vel superbiæ accusatur, quòd vel spes suas non prospexerit, quas nunc tam calidè prosequitur, vel electores contempserit, quos nunc tam effusè prensat. Contrà *Neoburgicus*, qui se non ingessit, sed vocatus est; (quem ipsa Respublica, contractæ necessitudinis memor, nunciatio nuper per Primatis literas interregno, ad communicanda consilia amicè invitavit, quod erga *Lotharingum* aliosque Territorio proprio carentes, aliorum subditos vel ministros, vix factum puto) ubique & modesti & prudentis laudem implevit. Inde usque à viginti septem annis præsentium consiliorum fundamenta jecit, præsens Reges, Proceres, nobiles sibi conciliavit, Regum filiæ sororique, conjugi suæ priori, tenerrimum amorem, & præstitit, & elicuit, de cujus morte ita *Adolphus Brachelius*, recens compertæ fidei historicus, Lib. 1. ad annum 1652. » Rex victoriâ potitus de » Cosaccis trium phabundus Warsaviam revertitur, ubi eum luctus excepit domesticus, » intellectâ morte sororis suæ, *Annæ Catharinæ Constantiæ*, hæc enim cum initiis mo» tuum Brandenburgicorum Dusseldorpio Coloniam quietis causa concessit, iis com» positis, dum advenienti Principi marito suo læta mox occurrit, & præhensum manu » deducit ad aulam, repentino animi deliquio præ nimia hilaritate correpta inter ma» nus mariti Principis ex animis in terram collabitur, & postridie magno Principis luc» tu omniumque aulicorum, quibus ob mansuetudinem & clementiam eximiè cara ex» stitit, ex hac vita discessit, die nona mensis Octobris Anno 1652. Princeps omnibus » regiis virtutibus cumulatissima. *Hæc Brachelius*. Ex eo tempore *Neoburgicus* nunquam Poloniæ amorem curamque ex animo dimisit, Plenam Polonis aulam habuit, omni in eos officiorum genere benevolentiam effudit. Neque tamen Electionis causâ superstite & sibi & regno Rege, quicquam movit; reverentia legum morumque Polonicorum, quibus invisos hoc tractatus sciebat. Donec ad extremum Condæana factio malè dissimulata tandem erupit; tum verò in tanto Christianorum Principum ad restinguendum Poloniæ cunctis formidabile incendium concursu, sibi quoque quiescendum amplius & velut alteram patriam illaudabili torpore deserendam minimè putavit. Ergo junctis

tis sibi Suecis & Brandeburgicis, quorum intererat Poloniæ libertatem conservari, ivit obviam ambitioni, electionem non tam sibi faventem, quàm genti liberam quæsivit, libertatem non violavit, sed vindicavit; obstaculis liberæ electionis remotis, quæ Condæana factio posuerat, reliqua fatis et voluntati Polonorum permisimus; cæterum non desperans, tam grandi beneficio sibi animos initiari posse. Et certè favit DEUS conatibus & conanti & genti salutaribus. Nam Regi Christianissimo aliqui fraudum mangones crumenimulgæ persuaserant, omnia in Polonia in proclivi, mirum genus insumendum è Galliâ Regem consentium esse, tantum efficiendis captis pecuniolâ aliquâ opus, ne opera interrupta, minrque murorum ingentes penderent; quibus tam perditis vocibus, & maximum Regem gentis gloriæ ut decet, faventem, & generosum Principis *Condæi* animum impulerunt, ut tantâ re parcendum aliquot millionibus non putarent, quas isti procuratores in rem suam reddendarum rationum immunes, in succum & sanguinem converterunt, de cætero ne nihil egisse viderentur, & Poloniam extremè turbarunt, & gravem Gallico nomini notam inusserunt. Hæc verò Princeps Neoburgicus, cui exactè perspecta erant, Regi Christianissimo detexit, effecitque apud Sapientissimum Heroem, ut aversatus tam calida, tam funesta consilia; fœdere etiam inito profiterentur, neque sibi hæc grata fuisse, neque ampliùs suo nomine agi passurum; & regno ipso digniorem *Neoburgico* neminem putare; & omnem opem in posterum ad ejus commendationem convertere velle. Ita Principis Neoburgici beneficio Polonia tam gravi metu liberata est, qui à Rege Christianissimo falsis narratis occupato imminebant; & factio Gallicana velut succisis nervis flavescere cæpit. Præsertim postquàm Cæsar, Suecus, Brandenburgicus, initis & ipsi cum *Neoburgico* fœderibus ad vindicandam Poloniæ Electionis libertatem unitas vires contulerunt. Ex quibus patet, ingratissimos mortalium esse, qui versâ in invidiam beneficii laude *Neoburgicum* illegitimi ambitûs accusant, quasi externorum fœderibus ad coronam contendat, cùm tamen alia omnia evidenti demonstratione convinci possint. Ecce enim,

Polonia factione Gallicanâ plena est.
Eadem eam ipsa per se excutere frustra tentavit.
Testes tot Nobilitatis, tot *Lubomirsky* irriti labores.

Excutienda tamen est.
Ergo externâ ope excutienda est.
Hoc qui præstat genti beneficium præstat.
Ergo Neoburgicus *eâ re non odium, sed amorem meretur.*

Item:

Si interno motu excutienda est, intestino bello excutienda est.
Intestinum bellum Poloniæ extremè periculosum super alias gentes; *Prop.* 12.
Ergo externâ ope tutius id præstabitur.

Item:

Factio aut bello aut consilio excutienda est.
Satius autem consilio quàm bello.
Si consilio, ergo contrariâ factione.
Ergo *Neoburgicus*, si factionem factioni opponit factiosus culpandusque non est.

Quemadmodum qui vim vi repellit, vim fecisse non videtur, qui corruptorem corrumpit, qui conductum sicarium ad omittendum assassinatum reconducit, corruptor non est; actio de dolo doli exceptione perimitur.

Qui *Neoburgicum* ob fœdera cum exteris culpant, quasi in *Platonis* Republica sententiam dicunt, antiquum, & nulla exterorum contagione afflatum, sibi gentis statum imaginantur; qui tum Candidatum agebat, nihil aliud habebat, quod ageret, quàm ut Polonis placeret. Nunc occupatis variè animis ne placere quidem Polonis potest, nisi & extraneis placeat, vel saltem non sit exosus. Multi non ut prosint, sed ne noceant, colendi sunt. Nullus hic nimiæ necessitudinis, nullus conspirationis metus; tantus utrinque amor non est, ut huc usque processurus sit. Breviter.

Is Poloniæ status est, ut in exterorum potestate sit Candidatum impedire.

Si possunt & volunt, facient.

Ergo necessarium Candidato est hoc rerum statu efficere, ut vel *non possint* vel *non velint*.

Ut non velint, nonnisi *fœdere cum ipsis inito* efficere potest.

Ut non possint, si ipse satis potens non est, efficiet, non nisi *fœdere cum aliis* inito.

Hæc ergo fœdera Candidato necessaria sunt.

Quod necessarium est, justum est.

Neoburgicus igitur eâ in re, quod justum est fecit, quando cum Gallis & Austriacis ne noceant, vel ne apertè noceant; cum Suecis & Brandenburgicis, ut nocituro obsistant, fœdus percussit.

Ex his patet magnitudo beneficii à *Neoburgico* in Polonos collati, cujus effectum prudentes prævident, plebs confectis demum rebus laudabit. At verò, inquies, beneficium suæ utilitatis causâ contulit; Ergo gratitudo nulla debetur. Sed falsum hoc: Eo ille in Poloniam, alteram Patriam, à tot annis affectu est, ut etiam desperatis rebus suis, oppressionem ejus laturus non sit. Amicus autem dum amici res curat, internascens quoque commodum, alteri non solum non damnosum, sed & profuturum, impedire non tenetur, imo provehere debet. Et hoc ipsum *amicitiæ* est, aptare sibi, quod alteri bonum sit. Hoc ipsum *Sapientiæ*: deligere bonum sibi, quod simul justum seu publicè bonum sit. Sanè, si accuratius introspicias, magis ille se Poloniæ quàm Poloniam sibi optat; ipse Poloniæ, quàm Polonia ipsi proderit. Certè generositate magis, & familiæ decore, quàm libidine, avaritiâ, ambitione ducitur. Nam cùm ditiones florentes teneat, cùm eâ ætate, quâ alii missionem impetrare incipiunt immensum curarum agmen sibi attrahat, quid est, quo ille iâus fingi possit, nisi amore & Gentis Polonicæ & familiæ suæ? Has unione felices optat, sibi non addit voluptatem, sed aufert tranquillitatem maximum hujus vitæ bonum.

PROPOSITIO L.

Eligendus nulli Reipublicæ HOSTIS esto.

Qui hostis est, odit.

Qui *odit*, bona alterius odit.

Ut enim *amare* est delectari, ita *odisse*, est dolere alterius bonis.

Inter

Inter bona Regis nostri & Polonia erit.
Ergo hostis regis nostri & Poloniam odio habebit.
At Poloniam aliis Rebus publicis odio esse, malum.

Tanto magis, quanto hostis potentior & nos debiliores.

Ergo eligendus nulli Reipublicæ hostis esto, ne scilicet & nobis belli causa sit.

Idem aliter:

Si eligendus alicui hostis erit, in eum opprimendum, aut repellendum vires quas poterit, convertet.
Ergo & nostras si poterit.
Poterit autem multa talia nobis non sentientibus Rex præstare.

Quemadmodum *Sigismundus III.* octo millia equitum levioris armaturæ, quasi ab *Humanajo* Hungariæ Procere conducta Duce *Joanne Rogawski* subsidio misit *Ferdinando* sub Bohemis Hungarisque laboranti; quibus auxiliis *Bethlemi Gaboris* profligatæ copiæ, Viennaque obsidione liberata; sed nobis, stimulante Turcas in ultionem *Bethleno*, bellum Chotimense conflatum est. Notum est quàm Sueci personales à Rege profectas, quas jactabant, injurias, detortos titulos, immissos in Pomeraniam, Prussiam, Livoniamque Cæsareanos, retentam prætensionem, in invidiam Reipublicæ quasi conniventis, traxerint.

Vires porrò nostræ alio conversæ minuuntur absque damni compensatione.

Quid enim fructûs nobis ex inimicitiis Regis, nisi pericula?

Id verò damnosum.
Ergo & Regem hostili in aliquos per se ante initum regnum, & ita ob separatas à Polonia rationes, animo esse, damnosum.
Ego *eligendus NULLI Reipublicæ HOSTIS esto.*

COROLLARIUM I.

Ergo eligendus nec ille esto, qui facilè alicujus Reipublicæ HOSTIS FUTURUS videtur.

Nam qui facilè hostis futurus videtur, eum valde possibile est, hostem fore.
Quidquid valde possibile est, illud est *probabile.*
Porrò hostem fore, malum est *per Prop. 50. hic.*
Probabilitas mali *periculosa* est.
Ergo quemadmodum is qui jam certò est damnosus, ita qui facilè futurus est, periculosus est.
Ergo eligendus hostis alicujus Reipublicæ facilè futurus ne esto.

COROLLARIUM II.

Ergo eligendus nec MULTIS NON GRATUS esto.

Hostem, & *parum gratum* esse, differunt, ut majus à minore.
Minus repetitum, majori simplici æquatur.
Ergo idem est, hostem uni & ingratum multis esse.
Jam eligendus hostis uni esse non debet *per Prop.* 50.
Ergo eligendus NEC MULTIS INGRATUS esto.

Hæc propositio cum suis Corollariis est contra *Moscum*, *Condæum*, & *Lotharingum*: *Neoburgicum* non tangit. *Moscus* hostes: Suecos, Turcas, Tartaros habet. Iidem & nobis, *Mosco* junctis, hostes erunt; idque Tartari jam nunc denuntiant. *Condæus*, aut quivis alius ex Gallia, Candidatus certos hostes habet omnes, qui se Monarchiæ Gallicæ opponunt, Austriacos, Hispanos, Anglos, Suecos, Danosque, Brandenburgicum, & omnino Principes Germaniæ Italiæque, Triplumque illud jam ter triplicatum Fœdus, quod profectò non tam Belgicis nunc rebus olim, etsi hoc prætexat, quàm Polonicis intentum est. Nam cùm ejus scopus sit Gallicam potentiam moderari; & verò majoris ad stabiliendam Monarchiam momenti Poloniæ, quàm Belgii Hispanici accessio futura sit, plus etiam, si prudentes fœderis directores sunt, de quo nemo sanus dubitat, Polonis quàm Belgicis rebus invigilabitur: stimulante fœderis præcipuos autores, Bavaros, privatâ ratione, ut commercia maris Baltici libera & horreum Polonicum apertum sibi servetur. Quod si Gallus in potestatem redegerit, quem nunc longè supra Hispanum metuunt, periclitari sese videns non jam de fama, sed fame. *Lotharingus* certos & capitales hostes habet Gallos & Gallicissantes. Nam Patruo mortuo provinciam sibi nec injuriâ asseret. Sed hanc Gallus ita tenet, ut uno nutu totam inundare possit. Nam arma Duci abstulit, aditus occupavit, & sibi stipulatus est, propugnacula diruit: Ergo *Lotharingus* aut deserere provinciam tantam debebit, aut bellum in Gallum geret. Deserere avitas ditiones & summè damnosum, & extremè deforme. Bellum non nisi viribus nostris geret, nam per se nihil habet. Porrò cùm provincia tam remota non nisi præsidiis perpetuis contra hostem tam vicinum tamque potentem defendi possit: quantis in eam sumptibus opus futurum sit, quis non videt? Hæc omnis moles in nos redundabit. Sec nec extra periculum domi erimus. Quomodo inquies, quis Gallum tam remotum metuat? Sed verò cogitandum est, si Lotharingus Austriacus Cliens, nec dubius gener, Poloniâ potiatur, continuò odium & Monarchiæ universalis metum rursus velut jactantis fortunæ pilâ à Gallis in Austriacos, tam grandi accessione firmatos translatum iri. Nam cæterorum omnium generalis illa regula est: *neque Borbonicæ, neque Austriacæ Domus nimiam potentiam ferre.* Austriaca verò domus adeò debilitata non est, quàm imperiti putant. Languet maximè ob ætatem Hispani, ob orbitatem Cæsaris, quibus omnibus tempus medebitur, Modò, ut speramus Cæsar habeat:

Et Natos Natorum, & qui nascentur ab illis:

Et Hispanus:

Rursus in antiquam virtutem, animosque viriles adolescat. Portugalliæ is status est; ut quam primùm sub jugum Hispanorum redire posse videatur. Præterea sparsæ in multos Archiduces provinciæ nunc in uno Cesare omnes unitæ sunt, magno potentiæ incremento. Bello Germanico plus partum quàm amissum est, hæreditariâ Bohemiâ factâ. Germani nupera electione Imperatoris, debilissimo Austriacorum statu, tentatis omni-

omnibus, documentum dederunt, ne si velint quidem, ab Austriaca domo abiri posse. Hoc imperii arcano evulgato, jam nihil est, quod Austriaci in Germania vereantur. Ergo si Polonia accedat, si calidus Juventâ Princeps qualis Lotharingus est, consiliorum executor constituatur, Hispani sepositas aliquantisper Monarchiæ spes resumere audebunt. Et verò Suecis & Brandenburgicis, tum Moscis etiam & ipsis Turcis intolerabilior adhuc Austriacus Cliens gallicano habetur, majore potentiæ metu, quæ propinqua est. Prudenter *Thuanus* observat *Theodoro* Moscorum Principi & *Ernesto* Archiduci nihil magis nocuisse, quàm quod Turcæ suspectissimi essent, & ab eo summo conatu dissuaderentur, cujus, ut *Thuanus* addit, in eligendo Rege, prudentiores Poloni rationem sibi habendam existimarint. *Henricum* verò *Valesium* juvit, quòd eo tempore Rex Galliæ Turcam fœderatum haberet. Nunc verò illud certum est æquè & Gallum & Moscum & Austriacum Turcæ ingratum fore. Sed Turcas minus morabimur. Illud persequendum est, Poloniâ ad Lotharingum delata, fore ut Austriacorum opes reviviscant. Jam ergo odia in Gallum cessabunt, nec dubitabunt Sueci ad ejus stipendia redire. Quare cùm primum Regem Lotharingum Gallo apertè hostem sumemus, ille ut Lotharingiam sibi servet, ut nostras vires distineat vel exhauriat, facilè nobis Suecos iterum hostes immittet. Hos ergo fructus sive Austriaci sive Gallicani Clientis habebimus. *Neoburgicus* nulli ingratus est, quem omnes commendant, multo minus ergo hostis, qui nullum læsit.

PROPOSITIO LI.

Eligendus POTENS ne esto.

Præcedentes propositiones cavent ne velit nobis aliisve nocere, hæc ne possit.

Quo quis potentior absolutè, hoc potentior ad nocendum.
Hoc ergo plura ad nocendum requisita habet.
Hoc ergo probabilius, nociturum esse.
Probabilitas nocendi *periculosa* est.
Eligendus periculosus ne esto.
Ergo eligendus potens ne esto.

Potentia instar ancipitis gladii est pro voluntate utentis:

Idem aliter:

Quo quis potentior absolutè, hoc potentior ad infringendam libertatem nostram.
Hoc regibus solet bonum videri.

Neque enim quisquam verè tam sanctus integerque est, ut potentiæ cupiditatem prorsus exuerit. *Fallit enim vitium specie virtutis, & umbrâ.* Boni Viri, qui potentiam quærunt, ita cogitare solent: Cùm primum Rempublicam in potestate habituri sint, omnibus vitiis tollendis, aureo seculo reducendo, emendandis rebus humanis operam se daturos.

Quanto quis magis potest, tanto res est *possibilior*.
Quanto res bona est possibilior, tanto est melior.
Quo res melior, tanto plus appetitur.

Ergo quo quis potentior, hoc magis augmentum potentiæ & nostræ libertatis oppressionem appetet.

Et quidem, quia potens ac volet; facile præstabit.

Id verò contra scopum Reipublicæ est *Prop.* 3.

Ergo Eligendus POTENS ne esto.

Idem aliter:

Potens *metuendus* est, & contra: omnis metuendus, potens est.

Nam potens nocere potest; Ergo facilè nobis malus futurus est. Futuri mali opinio est *metus*.

Metus est aut conditionalis aut absolutus.

Quemadmodum aliud est *Volo*, aliud *Vellem*.

Metus potentis conditionalis est tum demum, si eum, quem metuimus, certum est nocere non velle.

Id est metueremus, nisi sciremus eum nocere nolle.

Quem certum est nocere posse, sed nolle, eum amamus.

Nam si certum hoc, fixa ejus erga nos benevolentia est; Ergo verùs amicus noster; amicitia omnis vera mutua est:

Sin hoc certum non est, cupimus effectum, ne noceat.

Cumque efficere non possimus, ne velit, per *hypothesin*; cupiemus efficere ne possit.

Ergo potentiam ejus imminutam cupiemus.

Ergo bona ejus nobis molesta erunt.

Cujus bona nobis molesta sunt, eum *odimus*.

Per *odii* definitionem.

Ergo quem metuimus, nisi amemus, odimus.

Hæc limitatio necessariò addenda est. Alioqui sequeretur, DEUM simul timeri, & amari non posse: Sic ergo intelligendum; in eum quem metuimus, medio inter *amorem* & *odium* affectu ferri nos non posse, necessario vel amandum vel & odio prosequendum.

Ergo potens Candidatus cæteris Rebus publicis, nisi quibus amatur, odio habebitur.

Jam odio eum haberi aliis, periculosum *per Prop.* 50.

Imo & amari *per Prop.* 52.

Ergo eligendus potens ne esto.

COROL-

COROLLARIUM I.

Eligendus per ſe Polonis POTENTIOR, in ſummo gradu periculoſus eſt.

Si Polonis *potentior* eſt, pars potentiæ ejus noſtræ toti æqualis eſt.

Per definitionem *Majoris* & *Minoris apud Thomam Hobbes in Elementis de corpore.*

In omni conflictu potentia æqualis æqualem adverſam perimit.

Ergo in ejus conflictu nobiſcum, perditâ noſtrâ totâ; pars potentiæ ejus reſidua erit.

Reſidua pars potentiæ ejus quantulâcunque, noſtrâ *Nullâ* major eſt.

Ergo ad prohibendam noſtræ *reſurrectionem* ſufficit.

Scilicet ſi nihil extrinſecus, accedat; id vero quia incertum eſt, in *demonſtrando* non attenditur. Nam qui de horologii motu aliquid demonſtrat, ipſam internam Horologii conſtructionem conſiderat, non externos caſus, qui evenire præter opinionem, & confringere rotas poſſunt. Et verò hoc ipſum auget periculum, contra certa pericula non niſi incertam ſpem habere.

Ergo qui potentior eſt, ad *æternam* noſtram *mortem civilem*, ſeu tum ad mortem potentiæ noſtræ, tum ad prohibendam ejus revivificationem, ſufficit.

Æterna mors ſummum malum eſt, civilis civile.

Ergo qui potentior Republicâ eſt, ad ſummum ejus malum ſeu mortem civilem ſufficit.

Ergo potentiſſimus eſt ad nocendum.

Qui potentiſſimus ad nocendum eſt, in ſummo gradu *periculoſus* eſt.

Nam ſi potens eſt periculoſus *per Prop. hic*, potentiſſimus erit periculoſiſſimus.

Ergo Eligendus, per ſe Polonis POTENTIOR, in ſummo gradu periculoſus eſt.

Hæc propoſitio cum Corollario directè in *Moſcum* incurrit. Hunc manifeſtum eſt parem jam olim nobis fuiſſe. Nam variâ fortunâ cum eo bellatum eſt; Smolenſkium pomum Eridos fuit, & fortunæ pila hinc inde jactata. Nunc debilitatis nobis, *per Prop.* 10. ipſe integer, haud dubiè ſuperior eſt. Hoc amplius, quod nobis deceſſit, id magnam partem ipſi acceſſit, ergo duplicato augmento ſuperbit, tum imminutione noſtrâ, tum acceſſione ſuâ. Ergo nunc nobis potentior eſt; Accedit, quòd peritia militaris in eo quotidie augetur, transfugis fœdâ mercede ad Barbaros cuncta deferentibus. Tartaros quoque & rebelles Coſaccos ita perculit, ut à Turcis ipſis incipiat formidari. Hunc, ſi in Regnum admittimus, quam extrinſecus ægrè ſuſtinuimus, jam actum eſt de Republica, de Libertate, de ſecuritate; Gladium ipſi præbebimus, quo nos juguler, prætextum Juris dabimus, ne ſine colore tyrannus ſit. Nam ſi Rex erit, quis dubitat, multos noſtrorum ei addictos fore? reſiſtentes quæſitâ criminum materiâ facilè pellet. Omnis nunc ſpes in armis erit, ſed quæ longè difficilius, ſeriuſque expedientur, hoſte in medio regno hærente, & patre ejus vel fratre grandi cum exercitu lateribus imminente. Quantò ergo ſatius malo cavemus, & nunc dum poſſumus, eum arcemus, qui receptus ſine exitiabili clade coerceri non poteſt. Scimus quàm difficulter Moſci partis ſemel rebus excuti poſſint; nulla gens obſidionum tolerantior, nulla

nulla inediæ, sitis, frigoris patientior. Hoc rerum statu an cæteros Christianos manibus intra sinum compressis quieturos putamus? non videbunt scilicet quantum ex Ecclesia, ex Republica petatur? duplicari Turcam, nasci potentiam opprimendæ Europæ parem, Germaniam à Polonico latere satis patentem, Barbaris in viscera Europæ viam apertam esse. Ergo ad restinguendum incendium omnes concurrent, in eos vel ut laxatis habenis vicinæ gentes effundentur, in planitie nostra, inter Turcas, Moschos, Germanos de Imperio, imò de salute, certabitur; impedimenta pugnantium erimus, præda victorum, sepulchrum vicinorum omnium; contemti Barbaris, quibus nos ultrò submisimus; abominabiles Christianis, quos stultitia nostra in extrema pericula conjecimus: Ita libertas, securitas, affluentia, honor, salusque & præsens & æterna interibunt. Cæterum indirectè hùc propositio etiam illos ferit, qui aliorum ope potentes sunt, quales est *Lotharingus* Austriacâ, *Condæus* Gallicâ, *Neoburgicus* nullâ. Sed hos ad *secuturam* mox *propositionem* differemus.

COROLLARIUM II.

DONA quæ eligendus Reipublicæ pollicetur, tanto minora censenda sunt, quanto ille potentior.

Quanto potentior est Candidatus, tanto (aut potiùs multo) magis potentior Rex erit.

Tanto plus igitur in Regno poterit.

Pro rata autem potentiæ in Regno, ejus erunt fructus Regni.

Ergo & dona Regno data.

Ergo quando potentior, tanto magis donando Reipublicæ, donabit sibi ipsi.

Donare autem sibi ipsi est non dare, sed retinere.

Ergo *quanto potentior eligendus, tanto minus donare videbitur.*

Scilicet quanto potentior erit, tanto minùs poterunt ab eo rationes exigi. Non est igitur cur sive *Moschicis* sive *Condæanis* tot millionum promissis multum moveamur. Quicquid Reipublicæ pecuniarum afferet Candidatus, ejus dispensator Rex erit. Dabit autem iis quos sibi obligare constituit, ita fructus ad ipsum, nudum nomen ad Rempublicam perveniet, paucissimi participes erunt, exiguo & insensibili necessitatis publicæ levamento; nam Summates illi in quos talia distribuentur, rursus in pompam, in luxum, in externas merces prodigent. Adde supra *Prop.* 2. *Corollar.*

PROPOSITIO LII.

Eligendus non multis nec potentibus amicus esto.

Suprà demonstravimus *hostem* aliis esse non debere *Prop.* 50. nunc ostendemus, nec amicum tutò fore. Quando autem in his & similibus propositionibus dicimus, Eligendum nulli, multis, omnibus, potentibus &c. hostem, amicum, obstrictum esse debere, vel non debere; non privatos sed Principes vel Respublicas intelligimus. Eæ enim solæ *personæ civiles* habendæ sunt, quæ libertatem civilem habent, seu subditi alicujus non sunt. *Servus* personam non habet in *jure privato*, ita nec *Subditus* in *publico*.

Multi,

Multi, etiam impotentes, simul sumti, *uni* potenti æquales sunt.
Ergo perinde est, multis, & uni potenti amicum esse.
Porrò, qui potenti amicus est, hunc potens amat.
Quem *amat*, ejus bonis delectatur.
Ergo ejus bona promovet.
Ergo potentem facere conatur.
Et quia ipse potens est, quod conatur præstabit.
At verò Rex noster aliunde quàm ex Reipublicæ voluntate potens esse non debet, *pe Prop.* 51.
Ergo eligendus nec multis, nec potentibus amicus esto.

Idem aliter ex *red-amatione.*

Contra: qui multis & potentibus amicus est, eos amat.
Ergo eorum bonis delectatur.
Bona Principum & Rerum publicarum adversa fronte concurrere solent.

Nam amicitia inter Respublicas nulla, inter Principes rara est. *Prop.* 41. 42.

Et uni alterius incrementa periculosa sunt.
Maximè si jam tum potens est.
Jam eligendus Polonis amicus esse debet, *per Prop.* 49.
Ergo Eligendus aliis Rebus publicis, ne dum multis & Potentibus, amicus esse non debet.

Etiam *Aristoteles* ostendit πολυφιλίαν raram esse, & *Cicero*, inquit, vix bina secula bina amicorum paria tulisse. Multò minus autem Regem præter coronam suam aliam velut pellicem, alere, amorem fructumque aliorsum spargere, & à Republica separatas rationes habere fas est. Qui Conjugi aliam super inducit, jam alteram nimium, alteram plus satis amat; iniqua hic æqualitas est, quicquid enim Conjugi detrahitur, pro pellice nimium est. Hæc propositio autem *Mosco*, *Condæo* & *Lotharingo* adversa est. *Neoburgicum* non tangit, *Moscus* potentem amicum habet Patrem suum, Gentem suam, ditionem suam. Hanc certè plus Poloniâ amabit, & amantem habebit, quia & familiarius novit, & sanguine, linguâ, moribus, religione contingit, & obsequentiorem, absolutèque sine conditione deditum habet. *Condæus* & ipse potentem amicum habet, *Monarchiam Gallicam*, cui ille omni nisu aderit, cùm primum Poloniæ Rex erit. Nec mirum; cùm spem successionis familia ejus non admodum ex intervallo habeat. Contrà Galli juvabunt ipsum, idoneum turbando distinendoque septentrioni, statuique Austriaco instrumentum. Nam Polonis Gallicissantibus, cogentur Sueci in gratiis suis triplum foedus, si non animo, saltem auxilio req. deserere, & ad sua tutanda reverti. Nec Cæsar tam validum in latere adversarium habens, movere sese, & Belgicis Provinciis sub Gallo laborantibus succurrere audebit. *Lotharingus* verò Austriacæ Domui potentissimæ adhuc, nec dum à summa spe dejectæ (*vide prop.* 52. *in Scholiis*) arctissimè illigatus est, nisi ingratissimus sit, abire ab ejus amore non potest. Nam huic alimenta, educationem, famam, & hanc ipsam quoque Regni spem debet. Sed & teneriore aliquo nexu Austriacis constrictum constringendumque, nec amici dissimulant, & in parte gloriæ ponunt. Cæsaris Sororem pactam esse. Utcunque autem hæc omnia prætereantur, interesse tamen suâ Cæsar putabit, si non aliâ, certè famæ & existimationis propriâ causâ, alumno rem ex sententia evenire, & ad gloriam pertinere rebitur, extorrem à Gallis factum, receptum à se sustentatumque Principem, suo potissimum auxilio ad tantas res enixum esse. Cæterum & gravissimorum malorum Polonis causam

 fuisse,

fuisse. *Sigismundum III*, Hispanicis Consiliis fascinatum, de opprimenda Poloniæ libertate cum Austriacis consilia agitâsse, literas ejus deprehensas, Regem ipsum penè culpam fassum, juvenilis errati veniam obtinuisse; Hispanos tamen exuere animo non potuisse: Hispanicæ classis spe recreatum confectam propè cum Suecis pacem rescidisse, atque ita per ipsum stetisse, quo minus diluvium illud Suecicum evideretur, quod his demum temporibus insolito maris Baltici æstu Poloniam exitialiter inundavit. Jam auxilia Austriacis contra *Gabrielem Betlenum* à *Sigismundo* missa, arma Turcica provocasse, & Chotimense bellum conflasse, quod etsi in speciem honorificum, & exitu lætum, irreparabile tamen damnum Polonis inflixit, retracto metu Turcarum, *Uladislao*, qui intimis Moscorum visceribus hærens, & non dubiâ spe imperio imminens, deserere coactus est nunquam redituram occasionem tanta terrarum spatia Reipublicæ adjiciendi, & infestas gentes, Christianos tamen in communem hostem Turcam & Tartarum, uniendi. Porro Austriacos adhuc Imperii nomine Prussiam & Livoniam sibi asserere; nupero quodam Chirographo, ab aliquot Polonis, privato Consilio, comitiis non coactis, tempore periculoso, dato, ipsam Coronam vindicare; *Scepusii* etiam Urbes *Uladislao Jagelloni* à *Sigismundo* Cæsare oppignoratas reposcere. Horum omnium illi, quorum Princeps *Præfectus*, in Austriacos culpam conjiciunt, acerbius justo quidem, negari tamen non potest, omnem & Vicinum & potentem & potentiæ augendæ intentum, timendum esse. *Neoburgicus* verò amicum interiorem nullum habet præter ipsam Poloniam. Non Suecum, neque enim hunc ipse juvit, aut ille ipsum. Toto Belli Germanici tempore Imperatori (ita tamen ut Bello se non implicaret) uti Principem Imperii decebat, cum Serenissimo Parente hæsit. Ad Suecorum Regem, in Polonia rerum potientem, Cognatum licet, minimè se applicuit. Nulli certè protestantium nimis charus est, quos domus ejus deseruit, quibus Conjugem ipse subtraxit; Jam de amicitia ejus cum Cæsare Galloque dicere quid attinet? nemo Status publici peritus eundem ab utroque adversariorum ex animo commendari posse credet. Ergo alteruter reapse aliud agit, aut quod verius, uterque.

PROPOSITIO LIII.

Eligendus VICINUS ne esto.

Quo Vicinior, hoc brevior motus.

Quo brevior, hoc cæteris paribus minùs per obstacula refractus.

Cæteris paribus, inquam, nam alioqui fateor, motum breviorem in aqua magis quàm longiorem in aëre, refractum iri.

Quò irrefractior, hôc servantior impetûs primi.

Primus impetus motûs sibi relicti, est potentissimus in suo genere.

Nam quod gravia descendendo majorem semper impetum sumunt in ratione numerorum ab unitate deinceps imparium, id nova continuò causæ accessioni, sive attractioni effluviorum terrestrium, sive aëris impulsui tribuendum est.

Ergo quanto quis vicinior, hôc potentior.

Quô potentior, hôc minùs eligendus *per prop.* 51.

Ergo eligendus Vicinus ne esto.

Vicini hoc magis timendi Polonis, quò apertior undique Polonia est. Nam flumina sola parum tuta sunt; quàm facilè Tartaris Borysthenem transire, quàm facilè *Gustavus Adolphus* Rhenum transmisit, *Carolus V.* in Albi vadum invenit, *Zarneccius* nuper

nuper Vistulam tranavit? Regio ea demum situ loci satis tuta est, quæ montosa est, montes verò Polonia Carpathios solos eâ solùm parte habet, quâ Hungariæ obversa est. Sed nec munimenta habet Polonia, quibus transitus fluviorum defendantur, quanquam de Borysthene muniendo frustra aliquando cogitatum sit. Cæterum ex hac propositione sequitur *Corollarii* instar, *eum quoque eligendum non esse, qui Vicinos amicos aut hostes habeat.* Perinde enim est ac si potentes amicos & hostes habeat, quod est contra *prop.* 50. *&* 52. Porrò hæc propositio *Moscho* directè adversa est. Is enim non solùm per se potens, sed & vicinus est; vicinitas autem & ipsa potentiæ genus est, & quælibet pars *potentiæ per se* multiplicatur per Vicinitatem, & per consequens, potentia integra vicini potentis est velut factus ex ductu vicinitatis in potentiam per se, & ita erit velut factus ex ductu potentiæ in potentiam. Ergo *potentia simplex ad potentiam integram Vicini & potentis simul; erit, ut radix ad quadratum, vel latus ad rectangulum*, quod secundi *Corollarii* rationem habere potest. Adde simile quiddam *infra prop. 60. propè finem demonstrationis.* Eadem propositio indirectè quidem & mediatè, *Lotharingo* adversa est, cujus certus & potens amicus, (Domus Austriaea) nobis Vicinus est. Nam ut ex *prop.* 52. *demonstratione* patet, etiam is potens est, qui potentem amicum habet. Etsi tanto minùs, quanto minor, incertior, instabiliorque amicitia. At verò & magnam, & certam, & ob *ejus quod interest, stabilem coincidentiam*, & arctioris fidei pignus, duraturam quoque Lotharingi cum Austriacis amicitiam esse, in Scholiis *prop.* 52. & passim ostensum est. Cæterum *Condæum* & *Neoburgicum* hæc propositio neque directè, neque indirectè tangit; sed tamen *Corollarium* ejus *prius* ad *Condæum* quoque eâ ratione pertinet, quia Vicinos Poloniæ hostes habet; Austriacos quidem certos, tripli autem fœderis membrum Suecos non valde incertos. At *Neoburgico*, inquies, si nullus alius, certè Moschus hostis erit. Ita sanè, sed hoc omnes ad Candidatos pertinet, quibus omnibus Moschus infestus erit, minùs tamen *Neoburgico*, quàm cæteris, quia minùs potentem minùs timebit. Quod de Cæsare & Gallo non est; horum enim neuter *Neoburgico* ob exclusum clientem suum, infestus erit, quia & adversarii clientem exclusit. Porrò si hæc ratio valet, valebit ad excludendos omnes, præter Moschum, id est, ad eligendum ipsum Moschum, quam tamen rationem Poloni tam validam non putant, & nos in *Scholiis prop.* 51. ostendimus, majorem à recepto, quàm spreto, metum esse. Cæterum & tertium *Corollarium* hic addendum est; *Intestinum potentissimum* (cæteris Paribus) *esse*. Intestinus enim est Vicinissimus, Vicinissimus est potentissimus *per Prop. præsentis demonstrationem.* Ergo intestinus est potentissimus. Cæteris paribus, inquam, nam omnes illos, qui simplici potentiâ ei æquales sunt, eo ipso potentiâ vincet, quia vicinissimus, quia intestinus est. Hujus Corollarii usus erit *infra prop.* 60. cum de *Piasto* agemus.

PROPOSITIO LIV.

Eligendus EGENUS ne esto.

Hactenus ostendimus non potentem, (& per consequens, nec potentibus amicum;) nec vicinum esse debere; nunc restat, ostendamus, nec nimis impotentem, & egenum suadendum.

Egenus est, cujus sustentatio ab alterius voluntate pendet.

Is ergo maximum ab altero beneficium, sustentationem, accipit; maximum damnum, alimenti subtractionem, accipere potest.

Ergo maximam & ad amandum, & ad timendum inclinationem habet.

Et timor cessat quidem metu cessante, amor tamen non cessat, beneficio cessante.

Quem quis amat, vel timet; vel amat, & timet, ejus voluntatem sequitur.

At alterius voluntatem sequi Regem, Reipublicæ periculosum est.

Confer Prop. 55. infra, ubi demonstratum, Candidatum non debere obstrictum alteri esse; nam alterius voluntas incertum est, an non in nos mala sit, imò probabile est malam esse, quia Respublicæ plerumque æmulæ sunt, & altera alterius commodis obstat adde Prop. 41. 42.

Ergo eligendus EGENUS ne esto.

Idem aliter:

Quo quis plus eget, hoc plus appetit.

Quo plus appetit, hoc plus, si potest, rapit.

Potest autem Rex.

Quis enim omnes ei occasiones præveniat? certè Magistratus constituere in ejus manu est.

Ergo facilè *Simoniam* illam *Politicam*, Gallis usitatam, officia plus offerenti addicendi, introducet:

Ergo hoc plus rapiet.

Ergo Regnum expilabit.

Id verò est contra αὐτάρχειαν & libertatem.

Ergo eligendus ne esto EGENUS.

Idem aliter:

Regi novo constituenda denuò aula, instruenda suppellex, omnia tanto magnificentius quanto plus ab initiis authoritatis opinio pendet.

Ei rei proventus mensæ Regiæ non sufficiunt.

Illi enim vix ordinariis hoc rerum statu sumptibus sufficiunt, & alioqui in interregno sic atteruntur, ut respirare diu non possint.

Ergo aut Candidato de suo aliquid effundendum est, quod egenus non potest, (Rempublicam potiùs egestate suâ, & liberorum numero oneraturus, cùm alibi aliundeve nil habeat.)

Aut imponendæ extra ordinem *Contributiones*.

Eæ verò & fortunis, & libertati damnosæ.

Ergo eligendus EGENUS esse non debet.

Hæc propositio rectè considerata etiam *Mosco* adversa est. Nam dives habendus non est, cujus opes ab alterius voluntate pendent, qui sibi non sufficit. Jam Moschi filius quidquid habet, Patris est. Neque enim peculium aliquod liberis principis, apud barbaram istam gentem assignatur quæ adeo dura & avara est, ut filias Magni ducis ne dotare cogatur, innuptas in Monasteria detrudat. Quo ineptius, quod nuper aliqui de matrimonio Lotharingi cum filia Moschi fabulabantur. Porrò si Moscho hoc opponi potest, nec *Condæus* objici idem sibi dedecus putet. Omnis ille egens est, qui totus alterius est, qui nec se sibi habet, & quicquid sibi habet, alteri habet. Reditus quoque ejus non fixi, non stabiles, sed salarii rationem habentes. Quisquis autem solo *salario* vivit, egeno certè quàm diviti propior. Neque principes Galliæ territorium independenter possident: quicquid tenent, Gubernatorum titulo à Rege tenent. Jam qui terri-

rito-

ritorium non habet, ejus opes radicibus carent; quo nomine Legatus Hispanus thesaurum sui Regis, thesauro apud D. Marci Veneto, quem lustrabat, prætulit, qui radices in America habetet. Ergo qui territorium non habet, is nec satis dives erit; perire enim omnia præter territorium possunt. *Condæus* ergo, cujus reditus à Regis Galliæ voluntate pendent, obnoxius ei sit necesse est. Nam etiam cùm Rex factus erit, tamen percipere suos è Gallia reditus optabit; Ergo Rex noster perpetuus Regis Galliæ stipendiarius erit, & memoria beneficii, & metu amittendæ pensionis obstrictus. Jam *Lotharingum* hæc maximè stringunt. Is enim non modò territorium non habet, (nam quod habere, nisi per bellum, cum potentiore, non potes, perinde est, quasi non habeas) sed nec thesaurum sortemque cujus fœnore vivere possit; ergo velut in diem vivit, & annuis stipendiis Tribuno militum Cæsareo debitis, ac de cætero quotidiana Cæsaris munificentia sustinetur. Quatuor scilicet divitiarum, aut potius sufficientiæ gradus sunt: (1) *Territorium habere*, (2) *thesaurum habere*, (3) *salarium habere*, (4) *extraordinariâ viâ, indefinitâ, incertâ, alterius liberalitate sustentari.* Ex quibus ultimus gradus exiguus profectò, aut nullus est. Is verò in Lotharingum potissimum cadit; nam salarium illud Tribuni vel Colonelli inter principis alicujus reditus vix nominari dignum est. Ergo Cæsari, cujus alumnus est, gratus, obnoxius, amicus, mercenarius, non potest non esse, & nunc maximè quaslibet conditiones subscribet, ne deseratur. Collocaverat verò & in Patruo Duce Princeps Lotharingus spem nonnullam, cùm enim ditionem invito Gallo tenere se posse diffideret, & patruum cerneret omni ope niti, ut filio naturali territorium principe dignum compararet, non rapinam arbitratus est, jacturâ principatûs regnum redimere. Ergo necessariam pecuniæ summam pactus certis conditionibus renuntiare juri suo parabat, & jam patruus exesas rubigine arcas, & stipatos principalium Belgarum lacrymis loculos aperire lenta & hæsitante manu moliebatur, cùm subitò Rex Galliæ tripli fœderis, & Lotharingicarum veterum tricationum æquo metuentior, intercessit, noluit hoc infestæ sibi familiæ clientis incrementum pati, negavit Duci, illud se jus agniturum quod damnoso Gallis pacto acquisisset; sin pergeret, sin denuntiationibus non acquiesceret, hostis loco ac numero fore; omnem spem conservandi in principatu filii, quam nunc Rex non planè deneget, deponere debere. Jamque stabat in finibus miles, & Mosæ transitum *Crequius* tenebat, ita territus patruus, majorem suæ, quàm alienæ salutis rationem habere cœpit, & omissa nundinatio est, & fons aurifluus, qui cùm prosilire cœperat, subitò suffocatus, arentem destituit. Omnia ergo ad Hispanica nunc & Austriaca subsidia redierunt. At verò fodinæ Americanæ diu nimis cultæ, respirant nunc aliquandiu & interquiescunt. Ergo ad extremum omne incumbet in Rempublicam onus. Hæc suppellectilem, aulam, Comitatum, ornamentaque omnia novo principi instruet, continuò etiam nuptias curandas habebit, quarum profectò sumtus facilè excedere dotem potest. Et verò sumptus Reipublicæ, Dos Regis erit; & quod nunc tam difficili tempore monetæ restaurandæ impendi utiliter posset, in luxum pompamque inutilem, sed necessarium tamen, ut nunc sunt tempora, prodigetur. *Neoburgicus* verò opes, ut mediocres, ita stabiles, & proprias, & uno Verbo *suas*, habet, habet enim & *territorium*, & *thesaurum.*

Territorium tribus inclytis Ducatibus constans, si opus sex militum millia, commodè alere in Polonicæ Reipublicæ usum potest; & verò etiam ingentes annuos reditus facilè præbet, quæ summa profectò magno Poloniæ levamento esse potest; & princeps, quanto per se plus habet, tanto liberius, liberaliusque proventus mensæ Regiæ in Reipublicæ usum, in monetam, in militem impendet. Thesaurus *Neoburgico* certè Regius est, & longâ majorum diligentiâ collectus, & propriâ, cùm prudentiâ in regenda ditione, tum felicitate in ducenda uxore, magnificè auctus. Nam quod ei *Anna Catharina Constantia*, Princeps Poloniæ, conjux prior, dotale attulit, id quanti æstimatum sit, legi apud *Piasecium pag.* 504. potest. Hoc ille Poloniæ donum, Rex factus in Poloniam potest referre, quod certè contemni non debet. Nam, teste alibi eodem

Piasecio in *Sigismundi* III. electione eadem conditio ac pollicitatio multum valuit, quod ita *Catharinæ* matris, & *Annæ* amitæ, principum Poloniæ, bona mobilia, & pretiosissima supellex (cujus bona nunc pars in hanc Neoburgici dotem confluxit) in Polonia conservarentur. Quod etiam & *Henricus Valesius*, & *Ernestus* Austriacus apud *Thuanum*, & *Fredronem* polliciti sunt, de se juvenibus Polonis in exteris locis studiorum causa sustentandis, id *Neoburgicus* & promittit, & facilè præstabit. Nam Ingolstadii, & Coloniæ antequam peregrinando longiùs eant, rudimenta studiorum ponere pulchrè possunt, utraque Academia Catholica (nihil enim efficacius dilatandæ novitati in Polonia fuit, quàm quod spretis *Sigismundi Augusti* decretis, juventus protestantium Scholas visere permissa est) utraque ditioni hæreditariæ Regis sui, illinc Neoburgicæ, hinc Juliacensi, viciná. Et verò illa peregrinationum vera ratio est, quæ gradibus constat; qui initio statim in remotiora abit, & omnia nimis nova offendit, & suorum consilia subsidiaque præmaturè quodam intervallo abrumpit, & in sueto corpore aërem ægrius fert, tum verò multa apud longè remotos, Gallos, Italos, Hispanos, admiratur, & insanis sumptibus conquirit, quæ illi vicini Germani aut Belgæ, aut æquè, aut etiam melius præbent. Ergo Polonos, Germanosque Germaniam prius Belgiumque lustrare decet, inde præparato animo & corpore, cognitis, jam suis suorumque & vicinorum rebus, aliena & dissita temperantiùs æstimabunt. Ostendimus, *territorium thesaurumque Neoburgico* esse, qui duo sunt summi sufficientiæ gradus. *Salarium* verò & *sustentatorem* adeo non habere se, lætatur, ut etiam eò gratiorem se Polonis putet, quòd alterius stipendiarius non sit. Attamen referri huc potest, quòd filiis plerisque de Beneficiis in summis per Germaniam Electoralibus, Archi-Episcopalibus & Episcopalibus Ecclesiis providit, eosque ita beneficiarios fateor, stipendiarios, & obstrictos fecit, sed quod periculo caret, Ecclesiæ Catholicæ, & Dei, de quo suprà *in scholiis Prop.* 31.

PROPOSITIO LV.

Eligendus nulli OBNOXIUS esto.

Obnoxius est, qui necessitate juris, vel facti, quod alius velit, facere tenetur.

Necessitas juris apud gentem, cujus scopus justus est (quales Poloni per *Prop.* 8.) *necessitati facti* æquivalet.

Nam præclara *Papiniani voce* in *L. filius*, 15. *digest. de Conditionibus Institutionum.* » Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, (& ut gene- » raliter dixerim) contra bonos mores sunt, ea nec facere nos posse credendum est.

Facere quod alius velit, periculosum est, si ejus voluntas periculosa est.

Omni Reipublicæ, & Principi regulariter voluntas alterius periculosa, adde *Prop.* 41. 42.

Rerumpublicarum enim, & principum perpetuus invicem affectus est, æmulari, & invidere, alterius incrementum nolle.

Necessitas rei periculosæ periculosa est.

Eligendus igitur alteri OBNOXIUS esse non debet.

Idem aliter:

Imminuta subditorum libertate augetur potestas Principis.

Auctâ

Auctâ potestate Principis augetur non quidem potentia per se, *agilitas*, tamen Reipublicæ.

Id aliis Principibus & Rebuspublicis displicere solet. *Confer. Prop.* 41. 42.

Ergo Respublicæ, vel principes, alterius Principis subditos fovere, eorumque libertatem defendere volent.

Ita vindices libertatis Germanicæ Galli, Dani, Sueci fuerunt, Gallicæ & inprimis Rupellanæ, Angli, & ipsi Hispani; Batavæ Galli, Angli, Germani.

Nisi principem illum *Obnoxium* sibi habeant.

Ut enim Austriaci *Sigismundum III.* tum enim aucta ejus potentiâ etiam propriam augent.

Obnoxius ergo aliis princeps, vindices libertatis Reipublicæ in insidiatores, quod periculosum, transmutat.

Ergo eligendus OBNOXIUS alteri esse non debet.

Hæc propositio præcedenti connectitur, quia etiam *Egenus* sustentatori suo obstrictus est. Porrò obstrictus aliquis est *jure* & *facto*. *Jure*, qui alteri subditus est, qualis *Condæus* Regi suo, adde *Prop. seq.* & *supra schol. Prop.* 52. Moscus Principi, & patri; item, qui beneficio vero, & grandi & ex animo profecto, & accipientis causa collato; Affectus est, is gratitudinem debet *per Prop.* 44. *& seq.* Talis est *Lotharingus* Austriacis. De quo *in scholiis Prop.* 52. *&* 54. At verò *Neoburgicus* nulli. Nam & *Lotharingum* vera & interioris affectus caritate Austriaci prosequuntur, & cùm ille his solis nitatur, *id quod interest* etiam, seu scopus ejus; Austriaco ἀγαλλιᾶται. At verò, cùm nullus sit, quo uno *Neoburgicus* stet, cadatve, præter voluntatem Poloniæ, neque scopus ejus alterius scopo concidet, cumque à cunctis non amore interiore (cujus causa & occasio apparet nulla) sed *mutuo metu deterioris* commendetur; isti etiam beneficio vera gratitudo non debebitur, *per Prop.* 45. 46. Ergo eo nomine obnoxius nulli erit. Est etiam aliquis Jure ei obnoxius, cujus minister est, à quo stipendium capit, cui sacramentum dixit. Talem *Lotharingum* Cæsari esse, cujus legioni alicui præest, negari certè non potest. Nos verò Regem nolumus, qui nisi improbus, ingratus, ac propè perjurus sit, nobis bene imperare, animum ab aliis suspectis abducere, nobis se unis devovere non possit. Facto ei obnoxii sumus, quem iratum veremur, qui damnum dare impunè potest, si velit. Is ergo non irritandus obnitendo, sed obsequendo placandus est. Talis Gallus *Condæo*, nam, Regem licet factum, aurea adhuc catena, ligatum habebit, pensiones quippe, quas à Rege in Gallia, Regias ferè & magnificas, capit, invitissimè deserentem; ergo operam daturum, ut ille se morigerum præbeat, qui & continuare stipendium, & uno nutu imbrem argenteum sistere potest. Talis idem Gallus *Lotharingo*. Nam si tam felix Lotharingus est, ut ditiones avitas mortuo Patruo recuperet, certè invito Galliæ Rege vel non obtinere, vel non diu retinere sine immani sumptu potest.

Lotharingiam quietè cuiquam habere impossibile est, nisi qui obnoxium Gallis animum gerit, omnesque eorum nutus suspicit. Necesse est ergo, Lotharingum vel *hostem* Gallorum, vel *Obsidem* esse. Hæc omnia, quàm periculosa sint, quis non videt? Quid prodest corpus Regis habere, si animus ejus apud alium sit, vel ut dominum, vel ut amicum? Amicus quidem Reipublicæ verus esse non potest, qui vel amore vel metu occupatus, liber amplius, & sui juris non est, ut, quod Regem decet, Mentem puram, adhuc & integram mancipare uni Reipublicæ, hujus bona malaque sua credere, hujus scopum sibi præstituere, huic uni se datum meminisse possit.

PRO-

PROPOSITIO LVI.

Eligendus EXTRANEORUM auxiliis ET SI UTATUR; tamen non NITATUR.

Niti eâ re dicimus, quæ necessaria est, seu qua demtâ spes nulla est. *Uti* ea tantùm, quæ utilis quidem, sivè ad augenda auxilia, sive ad tollenda impedimenta. Sic tamen, ut eâ amissâ, non ideo desperemus.

Jam si quis extra Poloniam Candidato ad electionem necessarius est; integra potestas electrix in Polonis non est, sed pars in extraneo.

Extraneum in maximo Reipublicæ negotio tantum posse, & turpe, & libertati adversum, cujus pars maxima, libera electio est contra *Prop.* 3. & 9. & 14.

Qui in maximo Reipublicæ negotio tantum potest, simpliciter *Potens* censendus est in *Republica*.

Ergo & potens ad nocendum, & simul intestinus.

Intestinam autem *Potentiam* hoc ipso majorem esse, & periculosiorem, vide *Prop.* 53; *Corollar.* 3.

Et cupidus etiam nocendi, more omnium Principum, & Rerum publicarum, invicem æmularum, vide *Prop.* 41. & 42.

Ergo facilè nocebit.

Ergo QUI EXTRANEIS NITITUR, Candidatus, turpis, libertati adversus, periculosus est.

Idem aliter:

Eligendus eo demum *nititur*, sine quo nihil Regni (quia Regnum indivisibile est) acquisivisset.

Per definitionem præmissam.

Sine quo quis nihil acquisisset, ei acquisitum in solidum debet.

Ergo si quis pluribus nititur, singulis beneficium in *solidum* debet initio, *concursu fiunt partes.*

Uti in *jure accrescendi*, vel potius non decrescendi inter conjunctos.

Omnis eligendus, qui extraneo *nititur*, eo ipso pluribus *nititur*, nempe & Republicâ, sine cujus voluntate, & extraneo, sine cujus ope, non obtinuisset.

Ergo utrique beneficium maximum æqualiter debet.

Ergo æquali & in Rempublicam, & in extraneum amoris inclinatione, & est, & de jure esse tunc debet.

Id vero periculosissimum esse, demonstratum est.

Tum

Tum *Propositione* 52, quod Candidatus multis, aut potentibus amicus esse non debeat, tum *Propositione* 55. quod nulli obnoxius. Nam cùm scopi principum, & Rerumpublicarum plerumque adversà fronte concurrant, aut concursuri saltem metuantur, nemo pluribus sincerè amicus esse potest.

Eligendus ergo Extraneis uti potest, non niti debet.

Quod *utitur* suspectus esse non potest. Nam & hoste uti, jus est. Fas est, & ab hoste doceri, qui utilitatem ex adversis capere possit, eum in arce sapientiæ *Cardanus* collocat. Cæterum manifestum est, Mosci filium Patre *niti*; *Condæum*, Rege Galliæ manum subtrahente nec movere se posse, cujus minister subditusque est; *Lotharingum* Austriacis destituentibus, quorum alumnus est, nec ibi pedem prope Poloniam ponat, habere, ac ne minimis quidem, sed necessariis sumtibus sufficere. Contra *Neoburgicus* neque permissione, neque sustentatione cujusquam indiget, *nec* commendatoribus *nititur*, *etsi*, ne noceant, *utatur*, nam jam nunc nulli commendatorum tuto fidere, nulli spes suas credere potest; cùm fama publica ferat Austriacos Lotharingum, *Condæum* Gallos malle, aliumve. Ergo in eum eventum cuncta providit, ita res suas composuit, ut destituentibus etiam illis, &, quod hactenus non fecerunt, animum nudantibus, subsistere tamen vel *solo*, quo jam tum unicè *nititur*, *Polonorum favore* possit, quos ille jam à tot annis propriâ virtute & prudentia sibi conciliavit.

PROPOSITIO LVII.

Eligendus (extraneus) nulli personâ SUBDITUS esto.

De Extraneo loquor, nam Piastum certè Reipublicæ Polonicæ subditum fuisse necesse est. Porrò de personali, non territoriali subjectione loquor. Nihil enim prohibet, Principem aliquem certæ rei, prædii, castri nomine, quod in alterius territorio possidet, alteri subditum vel Vasallum esse, quia non tàm ipse, quàm res subdita censeri debet. Propositio autem hæc, prioribus connectitur, quia, qui alteri subditus, eo etiam nititur, ei obnoxius est; subditum autem esse, est maximè obstrictum esse. Ut vel ex eo demonstrata hæc propositio videri possit. Nos tamen aliter, & uberius idem efficiemus.

Subditus est, qui summæ alterius potestati subest.

Persona summæ potestatis continet in se *personas subditorum civiles*, vel ut quidam vocant, *morales*, *per demonstrata* Thomæ Hobbes *in Elementis de cive.*

Persona Civilis omnium jurium collectio est.

Inter jura autem in casu proposito & Regnum erit.

Ergo si Eligendus alterius subditus sit, Principi ejus Regnum nostrum acquiretur, nisi expresse renunciet.

Neque id exemplo caret. Veneti certè Cypri Regnum nullo alio prætextu invaserunt, quàm quòd Regina Cypri *Catharina*, ipsorum Civis esset. Ita si *Condæum*, (imò & *Lotharingum*, nam & hunc sibi subditum certo respectu Rex Galliæ asserit,) eligamus, poterit aliquando Rex Galliæ contendere, quicquid suo subdito acquisiturum sit, id sibi acquisitum esse, & si *Condæus* exstinguatur, ac nos à stirpe ejus abituri, vel quòd defecerit, vel quòd displiceat, reponamus: Jus vel *Condæi*, vel Domini ejus,

extinctâ Personâ extinctum esse; audiemus statim à Rege Galliæ vel successore ejus illud decantatum, nunc Gallis, sed multis modis lubricum axioma, quidquid semel Regi suo acquisitum sit (sive per se, sive per subditum suum) multò magis verò, quod subdito, id Coronæ inseparabiliter per fundamentalem Regni Legem, unitum esse: quasi scilicet fundamentalis Regni Gallici lex jus aliarum gentium immutet, & populorum cum Rege vel Coronâ suâ contractibus legem formamque ponat, & alios quam subditos teneat; sed tanti Gallis est, generalem omnium, prætextuum colorem reperisse, quem eos etiam bello inchoando sufficere putare nuperæ illæ foeciales chartæ docuerunt. Quare cùm hoc nunc orbi universo denunciaverint, eò plus juris in illos sibi asserent, qui moniti, ne sic quidem caverunt; Vitemus ergo hæc retia & nulli subditum Regem eligamus.

Renunciare autem in ejus arbitrio est.

Ideo potest sub conditione quâlibet renunciare.

Ergo Candidatum Regno inhiantem ad quaslibet secretas conditiones etiam sacramento adigere, sibique perpetuò obnoxium tenere potest.

Eligendus alteri obnoxius ne fuisse quidem, ne dum manere debet, *per prop. 55.*

Ergo *eligendus personâ subditus alteri esse non debet.*

Debet igitur, absolutus, superior aliis superiore in terris carens, ***un souverain***, independens esse. Talis nec *Moschus*, nec *Condæus* est. *Lotharingi* Jus ambiguum. Nam etsi familia ejus in Germania Ducatum obtinuerit, origo tamen dubitatur. Ponam verba scriptoris alicujus nuperi. » Nec verò, inquit, ad Lotharingi familiam quicquam *Go-
» dofridus Bullionæus* pertinet. Is enim, & *Balduinus*, regno Hierosolymitano gau-
» dentes, Ducatum Lotharingum pro derelicto habuerunt. Eum igitur primum Lim-
» burgi Comes ab *Henrico IV.* impetravit, eo deinde improli mortuo, *Henricus V.*
» Lotharingum inferiorem *Godofrido Barbato* Comiti Lovanii dedit, quæ inposterum
» Brabantia dicta est. Superior data *Wilhelmo Godofridi* fratri, quæ sola Lotharingiæ
» nomen retinuit. Sed hujus Jus à nonnullis in dubium vocatur, qui Ducatum à
» *Godofrido Bullionæo* retentum volunt. Postea *Radulphus* Dux Lotharingiæ (à *Wil-
» helmo*, ut nonnullis videtur descendens) ductâ *Mariâ Guidonis* Blesensis filiâ,
» Comitatum Guisiæ obtinuit, à quo nomen ducunt famosi illi Duces Guisii. Alii
» *Claudium* quendam primum Ducem Guisium faciunt. Porrò *Renatus* Comes Ande-
» gavensis ductâ *Isabellâ Caroli* Bellatoris, Lotharingiæ Ducis, filiâ, factus est Dux
» Lotharingiæ. Ad extremum cùm *Nicolaus Venustus* Lotharingus sine prole mascula
» obiisset; Lotharingia pervenit ad *Fridericum* Comitem Vaudemontii, qui sororem
» ejus duxerat. Alii volunt, *Fridericum* hunc ductâ *Jolanthâ Renati* Andegavensis filiâ
» ad Lotharingiæ Ducatum venisse. Porrò Vaudemontios alii à Bullionæis, alii inde
» usque à *Carolo Magno* deducunt, irrito conatu, quando plenas ubique innumeris
» hiatibus genealogias satis inter se connectere, quod caput est, non potuerunt. Hæc
» ille. Ex quibus apparet Vaudemontiorum dubiam originem esse. Huc ergo res redit. Si Vaudemontii Comites aut Principes Imperii ab initio fuerunt, antequam Lotharingiam acquirerent, etiam aliorum Imperii Principum more, *Jus suprematus*, *la souveraineté*, habent: sin Galliæ Regis subditi fuerunt, negabit ille personam eorum novi Ducatus acquisitione liberam factam esse. Restat nunc ne idem *Neoburgico* objiciatur, ut ostendamus, Principum Imperii *PERSONAM* superiorem in terris non agnoscere, nec ideò Imperatori subjectos censendos, quia Territorium Imperio subjectum habeant.

Nam fingatur, quanquam falsum est, quod Princeps Germaniæ sit,

ejus

ejus personam eo ipso superiorem agnoscere, & Imperio vel Imperatori subditam esse.

Cùm igitur etiam Reges Sueciæ & Daniæ Principes Imperii sint: ille Dux Pomeraniæ & Bremæ: hic Dux Holsatiæ.

Sequitur etiam illorum personam imperio vel Imperatori subditam esse.

Ergo Persona Regum Sueciæ pace Westphalicâ Imperio subdita facta est.

Subditi omnia Jura in superioris persona continentur seu superiori acquisita sunt.

Ergo Reges Sueciæ pace Westphalica non modò nihil acquisiverunt, sed & personam suam cum omnibus annexis, juribus & territoriis hæreditariis, Imperio subdiderunt.

Id verò absurdum, & tum intentioni contrahentium contrarium, tum nunquam à quoquam somniatum, ne tum prætensum.

Ergo *falsum est, Principem Germaniæ statim Imperii & Imperatoris subditum esse.*

Certè si subditi Imperii personaliter essent, omnia Regna, quæ Principes Germaniæ acquisiverunt: Hispania, Neapolis, Sicilia, Suecia, Norwegia, Dania, &c. Imperio acquisita essent. Episcopos quoque Germaniæ & Abbates quosdam nihil prohibet, & quoad personam Imperio (omnium Clericorum privilegio) exemtos, et quoad territorium subditos esse. Quidam Germanus nuper, qui se ficto Itali nomine *Severinum de Monzambano* vocat, longiùs progressus, non solùm personis, sed & territoriis Principum Germaniæ tribuit: superiorem, præter Principem suum, non agnoscere. Ideo negat, Imperium unam Rempublicam constituere, sed foedus multarum. Sed cùm territoria Principum omnia sint Imperii feuda; necesse est ipsum decretum Dominium, territoriorum Imperii esse. Cui Dominium alicujus rei competit, illud est persona. Jam si Imperium una *persona* est, nempe *civilis*, non nuda societas seu fœdus, sed una Civitas vel Respublica erit. Hoc ipsum enim interest inter societatem, & universitatem vel Collegium; quod in societate sors collata singulorum est, in universitate totius. Imperium autem Comitiis continetur, & persona civilis est, habens unam voluntatem consensu statuum declarabilem, ergo & unam Rempublicam constituit. Personæ verò Principum Imperii nonnisi inter se fœderatæ sunt, velut plures pares Curiæ ejusdem Domini. In personas autem Cæsari, imò & Comitiis, ius esse non videtur. Exemplo potest esse jus religionis, quod quia personalissimum est, Comitia remiserunt. Sanè si *Carolus V. Joannem Fridericum* Saxonem capite truncari curâsset, non potuisset defendi magis, quàm quod in *Conradino Carolus* Andegavensis fecit. At, inquies, quomodo ergo in *Bannum declarantur?* Sed facilis responsio est, in Bannum declaratos, hostes judicari, hostes autem judicari possunt etiam qui subditi personaliter non sunt, & perinde est, Regem Sueciæ exempli causâ, propter Pomeraniam in bannum declarari, quam Regem Galliæ propter Belgium hostem judicari. Cæterum Principes Germaniæ non minùs quàm Italiæ, omnes etiam exteri inter *αὐτοκράτορας, entre les Souverains* referunt, cum iis fœdera ineunt, connubia contrahunt, breviter, ut pares, ut consanguineos colunt. Hos minimè factiosos suspectosque censent, his potentiâ nec timendis, nec contemnendis, coronas deferunt; hos receptos in regna & facilè tolerant, & seditionibus minimè sollicitant. Castilla nunquam contra Austriacos insurrexit, cæteræ Hispanorum provinciæ non tam in Austriacos, quàm Castellanos; Bohemorum Seditionem nemo probat. Dani Regi suo Oldemburgico Holsato hæreditarii Regni

 Jus,

Jus, rarò volentium subditorum munere, in patriæ egregiè defensæ mercedem dederunt: Sueci, & *Albertum* Megapolitanum, & *Christophorum*, *Joannis*, Palatini Rheni, & Ducis in Neuburg, filium, cui & *Leges* Regni debent, *experti sunt*, nunc *Carolum Gustavum* in Filio colunt. Ipsi Galliæ Reges *Hugonem Capetum* suum ex *Witichindi*, Saxoniæ principis, stirpe oriundum gloriantur. Ergo Principibus Germaniæ libertas, autoritas, nobilitas, decus, potentia, Rege digna, nec deest, nec superest, seu nec nimis formidolosa est. At esto, inquies, Persona Neoburgici, subsit nulli, est tamen alicui obnoxia, (quod est contra *Prop.* 55.) ei nimirum, cui territorium ejus subest, nempe Imperatori. Ego verò nego, id Imperatori soli subesse; Imperio subest, statibus, Comitiis, & ita partim *SIBI IPSI*. Imperio igitur non magis obnoxius est, quàm Rex Hispaniæ, Sueciæ, Daniæque, quam futurus erat ipse Rex Galliæ cùm non ita pridem, in Electione *Leopoldi*, hodierni Imperatoris, Alsatiam, Mediomatrices, Tullum ac Virodunum, & iterum nuper Belgium arreptum se ab Imperio feudi & reliquo pristino dependentiæ Jure receptnrum, polliceretur. Et verò Imperio obnoxium esse periculosum Poloniæ non est, quia *scopus & ingenium Imperii & Poloniæ coincidunt*. utriusque enim scopus est conservatio sui; neutra Respublica prolatare fines affectat. Est ergo inter Imperium & Poloniam quædam *quasi amicitia*. (nam vera inter Respublicas datur, *prop.* 42.) *ex coincidentiâ finium & ejus quod interest*, orta. Nam si duæ Respublicæ sint, quarum utriusque scopus sit, *sui conservatio*, ex, quamdiu à scopo suo ipsæ non declinant, nunquam inter se adversâ fronte concurrere possunt. Et ita potest idem utrique simul obnoxius esse; nullo alterutrius periculo. *Neoburgicus* ergo si Rex Poloniæ eligetur, quatenus Imperio vasallatus, Jure obnoxius manet, tenetur, non ultrà, quàm, ut ejus conservationi operam det. At verò hoc jam tùm status ratio & Poloniæ, & omnino omnium ferè Principum Christianorum, ab eo exigit, quorum interest, Imperium non opprimi, non dissolvi, sed Principes ejus, in æquilibrio quodam conservari, exteros arceri actus Hispanicos Gallicosque hoc velut repagulo coërceri; denique prohiberi, ne potentior aliquis, tantæ ditionis spoliis auctus, nutantia huc illuc, & incertis vestigiis titubantia Monarchiæ Europeæ fata in se inclinet.

PROPOSITIO LVIII.

Eligendus ALIUD PER SESE REGNUM ne HABETO.

Paulo ante diximus, *absolutam* esse debere *personam*; non tamen statim & ditione. *Ditionem* verò nimis magnam, seu *Regnum*, absoluto jure habere non debet, de quo nunc:

Regnum voco, grande territorium cum summa potestate.

Rex Poloniæ, qui aliud quoque Regnum habet, aut hoc aut Poloniam per *Vice-Reges* reget *contra prop.* 21. aut alioqui alteri pro altero se impendet.

Et verò probabilius ei Regno se impendet, in eo hærebit, in quo plus potestatis habet; plus autem sine dubio in altero, quàm in Polonia habebit.

Vix enim ullibi minor, quàm in Polonia, Regum potestas, ut taceam familiarem, fuetum, novum gratamque magis veteri esse.

Ergo alterutrum Regnum offendet, probabilius autem Poloniam.

Hinc

Hinc diffidia Regnorum inter se, & cum Rege alterutri Regno adhærente, probabilius autem alteri quàm Poloniæ.

Ea tanto periculosiora, quanto alterum illud potentius.

Regnum autem definitur à nobis: potens aliquod seu grande territorium cum summa potestate.

Neque enim tam nomina, quæ vulgus imponit, quàm ratio certa consulenda est. Nec quisquam inveniet, cur *Magnus Ducatus* Moschoviæ, Lithuaniæque Regni titulum non mereantur.

Ergo eligendus ALIUD PER SE REGNUM ne habeto.

Idem multis aliis modis constat. Nam & eidem obnoxius erit, contra *Prop.* 55. potens item per se contra *Prop.* 51. potenti amicus contra *Prop.* 52. per Vice-Regem imperaturus, contra *Prop.* 21.

COROLLARIUM.

Eligendum aliud præterea regnum habere, periculosum est, per *Prop. hic.*

Ergo quem facile est, fieri alterius quoque Regni Regem, eum periculosum fore, periculum est.

Jam *periculum periculi* minus quidem est periculo simplici.

Quemadmodum si fractionem fractione multiplices, factus factoribus minor est, & dimidium dimidiâ vice sumptum pars quarta est.

Non tamen contemnendum, sed tanto majus, quanto & illum Regem fore probabilius, & regnum ipsum potentius.

Ergo eligendum ALTERIUS QUOQUE REGNI PROBABILITER Regem fore, periculosum est.

Anno 1382. mortuo *Ludovico* Rege, durante interregno, à Polonis conclusum est; Comitiis Radomsci habitis, ut *Ludovici* quidem filiæ haberetur ratio, sed cujus maritus nulli alii Regno implicitus, solis Polonis imperaturus esset, quâ sententiâ, (inquit *Flori Polonici* autor *Joachimus Pastorius*) non obscurè excludebatur, *Sigismundus* Marchio Brandenburgensis, Ungarico quoque sceptro inhians. Vides hoc decretum ad eum, non quà Marchionem, sed quà Hungariæ Regem futurum pertinuisse, & ita quòd Princeps Imperii esset, nihil nocuisse. Iidem tamen Poloni, eôdem interregno *Jagellonem*, Magnum Lithuaniæ Ducem elegerunt. An non ergo contradixerunt sibi? Minimè verò; nam is eo ipso regnum aliquod præter Poloniam habere desiit: Univit enim Magnum Ducatum suum Regno Poloniæ, tantumque abest, ut potens per se fuerit contra Rempublicam, ut potius Rempublicam tanto potentiorem fecerit contra se & secuturos Reges. Præsertim postquam ad extremum profectum est, ut eodem jure Lithuanica Nobilitas, quo Polona esset, quod factum ingeniosissimus *Boterus* laudat, & primorum Romæ Regum arti comparat, qui victarum civitatum turbam, Romam traducebant, & jure cæteris civibus æquabant. Idem quod in Lithuaniâ, post & in Prussiâ, factum. Si quis ergo, Regnum cum primis vicinum per se habens, hâc conditione nunc quoque Sceptra Poloniæ poscat, eum certum est, gratum hospitem fore. Sed id nemo prudens fecerit. Quid verò ineptius, quàm quod nuper scriptorculus quidam, omnis civilis prudentiæ ignarus, *Speculo* suo illevit, scilicet *Lotharin-*

gum unire Poloniæ ditionem suam velle? quam scilicet nec habet, nec nisi Polonorum armis & immani sumptu habiturus esset. Denique qui ob distantiam terrarum & tot aliarum Rerum publicarum variè affectarum intervalla cessante communicationis lineâ, neque uniri, neque unita teneri possit. Cæterum si *Moschus* hoc polliceretur, quod *Jagello* præstitit, fateor, cæteris paribus, audiendum esse; Quantum enim hoc ad summam rerum esset, tantam ditionem inter mare Balticum Caspiumque expansam in communem cum Poloniâ scopum dirigi? quod aliter fieri non posset, nisi similis forma Reipublicæ, ut in Lithuania, apud Moschos quoque induceretur, & quæ Polonicæ Nobilitati competunt, ea & Moschicæ tribuerentur. Hoc enim uniendarum Rerumpublicarum parvum arcanum est, formam similem reddere. Unde Athenienses ubique *Democratias*, Lacones *Oligarchias*, in victis civitatibus introducebant, & Magnæ Britanniæ reges *Jacobus Carolus*que Hierarchiam Anglicanam Scotiæ quoque persuadere conabantur. At verò Moschus, nisi insaniat, nudam alterius populi gubernationem, jacturâ hereditariæ ditionis empturus non est. Etsi enim *Theodorus*, Moscoviæ Magnus Dux, inter regni tempore proximè post *Sigismundum Augustum*, polliceri eadem non dubitaverit, sincerè tamen dici talia, persuasit nulli. Cæterum propositio hæc soli *Mosco*, Corollarium quodammodo & *Condæo* & *Lotharingo* obest. *Condæus* enim, & posteri ejus, in regno Galliæ succedendi jus habent, nec multarum adeo personarum intervallo absunt. Certè paucis ab hinc annis proximi erant, paucioribus rursus esse possunt. Credo prudentiores tunc *Henrico Valesio* erunt, nec tam præcipiti fugam Poloniam deserent, sed Gallici Regni potentiâ aucti opprimendæ paulatim libertatis artes circumspicient. *Lotharingus* verò, certus *Austriacorum* gener, quorum domus uno mare adulto constat, orbitat; Cæsareæ, ac hæreditariis ditionibus, magnam partem fœmineis, Regnoque Bohemiæ jam prorsus addicto, imminet; quæ Regis nostri in vicino potentia, vel (si concurrant alii, & lacerentur Austriacæ Provinciæ inplures) diffidia & bella extremè periculosa, & libertati Polonicæ & securitati erant. Nihil horum in *Neoburgico* fingi potest.

PROPOSITIO LIX.

Eligendus JAGELLONIGENA esto, si fieri potest.

Regula illa hactenus servata est.
Ergo deseri, novum.
Nova periculosa, *per Prop.* 13.
Retinenda ergo, si fieri possit.

Idem aliter.

Electio in Polonia, præter hanc unam, retinendæ, dum licet, familiæ Regiæ, observationem; prorsus *indeterminata* est.

Nam neque leges quædam, neque consuetudines hic de re celebrantes, præter unum hunc morem, hactenus nullâ, ut mox patebit, interruptione servatum, *Regiam familiam sine causa non deferendi.* Quam enim aliam quæso limitationem afferemus? Si extraneum lege aut more eligendum contendemus, *Piastus* nos refellet; Si Piastum, *Henricus*, & *Stephanus* & *Sigismundus*, & tot alii, Hungari, Bohemi, Lithuani; Si jam Regem *Stephanus*; Si non Regem, *Sigismundus*: Si remotum, *Stephanus*; Si propinquum, *Henricus*; Si Catholicum, Jagello; Si protestantem, cæteri omnes, obstabunt. Breviter;

viter, vix aliud constantius hactenus à Polonis in eligendo Rege certo consilio servatum est, quàm ut familiæ Regis ratio haberetur.

Electio quò indeterminatior, hoc ad plures personas porrectior est seu porrigi potest.

Eo plures ergo competitores esse possunt.

Quô plures competitores, hoc plures factiones.

Quo plures factiones, hoc plura dissidia.

Quo plura dissidia, hoc faciliores turbæ.

Ergo Electio, quo indeterminatior, hoc turbulentior.

Sed si Regulæ illi insistatur, tum demum indeterminata est Electio, cùm familia Regia deficit, aut indigna est, quorum utrumque rarum.

Ergo & illic crebræ, hic raræ turbæ.

Ergo hærendum familiæ Regiæ, dum fieri potest.

Idem aliter:

Jagellonigenæ habuerunt Lithuaniam *jure hæreditario.*

Nec Lithuaniam tantùm, sed & connexa quæ *P. Albertus Wiuk Koialowicz in Historia Lithuanica sic recenset:* » Illud, (inquit fine libri IX.) inter comperta habendum, » quo tempore *Jagello* ad Poloniæ regnum evectus est, præter Lithuaniam, etiam Samogitiam, Polesiam, Podlachiam, Vitepsciam, Polociam, Smolensciam, Mscislaviam, Severiam quoque, Kyoviam, Volyniam, partemque Podoliæ, Magno Lithuaniæ » Duci paruisse. « Idem ostendit, hæreditariam semper Lithuaniam fuisse. Nam post Italorum in Lithuaniam adventum, primùm *Palæmonis* familiam imperâsse. Ultimam ejus familiæ fœminam, *Kierni* filiam, *Zivibundo* nuptam, Ducatum ei dotalem attulisse. Ab hoc descendenti *Suintorogo Utenis* filio infanti, Tutorem lectum *Ringoldum*, Ducatum ad se traxisse. *Ringoldo Mendogum* filium successisse. *Mendogo* ex sorore Nepotem *Troynatum. Troynato Theophilum* consobrinum. Huic *Volstinicum Mendogi* filium. Hoc mortuo, suffectum vivum adhuc illum, injuria pulsum *Suintorogum*, nonaginta sex annorum vetulum. Huic filium *Giermondum.* Huic anno Domini 1275. filium *Giliginum.* Huic filium *Romandum*, huic fratrem *Giligini*, *Trabum*: huic *Varimundum* filium, huic fratrem *Troidenum*, hujus à *Daumando* trucidati filius *Laurus*, Monasterio egressus, cædem parentis, occiso *Daumando*, ultus est; sed quietis amore, delatum sibi regnum, transtulit in *Vitenem*, Curiæ olim apud Troidenem, Magistrum, de quo *Koialowiz* initio Libri V. ubi hæc habet: » Ex *Vitenis* domo, cùm perpetuò duodecim » Magni Duces in Lithuania imperassent; ne deficientibus tandem Viris principatus aliò » averteretur; fœminæ etiam ratio habita est. Trineptis hæc *Vitenis* erat, *Anna*, *Stephani* I. Polonorum Regis conjux, prius Poloniæ Regina renunciata, quàm sponsa; » Principatum viro dedit. Interruperat hunc veluti sacrum quendam Lithuaniæ Principum Ordinem, *Henricus Valesius*: Sed rediit mox Respublica ad probatas sibi tot seculis manus, summo omnium bono. Restituerunt rursus Lithuaniæ suos Principes: » *Sigismundus III.* Poloniæ Rex IV. Lithuaniæ Dux, ex *Catharina Vitenis* Trinepte, » *Annæ* Sorore, *Joannis* I. Suecorum Regis filius. *Uladislaus* Polonorum Rex ejus nominis IV. Lithuaniæ Magnus Dux II. denique superstes nunc *Joa. Casimirus* Poloniæ » Rex ejus nominis IV. Lithuanorum M. Dux III. Hæc *Koialowiz*, qui sua fatetur ex *Matthiæ Stryikowski Ososteritii*, Canonici Samogitiæ, gente Poloni, libro, Polonicè olim scripto, concinnâsse.

Eoque etiam *fœminino.*

Hæc

Hæc apertè fatetur *Koialowiz* & exemplum *Zivibundi*, per conjugem regnantis, probat. Et verò in dubio, quæ *hæreditaria* sunt, etiam *fœminina* præsumuntur. Uti in dubio bona potius præsumuntur allodialia, quàm feudalia. Neque enim naturæ jure, aut gentium moribus, fœminæ viris deteriores ad regnandum habentur: Quin naturâ partus ventrem sequitur, & originaria matris potius, quàm patris potestas est. Lex, Salicæ similis, paucissimis certè populis probatur. Ubicunque hæreditaria regna fuerunt, etiam fœminæ admissæ sunt, vel saltem per fœminas cognati; nisi expressè leges obstarent. Poloni Vendam dedignati non sunt, iidem *Hedwigem*, nondum nuptam, coronârunt. Bohemi *Lybussam* memorant. Dani, Sueci & Norwagi *Margaritam* Heroinam celebrant. Quid *Mariâ* & *Elisabethâ* Anglis, *Mariâ Scotâ*, *Christinâ* Suecâ, illustrius? Austriaci ad omnia regna & ditiones suas hâc viâ, videlicet per connubia, venerunt, Aragonia Castillæ per *Isabellam* in *Ferdinando* Catholico; Belgium Austriacis per *Mariam* in *Maximiliano* I. Hispania per *Johannam* in *Philippo*, *Maximiliani I.* filio; Hungaria & Bohemia per *Annam* in *Ferdinandi I.* post Imperatore, junctæ sunt.

Huic Juri *Sigismundus Augustus*, procuratâ regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ unione, primus renunciavit.

Ea renunciatio non collateralibus, sed descendentibus, si quos habuisset, nocere potuit.

Ergo alii Jagellonigenæ, metuendum est, ne nunc quoque in Lithuaniam prætendant, & captatâ aliquando occasione per se vel per alios negotium facessant Reipublicæ.

Responderi quidem facilè huic prætensioni per se ineptæ potest. Speciosus tamen, & ideò periculosus color est. Illud certè negari non potest, *Joannem* Suecum contendisse: filio suo, *Catharinæ* Jagellonidis, filio, *Sigismundo*, magnum Lithuaniæ Ducatum, hæreditatis jure deberi; idque *& Hier. Spanorchius in divinatione de interregno Poloniæ* refert, nempe Regem Sueciæ sæpe dixisse Magnum Ducatum Lithuaniæ, itemque Pironiam, magis ad se quàm ad alium, imò quàm ad ipsam Rempublicam, pertinere: Livoniam *Sigismundo* Jagellonico resignatam & concessam, non ut Poloniæ Regi, sed magno Duci Lithuaniæ. Hæc & multa alia in eam sententiam *Spanorchius*. Nunc verò nemo Candidatorum tam demens erit, ut Jura sua apud eos jactet, quorum gratiâ obtinere sceptra sperat: Sed tamen, si nullus Jagellonigena sumeretur, posset aliquando alius emergere, qui fluctus in simpulo excitaret.

Id retentâ *Jagellonis* stirpe cavetur;

Ergo *JAGELLONIS FAMILIA*, *si commodè fieri possit*, *retinenda est.*

Retinere *familias regnatrices* in Electitiis quoque Regnis, toti Europæ suetum; nec aliud perpetuis ambitiosum & interregnorum malis opponi, præsentius remedium potest. Germani quod domui Austriacæ constanter hæserunt, nihilo magis libertatem imminuerunt. Idem Suecis, Danis, Hungaris, Bohemis, factitatum. Nullus in Europa principatus est, qui non aut jure familiæ, aut voluntate subditorum, hæreditarii figuram induerit. Jam *Jagellonum* sancta semper, ut *lib. 62. Thuanus* ait, inter Polonos memoria fuit. » *Henricus Valesius Annæ*, Jagellonidi posthumæ, maritus destinabatur;
» sed cùm tricaretur & mox aufugeret quoque, Respublica cautius agendum rata,
» *Stephano* eam conditionem expressè præscripsit quæ (ut *Andreas Maximilianus Fredro*, *Castellanus Leopoliensis*, *in Henrico habet:*) in Archivo eum in modum visitur:
» Cùm inclytæ Jagelloniæ familiæ tot extent erga Rempublicam merita, ordines Regni id maximè curant, ut suorum Regum posteritati eum summa dignitate prospiciatur, Itaque communi decreto ante omnia postulant, ut illustrissimus Transsyl-

» vanie

» vaniæ Palatinus Sereniſſimam Reginulam in matrimonium ducat, ſi verò contige-
» rit, quod Deus auferat, Sereniſſimam Reginulam vel fatis concedere, vel ab hoc
» matrimonio omninò ſe alienam præbere, nihilominus Dignitas Regia ſuæ Celſitu-
» dini, *Stephano Bathorio*, ſalva ſit. « Et certè, ſi attendimus, Reges inde uſque à *Piaſto* omnes, aut Piaſtigenæ, aut Piaſtidum Mariti fuère. Similiter à *Jagellone* omnes & Piaſtigenæ & Jagellonigenæ; aut ſaltem talium fœminarum mariti: vel deſtinati, ut *Henricus Valeſius*; vel conſummati, ut *Stephanus Bathorius*; fuère. *Wenceslaus* Rex Bohemiæ ducta *Rixâ Primislai* Regis Filia anno milleſimo trecenteſimo ad regnum venit. Eo mortuo *Uladislaus Locticus Primislao*, longo quidem intervallo, gradu tamen proximus, regnavit. Cujus filia *Eliſabetha Carolo* Regi Hungariæ nupta eſt; is ex ea filium *Ludovicum* ſuſcepit. Huic *Ludovico*, etſi non niſi per fœminam Piaſteo, Poloni Sceptra deferre non dubitârunt. Nec mora; *Ludovicus* ſine maſculis liberis obit; filia *Hedwig* conſenſu procerum in hæreditatem tanti Patrimonii deſtinabatur; hujus matrimonio potitus *Jagello*, ſimul factus eſt Rex & maritus. *Jagellonis* nepos *Sigiſmundus I.* præter filium *Sigiſmundum Auguſtum ἄπαιδα*, reliquit duas filias, *Annam* & *Catharinam*, quarum illa in maritum, *Stephanum Bathoræum*; hæc, *Bathoræo* ſine liberis mortuo, in filium *Sigiſmundum* Suecum, meritum Polonici Sceptri tranſmiſit. Cùm verò nunc ſtirps *Sigiſmundi I.* in Polonia defecerit, quid aliud cùm æquitati, tum moribus & gentium & Polonicis conſentaneum magis, quàm ut ad proximos cognatos, id eſt, fratres, ſororeſque, eorumque deſcendentes, regreſſus fiat. Scilicet: *Sigiſmundus I.* Fratrem natu maximum *Uladislaum*, Hungariæ & Bohemiæ Regem, ſororem natu minimam, *Barbaram* habuit; Utriuſque & *Uladislai* & *Barbaræ* abnepos eſt Dux Neoburgicus, mirabili profectò fatorum deſtinatione, in id velut ex compacto conſpirantibus matrimoniis, ut plures velut canales æquitatis in ejuſdem denique perſonæ alveum unirentur. Sed ne optimus Princeps, æquitate inſtructiſſimus, obſoleſcente velut neceſſitudine, excideret animis cognatæ gentis, providit Deus (cui enim alii tam admirandus rerum concurſus tribueretur;) ut renovatâ ſanguinis memoriâ, triplicato vinculi nexu, accederet cognationi affinitas, & qui *Caſimiro* ex filio filiàque bis trinepos, *Joanni Caſimiro* ex ſorore affinis; idem *Sigiſmundi I.* ex fratre ſororeque abnepos, *Sigiſmundo III.* ex filiâ gener eſſet. Idque matrimonium magno Polonorum applauſu, magna lætitiâ *Uladislai* Regis, celebratum eſt, cujus ſapiens anima, morti vicina, imminentium nobis malorum provida, *Neoburgicum* Reipublicæ *ultimis Tabulis* commendavit. Fateor Piaſteæ ſtirpis maſculos ſupereſſe, Duces in Sileſia Lignicenſes; ſed in ſucceſſionibus ejuſmodi, familia ultimi morientis, non primi acquirentis, attenditur. Ergo Jagellonica Piaſteæ præferenda eſt. Deinde Duces Lignicenſes à Polonis ad Sileſſos deficientes, Patriam ipſi deſeruerunt, nunc Cæſaris poteſtati ſubſunt. Jagellonicæ quoque ſtirpis fœmineæ aliqui adhuc ſuperſtites numerantur. Sed hos omnes aliæ multæ rationes excludunt. Nam vel Catholici non ſunt, vel alteri ſubditi, addictivè, vel Poloniæ incogniti, veterem neceſſitudinem non renovârunt. Unus *Lotharingus* controverſiam Neoburgico movere audet, ſed nec Dis, nec viribus æquis, etiamſi ſi cætera demas, vel hâc ipsâ neceſſitudinis ratione, nulla parte comparandus. Hic *editæ cujuſdam Schedæ non inefficacia verba exſcribemus, cujus Author contra ſcriptorem quendam Lotharingum, ſic loquitur*: » Ri.u non re.iutatione hoc in
» Poloniam & Lithuaniam jus ſuccedendi Lotharingicum excipi meretur. (*Id nempe*
» *ſummâ imprudentia & impudentiâ ſcriptor ille Lotharingicus jactaverat*,) Tot Gradi-
» bus à Polonis Principibus abeſt Lotharingus, ut nomen deſignandæ propinquitatis
» non reperiat, majores tantùm Polonos appellare cogatur, quibus legibus ſi egeri-
» mus, vix quiſquam per Europam Principum, Polonigena non erit. Et ſanè prius
» Germania, Italia, Gallia perreptanda eſt, antequam per tot familiarum mutationes
» à Polonis ad Lotharingos deveniatur. At verò quo hæc fructu jactantur, ſi adver-
» ſario eadem omnia & majora inſunt? Hoc tibi tuiſque inepte ſcriptor, ignoratum

» ineptæ prætensionis audaciam fecit: *Neoburgicus* verò tantæ temeritatis non est, ut, » licet bis ipse, liberi quater, sint Jagellonidæ, ullum in liberrimam Rempublicam » jus jactet. Hoc totum, quicquid est, omninò libenter dissimulaturus, ut ab omni » specie prætensionis alienus esset, nisi *Genealogia Lotharingica*, per ora hominum vo- » litans, & nunc etiam ad succedendi Jus *tracta*, expressisset à nobis, ut *collatione* » *facta* demonstraremus, immane quantum *infra Neoburgicam* propinquitatem *Lotha-* » *ringos* subsidere. Nam ut *Tabula Genealogica* sub signo ⊙ huc adjecta demonstrat: » *Anna*, *Casimiri* Poloniæ Regis Neptis, *Uladislai* Ungariæ & Bohemiæ Regis, filia; » quæ *Eleonoram* nuptam *Wilhelmo*, Gonzagæ Mantuano abaviam Lotharingi genuit; » eadem genuit & *Mariam Wilhelmo* Duci Juliacensi & Clivensi nuptam; cujus filia » nupta Duci *Philippo Ludovico* in Neuburg, avo, *Philippi Wilhelmi* hodierni Principis » Neoburgici, jus ei in Ducatum Juliacensem & Clivensem attulit; Hac igitur parte » Lotharingus propinquitate vincitur; Nam *Anna Casimiri* Neptis, est Abavia Neo- » burgici, proavia patris ejus. At eadem *Anna* est atavia tantum Lotharingi, à Pa- » tre verò ejus planè aliena, quia per matrem tantùm Lotharingus in hunc censum » venit. Hoc ipso inæqualis Neoburgico, cujus in hâc stemmatis deductione Pater, » in sequenti etiam avus paternus, sunt Jagellonidæ. Deinde *Annæ* filia, *Maria*, à » qua Neoburgicus; ante filiam ejusdem *Eleonoram*, à qua (sed inferiori gradu & » per plures fœminas) descendit Lotharingus; nata est. Nam *Maria*, nata decimo » quinto Maii anno millesimo quingentesimo trigesimo; & *Eleonora*, toto quadriennio » posterior, interjectis tribus aliis liberis, *Magdalena*, *Catharina*, *Ferdinando*, demum » anno millesimo quingentesimo trigesimo quarto, die secundo Novembris, lucem vi- » dit. Ex quo patet, in hâc stemmatis per *Uladislaum Casimiri IV.* vel ut alii nume- » rant III. Regis Poloniæ filium, deductione, Neoburgicum esse Lotharingo potio- » rem (1) *primogenitura lineæ* (2) sexu (3) gradu.

» Et etiamsi pares essent, tamen hoc ipso sublatâ utriusque per mutuam paritatem » propinquitatis allegatione, habet *Neoburgicus* aliud adhuc integrum æqualitate gra- » dus par priori, in aliis non nullis etiam superius. Nam *Casimirus IV.* vel III. Po- » loniæ Rex, tum filium *Uladislaum* tum filiam *Barbaram* habuit. A filio *Uladislao* » descendit *Neoburgicus*; &, licet non passibus æquis, *Lotharingus*. A Filia descendit » itidem *Neoburgicus*, utrobique, & per *Uladislaum*, & per *Barbaram*, trinepos Re- » gis *Casimiri*, & ita (4) etiam *duplicitate vinculi* Lotharingum vincit, & sic du- » plicatâ tum propinquitatis, tum sexus prærogativâ. Nam *Barbaræ* neptis *Anna* nupta » est *Wolffgango* Comiti Palatino Rheni, Neoburgici Proavo. Et ita jam pater & » avus paternus Neoburgici, fuere Jagellonidæ. Cùm contra in Lotharingo per con- » tinuas familiarum mutationes effectum sit, ut, etsi ipse vix, ac ne vix quidem, ad » *Jagellonem* genus referat, tamen pater ejus non sit Jagellonides, sed mater tantùm; » & rursus pater matris ejus non sit Jagellonides, sed mater matris tantùm; atque » ita nullus alius progenitorum ejus Lotharingorum sit à *Jagellone*: longè maxima hic » Neoburgici prærogativa, cujus pater avusque, itidem Duces Neoburgici, etiam Ja- » gellonidæ, extiterunt. Accedit (5) *renovatio sanguinis per affinitatem priorem*, dum » *Annam Catharinam Constantiam*, Regis Poloniæ filiam, & sororem, *Casimiri* Regis » abneptem; Neoburgicus ejusdem trinepos, in matrimonium duxit. Et licet ex ea » liberos non susceperit, effecit tamen providentia occultè sic dirigente, ut saltem » refricaretur eâ ratione necessitudinis memoria, & studiorum atque amicitiæ unio » major procuraretur. Secuta est (6) *altera renovatio sanguinis per affinitatem poste-* » *riorem*, dum defunctâ *Constantia*, *Casimiri* abnepte, *Neoburgicus*, *Casimiri* bis trine- » pos, ne à stirpe sibi fatali discederet, conjugem, itidem *Casimiri* bis trineptem, » ex eadem *Barbara*, communi atavâ, duxit. Ea est *Elisabetha Amalia Magdalena*, » nata Landgravia Hassiæ, bis à Jagellonico Neoburgico, hic sub signo ⊙ adjecti » oculis, ipsis subjicitur, ut commemorare generationes singulas non sit necesse. Hinc » factum

» factum est (7) *ut Filii Neoburgici ex Elisabetha Jagellonica suscepti, sint quater Ja-*
» *gellonidæ*, bis à Patre, bis à matre, & quidem æquali semper gradu. Quippe *Ca-*
» *simiri* Regis, toties memorati, Quadrinepotes, quod profectò rarum & memora-
» bile, providentiam Dei, dudum hos eventus molientem, & cuncta præparantem,
» satis ostendit.« Hæc *auctor illius schedæ!* Ex qua patet, Principem Lotharingicum comparari Neoburgico duci, neque veteris propinquitatis, neque novæ renovationis ulla ex parte posse. Ergo si Jagellonica familia retinenda est, (uti certè retinenda est, dum fieri commodè potest) ad unum *Neoburgum*, quando illi, (dempto *Lotharingo* remotiore) Jagellonigena competitor nullus est, spes omnis æquitatque redibit, non quòd ullo jure, ulla prætensione, ulla successionis allegatione, nitatur; tam immodestus, tam, prope dixerim, demens non est. *Cùm tamen insulsus quidam scriptor Lotharingicus, qui se Religiosum vocat, in schedis tota Germania disseminata dictitare ausus sit.* » Polonos jure teneri ad eligendum Lotharingum, & salva conscientia ab
» eo abire non posse. Nam & in Poloniam, vel saltem Lithuaniam cum annexis præ-
» tendere eum posse, quia ex Jagellonidis sit; & præterea sacram Cæsaream Maje-
» statem suas in Poloniam validissimas prætensiones ei cessisse.« Quæ omnia non verbis, (sed verberibus refutanda sunt) sed quia ratione, utilitate, amore, necessitudine, & vetere & nova, & alioqui ab Imperatoribus, Regibus, Electoribus, deducta stirpe commendatur. Ducem Neoburgicum, & totam domum Palatinam, & Bavaricam, ad *Carolum Magnum* indubitatum genus referre, non est cur ego probem. Omnes Genealogiarum fabri: *Albitius, Tesaningius, Reusnerus, Diepoldus* cæterique, magno id consensu docent, & monumenta vetera confirmant, & tabula Jagellonico Neoburgici stemmatis sub signo ⊙ ipsis oculis subjicit. Ex qua id quoque apparet, æquo ferè temporum generationumque intervallo à *Carolo M.* & Piasto Neoburgicum abesse, Imperatores eum progenitores habere *Carolum Magnum, Ludovicum Pium, Rupertum;* Electores Palatinos plurimos antequam rami scinderentur: Tum verò ex familia ejus prodiisse Imperatorem *Ludovicum* Bavarum, Reges *Christophorum* Daniæ & Norwegiæ, *Carolum Gustavum, Carolum* item ejus filium Sueciæ; Electores verò tum Bavariæ, tum Palatinatus, ut de ducibus Bipontinis, Simerensibus, Sulsbacensibus, nihil dicam quæ omnia à Lotharingis longè absunt. Nam suprà in Scholiis *prop.* 57. ostensum est, Lotharingos hodiernos à *Godefrido Bullionæo* originem suam arcessere hactenus solidè non potuisse; quæ verò de *Carolo Magno* progenitore, tum superiore seculo moverunt, tum nostro per *Johannem Jacobum Difletium* medicum redintegrarunt. *David Blondellus* peculiari opere conturbavit, & confutavit.

PROPOSITIO LX.

Rex extraneus esto, seu PIASTUS ne esto.

Piastus novus est.

Ab aliquot seculis, nempe à *Ludovico* Hungaro.

Omne novum periculosum, cæteris paribus, *per Prop.* 13.

Periculosum periculoso tempore fit Periculosius *per Prop.* 11. Poloniæ autem nunc status periculosus est *per Prop.* 10.

Ergo Piastus nunc Periculosissimus.

Certum est *novandis* in Poloniâ *rebus* nullum tempus præsente incommodius esse posse.

Idem aliter.

Si Piaſtus eligitur, *electio* ſit ex *Electoribus*, eorumque familia.

Electio ex Electoribus, eorumve familia, amore proprio & privati commodi ratione, per rei naturam commovetur.

Amor ſui & ſuorum vehementiſſimus; rationes autem privati commodi inter tot Electores diverſiſſimæ. Ubi affectus & vehementiſſimi & diverſiſſimi circa idem, ibi turbæ & plurimæ, & maximæ.

Ergo *electio ex Electoribus* turbulentiſſima.

Turbæ per ſe periculoſæ, ſed maximæ Polonis præ aliis gentibus, *per Prop.* 17.

PIASTUS igitur eligendus non eſt.

Electio ex Electoribus Simoniæ cujuſdam Politicæ, neſcio quid habet; periculoſum eſt, poſſe aliquem ſibi, & ſuis ſuffragari; etſi Electoribus in Germania permiſſum. Alienigenam eligendo, *vel ut in aliena cauſa* ratione laborabimus, non affectu. Unde *Zamoſcium* memorant, pulchro hoc invento Piaſtum ab ambitu regni ſummoviſſe. Petiit enim: quoniam externorum Principum, & petitorum, Oratoribus abſentibus, addicendas de Rege ſententias decurreretur; ſic æquum eſſe, ajebat, ut abeſſent cives, qui peterent regnum, ne gratia major, aut offenſa, in præſentia pararetur, libertate ſentientium. Cùm verò petitorem ſe purpuræ palam fateri nemo ob verecundiam, aut invidiæ metum auderet, omnis de incola Rege deliberatio, ſua ſponte conquievit.

Idem à multitudine eligibilium:

Si Piaſtus eligendus eſt, ex Nobilitate tota eligendus eſt.

Tota Nobilitas ducentorum millium numerum exit.

Quanto major numerus, tanto plures digni, & major factio ſingulorum.

Quanto plures & potentiores factiones, tanto difficilior & turbulentior concluſio.

Ergo *EX MAGNO NUMERO*, & difficilis, & turbulenta electio eſt.

Ergo Piaſtea Electio, & difficillima, & turbulentiſſima.

Quia pro quatuor Competitoribus ſexcenti ſubſtituentur. Unde rectè apud *Piaſecium Stanislaus Stadnicki* vereri ſe dixit, ne hac via ad Regnum apertâ, auriga quoque ſuus Piaſtum ageret.

Idem à multitudine eligentium.

Quanto major numerus eligentium, tanto plures opiniones, & majores ſingularium opinionum factiones.

Ergo eâdem ratione Piaſtea Electio & difficillima, & turbulentiſſima.

Idem ex neceſſitate præelectionis.

Electio Piaſti rationalis eſſe debet, non per ſortem, *per Prop.* 14.

Electio rationalis optimi eſt, quantum ſumus.

Optimus intelligi non poteſt, niſi comparatione cum ſingulis factâ.

Ergo ſingulorum merita penſanda ſunt.

Ergo

Ergo numerus singulorum nimis magnus esse non debet.

Ergo tantus, qui nunc est, numerus (tot millia hominum, tot centuriæ familiarum) reducendus ad pauciores.

Reductio autem fit per *prælectionem* seu prædeterminationem.

Unde in senatu Veneto cùm Dux eligitur, tot prælectiones adhibentur, ut ne Oedipus quidem divinare eventum posse videatur.

Ergo si Piastus eligendus est, prælectione opus est.

Prælectio nova est, ergo periculosa, præsertim hoc tempore.

Item.

Prælectio tardiorem facit Electionem.

Ergo protrahit interregnum.

Interregnum autem protrahi periculosum *per Prop.* 15.

Ergo & *Prælectio periculosa.*

Item.

Si prælectione opus est, duplicanda electio est.

Omnis in Polonia electio periculosa est, maximè.

Piasti, *per demonstrata.*

Duplicatur ergo, periculum duplicatâ electione.

Ergo prælectio periculosa.

Item.

Prælectio multos excludit ante ipsam Electionem.

Exclusi exacerbantur.

Exacerbati ante electionem, exacerbantur, ante constitutam rursus Rempublicam, caputque impositum.

Eo autem tempore exacerbari multos periculosum.

Ergo & prælectio periculosa.

Ergo & Electio Piasti periculosa.

Idem aliter.

Si Piastus eligendus est, aut Polonus, aut Lithuanus eligendus est.

Uter eligitur, ejus familiæ hæretur, dum commodè fieri potest. *per Prop.* 59.

Ergo & genti ejus.

Ergo Regnum semel uni harum gentium delatum, potest apud eam perpetuò hærere, & certè longissimo tempore duraturum probabile est.

Ergo tanto tempore altera gens alteri subjecta erit.

Hoc verò neque justum (ob unionem æqualitatis sub *Sigismundo Augusto*) neque decorum alterutris, neque tutum, dum suæ gentis familias quisque evehet, alteras deprimet, neque sine bello intestino ante electionem, aut seditione post electionem, abiturum.

Ergo Piastus eligendus non est.

Frustra *Jagellonem* objeceris: Tunc enim familia, Lithuaniæ ab aliquot seculis Regnatrix, assumta est. Familiæ autem Regnatrices aliis familiis implicitæ esse non solent; Ergo *Jagello* electus non minus Polonos quàm Lithuanos fovit. Sed qui nunc eligeretur, ex familia privata, privatis familiis plerisque illigata, eligeretur, is ergo suæ gentis familias unicè coleret. Cæterum Lithuanii jure meritoque nulla autoritatis parte Polonos cesserunt. Solam loci prærogativam permittunt; de cætero, æquali jure censentur: Nec Virtute, nec defensione Reipublicæ, nec illustrium Ducum præventu, nec potentiâ, inferiores. Unde *Stephanus* Rex ut utrique genti placeret, Grodnæ, in Lithuaniæ Poloniæque confiniis, Regiam delegit. Plura de hâc difficultate *Hieronymus Spanorchius in divinatione de interregno Poloniæ.* Sed etsi Polonum esse debere Regem, constitutum sit, nova inter Majorem, minoremque Poloniam pugna orietur; quarum mutuæ æmulationes & post *Sigismundi Augusti* mortem, acerrimè exarserunt, & nunc quoque quibusdam velut fibris aluntur.

Idem aliter:

Si Piastus eligendus est, aut Senator, aut Eques eligendus est.

Electum probabile est alteri ordini faviturum, alteram oppressurum.

Oppresso Senatu *licentia* invalescet, oppresso Equite *libertas cadet.*

Horum duorum Ordinum æquilibrio stat Respublica.

Licentia & securitatem tollit, & paulatim fastidio sui declinat in contrarium: absolutam dominationem.

Libertatem cadere est contra scopum Reipublicæ, *per Prop. 3. & per se periculosum prop. 9.*

Ergo Piastus est contra LIBERTATEM, & SECURITATEM.

Idem aliter.

In omni Republica alia *privata*, alia *publica divisio* est.

Alia in partes *subjectivas*, alia in partes *potestativas*, ut *Grotius* loquitur.

Privata divisio, est divisio locorum, & familiarum loca tenentium.

Talis divisio est, cùm dicimus: ille pagus illius familiæ est, alter alterius.

Publica divisio est Jurium regiminis.

v. g. Si huic pago detur jus nundinarum, alteri pago detur jus opificiorum; tertio, jus scholarum, & Academiarum; quarto detur jus judiciorum exercendorum, &c.

Porrò ubi privata & publica divisio coincidit, seu parallela est, ibi in uno aliquo loco unoque aliquot sibi vicinarum familiarum corpore est integrum, vel pene integrum jus Regiminis.

Quò magis hoc fit, hoc minus unita est Respublica; v. g. si cuilibet pago jus & nundinarum, & opificiorum, & Judiciorum, & scholarum detur, eo minùs enim alter altero indiget; latet ea in re secretius quiddam.

Vicinæ familiæ ad regimen concurrentes perpetuò conversantur, & sibi invicem illigantur.

Ergo fit ex pluribus familiis vicinis ad idem regimen concurrentibus, in effectu una aut saltem paucæ.

Ergo

Ergo quot ſunt regionis partes maximæ, ut familiis, ita regimine invicem ſeparatæ, & independentes; tot ſunt metra primaria in Republica, certis ſingula familiis faventia.

Tales in Polonia ſunt Palatinatus.

Nam *Palatinatus* eſt certus locorum ad certas familias nobiles pertinentium diſtrictus, Regimen ſibi proprium, & à Vicino independens, nec niſi ipſi Reipublicæ ſubditum, habens. Nam etſi plures nonnunquam Palatinatus conſtituant unam Diœceſin, id ad regimen civile nil pertinet. Poloniæ igitur ſumma in Palatinatibus diviſio eſt.

Ergo ubi de eo, quod intereſt, familiarum Polonicarum ſibi mutuo obſtante agitur, probabile eſt, tot propè ſententias fore, quot ſunt Palatinatus.

Jam ſi Piaſtus eligendus eſt, agitur de eo, quod intereſt, familiarum, ſibi mutuo obſtante.

Nam non niſi una familia ad regnum pervenire poteſt; ita hæc cum illigatis ſibi familiis una florebit, cæteris tantundem decedet.

Ergo ſi Piaſtus eligendus eſt, facilè tot ſententiæ erunt, quot Palatinatus.

Saltem quælibet Provincia Regem genti durè optabit.

Hæ diverſæ ſententiæ de re maximi momenti ſunt, & in qua cujuslibet factionis ſumma ſpes locata eſt; & inter æquales: jure omninò, potentiâ circiter.

Ergo diſcordiæ, & vehementiſſimæ, & durabiliſſimæ.

Jam diſcordiæ inter primaria Reipublicæ membra, & vehementiſſimæ, & durabiliſſimæ, ſunt exitioſiſſimæ, & valere poſſunt ad diſſolvendam in minutos Regulos totam Rempublicam.

Ergo Piaſtus eligendus non eſt.

Hactenus ex modo eligendi. Nunc *idem aliter* ex affectibus Electionis jam factæ.

Piaſtus ex Nobilitate eſt.

Nobilitas omnis ſibi jure par eſt.

Idem nobilitati imperabit.

Ergo paulo ante æqualibus ſibi.

Æqualibus imperaturo mutanda converſationis morumque ratio.

Qui mores mutat, is nova ac inſolita tentat.

In novis tentandis rarò medium tenetur.

Ergo ſi parum mores mutabuntur, *familiaritas* contemptum pariet; ſin nimium, *ſeveritas* odio erit.

Utrumque in Republica damnoſum.

Ergo *Piaſtus periculoſus eſt.*

Idem aliter:

Piaſtus, quiſquis eſt, ex nobili Rex factus eſt.

Neque

Neque enim quisquam in Polonia majus quiddam natus est, quam Nobilis; cætera omnia industria, aut fortuna acquiruntur.

Ergo ex imo cive summus.

Nam Nobiles meri sunt imi, in Cives in Republica, quia, qui Nobiles non sunt, ne cives quidem sunt, sed aut peregrinorum aut servorum jure censentur.

Qui ex imo ad summa surrexit, ægrè fert cogitari priorem humilitatem.
Ergo prioris æqualitatis conscios è conspectu libenter amovet:

Congressu abstinebit, vitabit aspectum, quæsitâ specie aulâ ablegabit perpetuos istos, tacitos licet, præteritorum admonitores. Nemo insperatò magnus prioris fortunæ testem circa se libenter videt; cujus omnes nutus exprobratorios putat: Honoratum honorantemque subitæ mutationis pudet; ex pudore contemtus, hinc illinc odium nascitur.

Libenter ergo hominibus novis Aulam implet.

Qui scilicet, nisi præsentis splendoris meminisse non possint; quos non inspectores sibi additos vereatur, sed pronos laudatores amet.

Ergo veteres æqualesque offendet.
Hinc dissidiorum uberrima seges.

Suspiciones, invidiæ, odia, murmura, querelæ, pœnitentia, motus.

Piastus ergo periculosus est.

Hinc præclari Heroës, columina patriæ nolunt hæc de se vel nunc metui, vel aliquando tentiri; Sciunt naturam humanam sibi nimium fidere, multos qui severissimas regendi regulas sibi præscripserant, cùm recepti sunt in hunc deliciarum campum, dulcedine potentiæ victos, affectibus habenas reliquisse: Satiùs ergò putant, partam semel gloriam, venerationem, caritatem civium, retinere; quàm altiora affectando, si spe cadant honoris; sin perrumpant, amoris, jacturam pati. Hunc eorum sensum sapiens aliquis omni regno potiorem judicabit.

Idem aliter.

Piastus rerum Polonicarum super extraneos peritus erit.
Ergo & defectuum Polonicorum.
Ergo callebit modos nobis nocendi.
Ergo & minuendi libertatem.
Quod quis callet, id facilius potest.
Ergo Piastus facilius extraneo libertatem minuet.

Idem aliter.

Piastus Polonus est.
Polonus gratior Polonis.
Qui gratior is minùs suspectus.
Qui minùs suspectus, minus impeditur.
Qui minùs impeditur, faciliùs destinata efficit, seu potentior est.
Ergo *Piastus faciliùs Extraneo libertatem minuet.*

Idem aliter.

Piastus intestinus est.

Intestinus

Inteſtinus eſt viciniſſimus *ſupra Prop.* 53.
Qui viciniſſimus, idem potentiſſimus ſupra *dictâ Prop.*
Quo quis potentior, eò periculoſior libertati, *per Prop.* 51.
Ergo Piaſtus periculoſiſſimus libertati.

Idem aliter.

Piaſtus familiam in Polonia habet, & probabiliter potentem.

Imo pluſquàm uni familiæ ſanguine, affinitate, amore, meritis, gratitudine, ſpe junctus eſt.

Familia ſua cuilibet fida eſt.

Regulariter; ob ſpem communem, & naturalem in conſanguineos inclinationem.

Qui multos, & potentes amicos ſeu miniſtros fidos habet, is potens eſt, *per Prop.* 52.
Ergo Piaſtus in Polonia potens.

Idem aliter:

Familia cuilibet ſua miniſtros ſine ſumtu præbet.
Quo quis plus ſine ſumtu poteſt, hoc eſt potentior.

Idem aliter:

Piaſtus miniſtros fidos indigenas habet, ſuam nempe familiam.

Contrà extraneus in Polonia miniſtros in omnem eventum, etiam uſque ad opprimendam Rempublicam, fidos non habet. Extraneos ergo ſolos fidos habet. His verò muneta Reipublicæ conferre non poteſt; ergo ſuis privatis ſumtibus ſuſtinere cogitur.

Indigenis conferre officia & beneficia poteſt.
Ergo hos potentes facere ſine ſuo ſumtu poteſt.
Jam Piaſti familia per ſe potens erit.
Qui per ſe potens prætereà amicos habet; eoſque illimitate poteſt facere potentiores ſine ſumtu ſuo, is potentiſſimus eſt.

Piaſtus facilè ſuæ familiæ hominibus ſenatum implebit; in hos officia, beneficia, præfecturas transferet; per hos ad Regem aditus patebit; His ſupplicandum, his etiam adulandum.

Piaſtus ergo in Polonia potentiſſimus eſt.

Idem aliter:

Si Piaſtus Rex eligitur, familia ejus fit cæteris potentior tanto, quanto Rex eſt potentior Nobili.
Quantum potentiæ accedit, æqualitati decedit.
Quantum æqualitati, tantum libertati, *per Prop.* 4.
Tantum autem decedere, quanta eſt Regis ſupra Nobilem eminentia; eſt maximum decedere.
Ergo Piaſto Rege electo maxima decrementa libertas patietur.

Idem aliter:

Familiæ Regiæ dum fieri commodè poteſt, hærendum eſt *per Prop.* 59.

Quæ, ſi potens eſt, non poteſt id ſolùm, ſed & debet fieri, etiamſi commodum non ſit:

Maximè, ſi inteſtinè potens eſt.

Piaſtea inteſtinè potens eſt, & quidem firmata.

Inteſtine potens ſummis viribus obnitetur, ne rurſus deſeratur.

Ergo in eo conflictu vel obtinebit, & Reſpublica victoriæ præda erit;

Vel ſuccumbet, & ſequetur ipſius familiæ excidium.

Piaſtus igitur ſine excidio familiæ deſeri vix poteſt.

Difficile verò & periculoſum ejus arboris excidium, quæ à tot ſeculis apud nos radices egit. Multum, credite, telluris, multum circumjacentium herbarum ſimul evelletur.

Ergo Piaſtus eligendus non eſt.

Sanè prudentiſſimus *Fredro* monet; vix alia ratione caveri poſſe libertati, quàm ſi Piaſto electo lex feratur, ne unquam ex una familiâ duo Reges continui ſumantur. Sed agnoſcit ipſe, ſurgentem hic alium nodum quem & Gordium vocat, crebritatem ſcilicet tumentium interregnorum, & perpetuæ ambitionis malum, ſi axioma illud evertatur, quod ſupra demonſtravimus *Prop.* 59. de *Regia familia quam diu fieri poteſt, non deſerenda.* Ut taceam, ubi mutatio familiarum regnatricium crebra eſt, ſingulas dum proximæ ſunt poteſtate, non diu duraturâ, effuſiſſime uti, exhaurire ditionem, atterere ſubditos, plus privatis ſordibus, quam publicis ſumptibus dare; ita in Rempublicam animatos eſſe, ut conductor in domum non ſuam quam ſatis habet ſe adhuc inhabitante nondum corruere. Hæc Nepotiſmi vitia tum Roma nobis, tum interdum Epiſcopi Germaniæ, crebris exemplis confirmant. Is ergo futuræ in familia Regia potentiæ metus, ſi cætera omnia abeſſent, ſolus ſufficit abſterrendæ à Piaſto genti. *Sigiſmundus Auguſtus* cum incolâ fœminâ, in ſua Republica nuptias contraxerat, quæ res maximis motibus animorum excepta eſt; alii præjudicium populi inclamabant, alii divortium petebant. Non tam quòd inſcia Republica conjugium initum eſſet, quàm quòd metus erat, ne Rex qui incolam fœminam duxiſſet, eo nexu, paratis intra Rempublicam è potentioribus quibuſvis, partium fulcris, electionem liberam & cum eâ libertatem; ſub unius traheret domûs cultum. Etiam *Stephanus Bathorius* ſuſpectus habitus, quod *Zamoſcium* magni nominis civem affinitate ſibi illigaſſet. Si affinitas cum indigena exoſa fuit, quid de cognatione dicemus? Sed & affinitas hanc ſequetur. Nam cognati Regis à Matrimoniis Polonicarum familiarum prohiberi certè non poſſunt. Ergo his inſtrumentis uſus Rex, opportuniſſimas quaſque familias ſibi devinciet. Extranei Principis principali domo nati, conſanguinei, nec facilè Nobilis ambibunt conjugia, & ſi tentent, communi reclamatione excipientur.

Idem aliter:

Regum indigenarum nati certè Principes erunt.

Ergo intra promiſcuæ Nobilitatis titulos non ſtabunt.

Polonis hæc ambitio admodum viſa. Poloni aliquot proceres, *Sigiſmundo* I. Viennam comites, oblatos à *Maximiliano* Cæſare Principum titulos, honeſtè excuſarunt. *Radſvilii* cauſam dicere coacti ſunt, quod accepiſſent. Rectè *Fredro*: » Hic Regis » frater, alter avunculus, ille nepos; ſpecioſa, credite mihi, nomina & tituli, & » niſi ipſi, regii ſanguinis fiducia ultra cæterorum aſcendant paritatem, ſublevabuntur » à cæteris, ſpontaneâ voluntate ſe ſubmittentibus ſingulis, ut Regiæ Domûs captetur » favor.

Ergo

Ergo æqualitatem familiarum exuent.

Maxima munera quasi jure quodam suo perpetuò affectabunt, cum exteris principibus matrimonia inibunt; veneratione regii sanguinis cedent illis alii, aut cedere cogentur; Rege Novo exemplo eorum, suis posteris prospiciente.

Iidem, ut dignè alantur, erit ex Reipublicæ Majestate.

Jam ipsa familia per se regias opes non habebit.

Quod secus est in Principibus extraneis, principali domo natis, & per se subsistentibus. Quæ etiam ratio est, cur Candidatus non egenus esse debeat.

Ergo prospiciendum eis à sola Republicâ aut perpetua provisione, onerosâ futurâ, si diceres duret. & capita demum multiplicentur.

Aut tum conferenda illis munera & beneficia.

Aut permittendum ut coëmant sibi territoria.

Quæ omnia & onerosa & libertati extremè periculosa, & legibus partim contraria.

Rectè *Fredro: ultima liberorum Comitiorum illa fore, quibus Piastus eligetur.* Quibus unus omnibus, civis gente, dignior declarabitur; Summum hactenus ac propè unicum servandæ libertatis arcanum, *extraneus Rex* fuit.

Idem aliter:

Piastus Territorium privatum in Polonia habet.

Regem territorium sibi emere legibus Regni vetitum.

Cùm *Constantia* Regina, posterior conjux *Sigismundi III.* Regis, agrum Zivecensem inter fines Poloniæ, Silesiæ & Hungariæ situm, DC. millibus florenorum nostratium à *Joanne Comoroskie* emisset, cavit in posterum Respublica Comitiis anni 1631. ne esset potestatis Regiæ Domus, quærere intra regnum terras hæreditatis.

Ergo habere, visum periculosum.

Sed nec Piasteæ domui hoc prohiberi commodè potest, cur enim tam multis familiis Regi cognatis, non ab eo descendentibus, commercia interdicantur? cur deterioris sint quàm alii cives, conditionis? jam si cognatis Regis jus est territoria sibi comparare, quis dubitet his instrumentis usurum Regem, his pecuniam, pacta sibi redituum parte, retentis pignori agris, suppeditarum. Territoria sunt Reipublicæ fundamentum. Hæc in promiscuæ Nobilitatis familiarumque indiscriminatim manibus esse decet. *6. Licinius Stolo* Romæ legem tulerat, ne quis civis ultra modum sibi agros compararet. Interest æqualitatis, idem in Polonia constitutum esse, ne parvæ familiæ paulatim solæ emineant, structo ad regnum gradu. Cæterum qui territorium in Polonia grande habet, quid aliud quàm sine nomine Princeps est? Summa immunitas, summa prope in suos potestas, jus armorum, tuendorum finium, extruendarum arcium. Idem jus haud dubiè & Regiæ familiæ erit. Nam quod habet, non deponet. Jam Regem privatim arma arcesque in sua, aut quod idem est, suorum potestate habere, quis tutum putet libertatem quærentibus? Erit fortè qui credat, his omnibus præcaveri posse, si lege latâ constituatur, ne Regis cognati ad officia, ad beneficia, ad emenda territoria, admittantur. Sed hoc jure fieri non potest. Cur enim ego plectar, cur jus omni Nobili commune omittam, quia fortè fratris mei filius Rex factus est? In descendentes talia fieri jure possunt, non in collaterales Regis. Sed si collateralibus permissum, idem metus restat. Descendentes verò, quibus talia negantur,

tur, aliis modis; ut suprà dictum, cum dignitate alendi sunt, quod fine extraordinariarum collationum immani cumulo, auctâ Regia sobole, fieri non potest.

Ergo PIASTUS periculosus.

Idem ampliùs:

Piastus multis modis periculosus est.

A novitate, à multitudine eligentium, à multitudine eligibilium; à coincidentiâ eligentium & eligibilium, à necessariæ prælectionis tarditate, duplicitate, exacerbatione intempestivâ exclusorum, orituro dissidio inter Poloniam & Lithuaniam Minorem & Majorem Poloniam, inter ordinem Senatorium & Equestrem, inter Palatinatus. Quia paulò ante æqualibus imperabit, quia æqualium conversationem declinabit, quia nostros defectus callet; minus suspectus facilius obrepet. Intestinus habet fidos ministros & multos & potentes, & fine sumtu; quia deseri fine excidio familiæ non potest; æqualitatem familiarum exuet, principum titulos fastumque inwehet, Territorium in Polonia & habet privatum, & augere potest, contra leges Regni; denique ut hoc quoque addam Cosaccis invisissimus erit, quorum metuenda nunc potentia Nobilitatis imprimis odio flagrat, sumto ex nobilitate Regi nunquam conciliabitur, hunc indultorum omnia cognatæ nobilitati credet; Externum quemvis facilius feret.

Multæ causæ ex diversis capitibus ortæ in se invicem ducendæ sunt.

Quia una tota in quamlibet partem alterius agit. Et ita una per alteram multiplicanda est, v. g. periculum ex numero eligentium ducatur in periculum ex numero eligibilium, quia eligentes & eligibiles si Piastus eligendus est, coincidunt; & fingantur esse tantùm mille Electores, ita erunt etiam mille eligibiles, & per consequens periculum discordiarum erit, ut quadratum de mille, seu ut millies mille, adde supra *in Prop. 53.*

Ergo productum periculi erit factum per multiplicationem continuam causarum in sese invicem.

Tali verò continuâ multiplicatione incredibilis summa oritur.

Documento potest esse progressio Geometrica.

Ergo Piastus summè periculosus est.

Ergo PIASTUS eligendus non est.

Fusius in Piastum disputasse videbimur sed speciosis: indigenatus, patriæ, Regni nominibus, detrahenda larva, nudanda periculositas fuit. Sapientissimos quosque gentis consentientes habemus, cùm olim *Andreas Kostka* Sendomiriensis, & *Andreas Tenczinskius* Belzensis Palatini, post *Henrici Valesii* fugam multorum oculis vocibusque designarentur, & *Kostkam* inscium ipse Turca per legatum commendaret, egregiè illi Duumviri, perinde indignati, acsi fides in patriam sua sollicitaretur. Gratias habere se, inquiebant, Equitibus, apud quos eo in pretio virtus sua haberetur. Cæterum nolle ea electione Rempublicam periclitari; Tutius quæri in externo solo principem, quàm domi cum tumultu & invidia eligi; donare se privatam fortunam & ambitum Reipublicæ saluti, sufficere sibi honores, cùm forent Senatores, ac Regum Electores, magni profectò viri, vel ideo regno digni, quod in ea fortuna modestius agerent: felices animæ & æternâ histor arum luce dignæ quæ quod in humanis summum habetur, tam constanter sprevistis, quæ perire occasionem vobis, quàm patriæ tranquillitatem maluistis. Quæ pro Piasto afferuntur, pauca & exigua sunt scilicet, melius Polonica callere. Fateor, sed quantum satis est, regendæ Poloniæ, facilè Rex quivis discet, modo Senatorum sententias audiat; quantum opprimendæ sufficiat,

sciet, nunquam. At indigenæ artes & auxilia diu parata & meditata. Extraneus nobis Pædagogis indiget, Piastus nimis gravis Pædagogus nobis erit. Addunt & linguam nosse. Sed ea res exiguæ semper Polonis curæ fuit; adde supra *Prop.* 17. At exteros invehet? id verò severissimis quæsitissimisque legibus frænandum est; Et verò quid poterunt illi, si ad officia, ad beneficia, ad emenda immobilia non admittuntur? Sustentandi igitur regiis sumptibus erunt. Hoc *Henricus Valesius*, qui etiam proventus mensæ Regiæ inusitata prodigalitate dilargiebatur; hoc *Condeus* fortè aliquis, Gallico argento affluens, poterit; Neoburgico aut simili, opum non immodico, majus in parsimonia præsidium erit. At regni reditus extra regnum convertet? Imò contrà, conciliandi in regno animi erunt. Piastus contra satis domi firmus maximis sumptibus factis in pari cæteris Principibus authoritate locare sese, certos per omnes aulas externas homines de novo sibi parare, denique tanto plus splendori apud exteros dare debet, quanto magis delenda illi humilitatis pristinæ memoria est. Addo & de sessione controversiam à Regalibus familiis Piasto motum iri. Gravabuntur novo & inopino Principi concessum hactenus Poloniæ Regibus locum dare. Prærogativam Principum non à Republicâ tantùm, sed & ipsorum familia æstimandam dictitabunt, hanc familiam novam, inolitis aliis, & regnandi vetustis inferiorem esse. Respublicas licet potentissimas, semper Regibus cessisse, Moscum certè Regem literis suis dignum putasse, at Reipublicæ tantùm per Consiliarios scripsisse. Dignitati ergo tuendæ, conciliandis aulis, fabricandis matrimoniis, colendis amicitiis, novi de integro sumtus requirentur. Nihil ab antecessore actum, ad ignotæ obscuræque hactenus stirpis Principem, pertinebit; At si Princeps eligatur, cui familiæ, res, authoritas, firmata sunt, facilius continuabuntur vetera, quàm nova struentur. Objiciunt & locum Deuter. XVII. v. 15. ubi Israelitæ Regnum fratri suo dare jubentur, sed cui alii darent, cùm aliæ gentes idololatræ essent, & ex Regia Israelitarum stirpe Messias expectaretur? Addunt lege regni peregrinos excludi; Sed qui Electori Brandenburgico, Duci Saxoniæ Lauenburgico, Principi Transsylvaniæ, Palatino Moldaviæ, tot etiam privatis Jus indigenatus dedimus; cur non novo Regi demus? Extremum, & in vulgus efficacissimum quod obtendunt: *Honor gentis* est, hunc contemtui Exterorum, posteritatis ludibrio, sannis politicorum exponi & prostitui; dum Regem aliunde petentes fateamur nobis viros domi deesse, sed hæc etsi vera essent, non tamen inanis rumor ante salutem ponendus erat. Nunc nihil falsius. Plerique prudentiam Polonorum, & in conservandâ libertate concordiaque artificium laudant, extranei Regis instituto turbis & ambitione se exonerâsse fatentur, non egestate, sed copiâ capacium sceptri virorum delectum auferri agnoscunt. Non tam nobis propensa in eos voluntas, quàm illis ambitus abest, ipsâ meritorum fœcunditate confundimur, & implicantibus sese ramis radicibusque arborum tam propinquarum, novo jam pœnæ genere virtutis abundantiam luimus. At soli Poloni, inquies, hoc tam mirabili axiomate utuntur; Ego verò, nec si soli uterentur, mirarer; rarò libertatis gradui, quo Civis Polonus omnium Orbis Rerum publicarum civem eminet, singularis quædam conservandi ratio debebatur. Nunc verò constat nihil à ratione alienum, nihil novum, nihil ignotum aliis gentibus tentari. Ostendit hoc autor volitantis passim schedæ de Piasto, quem aliquandiu, ne actum agamus, quia in paucorum manibus est, exscribemus. » Præclaro illi consilio inquit, petendi extrinsecus Regis hactenus non imminutam libertatem debemus. Is parum peritus rerum nostrarum nobis pædagogis indiget, nihil » occulti moliri potest, omnes ejus motus sentiuntur, omnia consilia emanant, in » hunc attenti arrectique sunt omnes, fidum in regno neminem habet, nisi quousque » liberalis aut dignus est, majora molientem cuncti destituunt. Neque familiam in » Polonia latè fusam potentemque & vera caritate sibi devinctam habet. At Indigenam Regem magna Polonorum pars non ficte amat, ut sanguinem suum, ut certum fautorem, ut portitorem majoris felicitatis; his tutò credere sensus suos, per

» hos arcana negotiari potest, sciunt, si hæc prodant, suas spes, suas felicitates prodi. Contra Rex externus amicos in Regno fidos non invenit, parare sibi largitionibus cogitur, ita vires enervat, Thesaurum exhaurit, opes atterit, quas ad Tyrannidem constituendam convertere posset. Amicos tamen fidos ne sic quidem polliceri sibi potest; cùm primum alia se spes aperiet; cùm sentient Regem liberalitati terminos statuere, alium alii præferre, majora moliri, primi inter justos proditores erunt; Familiam verò suam, ad opes, ad officia, ad beneficia evecturo, capitulationes, Juramenta, clamores obstabunt; indigenæ autem Regi poni talis obex non potest. Quid enim? inquiet, an familia mea deterioris conditionis erit? Poloni sunt, vester sanguis sunt, quibus etiam, me non electo, apertum ad honores iter erat. Cur illis felicitas mea fraudi erit? cur, quod solatio esse debet, in perniciem cedat? His obsecro, quid reponemus? Nihil injustius, nihil durius, quàm nobilissimas familias & de coronâ optimè meritas, Regem nobis præbentes, à publico jure, ab aditu honorum, ab unicâ Polono Patricio felicitatis summæ spe ideò tantùm excludere, quia Rex ex iis sumtus est. Quis hâc conditione Rex esse velit, cui alendæ privato sumtu totius familiæ, latissimè sæpe fusæ, onus incumbat; & vix sibi sufficientibus Regiæ mensæ proventibus, suos, velut in mediâ patriâ exules, sustinere cogatur. Jam si qui cognatorum Regis ad rapinas propè necessarias, ad varias artes, favore Regis subvecti convertantur, parata excusatio erit; agendum erat aliquid, inquient, quo aleremur. Quis, inquam, hâc conditione Rex esse, aut Regem ex suis fieri velit? quàm servile hoc erit, ab innatâ eum caritate suorum abstrahere, & pro laboribus hanc mercedem tribuere, ut suis ipse necessitudinibus frui non possit. Ergo relinquenda ei potestas illibata suos evehendi, quam nativitas, indigenatus, nobilitas, merita majorum, tribuerunt. Cessantibus verò legibus, capitulationibusque, quid jam non per suos Rex aget, quò non aspirabit, quid non animo volvet, quæ non in familiam transferet? Sentiemus ultimam libertatis nostræ eam diem fuisse, quâ Regem ex nobis proclamavimus, & deceptos nos externâ honoris specie, inani patriæ prætextu, jucundâ nimis omnibus, dum omnes sperant, eventu plerisque acerbâ, dum unus obtinet, Piasti voce, serò agnoscemus. Ita libertas, securitas, tranquillitas, tot vigiliis sudoribusque hactenus servatæ funditus interibunt. Et profectò si non *electus* saltem *electio* eas evertet. Quid? totne familias, potentia, virtute, meritis, æmulas, æqualesque repentino stupore occupandas credimus? uno ne momento se ab illo fastigio, illa paritate dejici patientur? quam majores, fuso toties sanguine, tot triumphis laboribusque pepererunt. Indigni profectò illâ Polonicâ generositate, illis Spiritibus Orbi natis, si commune virtutis præmium uni nullâ parte se digniori, nisi & inferiori porrigi patiuntur; quod miserabilius erit spectaculum, quod deformius & pudendum magis, ante æqualem, fortasse & diu spretum, prosterni, ventilatam tam diu inter familias prærogativæ quæstionem, una die, turpi præter unam, omnibus exitu, definiri. Fateor, mihi meisque, vilissimæ licet parti Polonorum, *inquit scriptor ille*, ad triste spectaculum constantiam non duraturam. Ite ô Poloni libertati exequias, cùm primum unius familiæ lanx pondus cæterarum exibit, & dignior civis gente censebitur. Nec Piastum intueamur, alia tunc tempora, alii mores erant, neque nunc ab aratro Dictatores à vomere Reges petuntur: sed age, patiamur ad concursum & *Piastum* venire. Quis est verò Piastus iste, nonne multiceps nomen, dictu quàm explicatu facilius. Hoc enim admisso pro decem Candidatis sexcenti subnascentur, & paucæ literæ infinitum turbarum, turbatorumque syrma trahent. Prodeat enim Piastus ille centum geminus, præconis voce citetur, mittat ad comitia Legatos suos. Aveo videre illum tam audacem, tam etiam pene dixerim, impudentem civem, qui inter Candidatos nomen suum profiteri primus audeat, qui cæteros sibi subjici postulet, qui suam virtutem, junctis cæterorum omnium meritis præponderare contendat,

» tendat, nec turbatæ patriæ infamiam, execrationem poſterorum, invidiam familiæ, obtutum æqualium, averſos ſeniorum oculos perfrictâ & ferreâ fronte vereatur: qualiſcunque autem erit, fruſtra erit, quiſquis tantæ audaciæ, tam mali exempli ductor erit. Surgent continuò innumeri alii, clamoribus, conviciis, increpationibus, hominem obtundent, ſuorum quiſque majorum virtutes memorabit, tanget ſuas, negabunt ſe quicquam ceſſuros; non in eam ſe ſpem à majoribus genitos, ut æqualis paulò antè, nunc ſubitò evecti, & inſperatâ fortunâ ebrii faſtidia patiantur. Mox ab odioſa virtutum comparatione ad alterna convicia præceps ſermo ibit; protrahentur familiarum dedecora longâ nocte aut oblivione abdita, nemo in tanta controverſia mutus erit; vident ab ejus diei fortunâ ſuam ſalutem & exiſtimationem pendere, amiciſſimæ paulò ante domus non minoribus nunc odiis diſtrahentur.

» *Nec Regna ſocium ferre, nec tædæ ſciunt.*

» Eæ verò quæ dudum vel diſſidebant apertè vel occultis odiis gliſcebant, ſpatium campumque irarum nactæ, in mutuam perniciem effundentur; Gladiatorium Orbi ſpectaculum, Chriſtianorum miſerationi, Barbarorum voluptati dabimus; ſatis latè patens planitiei noſtræ amphitheatrum erit. Tot mala illi uni imputabuntur qui Princeps, cæteris audaciæ ſe Ducem præbuit, in hunc odia incumbent, fructus aliis cedet; infamis perpetuò, & vel ſine edicto damnata ejus memoria erit, at alii fractam ipſius periculo glaciem ſibi lætabuntur. En faciem Piaſti, en ſentibus obſitam ſpem ſummæ poteſtatis! hoc præmio certandum, nihil inter abrupta & ſumma, medium erit, vel nemo prodire, nemo ambire audebit, vel uno ſilentium audaciâ rumpente, omnes jam oris competitoribus, nemo cuiquam aſſentietur, omnes omnibus ſuſpecti erunt. Miſera Reipublicæ toga in innumeras lacerantium partes ibit, non à Medea frater toties ſectus erit, nec quæ *Metium in diverſa quadrigæ abſtulerunt* tot in vepribus particulas corporis hærentes reliquerunt

Bella horrida bella

Et Wartam multo ſpumantem ſanguine cerno.

» O miſeram patriam, ſi filiorum tuorum præda eris; miſeriores nos, ſi in hæc tempora reſervamur! At vicinis duraturamne quietem ſperamus? Pruſſia Livoniæ fortunam ſequetur. Cracovia repetet illas manus quibus ægrè evolata eſt. Sed hæc tolerabilia, niſi Barbaro hoſte cingeremur? Quàm difficulter Moſco Vilna extorta eſt! Patriæ olim mutus Coſacci, nunc ruinam ſtragemque in nos verterunt. Turcarum & Tartarorum non licet ſine horrore meminiſſe, laborabit Europa noſtro periculo, & cæteræ gentes, ſive Barbari immineant periculo ſuo; ſive nos nobis compendio movebuntur. Illis ſalus noſtra, his quies prætextui erit. Nec dubium eſt, diſtractis eligentium ſtudiis externos auxilio, ſive ab imbecillioribus, ſive etiam ab utriſque vocatum iri. Quod longè periculoſius, quàm ſi extraneus ſuâ ſuique factionis potentiâ, ſceptra nobis extorquere moliatur. Nam in hunc omnes ſtabimus, at indigenum foventibus magna noſtri pars militabit. Quid ſi non duæ, non tres, ſed decem, ſed tot ſententiæ dicantur, quot Palatinatus ſunt? quis miſeriarum finis erit? in minutos regulos ibimus, vetere noſtræ gentis fato; ſinguli frangi faciles, vinculo ſemel ſoluto, cuilibet hoſti cedemus, & cum nos prius ipſi fatigaverimus, mutuis vulneribus laſſi, Cadmeæ pugnæ, & fraternorum odiorum exemplo ſemineces in terram procumbemus. Sed abducenda à tam triſti imagine cogitatio eſt.

» Nempe animus meminiſſe horret, luctuque refugit. Illud oſtendendum reſtat; neque infelix Polonis, neque inuſitatum aliis exteri Regis remedium fuiſſe. Cracum illum qui laceratam XII. Palatinorum diſcordiis Rempublicam Principis nomine, ſub imperium accepit, antiquiſſimi Poloniæ annales memorant, ex Romanâ Gracchorum gente fuiſſe, ex quibus hauſtam narrationem *Dlugoſſus* magnæ authoritatis libertatiſque ſcriptor noſtràs in ſuum opus tranſtulit. Nam, ſi Romanus non fuit,

» fuit, fortè tamen ex Romaniâ fuit, id est ex Thracia Romanis Constantinopoli
» Imperatoribus, parente. Undecunque autem fuerit, certè peregrinus fuit, quâ de
» te, ac de Craci laudibus fusius *Andreas de Pilca Coryeynius*, *Castellanus Visiicensis*
» *in perspectivâ Politicâ disseruit*. A Craco ad Piastum indigena fuêre; ultimus Piasti-
» darum *Casimirus* magnus fuit. Hujus ex sorore nepos, *Ludovicus* Hungarus suc-
» cessit, & ab eo tempore externis Regibus, suis legibus, Polonia usa est; felici
» temperamento, ne Tyrannide Rex, ambitione cives, pervertterentur. Nam ut de
» anteriore, *Wenceslao* Bohemo, *Rixæ Primislai* posthumi filiæ, conjuge, ejusque filio
» *Ludovico* nihil dicam; *Ludovici* tamen Hungari filia *Hedwig* præteriri non debet,»
» quæ pronubâ providentiâ non magis *Jagelloni* se, quàm Lithuaniam Poloniæ, Bar-
» barcem Ecclesiæ despondit. Videtis Virginem peregrinam, peregrino nuptam, tan-
» tum Poloniæ adjecisse, quantùm à multis seculis fortissimorum virorum dextræ non
» potuerunt. Eadem nobis profectò Hungariam Bohemiamque copulâsset & copularat
» dudum in *Uladislao* filio, Varnensi clade heu plus satis noto.

Sed nimium Polona propago
Visa potens superis propria hæc si dona fuissent.

» Ultimus Jagellonidarum *Sigismundus Augustus*.
» Ergo ad exteros rursus itum. *Henricus Valesius* electus, sed non obscurâ ducendæ
» *Annæ Augusti* sororis, conditione. At ille

» *Eripuit mox se se & vincula rupit.*

» Hunc *Stephanus* Transylvanus excepit, sed ut impleret, quod à priore sperabatur
» tantum matrimonium *Annæ* Inclytus bello Princeps, ditionis nostræ longè lateque
» propagator. *Stephano* orbo ad alteram sororem *Augusti*, *Catharinam*, respectum est.
» Hujus filius *Sigismundus III.* à nobis electus, poterat grande Imperium septentrio-
» nis condere, Turcicæ potentiæ suppar; præsertim cum *Uladislaum* ejus filium,
» Mosci etiam ipsi ad Sceptra vocarent. Videtis, populares quantum peregrinis Re-
» gibus debeamus, aut *si mens non læva fuisset*, potuissemus debere: sed tamen etiam
» illud observandum est, nativitate magis quàm stirpe peregrinos à nobis sumtos esse;
» &, si rem accuratius pensites, Piasti Jagellonisque sanguinem huc usque in nostro
» solio durâsse. *Wenceslaus* Bohemus, *Rixam Primislai* posthumi filiam duxit, *Ludo-*
» *vicus* Hungarus ex *Elisabetha* matre *Uladislai Loctici* nepos fuit. Hujus filiam *Hed-*
» *wigem* duxit *Jagello*, Jagellonis proneptem *Annam* ducere debuit *Henricus*, duxit
» *Stephanus*, *Annæ* soror *Catharina Sigismundum III.* Polonis Suecisque dedit. Eam con-
» suetudinem tam sanctam, tam præclaram, tam stirpis regiæ reverentem nunc quoque
» servemus: peregrinum, neque vicinum neque suspectum, neque nimis potentem
» eligamus, sed cætera dignum, sed Jagellonigenam, sed necessitudinem affinitate
» renovantem. *Joh. Bodinus* creber nostræ gentis admirator in opere de republica *mor-*
» *tuo*, inquit, *non ita pridem* Sigismundo Augusto *Poloniæ Rege controversia inter op-*
» *timates, qui regni spem ad se quisque trahebant coorta; Senatusconsultum factum est;*
» *quo omnibus civibus ad regnum via præcluderetur, ut quidem à legatis Polonorum ac-*
» *cepi, quibus in fines hujus Imperii ad Regem* Henricum *deducendum ingressis, adesse*
» *jussus eram*. Sed voce Senatus consulti abusus *Bodinus* videtur; placuit quidem Se-
» natui, ne Piastus eligeretur, sed placita Senatûs in Polonia Senatusconsulti vim, &
» Legis authoritatem sine Equestris ordinis consensu non habent, tanti tamen ordinis
» non contemnendum præjudicium est; & certè in nupero Nexu à primariis Viris an-
» no 1659. consensu Regis inito inter requisita Candidati ponitur, *ne sit Piastus*. Hoc
» Polonorum judicium ne hostes quidem culpant. Inspexi venenatam *Joh. Barlay* in
» Polonos invecturam, consuli, quæ autor *Poloniæ defensæ* contra laudabili zelo dixit,
» addidi, *Mithobium*, *Cyriacum*, *Thrasymachum* ejusque adversarium *Lucam de Gabriis*,
» nihil tale tactum, vidi quod aliis populis venenum, nobis medicina fuit, & cùm
» cæteri admissis extraneis amissa gentis jura imputent, nos conservata debemus. Sed

nec

» nec solis peregrinis Sceptra credimus, si hoc crimen est *correum* propè totum orbem
» habemus. Jam olim *Virgilius*, neque enim ille Historicus minùs quàm poëta est,
» duo vaticinia refert, quibus fata in Italia externo *Ænea* summam rerum destinarunt.
» Rex ipse latinus sic inquit. Lib. 7. Æneid.

» *Est mihi gnata, Viro gentis quam jungere nostræ,*
» *Non patrio ex adyto sortes, non plurima cælo,*
» *Monstra sinunt; generos externis affore ab oris.*
» *Hoc latio restare canunt, qui sanguine nostrum*
» *Nomen in astra ferant; hunc illum poscere fata.*

» Idem postea canit Hetruscos contra *Mezentium* Tyrannum pugnaturos egregieque in-
» structos, externum Ducem exspectare jussos

» *Retinet longævus Aruspex.*
» *Fata canens: O Mæoniæ delecta juventus*
» *Nulli fas Italo tantam subjungere gentem.*
» *Externos optate Duces, tum Hetrusca resedit*
» *Hoc acies campo monitis exterrita Divum.*

» Et certè *Æneæ* & *Antenori* Trojanis illi Albam Romæ, huic Patavium Venetiarum
» rudimentum fundata esse; Græcos, *Philoctetem*, *Petiliani*; *Idomenea*, Salentinos; *Dio-*
» *medem* Argyripam in Italia constituisse, ipsum *Helenum* Trojanum Græcis Epirotis
» imperâsse, idem *Virgilius* testatur. In ipsa Roma *Numa Pompilius*, non modò non
» patritius, sed nec civis quidem Romanus, ex agro Sabino autoribus, patribus im-
» peravit, *Lucius Tarquinius Priscus* Græci *Demarati* filius Rex est Romæ factus, vivis
» adhuc *Ænei* prioris Regis liberis. *Marcus Perpenna* Græcus, & *Lucius Cornelius Bal-*
» *bus* Gaditanus, consules Romæ fuêre. Imperatores quoque veteres multi imperia
» magis patriâ Romani fuere. Primus *Trajanus* externus fuit, patria Hispanus, *Hadria-*
» *nus*, item Trojano propinquitate junctus. *Antoninus Pius* ex Nemauso Galliæ trans-
» alpinæ oppido; *Septimius Severus* ex Lepti Africæ; *Opilius Macrinus* Maurus; *He-*
» *liogabalus* Syrus; *Maximinus* Thrax; *Philippus* vel ipso cognomento Arabs; *Decius*
» è Bubalia Pannoniæ oppido; *Aurelianus* & *Probus* Sirmienses; *Carus* Gallus; *Dio-*
» *cletianus* Dalmata; *Jovianus* è Pannoniæ oppido Singidone; *Valentinianus* & *Valens*
» Pannones; *Marcianus* ex Illyrico; *Leo* Thrax; *Zeno* Isaurus; *Anastasius* Dyrrhachien-
» sis; *Justinus* & *Justinianus* Thraces; *Tiberius* Thrax; *Mauritius* Cappadox; *Leo* vel
» ipso cognomento Isauricus; *Basilius* Macedo; &c. Armenos, *Tacitus* ait, Regem
» nisi peregrinum ferre non potuisse. Sultani Ægyptii Prætorianorum militum suffragio
» creabantur, sed non nisi ex Apostatis Christianis; unde & Dynastia illa Mammelu-
» ciorum Regnum appellata. Idem, cùm aliquando scissi studiis mutuis cædibus & fac-
» tionibus Rempublicam lacerarent, *Campsoni* Caramanniæ Regis nomen detulerunt.
» Quid ipsos Turcas memorem, quorum maximæ dignitates vix nisi exteris, quondam
» Christianis patent? Æthiopes Christiani de Davidica stirpe suorum Regum etiam glo-
» riantur; Florentini cùm Monarchiam exuissent, optimates deturbâssent, variæ De-
» mocratiæ genera experti fuissent, pertesi cædium & discordiarum, & à vicinis Lu-
» censibus persuasi, Legatos ad Pontificem Romanum miserunt, ut Regiæ stirpis unum
» aliquem mitteret, qui Florentinorum Imperium suscipere vellet. Et quidem casus
» obtulerat *Carolum* Neapoleos & Siciliæ Regem Divi *Ludovici* fratrem; is igitur &
» Pontificis Maximi & Florentinorum oratione persuasus Florentiam venit, imperium
» suscepit, dissidia composuit, cumque ad Regnum Neapoleos evocaretur, Legatum
» urbi proposuit, sed non prius urbe excessit quàm Florentini vicariæ potestatis per-
» tæsi rursus defecerunt; Roma tot externos, Hispanos, Gallos, Germanos, Belgas,
» Pontifices dedignata non est. Germani *Alphonso* Hispano, & *Richardo* Anglo impe-
» rium obtulerunt, quorum alter & accepit, ut de *Carolo* & *Wenceslao* Bohemis nihil
» dicam Gallorum lex Salica nos quidem movere non debet. Nam iidem & addic-

» tissimè inter Europæos regnantur. *Hugonis* tamen *Capeti* stirpem ipsi à *Witichindo*
» Saxone repetunt. Lusitani legem tulêre, ut quæ mulier sanguine Regio nata, ex-
» terno nupsisset pro externa haberetur. At id quidem prudenter factum est, nam
» regnum ipsorum *hæreditarium* est. Est item *fœmininum*; ergo poterat contingere,
» quod Hispanis eodem jure utentibus contigit, ut jure successionis ad externum Prin-
» cipem stirpis Regiæ mulieri matrimonio junctum, vel ex ea descendentem, *invitâ*
» *licet gente* Corona veniret. Id verò in electitiis Regnis metui, non potest; & ipsi
» Lusitaniæ Rectores Bragantini è Gallis prognati sunt. Hispani Austriacis cesserunt.
» Neapoleos & Siciliæ Regna, Normanni, Sueci, Andegavenses tenuere; Medio-
» lanum Hispanis; Mantua Nivernensibus, Gallis patet; Belgæ Nassovios Rectores
» patiuntur; Angli aliquando Danos, dein Normannos, denique in *Jacobo* ipsa sic vo-
» lente *Elisabetha*, perpetuos hostes Scotos in solium admisêre. Jam in Germania Do-
» mus Habspurgica seu Austriaca, à vetustissima Perleonistum & Frangepaniorum,
» Romà profugorum stirpe oriunda perhibetur, Brunsvicensis quoque, Badensis quo-
» que, & aliæ familiæ Principes, genus ad Italos referunt. Ut de fabulosis Trojano-
» rum propaginibus nihil dicam. Dani aliquando Bavaros, aliquando Oldenburgicos
» postremo & Holsatos Reges tulerunt; Sueci *Albertum* Megapolitanum habuere. Iidem
» *Christophoro* Comiti Palatino Rheni & Duci Bavariæ in Neuburg, Regi tum suo con-
» stitutiones legesque Regni cultiores acceptas ferunt. Nec ita diu est, quod alium
» Palatinum, lineæ Bipontinæ Rheni vacantis regni Sceptro dignabantur, & nunc quo-
» que cum gloria sibi præficiunt. Ubi sunt nunc clamores, ubi invidiosæ voces, eo-
» rum qui inusitatum inauditumque gentibus clamant, *peregrinum Regem ferre!* Di-
» xerim potius, nulli unquam genti tentatum tam turbulenta Reipublicæ facie oleum
» flammæ affundere, materiam ambitioni præbere, petito ex se Rege. Nam hoc re-
» rum statu quot Piastos habebimus, quot aut optantes regnum aut sperantes? alius
» ex alio competitur nascetur fœcundiore quàm in Moscovia *Demetriorum* partu. Tot
» ambages quis definiet, tot concursus quis evitabit, tot præhabendæ Comitia, tot
» prælectiones quis exspectabit? Gens Genti, ordo ordini, Palatinatus Palatinatui,
» ordo genti, Palatinatus ordini, omnes omnibus obstabunt. Tota unum vulnus Po-
» lonia erit.

» *O Patria & rapti nequicquam ex hoste penates!*

» An ideo servata es, ut nostro gladio, nostris dissidiis interires, ut nos non infeli-
» ces tantùm sed & scelerati essemus. Vos, magni Heroes, nos cœlo receptæ animæ:
» *Kostkæ*, *Tenszinsky*, *Zolkiemi*, *Zamoscy*, *Chodkewicy*, & cætera turba patriæ defen-
» sorum, flectite oculos ad Poloniam vestram, novâ istâ quæstione, propinqua lace-
» rationis, quod absit omen, præcursore, ferventem; si quid precibus, si quid votis,
» potestis, tanto periculo intercedite; mollite tumefactas novâ spe, inani fermento
» mentes, prohibete ne controversia, quam vos florente regno, florentes ipsi, mo-
» nere horruistis, tam intempestivo tempore, eversis rebus, vix respirante Republica
» à dissimillimis Vestri, excitetur. Nunc ad vos redeo, *Carissimi Populares*, credite me
» quoque & communi gentis decore, & magis salute, moveri.

» *Et nos aliquod nomenque decusque gessimus:*

» Sed magis patriam, quàm familiam, regnum, quàm Coronam amo, nolim quan-
» tumcunque decus strage civium, aut etiam solo periculo redimendum. Hoc Ecclesia,
» hoc conscientia, hoc ratio jubet. Hoc expendite fratres; nec patimini, ut sanguine
» vestro ambitiosi homines abutantur. Non nisi unus Rex erit; vix ducentesima mil-
» lesima pars vestri; quotus quisque aut de se aut de amico spem habet? quid ergo
» corporibus vestris superbiæ paucorum gradum struitis, quid sanguine, vita fortunis alio-
» rum furiis litatis? Tenete planum & facile & tritum majoribus iter. Extraneos vix,
» quatuor competitores, consideravi dignos, habetis; indigenas mille apertâ hâc portâ
» facietis ipsi. Utrubi facilior electio est? Illic nullis prælectionibus, hic infinitis
» tricis

» tricis opus. Illic inter se hic nos nobiscum, Lithuani Polonis, Senatus equiti;
» miles omnibus, collidemur, & semianimis jam tum patria, fatalis discordiæ con-
» vulsionibus fracta, exhalabit tandem spiritum illum, à quo tot millia vitam trahunt.
» Membra & exuviæ viciniis, hostibus, Barbaris, in prædam cedent. Illic vetera &
» tuta, hic nova & adrupta tentantur. Illic vera, hic inanis gloria est. Illic principes
» exteri nobis serviunt, hic nos concivi nostro. Utrum gloriosius? Illic multitudo
» merentium ambitu vacans, etiam exteris admirationi est. Hic uno indigenarum
» electo, generositatis opinionem cæteri omnes perdunt. Utrum gloriosius? Illic reti-
» netur inter cives æqualitas, servaturque bilanx familiarum, hic pondere unius emi-
» cante, in præceps libertas ibit; Illinc arcanum stat conservandæ libertatis, hinc
» proditur. Ille Candidatus familiam in Polonia non habet, hic in visceribus nostris
» jam tum fixus firmatusque est. Ille plus Capitulationibus adstringetur, hic solutior
» luxuriabit; ille plus suspectus intentis in se omnibus frustra quidquam tentabit, hic
» pavor per publicum soporem obrepet; Hic suis Magistratus dare potest, illi omnes
» reclamabunt. Illi discenda nostra sunt; hic, omnium callens scit, ubi laboremus,
» scit cui maximè arti pateamus. Ille denique, si displicet facilius ejici, hic nonnisi
» radicibus tota cum familia aliisque multis familiæ illi innexis evelli potest. At à
» peregrino pericula imminent? Hæc omnia evanescent, si non vicinum, non nimis
» potentem, non clientem potentis, non turbidum, non inexploratum, non suspectum;
» sed prudentia & moderatione inclytum, carum genti, vinctum nobis hospitio, junc-
» tum sanguine, vinctum affinitate, servato illo prisco sanctoque à veteribus ad nos
» deducto more retentaque dum superest, Piasti Jagellonisque fatali stirpe eligemus,
» denique si hoc curemus ne adducta adauctave peregrinorum multitudine nos obruat.
» *Hactenus autor illius schedæ, nunc ex Piasti exclusione Corollaria* deducemus. Hinc

COROLLARIUM I.

PEREGRINO: multitudo Polonis vitanda.

Nam Rex peregrinus esse debet *per Prop. præsentem.*
Rex peregrinus hac maxime cautela coercetur, quod instrumenta privatim fida in regno multa non habet.
Instrumenta ei privatim fida sunt sui indigenæ, nobis extranei.
Ergo multitudo peregrinorum nobis vitanda.

LEMMA.

Attamen Peregrini vitari prorsus non possunt.

Nam Poloni indigenæ sunt, aut nobiles, aut subditi Nobilium.
Nobiles opificia & commercia non tractant, sed rem militarem, & literas.
Subditos suos non patiuntur aspirare ad libertatem.
Ergo nec à colendâ terrâ ad opificia & Commercia se convertere.

Id enim fieri vix posset, nisi ipsis Collegiis peregrinationes, honestiorque vita permitteretur.

Ergo restat, ut opificia & commercia à peregrinis ferè tractentur.

 Opi-

Opificiis & Commerciis carere Respublica prorsus non potest.
Ergo PEREGRINI à Polonis vitari non possunt.

Hinc sequitur Peregrinos vitari debere, quousque sint vitabiles, in commerciis autem & opificiis non sunt vitabiles, vitentur ergo saltem in negotiis Reipublicæ procurandis. Et certè Polonia undique aperta est, ideo custodiri transitus non possunt. Ergo nec excludi Peregrini. Sed nec is Polonis animus nunc est. Cùm enim peregrinationes ament, amant & peregrinos.

COROLLARIUM 2.

Rex ex ea gente sumendus non est.

Quæ secundo genitis dignitate Patris, & territoriis privat.
Ea enim gens secundo genitos plurimos cogit patria extorres fieri.
Et in alias gentes se effundere animo ibi manendi.
Maximè autem in illam gentem, in qua Regem suæ gentis, consanguineum etiam fortasse, & δευτερογενήσιος (postgenituræ) facto sibi similem habebunt.
Talis autem electo ex illa gente Rege, erit illis gens Polona.
Talium ergo magna multitudo se Polonis infundet, & quidem animo manendi.
Magna Peregrinorum multitudo Polonis periculosa *per præcedens hic Coroll.*
Ergo Rex ex gente secundo genitis tam iniqua sumendus non est.

Talis est gens Gallica, in qua Nobiles secundo geniti multum à gradu dejiciuntur; ii verò se mercaturæ, & opificiis non applicant; Ergo non sunt inter illud peregrinorum genus quod vitari non potest. Vitentur ergo: nam Reipublicæ eos se immiscere, satis domesticâ experientiâ didicimus. Hoc Corollarium & *Condæo* & *Lotharingo* obest, Nam & *Lotharingus* etsi animo Austriacus, gente tamen, sanguine, linguâ & cognatione, Gallus est. Uterque verò & *Condæus*, & *Lotharingus*, cognatorum è Gallia innumerum prorsus numerum traher, quorum plerosque sinistra nascendi sors ad ensem vel cappam damnavit. Hos uno diluvio nobis superfusos, Regiam implentes, omnes ad Regem aditus obsidentes, non solùm alere, sed & colere, & domi licet spretos turpi summissione cogemur venerari. At illi Reipublicæ militiæque, tum & sacris (si non secularium, certè regularium Clericorum specie) admissi ea paulatim consilia cudent, quæ in capita, in libertates nostras erumpant. *Lotharingus* præter Germanos tribus simul nationibus obsidebitur; Gallis quippe consanguineis, quos amat. Italis Hispanisque fautoribus, quibus obstrictus est; Gallos ex patria Italos ex Imperatricis vidua, præsertim Hispanos ex Imperatoris aula; illos ex Lotharingia, hos à Vienna, ubi talium studia favoresque quærere, precio, prece, pollicitationibus, familiaritate etiam parùm Regiâ, vilis sæpe conditionis hominum, sed in aula potentium patrocinia sibi emere, solutionem in spem Regni differre, cogebatur: Abundabat Vienna hoc hominum genere, gaudebitque levari paulum, etsi possit modo in Poloniam exonerari. *Neoburgico* nihil tale: cognatos præter Principes non habet. Jam Principes in Germania natu secundi, Principis dignitatem retinent, in territorii sæpe partem veniunt. Sufficiunt ergo sibi, nec ad deformes illas artes & ministeria aulica adiguntur. De cætero Germani in Polonia peregrinantes opificiis & commerciis occupantur, quæ res nec suspecta Polonis nec vitanda.

CON-

CONCLUSIO I.

MOSCHUS utiliter non eligetur.

Moschus noti ingenii non eſt, *contra Prop.* 20.

Et qui poſſit? 16. annorum puer, niſi etiam minorem natu, retento apud ſe Primogenito, pater nobis obtrudit.

Per Vice-Regem Imperaturus eſt *contra Prop.* 21.

Quia propriam ditionem vaſtam lateque fuſam habebit, quam ſibi abſolutè parentem amabit præ noſtra; Ergo & coram reget, Ergo nec per Vicarium.

Catholicus non eſt nec ſi erit, niſi ob Regnum erit *contra Prop.* 22. 23.

Græcæ quippe Religionis ſchiſmaticus, ab ipſis Græcis ſchiſmaticis degener.

Prudens expertusque non eſt, puer eſt, contrà *Prop.* 25. 26. 28. 38. Patiens modeſtusque non videtur, ſed barbarus gente, moribus educatione contra *Prop.* 32.

Status Regni pro monſtro habens, ſoli deſpotico regimini aſſuetus, à prima pueritiâ, cujus inſiti ſemel mores vix evelluntur. Tum nota illius gentis barbaries, nota ſuperbia, quam grandibus illi titulis ineptiant, quam turgido, imo Hiſpanico faſtu intonent. Crudelitas in deditos inexorabilis, intolerabilis licentia in victos. Jam olim Lucanis *ſævisque affinis Sarmata MOSCHIS.*

Adverſiſſimus *orbi Chriſtiano* contra *Prop.* 47.

Hinc illæ Pontificis Maximi, Clerique diſſuaſiones, hinc leges etiam Imperii Germanici & mandata ad Civitates Hanſeaticas data de inſtrumentis belli ad Moſchos Barbaros non devehendis.

Læſit Polonos & recenter & in ſimili cauſa, nempe electionis contra *Prop.* 48. 49.

Non vetera perſequar, non immanem *Johannis Baſilii* Tyrannidem exagitabo, non florentis Livoniæ veteres vicinos deplorabo. Novis tantùm advertite mentem: quantus terror fuit toti Europæ, cùm Barbarus ducentorum millium exercitu Livoniæ non ita pridem Lithuaniæque noſtræ ſe infudit, omni crudelitatis genere graſſatus eſt, flammis incendiisque omnia longè lateque vaſtavit, multa hominum millia pecorum inſtar abegit, & in ſervitutem Turcis, Tartarisque vendidit. Rebelles verò Coſaccos ſollicitavit, juvit, & nunc quoque ſuſtinet. Illud verò quis ferat, qui ſuas ditiones Regis noſtri filio *Magno Uladiſlao* extorſit, eum à nobis regnum poſtulare; felix ſcelus, ſi beneficium meruit, turpes nos ſi non aliter prædonem ulciſcimur miſeros, ſi cum præmio irritamur.

Potentiſſimus eſt *contra Prop.* 51. & viciniſſimus *contra Prop.* 53.

Quis neget? ditiones ejus contiguæ Polonis, imo inſertæ permixtæque, ab occidente Mare Balticum, ab Oriente Caſpium, à meridie Pontum Curinum, à Septentrione Oceanum glacialem habent. Hinc Succos, illinc Perſas, contingit. Longitudo ad quingenta milliaria Germanica accedit, latitudo non minor, jam multa nobis detraxit multa à nobis deficientia in fidem clientelamque ſuſcepit: par vincendis integris, quanto magis par opprimendis ſciſſis. Bona igitur quæ offert, cui alii donabit quam ſibi? Reipublicæ enim donat, at hanc ipſam Rempublicam ſibi donari poſtulat.

Hhbb 3 Per

Per se tamen nihil habet, obnoxius alteri, contra *Prop.* 54. & 55.

Nam quæ habet Patris sunt; patris avaritia nulli filio peculium permittit. Avaritia; inquam, quæ in illo certè summa est, qui unus suæ ditionis mercator est, qui universale monopolium erigit, qui ipse quasi extraneos hoc facere; satis non sit, subditos expilat, qui filias, ne dotare cogatur, in monasteria detrudit. Ab his sordibus, quis aliquid generosum liberaleque, & indole, non dicam Regis, sed saltem mediocris, Nobilis Poloni dignum, expectet. Filium ergo Pater sibi devinctum, sibi obnoxium habebit, cùm liberalius ei subveniet, ditiones pignori poscet, facile etiam prætextu mutuò datæ pecuniæ infinitis in nos prætextibus insurget. Filio verò à Patris rationibus, votis, consiliis, ne latum unguem discedendum erit. Uterque alteri auxiliabitur; Filius Patri ad prolatandas ditiones, pater filio ad domandos Polonos.

Extraneo non *utitur* tantùm, sed & *nititur* contra *Prop.* 56.

Patre scilicet suo, hujus viribus, potentia opibus subnixus efferetur.

Magno Duci Moscoviæ personaliter subditus contra *Prop.* 57.

Et *Patri* scilicet, & *Principi* Heroque suo.

Magnum Ducatum mortuo parente habiturus est jure hæreditario contra *Prop.* 58.

Multum scilicet abest à *Jagellone*, *Jagello* suum magnum Ducatum nobis univit, hic nos, nisi caveamus, uniet suo.

Jagellonigena denique & omnino *Regalis familiæ* non est contra *Prop.* 59.

Nam Parens ejus ex infima conditione, tumultu, ac seditione nullo jure, nulla legitima electione ad solium nostro Principi debitum, ascendit.

Moschus igitur utiliter non eligetur.

Moschus & Christianis moratioribus, & prudentibus cunctis, & quibusvis sanis hominibus semper horrori fuit, suetus servituti suorum, nulla jam exceptione parendi. Turca alter, cui par propè viribus terribilior vicinitate, superior barbarie, obstinatione animi, odio in dissentientes. Cohorrescit adhuc Livonia ad memoriam crudelitatis, nihil simile à Turcis editum. Mahumetem *Basilius* vicit, Christianus Saracenum, novitate mortium, arte tormentorum, rivis cruoris. His moribus quid refert Christianum esse? Græcorum schismate nullum pertinacius, nullum evelli difficilius, quia non ratione, sed stupore, sed ignorantia habentium radicatur. Cæteros non hæreticos, non schismaticos, sed ne Christianos putant. Baptizatos negant, qui ter mersi non sunt, nunquam bonâ fide Catholici erunt, qui unionem cum sede Apostolica maximè abominantur, qui ituris olim in Terram Sanctam, cibos, fontes, aërem, infecere; qui Palæstinam Saracenis quàm Latinis maluêre, qui sospitatoribus suis ideo tantùm insidiabantur, quia Romanæ ecclesiæ cohærebant. Huic opinionis pertinaciæ, gentis feritate duplicatæ, an salutem an libertatem nostram credimus? Eosne in viscera regni admittemus, authoritate, factione viribus armabimus; Prætextu Juris ad sævitiam & oppressionem nostri instruemus, qui foris ægrè arcebantur, quibus præter Tyrannidem aliud regimen natum non est. At religionem mutandam offerunt? Cujus vero? an gentis? minimè id quidem. Unum hominem nec eum sincerum Ecclesiæ dabunt, præclaro, si Dis placet, pro tot periculis incremento. Quid aliud hoc est, quàm anguem donare, sed ea conditione, ut in sinu foveamus? ⊙ animi levitatem, quæ cum purpura movetur, ô firmam fidem, quæ ex sceptri apice pendet, quæ hoc unum miraculum postulat: coronari. Nam certè *Moscum*, Poloniæ Regem, prudentes omnes aut miraculum credent, aut monstrum. At Smolenskium reddet, tot auri myriades, quot

quot una vix linea capit, in nos congeret? credamus factum: cui alii donabit quàm sibi? Ite deinde & rationem reposcite, audete hiscere Tyrannum, sentietis quod in fabula est, trabi Ciconiam regem ranis successisse, lupum in medio ovili versari, nec facilè in ordinem cogi, cui tot è Vicinia supersunt millia armatorum, qui per se par nobis contra se unitis, scissos jam & in se partim inclinantes, miserante Europâ, absit omen, lacerabit. At verò ne vicini immoti, ac velut siderati stupebunt, sentient quantum è Republicâ petatur, duplicari Turcam, propugnaculum Christianitatis à Barbaris capi, consurgere molem opprimendæ Europæ parem. Ipse Turca nascentem potentiam formidabit. Ibunt omnes obviam, in nos vel ut laxatis habenis barbaræ gentes effundentur, apud nos erit arena, in qua infestis animis Turca Moschis, Græci Latinis, Europa Barbaris, Christiani infidelibus concurrent; nos ipsi portam aperuerimus, facilis hinc in Germaniam Scythis via, Demus operam, ne exitium, & nostrum & suum, Europa deploret.

CONCLUSIO 2.

CONDÆUS utiliter non eligetur.

Condæanorum dubitata nonnunquam *justitia* est, contra *prop.* 24.

De quo idem ille, quem supra prop. 33. citavimus, Polonus scriptor solita tamen & nimia sibi vehementiâ: » Regi suo, inquit, jus regnandi dubium facere ausus est; bel- » lum movit, intestinis armis Galliam concussit, odiis insolitis tantùm indulsit, ut His- » panis, juratis Patriæ hostibus, militaret, his ipsis tamen fidem duraturæ amicitiæ » dedit; at nuper spreta hæc calcataque est, inundatus liber Burgundiæ Comitatus, » oppressæ urbes, corrupti gubernatores: quæ in nos egit ejus factio, funestæ semper » memoriæ erunt.

Sed nec *prudenter* egit contra *prop.* 25.

Cùm violentis potius & damnatis per leges nostras in Polonia artibus, quàm amore obtinere Regnum speravit; cùm paucis corruptis totam Poloniam corruptam credidit; cùm notâ intempestivè successionis quæstione, vivo Rege, odia in se gentis concitavit.

Patiens, quietus, bella dum possit, vitans modestusque non est *contra Prop.* 32. 33.

Tum naturâ Gentis, tum propriâ. Nam calida semper & violenta ejus tum consilia fuerunt in Galliâ, tum implicamenta in Poloniâ, tum bella in Belgio & Germania: Ut parvum aliquod oppidum caperet, (*pergit idem Author Anonymus, sed ipsemet in scribendo nimis immodestus.*) » Ut exiguam hostium manum debellaret, triplo majorem » suorum numerum impendit; quod acerrima acies absumeret, id dictitabat unâ nocte » in Parisiensibus amoris Gymnasiis restitui. Scilicet

» *Et quantum longis carpunt armenta diebus*
» *Exiguus tantum gelida vos nocte reponit.*

» parva certè humani sanguinis pretiosarumque DEO animarum curâ; quo verò pie- » tatis sensu, non dixerim.

Familia ejus seu potius linea, turbis nobilissima est, contra *prop.* 34.

Quæ perpetuis & hoc & superiore seculo contra Reges legitimos bellis claritatem magis quàm laudem meruit.

Ipse herili, dominico, despotico regimini assuetus contra *Prop.* 36.

Ex

Ex gente scilicet super omnes Europæ Gentes despoticè regnata & regnante.

Ab Orbe Christiano dissuadetur, *contra Prop.* 47.

Scilicet ab Anglis, Batavis, Suecis, Danis, ut de Cæsare, Hispanis, cunctisque Italiæ & Germaniæ Principibus, nihil dicam. Hi scilicet omnes nimiam Gallorum potentiam, immanesque illas spes, quas nuper prodiderunt, exhorrescunt.

Polonos gravissimè læsit in hâc ipsa causâ, *contra prop.* 48. 49.

Scilicet in *electionis negotio*, quam ut compararet sibi, quid non tentatum? corrupti proceres, officia conjuratis data, proscriptionibus in tenaces libertatis grassatum; depravata moneta, turbata commercia, militia ad seditiones, ad confœderationes, ad coitiones, studiosè coacta, Tartari evocati, Cosacci extimulati, Turcæ asperati, Mosci irritati, Sueci sodicati; denique id actum est, ut omni genere malorum oppressi, decretum à Porta Gallicana Regem, (*ut loquitur nuperus scriptor Lotharingicus*) velut cælitus missum statorem petere, etiam & beneficii instar impetrare, & flagella nostra ipsi redimere cogeremur; sed fata nobis aliam salutis viam aperuerunt.

Domui Austriacæ & Coronæ Suecicæ, *certus hostis* erit contra *prop.* 50.

Ambobus & potentibus & vicinis. Nam cùm Monarchiæ haud dubiè Gallicanæ, quâ nunc cudendâ Politicorum fabricæ lassantur, instrumentum futurus sit; & Austriacis æmulis, per se; & Suecis, quia Triplo fœderi nomen dederunt, armaque commodarunt, ut ad sua tutanda revocentur, certus hostis erit.

Potens contra *Prop.* 51.

Nam grandes sanè in Galliâ reditus habet. Ergo faciet quod *Henricus Valesius* fecit; is regnum vix ingressus, effusâ prodigalitate ipsos proventus mensæ regiæ dilargiebatur, quâ ratione & captabat accipientium animos, & cogitabat pauperiorem Rem publicam reddere, ne, distracto Domanio Regis, imposterum ad Regem, nisi per se opulentissimum, id est Gallum, sumendum animos adjicere posset. Et certè, si regnum acquiret, pecuniâ suâ acquiret; quod autem acquirere pecuniâ potuit, eâdem sibi suisque perpetuò retinebit, id est, opprimet libertatem.

Potentis Monarchiæ nempe Gallicæ, amicus & cliens contra *Prop.* 52.

Idem tamen debilis & egenus & ab alio pendens si per se ipse spectetur, *contra prop.* 54.

Hinc Regi Galliæ obnoxius contra *Prop.* 55.

Quidvis facturus, ut regii illi reditus, quos in Gallia percipit, sibi, etiam Regi Poloniæ facto, continuentur.

Hoc uno *nititur* contra *prop.* 56.

Nam certum est, Rege Galliæ nolente, ne mittere quidem legatos, nec efferre regno pedem posse.

Imò huic planè subditus est contra *prop.* 57.

Ideo si Corona ipsi acquiritur, stricto Jure Regi Galliæ acquiritur, (uti servus acquirit Domino) nisi is expresse renunciet, præsertim ob Axioma Gallorum, *quod quæ Rex vel familia ejus acquirat, Coronæ uniantur*, & inde sint postmodum inseparabilia. Imò, etsi renunciet, dicent successores, renunciationem invalidam esse invitis scilicet ordinibus Regni factam, quemadmodum his axiomatibus *Cassanus*, *Puteanus*, *Auberius*, aliisque utuntur. Sed & in Regis Galliæ potestate est, non dimittere *Condæum*, quippe subditum suum, nisi præscriptis juramentoque firmatis certis secretis conditionibus.

Atta-

Attamen facilè ipse per se regnum habiturus est contra *Prop.* 58.

Quam facilè enim, quàm paucis mortibus, restitui res in eum statum potest, in quo nondum triginta abhinc annis fuit, quo tempore vix quisquam dubitabat, hunc ipsum *Condæum* Galliæ Regem fore.

Jagellonigena non est, *contra Prop.* 59. *Secundo-genitis* Gallis nos inundabit *contra Prop.* 60. *Corollar.* 2.

Ergo CONDÆUS utiliter non eligetur.

Quid attinet sparsim dicta contrahere? præsertim cùm quæ dicere possem, in ore animisque omnium versentur, nec ego addere fortissimo Principi invidiam, sed consulere patriæ velim; Esto igitur justus, pius, prudens, fortis, moderatus, felix, inclytus; attamen libertati gravis, corruptelarum prodigus, Monarchiæ Gallicæ amicus; Cæsari, Suecis, Triplo fœderi, cunctis Neutralibus, hostis erit; ambitioni suæ Domus, odio publico, funestis de Europæ imperio certaminibus, nos involvet. Interea exhaustis, Turca, Moschus, Tartarus supervenient, & quod Gallus sibi quæsivit, Barbarus cum exitio Europæ vindicabit.

CONCLUSIO 3.

LOTHARINGUS utiliter non eligetur.

Lotharingus noti satis genii non est, *contra Prop.* 20. nec prudentiæ documenta dedit, & juvenis non expertus est, *contra Prop.* 25. 26. 30.

Quia nullam hactenus provinciam in republica administravit, in quâ ingenium ostendere potuerit. Neque Legatus, neque Præses Provinciæ, neque Consiliarius, imò nec belli Dux, more alienorum Principum Juvenum fuit. Vix unis castris, unius legionis brevis præmaturè tribunus fuit, quo tantulo tempore, si scientiam militarem acquisivit qualem jactant, *infusa* sit, oportet. Sed & alia Ducis, alia Tribuni vel Colonelli laus est. Illius consultare prudenter, hujus exequi audacter. Ergo nec hac in parte prudentiam ostendit. Omnium minimè verò quòd sprevit paulo ante Polonos, nunquam ad eos accessit, casum interregni non prævidit, omnia distulit, nunc impetu uno farciri neglecta posse putat. Si modo finibus incubet, quod tamen magis odiosum invidiosumque est. Quod verò Religiosorum discursationibus, fascinari populum posse putavit; & nimiam in eos pronitatem suam maturè ostendit, id tum Clero seculari, tam Ordini Equestri, tum ipsius Societatis inclytæ Generali, abusum invidiamque in ordinem tandem redundaturam, diutius non ferenti, usque adeo suspectum visum est, ut ad extremum Confessario Lotharingico commerciis illis minimè religiosis interdiceretur.

Patiens & modestus & sedatus non esse perhibetur *contra Prop.* 32. 33. Sed familiæ turbulentæ diffidentibusque infestæ contra *Prop.* 34. 35.

Id cùm ex præcedentibus patet, tum ex agendi modo. Prima enim *ejus factio* schedas velut triumphales, nescio quo consilio, tota præcipuè Germania, ut fando accepi, disseminavit; quasi scilicet plebis Germanicæ rumoribus Rex Poloniæ creetur. Ἐπινίκιον πρὸ νίκης cecinit, plausum ante victoriam, imò ante pugnam captavit, *Neoburgicum* acerrime proscidit, jus successionis ac prærogativam sanguinis rancidam quandam ac vetustatis nescio quâ longinquâ stribiligine obsoletam, minimè renovatam, minimè verò *Neoburgici* ad *Jagellonem* propinquitati (quam tamen is, tam demens non est, ut ad jus trahat) comparandam; plenis buccis jactavit; quin etiam in scheda

quadam in Imperio Germanico volitante, & ad nos tandem perlata, expressè ingeminavit nescio quis tenebris: Lithuaniam saltem, *Jagelloni* hæreditariam, à Lotharingo Jagellonigena jure vindicari posse, quo nihil poterat dici absurdius, & à Candidati moribus alienius; porrò quòd finibus nostris incubat, quod Juvenum favorem captat, militibus Austriacis stipatus, armatas preces fundit, nemo modestiæ laudaverit, si gentem, si familiam, si patrem, si patruum, imò si se ipsum ut cœpit, sequitur; nihil constans, nihil sedatum. Lotharingorum Semi-Gallica, imò Sesqui-Gallica levitas; Patruum patremque Protea habuit, modò Galliciffantes, modò Hispanistas; sed utrobique malè materiatos, malè mulctatos. Ipsius Candidati transfugium refugiumque etsi pueritiâ excusetur, non tamen prorsus obliteratur; glitcunt & in illa ætate igniculi morum. Turbæ verò à Lotharingicâ Guisiaque familia in Galliâ contra Reges religionis prætextu excitatæ, penè Regno & religioni Catholicæ nimia impetuositate exitiales, nullo seculorum lapsu delebuntur: Principis ipsius Lotharingi ea indoles esse dicitur, ut citius quieta rescissurus, quàm lacerata sarturus videatur.

Plerisque Rebus publicis & vicinis & potentibus, & Neutralibus parùm gratus; Polonis ante ambitionis materiam nullâ benevolentia cognitus; at Gallis potentibus hostis, Austriacis Vicinis & potentibus nimis amicus, *contra Prop.* 47. 49. 50. 52. 53. per se sine illis nil tenens, illis obnoxius, illis unicè nixus; Austriacis ditionibus & orbitati Cæsaris imminens, hujus ab aulâ triplicem nationum colluviem invecturus *contra Prop.* 55. 56. 57. 58. 60.

Hæc in singulis propositionibus clarè demonstrata. Cuncti enim Neutrales Principes, id est, qui neque Galliciffant, neque Hispanizant neutris addictum volunt. Ergo nec Lotharingum, Hispanorum vel Austriacorum alumnum, Clientem, Ministrum juratum, stipendiarium, Generum designatum. At quantò Austriaci eum ardentius promotum cupiunt, tectè quidem sed eo efficacius, subtiliusque; quantò item Polonis viciniores potentioresque sunt; quanto eorum Cliens, Turcæ, Moscho, Suecis, Brandenburgicis, imò ipse Imperio Germanico formidabilior erit; quantò ipsi plures in Coronam nostram prætensiones superstites jactant; quantò notiora sunt exempla ab iis in viciná Hungariâ, Bohemiaque edita: tanto magis & vicini obnitentur, & odio in Hispanos publico nos involvemur, & nunc quoque libertati, imò & saluti nostræ, cavere debemus. Cur enim Regem eum sumamus, qui ex duabus potentissimis æmulis, rivalibus Europeæ Monarchiæ Domibus: Austriaca & Borbonica, alteri nimius amicus, alteri certus hostis; nihil aliud quàm bellum certum, jus dubium, dotale Reipublicæ afferre; Lotharingiam avitam, à Gallis vix non subactam, nostris frameis asserere, nostris sumptibus tueri volet, bello cum potentissimo Rege, motibus nihil ad Poloniam pertinentibus, & si (quod absit,) orbitas Cæsaris contingat ambitionis suæ, atrocissimis de Austriacâ Successione contentionibus, nunc, si non contingat, resumtis, modo tanta per nos accessio fiat, Hispano-Austriacis Monarchiæ universalis consiliis, nos involvet, in nos Suecos, Moschos, Turcas concitabit, Austriacorum tam potentium tam vicinorum, nec aquis aut montibus à nobis separatorum, tam suspectorum Polonis, tam dūra in *Maximilianum* lege, magno præjudicio, propè exclusorum, natibus circumagetur: Gallus natione, Austriacus affectu; cujus animus apud unum, ditio apud alterum potentium æmulorum. Porrò cùm ipse per se possideat, præter spem, nihil; cùm nec territorium, nec thesaurum, imo nec pensionem certam principe dignam habeat; nova sibi omnia comparare, novam gazam Regiam, suppellectilem, pompam instruere; cùm primùm in regno pedem posuerit, extraordinarias contributiones indicere; sumtus conjugio Austriaco necessarios, facilè doti pares, afflictis Polonis extorquere, cogetur. Cùm hæreditariis ditionibus opibusque prorsus careat;

reat; liberos ejus, si quos suscipiet, sola Respublica sustentabit; his de officiis, beneficiis, annuis reditibus, alimentis regia familia dignis, cum summo onere prospicere cogetur. Jam tot cognatos, quorum numerus iniri facilè non potest, quos ægrè Gallia alit, in nos effundet; quadruplices simul aulicos, Hispanos, Italos, Germanos, Gallos adducet. Patronos in aula Viennensi suos rursus locupletare cogetur, in præoccupato animo novis amicitiis locus non erit. Polonis quos ultimo extremus accessit, cum quorum pauculis quibusdam vix aliquot mensium familiaritatem coluit; quorum paucissimos, imò, si juvenes aliquot demas, nullos vidit; quorum paucos fando comperit: Polonis inquam nec Coronam debebit; Sed ministris Cæsareis, sed aliquot ex Italiâ Hispaniaque Aulicis Viennensibus, quorum consilio ministerioque aut potius Patrimonio usus est. In hos gratitudinem effundet, Polonos, quasi horum arte, ingenio, industriâ deceptos, persuasosque; factus jam Rex, prorsus contemnet. Illi verò Regis intimi erunt, omnes ad eum aditus obsidebunt, consiliis suis Juvenem circumagent. Porro de accidendâ paulatim libertate, de muniendis arcibus, de Polonis domandis, cum vicinis intimisque sibi Austriacis; cum Italis suis Hispanisque consultabit; tectiora illi Gallicis nuperis, sed efficaciora consilia cudent, donec variis modis fracti in dominatum concedamus. At ipse Princeps, animi inquies, calidus juventa vicinis bella faciet, Suecos, Brandenburgicos, Moschos, Turcas irritabit, repetundarum ditionum, generositatisque antiquæ restaurandæ prætextu, revera ut militiam sibi stabiliter obliget, ut cæteros togatos cives nobilesque santo potentius opprimat, ut sive Victoriâ, sive clade attriti cæsis per continua bella Generosissimis Viris, simili cum Hungaris fato, deformi obsequio præparemur. At, quid si res secus cadent, si Gens libertatis tenax pertinacius reluctetur, si bella intestina excitentur, si infelicia sint, quæ jam tum Lotharingica factio crepat, repetundarum ditionum in Moschum, Suecum, Brandenburgicum, Turcam etiam, & cum Tartaris Cosaccos, bella; quid si Rex, rerum inexpertus, bellandi brevis, cæterum naturâ ferox & levis, vel *Uladislai* apud Varnam cæsi heu olim nostri, vel *Ragozii* nuperi infelicis Turcarum Lacessitoris, fata experiatur; Tum verò à fronte, à latere, à tergo urgebimur, in lacerantium partes ibimus; fracti alioquin tot bellis sumus, propugnaculo Cosaccorum dudum caremus, hos ipsos nunc timemus, per quos antea timendi eramus; diluvio barbarorum inundabimur, propugnaculis angustiisque caremus; si semel exercitus Reipublicæ prosternatur, continuò totum persultare Regnum hostis potest; Hoc in Suecis, graviore tamen armaturâ tardis, didicimus; quid levissima Tartarorum gens, cui inediam sitimque tolerare mos, flumina maxima tranare ludus, terroris, cædis, incendii, Vastitatis non inferent? quod nostrorum captivorum millia, Asiam Græciamque implebunt. Faxit Deus, ut, si fata urgent Poloniam, si juvenis ferocis, deliciis aulicis sueti, inexperti, Austriaci, Neutralibus adversi ingratique Turcis Gallisque hostilis, bellis, odiis, prætensionibus impliciti; vel alia novaque adhuc spirantis eligendi, tam dira cupido excuti animis non potest. (quod tamen

Nec Pater ille sinat Summi Regnator Olympi;)

Saltem falsæ, si fieri potest, demonstrationes meæ inania omnia, animo ejus in melius miraculosè mutato, comperiantur.

CONCLUSIO 4.

NEOBURGICUS utiliter eligetur.

Neoburgicus noti genii est, secundùm *Prop.* 20.

Natus est *orbi*, in cujus conspectu multa à tot annis, quibus non contemnendorum Principatuum felix Rector fuit, edidit, bella gessit, grandes controversias terminavit,

maximis confœderationibus interfuit, in plerisque aulis negotiatus est. Notus *Poloniæ*; in qua juvenis fuit, matrimonium contraxit, favorem obtinuit, & aulâ semper Polonis plenâ continuavit.

Per *Vice-Regem* Imperaturus Polonis non est secundùm *Prop.* 21.

Nam certè Libentius majori Ditioni incumbet. Minores illas in Germania hæreditarias terras per Legatum regere, & *Suetum* Regibus (neque enim deserta Daniâ aut Sueciâ Regis in Holsatia aut Pomerania hærent) & justum, quia in res hæreditarias potestas major.

Catholicus est & dudum quidem, quia Catholicus natus secundùm *prop.* 22. 23.

Eo usque certè, ut Ecclesiæ causâ certamina gravissima, cum potente Adversario, Electore Brandenburgico sustinuerit.

Justus secundùm Prop. 24.

Quod enim unquam ab eo fœdus ictum & non servatum? animus naturâ à vi bellisque abhorrens, arbitrorum patiens; arbitrum ipse in multis Germanicorum Principum controversiis sese æquabilem præstitit, nunquam Cæsaris & Imperii hostibus militavit, quod tamen plerique Imperii Principes jus fasque esse putabant, subditis denique non Dominum sed Patrem præstitit, ideo ipsos nunc in maximis necessitatibus sumptibusque non refractarios sed filios expertus est.

Prudens expertus, linguarum peritus secundùm *Prop.* 25. 26. 27. 30. corpore vegetus plus animo tamen; ætate maturus, liberis munitus, sedatus nec bellaturiens, familiæ minimè turbulentæ, dissidentium tolerans, despotico regimini minimè suetus, imò inimicus, secundum *Prop.* 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36.

Varia juvenis expertus est, linguas Latinam, Italicam, Gallicam, Hispanicam, Belgicam, singulas ita promptè intelligit, quasi vernaculas, ita loquitur perfectè, quasi quamlibet unam sciret, ita scribit exactè, quasi non usu sed multo studio & doctrinâ sibi comparâsset. Viginti septem anni sunt, quod maritus esse cœpit, ab eo tempore acta ei perpetuis negotiis vita, nulla sine linea dies, & tamen admissum nihil, quod imprudentiæ culpes; ne unum quidem alicujus momenti erratum annotatum, sive domestica sive externa spectentur, in tanta scribendi libertate & Historicorum recentium segete, quibus multam illi materiam suppeditarit, omnia semper laudi propiora. Acta ejus *privata*, *publica*, *Polonica*. Privatim & domi suæ, prudenti diætâ valetudinem sustinet, juratus hostis perditricis animorum & spiritûs ebrietatis ac libidinis. Cujus inter tot illecebras constantia cum fructum sensit, ut domum prole mascula muniverit, nondum trimestri abhinc in ea ætate, filium ex Conjuge susceperit; Vitæ castè continenterque transactæ hoc præmium testimoniumque receperit; & nunc anno ætatis tertio supra quinquagesimum nulli juvenum vivida naturæ bonitate & agilitate corporis cedat. Hanc non medicamentis, non mollitie, sed Venationibus, exercitiis corporis, & laboribus Principe dignis, conservat. Quo in genere equestrium studiorum, confessione Germaniæ, testimonio Comitiorum quorum communis hæc, & nota præsentibus, vox fuit; nullos Principum superiores, paucos pares habet. Conjugio utroque & felix & prudens, in quo tamen plerique Principum errare solent, sive absentem nec perspectam, sive charam magis quàm profuturam ducentes. Nam *Constantia* Poloniæ Principe ducta, & uxorem egregiam & dotem magnificam, & splendorem non parvum Domui suæ attulit, quod *Uladislaus* noster,

tamus

tus Rex, Juvenem adhuc Principem, sed jam tum satis sibi præclaro geniorum exploratori, perspectum, sorore unica, sola superstite in Polonia Jagelloniæ domus fœmina dignaretur, & jam tum tantæ spei sciens prudensque (huc enim commendatio illa velut in tabulis tam celebris, tamque efficax spectabat) amoneret; quod ipsi Poloniæ Proceres, qui jure suo sibi postulant de Principum suorum suarumque matrimoniis dispicere, Conjugium hoc non modo aspernati non essent, sed & frequenti plausu prosequerentur, & dotem, aut potius hæreditatem tam Regiam, tam longo Regum studio collectam, & huc velut exoneratam, avehi ægrè non ferrent, quasi præsentiscerent, se ut in *Catharina* Succa, cui itidem hoc permissum est, recepturos. Conjugem verò domum deductam, quàm amore tenerrimo dilexerit, quanto illa illum ardore redamaverit, tristi supra *Brahely* narratione documus *Prop.* 49. hoc uno infelices, quod sese invicem cum confecta pace Brandenburgica frui optaret, uterque amiserunt. Si quis Manium sensus, si qua cognitio ultra mortem (uti certè tum primum maxima & liberrima & vera) felix illa & cœlo recepta anima, *Constantiæ* nostræ gaudebit charissimo Conjugi & luce magis dilecto, pro tam brevi usura, tam præclaras, tam justas spes, tanta & suæ gentis & orbis studia attulisse, videbitur sibi ipsi per medios suorum plausus vehi, & avito solio in marito superstes esse. Porrò eâ morte ita percussus est optimus Princeps, ita altè vulnus pectore accepit, ut ægrè secundis nuptiis animum adjicere posset, sed cunctantem & Domus & Ecclesiæ inevitabilis necessitas impulit; nam si ultimus ipse orbus esset, recasura in agnatos Protestantes ditio, & religio Catholica, tot laboribus restaurata, pessum itura erat. Igitur, quod mirabilius, ut Catholicæ Ecclesiæ prodesset, à Protestantibus instrumentum petivit; Principem acerrimâ in Catholicos domo prognatam educatamque duxit; & hanc tamen, apud quam vis, impetus, zelus nil valuissent, modestiâ, arte, obsequio fregit, medio inter sponsalia nuptiasque tempore, prius Catholicam, quàm uxorem fecit, prius Ecclesiæ quàm sibi copulavit; egregio documento dato suæ moderationis in dissidentibus tolerandis, artis in convertendis. Et verò hoc matrimonio, quod volebat, obtinuit. Nam ut priore, rebus spe, dignitate, ita posteriore (& ipsâ Jagellonide) personis propagatoribus Domus aucta est. Octona mascula soboles, terna fœminea, rarus in aulis numerus liberorum. Sed is oneri magis futurus erat, si pater fœcundus tantùm, non etiam prudens esset. At ille educatricis disciplinæ cuncta callet, compendio docturus, nec aliud habiturus, quod agat, quàm ut sua per vestigia filios ducat. Et verò ea in illis indoles elucet, quantam & optare ipse, & expectare amici, & invidere hostes possint. Sed & aperiendus campus erat, suum cuilibet filio filum velut separatim acui inserendum, ut tanto promptius cum ætate vitæ negotiorum stamina procurrant. Hinc alios regendis ditionibus servat, hos exercitiis studiisque principe dignis occupat, corpora ad labores, ad ferendam aliquando militiam durat; animos omni fortunæ præparat. Si fata cæptis annuerint, si voti in Polonia damnabitur, non plures adducet secum, quàm Respublica, cui liberrimam optionem relinquit, volet patieturque; nullum à reliquis onus habitura, qui quod ad hoc attinet, perinde erunt, quasi non sint. Cæteros igitur, hæreditariis ditionibus relinquet, aut Ecclesiis per Germaniam præcipuis, in quibus bonam eorum partem DEO devovit, qui aliquando Numine vitam occasionemque subministrante, eniti ad summam Episcoporum imò Electorum dignitatem & Ecclesiæ propagationi familiæ ornamento, Poloniæ & decori & usui esse possunt. Talis *Neoburgicus* in *Domo suâ* est, videamus qualis in *Principatu suo* sit. Est verò qualis in domo, nempe, ut illic *pater familias*, ita hic *pater patriæ*. Appello tot Polonos, quot ille semper in aula habuit, quis unquam querelas, tumultus, obnixus subditorum audivit? Illud enim semper invigilavit, ut pacem, ut affluentiam subditis præstaret, ut commercia proveheret, & in gente Batavis vicina, harum rerum & suetâ & capace, Rheni pleno jam in mare alveo ruentis, commoditatem habente, sibi occasionique non deesset. Dedit igitur in

parvo documentum, quid in magno ei præstandum fata servent. Et certè diximus supra præter commercia Poloniæ nihil ad felicitatem deesse; Poloniam expilationibus exterorum apertum latus præbere; habuisse Principes pios, bellicosos, prudentes, nondum huic rei intentos, cùm tamen sola commerciorum ratio turbata pauperes, constituta rectè affluentes terras, efficere possit. *Baconus Verulamius* Angliæ Cancellarius, qui *Henrici VII.* vitam scripsit, inter ejus summas laudes ponit, commercia gentis primum ordinasse, cui uni nunc rei Angliæ opes innituntur. Ausim sperare, hoc aliquando Historicos Polonos de *PHILIPPO WILHELMO* scripturos. Cujus sedata & placita natura quietem & inquiete reconvalescentiam genti præstabit, & rectè ordinatis velut rotis grandis hujus machinæ gente sua bona agnoscente, ad universalem *αὐτάρκειαν* (sufficientiam) cunctos deducet. Qua una ratione pravæ monetæ malum radicitus tolletur. Bellis certè princeps noster, *uti impar non est, ita nec inhiat. Parem* esse Brandenburgici motus ostenderunt, ubi cum potentiore adversario æquo marte congressus est; *non inhiare* confecta ex sententia utriusque pax, terminata par olim Europæ commovendæ controversia Juliacensis, tum verò tota vita factionum expers, & illa ipsa insolita plerisque Principibus in bello Germanico inter medias turbas quies ostendit. Porrò qualem Polonis se præstiterit, passim dictum, & plerisque notum est; scilicet, patientem, modestum, benevolum, prudentem. Cum superstite Rege quicquam movere noluit, Gentis eâ in re indignationem reveritus est, passus est alios præcurrere, ab animis tamen, quantum sine ambitione liceret, conciliandis, non destitit intempestivis turbis, & in autorum odium abituris abstinuit, tandem & fœderibus initis periclitanti libertati Electionis succurrit.

Orbi Christiano gratus *Prop.* 47. Polonis nullo *Prop.* 48. amore multo, *Prop.* 49. cognitus, nulli Reipublicæ hostis, *Prop.* 50. nec ita potens, ut nocere nobis possit, *Prop.* 51. nec ulli etiam potenti ita amicus, ut ab illo dependeat. *Prop.* 52. nec viciniâ metuendus *Prop.* 53. Ut verò non nimis potens, ita nec egenus *Prop.* 54. Nulli obnoxius *Prop.* 55. extraneis, & si *utens* tamen *non nitens Prop.* 56. nulli personâ subditus *Prop.* 57. denique ut gente extraneus *Prop.* 60. ita duplicato sanguine, & ipse Jagellonigena Polonus, & Jagellonidos bis conjux *Prop.* 59.

Ubi paulo ante virtutes, ita hic virtutum fructus; nam illis dotibus verè Regiis; favorem Orbis meruit, à Cæsare, Gallis, Hispanis, Anglis, Batavis, Suecis, Danis, Brandenburgicis commendatur. Credo nec ipse Turca alium nominaret. Nec disputo, quo quisque animo faciat, satis est, omnes alium, quem honestè commendent, non invenire. Et verò *Neutrales* omnes Sueci, Angli, Batavi, Brandenburgici regnum, nec si in potestate electionem haberent, alteri darent; idque non ex peculiari amore, conspirationeque; sed quod cæteris omnibus minus suspectus timendusque videatur. Non est igitur, quòd suspiciemus secretas quasdam in nos machinas, cùm nemo vicinum suos subditos opprimere æquo animo ferat. Nec putemus infinitis promissis & largitionibus hæc in tot aulis studia Neoburgico efficienda fuisse; quia omnes aulas Neutrales ipsa statûs ratio ad eum inprimis ex Candidatis præsentibus Regem optandum impellit, quia cæteri tres, quisque uni, affectatâ Monarchiâ formidoloso innexi sunt. Rivales verò illi tres & Poloniæ & per Poloniam Monarchiæ Europeæ: *Domus Austriaca, Borbonica* & ipse *Moscus* suum quidem quisque optat, Moscus filium, Gallus agnatum, Cæsar Lotharingum; nunc tamen hoc rerum statu, ut suum mallet præ Neoburgico, ita Neoburgicum quisque malunt præ cæterorum unoquoque; & si spes sui desperata, videat, Neoburgicum simpliciter & tum demum

ex

ex animo commendabit. Inanes igitur metus deponamus: Quasi nimis Gallicisset, qui potissimum se committit Polonis, quibus unis verè *nititur*, quibus solis verè *amicus*, quorum libertatem contra factionem & Reginæ & *Condæi* nomine abutentem, eâ moderatione defendit, ut & disjiceret machinas adversariorum, & quod mirabile est, tamen nec Regem Christianissimum offenderet, & Regis Serenissimi *Johannis Casimiri* partum semel amorem retineret; & tamen nec Cæsari, nec Suecis, Brandenburgicisque nec Neutralibus, Tripli fœderis autoribus suspectus nimisque Gallicissans videretur. Ergo solis Polonis Regnum reverà; cæterorum omnibus simul, quasi se mutuò impedientibus, singulatim nulli debebit; nulli subditus, nulli obnoxius, obstrictusque est. Quod feuda ab imperio tenet; id à regni sui salute curandâ, non ipsum magis quàm Hispanum, Suecum, Danum avertet. Ergo liberè se in Poloniam impendet, aliquot peditum Germanorum millia alet, ac certum Nobilium è Poloniâ Juvenum numerum in peregrinando sustentabit; quiete cuncta componet, pacem cum vicinis non precariam colet, monetam reparabit, commerciorum ac manufacturarum rationem, quæ sola hactenus, Poloniæ defuit, ordinabit. Tum demum florebimus eùm ad bona ipsi nostra animum convertemus, aperiemus oculos, sentiemus fraudes istas, quibus Judæi & Christiani & nativi nos exugunt; desinemus ab exteris petere, quæ apud nos nascuntur, cessabimus plus pecuniæ regno exportare, quàm importetur; parcius aliunde emendicabimus, quæ apud nos, si studium impenderemus, nasci possent; agnoscemus satius rudem ab exteris materiam sumi, dein inquilinorum artibus elaborari, pretium mercedemque nostris hominibus cedere; quàm facilè imitabiles exterorum affanias, speciosiores quàm durabiliores, immani sumtu comparari. His consiliis patriæ salutiferis, non Juvenis, non impatiens, non impetuosus; Sed Princeps ætate maturus, consiliis gravis, spe lentus, tardum in talibus fructum exspectaturus, id est solus ex Candidatis *Neoburgicus*, cùm *Moscus* monopolium ipse exerceat; *Condæus* mercibus Gallicis, unis omnium maximè superfluis (ideoque à Rege Commercia ordinaturo primis omnium abolendis, vel saltem refrænandis) faviturus sit; *Lotharingi* ætas, studiaque à lentis consiliis planè abhorreant: par esse potest.

Ergo NEOBURGICUS utiliter eligetur.

Cùm enim omnia Candidati requisita junctim solus Candidatorum contineat, cribratis quodammodo, & exilientibus cæteris, solus in fundo gravior remanebit. Neque verò quòd *Thuscum*, *Parmensem*, *Ragozium*, &c. præterierim, vitio versurum quemquam credo. Cureos refutem, quos nemo defendit. *Thuscus* illud malum, illum Gallicum morbum, quem ipse domi non sustinet, à quo ægrè sanati sumus, rursus importabit; pacem quam domi non invenit, foris voluntario velut exilio quærit; egregius quidem Princeps: sed quid Italus & quidem *Machiavelli* popularis Florentinus despotico dominatui assuetus, naturâ abditus, vita mollis, ad Polonos climate frigidos, regimine liberos, moribus candidos? Eadem *Parmensi* obstant.

Commendat Parmam lac, caseus atque butyrum.

Sed hæ non sunt Regiæ dapes, ut nuper quidam decantatis illis, de Italiæ urbibus; plerisque Versibus usus, per jocum dictitabat. *Ragozius* Austriacis subest, Turcis hostis est, Polonis fuit. Nam & patris ejus nunc quoque apud nos vestigia fœtent. Jam potentissimo Vicino hostem, neque gravissimæ in nos offensæ reum eligendum esse, illud *Prop.* 50. hoc *Prop.* 48. demonstratum est. Ut de familia turbulenta, moribus omnique vitâ nihil dicam.

EPILO-

EPILOGUS.

Q*uid reſtat ergo*, Cariſſimi Populares, *quid habemus, cur moremur? Providentia divina, mirabilis occaſionum neceſſitudinumque concurſus, Reges extranei noſtrique; Conſenſus Orbis Chriſtiani, conſenſus ſummorum apud nos Virorum ratio ipſa & neceſſitas tot requiſitorum regularumque confluxus, Regem nobis velut digito deſignant: Teſtimonium orbis, prudentiam rationemque veſtram, demonſtrationes meas appello. Rumpamus igitur periculoſas patriæ, nonniſi paucis utiles, turbandis tantùm rebus, efficaces moras: PHILIPPUM WILHELMUM DUCEM NEOBURGICUM, nobis diu notum amatumque, opibus nec nimium nec contemnendum, in Coronam jam reapſe benevolum pretioſam* Conſtantiæ *Gazam relaturum, prudentiâ admirabilem, bellandi nec inſcium, nec cupientem, linguâ, calamo, conſilio, mente, manu mirè promtum, tot maximis negotiis parem, graviſſimorum certaminum tractatuumque felicem confectorem, toti Europæ gratum commendatumque, partibus nullis addictum; ab omnibus adverſariis; ſi domeſticum quiſque ſuum obtrudere non poſſit, laudatum; corporis amabili decore conſpicuum, viribus valentem, exercitiis equeſtribus communi opinione incomparabilem; quod filiorum adducendorum numerum attinet, omnia Reipublicæ arbitrio commiſſurum; Catholicum ſed ſine diſſidentium odio, ætate maturum, ſed ſine virium decremento: extraneum, ſed loco tantùm; ſtirpe verò Polonum*, Caſimiri *Regis Poloniæ*, Jagellonis *filii, bis trinepotem.* Sanguinis *officio, amore, matrimonio, cum* Conſtantia *ejuſdem* Caſimiri *abnepte, demum & cum* Eliſabetha Amalia *ejuſdem bis trinepte*; renovatorem. *Liberos quater Jagellonidas, bis à patre, bis à matre, raro exemplo æquali ubique gradu habentem; ipſum denique amore Polonorum, genere Majorum commendationibus in noxiis exterorum ſuâ virtute, fortunâ, pietate ſuffragiis conſpirantibus, Poloniæ alteri patriæ divinitus deſtinatum:*

Regem eligamus.

INDEX

INDEX PROPOSITIONUM.

PROP. XIII.

Nova, sunt cæteris paribus periculosa.

PROP. XIV.

Omne *Turpe* est periculosum.

Hactenus *præcognita* & velut principia, sequuntur *Regulæ* in Eligenda vel forma Reipublicæ, vel personâ Regis, servandæ.

PROP. XV.

Interregnum in Poloniâ diuturnum ne esto.

PROP. XVI.

Democratiæ Exercitium in Poloniam non cadit.

PROP. XVII.

Aristocratia Polonis periculosa est.

PROP. XVIII.

REX quam primum in Polonia eligitor.

PROP. XIX.

Electio *non per sortem*, sed rationalis, esto.

PROP. XX.

Eligendus *noti genii* esto.

PROP. XXI.

Eligendus in Regem reapse nobis Regem se præstato, seu per *Vice-Reges* ne imperato.

PROP. XXII.

Catholicus esto.

PROP. XXIII.

Sed ante spem Regni.

PROP. XXIV.

Justus esto.

PROP. XXV.

Prudens esto.

PROP. XXVI.

Expertus rerum.

PROP. XXVII.

Licet lingua Polonicæ, dummodo non Latinæ aliarumque, imperitus.

PROP. XXVIII.

Non Puer.

PROP. XXIX.

Corpore vegetus.

PROP.

PROP. XXX.

Plus animo tamen.

Corollarium. Ergo potius *senio*, quàm *pueritiæ vicinus.*

PROP. XXXI.

Licet *ætate* provectus, maximè, si *filios* habeat.

PROP. XXXII.

Patiens & modestus.

PROP. XXXIII.

Quietus, non bellaturiens.

PROP. XXXIV.

Non è *familiâ* turbulentâ.

PROP. XXXV.

Non violentus in *dissidentes.*

PROP. XXXVI.

Non *Despotico Regimini* assuetus.

Interferuntur aliquot *Lemmata* de *Amicitia*, *Beneficio* & *Gratitudine* ad solidiorem subsequentium propositionum intellectum.

PROP. XXXVII.

Verus *Amicus* Amici Bona *per se* expetit.

Corollarium. Hinc verè Amicus *magnum* bonum alterius *parvo* suo præfert.

PROP. XXXVIII.

Vera Amicitia non est, nisi *inter sapientes* valde *aut stultos.*

PROP. XXXIX.

Amor verus non nisi *animi* esse potest.

PROP. XL.

Amicitia vera non nisi ex intimæ *familiaritatis* conversatione nasci potest.

PROP. XLI.

Amicitia vera hodie *inter Principes rara est.*

PROP. XLII.

Inter *Respublicas*, nulla.

PROP. XLIII.

Beneficium (*Damnum*) plus *animo* dantis, quàm facto æstimandum est.

PROP. XLIV.

Gratitudo in solo *animo* consistit.

PROP. XLV.

Beneficio *Casuali* nulla gratitudo debetur.

PROP. XLVI.

Nec Beneficio, *voluntario* quidem, ſed tamen *non accipientis*, ſed tertil aut dantis *cauſa* collato.

Nunc reditur ad Regulas eligendi.

PROP. XLVII.

Eligendus *orbi Chriſtiano* gratus ſeu *Amicus* eſto.

PROP. XLVIII.

Polonos *non* læſerit, ſeu *hoſtis Polonis* ne eſto.
Coroll. maximè autem *in eodem genere*, in quo *beneficium* flagitat, ſeu in negotio Electionis *læſiſſe* non debet.

PROP. XLIX.

Hoc amplius *Amicus* jam tam Polonis eſto, ſeu cognitæ, ante ambitionis materiam, benevolentiæ.

PROP. L.

Nulli Reipublicæ per ſe *hoſtis*, ne ſcilicet & nobis belli cauſa ſit.
Coroll. 1. Ergo nec ille eſto, qui facilè *hoſtis* alicui Reipublicæ *futurus* videatur.
Coroll. 2. Ergo nec *multis minus gratus* eſto.

PROP. LI.

Non potens.
Coroll. 1. Multo minus Polonia potentior.
Coroll. 2. *Dona*, quæ Eligendus offert, tanto *minora* cenſenda ſunt, quanto ipſe potentior.

PROP. LII.

Non *multis*, nec *potentibus* Amicus.

PROP. LIII.

Non *vicinus*.
Coroll. 1. Non *vicinorum Amicus*, multo minus *hoſtis*.
Coroll. 2. Non *viciniſſimus*, ſeu inteſtinus.

PROP. LIV.

Non *Egenus*.

PROP. LV.

Nulli *obnoxius*.

PROP. LVI.

Qui Extraneis, etſi *utatur*, tamen non *nitatur*.

PROP. LVII.

Nulli *Perſonâ ſubditus* eſto.

PROP.

PROP. LVIII.

Aliud per se *Regnum ne habeto.*
Coroll. Nec facilè habiturus esto.

PROP. LIX.

Jagellonigena esto, si commodè fieri potest.

PROP. LX.

Extraneus esto, seu *Piastus* ne esto.
Coroll. 1. Peregrinis tamen ministris onerare Poloniam non debet.
Coroll. 2. Ergo ex eâ gente non sumendus, quæ *secundo-genitos* perpetuo & dignitate parentum, & territoriis privat.

CONCLUSIONES.

Conclusio 1.

MOSCHUS utiliter non eligetur.

Conclusio 2.

CONDÆUS utiliter non eligetur.

Conclusio 3.

LOTHARINGUS utiliter non eligetur.

Conclusio 4.

NEOBURGICUS utiliter eligetur.

Ne quod restat chartæ, prorsus vacaret, adjeci, & applicui brevissimè *Conditiones Candidati*, constitutas tum ab Autoribus *Nexus* vel confœderationis inter Proceres Regni complures anno 1659. consensu, imò & Autoritate Regis & Reginæ initi, cui & *Georgius Sebastianus Lubomirskius* regni Mareschallus subscripsit, in cujus membro secundo, ut ipse in edita Apologiâ refert pag. circiter 14. Requisita Candidati continentur.

Requisita Nexûs de Anno 1659.

Concordibus votis annuimus, quod Candidatus Regni sequentia debeat habere requisita, juxta quæ trutinari & inquiri debebit.

I. *Ut sit Romano-Catholicus* (*Adde Prop.* 22.)

Hoc solùm ex quatuor Candidatis *Moschum* excludit.

II. Ne sit Piastus, id est Polonus, seu Indigena. (*Adde Prop.* 60.)

III. Ne sit Diademate redimitus & aliorum Regnorum Dominus (*Adde Prop.* 58.)

Hoc excludit directè *Moscum*, indirectè & *Condæum* & *Lotharingum*, qui quorumve familia ad alia quoque regna facile venire potest, & in eâ jus successionis habet aut habitura est. *Vide in Scholiis Prop.* 58.

IV. Ne sit vicinus Sarmatiæ nostræ ob potentiam formidandus (*Adde Prop.* 51. 52. 53.)

Hoc excludit *Moschum* vicinum & potentem, & *Lotharingum* vicini & potentis nempe Domus Austriacæ Clientem, illum directè, hunc indirectè.

V. Ne sit ex duabus Domibus æmulis in Europâ. (*Adde Prop.* 47. 50. 51. 52.)


Id est nec ex domo Austriacâ, nec ex domo Borbonicâ, seu nec Gallicanæ, nec Hispanicæ Monarchiæ implicitus, hoc excludit directè *Condæum*, qui immediatè est ex Domo Borbonicâ; indirectè *Lotharingum*, qui Domûs Austriacæ gener designatus, minister, cliens, alumnus, stipendiarius, Sacramento obstrictus, obnoxius, intimusque amicus est.

VI. Ne sit puer, aut annis gravis. *Adde Prop.* 28. 29. 30. 31.)

Prior hujus requisiti pars excludit *Moschum*, posterior *minimè*, ut quidam persuadere aliis conantur, excludit *Neoburgicum*, neque enim ille annis gravis est, qui paulò ante filium suscepit, qui corpore vegetus, venationibus se & equestribus studiis oblectat; Consiliis, calamo, manu promtus est, dies noctesque negotiis continuat, maximas res curasque animo solus agitat & complectitur.

VII. Ne sit uxoratus, ut ducere possit in Conjugem Marchionissam Neptem ex Sorore Reginalis Majestatis.

Hæc conditio pro illius temporis statu ascripta erat, cujus nunc rationem habet nemo;



INDEX

INDEX LOCUPLETISSIMUS
RERUM ET MATERIARUM
In Tomo quarto contentarum.

Num. I. Primam Partem, II. Secundam, III. Tertiam indicat.

A.

An-

B.

D.

Meierus

N.

O.

Q.

R.

S.

T.

FINIS TOMI QUARTI.

